{BnF

gallica
BIBLIOTHÈQUE
NUMÉRIQUE

Aimon (évêque d'Halberstadt). Saeculum IX Haymonis Halberstatensis episcopi opera omnia ex variis editionibus ineunte saeculo sexto decimo Coloniae datis ad porclum revocata et diligentissime emendata. Praemittuntur Ebbonis Rhemensis Hartmonii monachi .... 1852.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF.Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.
*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer ici pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMEN...TI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE BIBLIOTHÈQUE LILLE

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITIONIS

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXVI.

HEBBO, HARTMANNUS, ERMANRICUS, ERCHAMBERTUS, NITHARDUS, AMULO, HAYMO.
HAYMONIS TOMUS PRIMUS. — CÆTERORUM TOMUS UNICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

SÆCULUM IX.

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA

EX VARIIS EDITIONIBUS INEUNTE SÆCULO SEXTO DECIMO COLONIÆ DATIS
AD PRELUM REVOCATA ET DILIGENTISSIME EMENDATA.

PRÆMITTUNTUR

EBBONIS RHEMENSIS, HARTMANNI MONACHI S. GALLI, ERMANRICI AUGIENSIS MONACHI,
ERCHAMBERTI FRISINGENSIS EPISCOPI, NITHARDI S. RICHARII ABBATIS,
AMULONIS EPISCOPI LUGDUNENSIS,

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT.

SYMPH... INSULENSIS CATHOL...

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS PRIMUS.

VENEUNT 3 VOLUMINA 21 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CXVI CONTINENTUR.

EBBO VEL EBO *Rhemensis episcopus.*

Confessio Ebbonis. *Col.* 10
Apologeticum ejusdem. 11
Narratio depositionis ejusdem. 17
Ebbonis poematica. 21

HARTMANNUS *S. Galli monachus.*

Carmina. 23

ERMANRICUS *Augiensis monachus.*

Fragmenta de Grammatica. 26

ERCHAMBERTUS *Frisingensis episcopus.*

Epistola de Translatione corporis S. Bartholomæi. 31
Fragmentum ex Breviario regum Francorum et majorumdomus. 34

NITHARDUS *S. Richarii abbas.*

De dissensionibus filiorum Ludovici Pii. 45

AMULO *episcopus Lugdunensis.*

Epistolæ. 77
Opuscula duo. 97
Sententiæ de prædestinatione. 105
Liber contra Judæos. 141

HAYMO *Halberstatensis episcopus.*

OPERUM PARS PRIMA. — COMMENTARIA BIBLICA. 189
Explanatio in omnes psalmos. 191
Commentaria in Cantica aliquot. 695
Commentaria in Isaiam. 715

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

ANNO DOMINI DCCCL.

EBBO VEL EBO

RHEMENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN EBBONEM.

(Flodoard., Hist. Eccl. Rhem.)

Vulfario successit Ebo, vir industrius et liberalibus disciplinis eruditus, patria Transrhenensis ac Germanicus, imperatoris, ut fertur, Ludovici collactaneus, et conscholasticus, qui multis Ecclesiam curavit instruere commodis, et præcipue artificibus, quibus undecunque collectis sedes dedit, et beneficiis muneravit. Mancipia vel colonos quosdam Ecclesiæ desertores tam per seipsum, quam per Radulphum vicedominum et Ecclesiæ advocatum, apud judices publicos legibus evindicatos et obtentos, ecclesiastico juri restituit. Quasdam quoque res Ecclesiæ, atque mancipia, cum aliquibus personis pro partium commoditate commutavit. Sed et imperialia super eisdem commutationibus præcepta obtinuit. Ab imperatore quoque Ludovico litteras ad Robertum Comitem pro ecclesiasticarum rerum defensione, quas quidam pervadere moliebantur, impetravit. Colonias vero nonnullas Ecclesiæ, descriptis per strenuos viros colonis eorumque servitiis, ordinavit.

Hujus præsulis hortatu Halitgarius, Cameracensis episcopus, sex libellos de remediis peccatorum, et ordine vel judiciis pœnitentiæ conscripsit.

Hic Ebo præsul papam Stephanum cum Ludovico rege Rhemis suscepit.

Orta denique simultate inter patrem et filium, Ludovicum scilicet imperatorem et Lotharium, partibus filii favit, et cum cæteris episcopis corripuit imperatorem Ludovicum pro quibusdam erratis quæ ei objiciebantur, quando filii sui comprehenderunt eum, et Lotharius adduxit secum patrem ad Compendium palatium, ubi eum afflixit cum episcopis et cæteris nonnullis primatibus, qui jusserunt ut in monasterium iret, et esset ibi cunctis diebus vitæ suæ. Quod ille renuens', non consensit voluntati eorum. Tunc omnes episcopi qui aderant molesti ei fuisse narrantur, et improperantes illi peccata sua, abstulerunt ei gladium a femore suo, induentes eum cilicio.

Itaque postquam Ludovicus ab æquivoco filio C suo restitutus est in regnum et honorem suum, Ebo propter hujuscemodi factum depositus est ab episcopatu pro infidelitate imperatoris.


Igitur Ebo post hanc depositionem suam in Cisalpinis fertur regionibus conversatus usque ad obitum Ludovici imperatoris, qui contigit anno incarnationis Dominicæ 840. Quo imperatore defuncto, Lotharius ab Italia in Franciam venit : cui Ebo ad Wormatiam civitatem occurrit, eique Lotharius post aliquot dies sedem et diœcesim Rhemensem per edictum imperiale restituit.

Cui restitutioni, quæ Suessionis habita est, contradixit synodus, asserens quod damnatus a se, atque a quadraginta tribus episcopis, a minori numero restitui non valuit. Quod edictum Rhemis Ebo secum detulit, et apud ipsos et plures illud diversæ professionis et ordinis divulgavit, et in ecclesia Rhemensi publice recitari fecit. Ita eo tempore, quo Lotharius Carolum a regno expulit, et ultra Sequanam fugavit, Ebo sedem Rhemensem post sex annos B suæ depositionis recepit, et episcopale ministerium agere cœpit. Sicque ordinationes celebrans, quosdam clericos ordinavit, et per totum circiter annum hoc episcopium tenuit : donec Carolus, resumptis viribus, in Belgicam reversus est. Quod audiens Ebo, relicta sede Rhemensi, ad Lotharium profectus est, et in ejus familiaribus mansit obsequiis : donec una cum Drogone, Metensium præsule, Romam petiit, ubi a Sergio papa reconciliari ac pallium sibi tribui postulavit. Cui idem papa, communione tantum concessa, dare pallium renuit.

At Ebo Roma reversus, abbatiam Sancti Columbani in Italia dono imperatoris Lotharii possedit, donec legationem in Græciam ab eodem imperatore sibi commissam exsequi detrectavit. Quocirca rebus sibi ab imperatore quæ datæ fuerant ablatis, ad Ludovicum regem Germaniæ demigravit. A quo in regione Saxoniæ quoddam episcopium promeruit : ubi et episcopali deinceps perfunctus est ministerio.

EPISTOLA EBBONIS AD HALITGARIUM.

(*Vide Patrol., tom. CV, col.* 651.)



CONFESSIO EBBONIS.

(Apud Flodoardum, ibid.)

Ego Ebo indignus episcopus, recognoscens fragilitatem meam et pondera peccatorum meorum, testes confessores meos, Aiulfum videlicet archiepiscopum, et Badaradum episcopum, necnon et Modoinum episcopum, constitui mihi judices delictorum meorum, D et puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, et salutem animæ meæ, ut recederem ab officio et ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum, et alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse secreto ipsis confes-

sus sum. Eo scilicet modo, ut ipsi sint testes alium succedendi et consecrandi subrogandique in loco meo qui digne præesse et prodesse possit Ecclesiæ, cui hactenus indigne præfui. Et ut inde ultra nullam repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmavi. Ebo quondam episcopus subscripsi.

EBBONIS APOLOGETICUM.

(Apud Acherium, Spicil. tom. III.)

Ebonis Rhemensis archiepiscopi, sanctæ sedis apostolicæ legati pro conversione paganorum redemptioneque captivorum, ex consensu Ludovici Cæsaris, totiusque palatinæ dignitatis ejus directi, postea qui persecutionis tempore plurimorum episcoporum cæterorumque nobilium laïcorum exsilia passorum, Rhemensi ab ecclesia pulsus, septennique custodia pressus, hinc succedente Lothario Augusto revocatus, publicaque ac auctoritate ecclesiastica restitutus, assistentibus vel decernentibus magnis consulibus pariter cum sanctis hic subscriptis catholicis præsulibus, Drogone archipalatino præsule, sanctaque unanimitate illi omnes isti concordes, Autgarius archiepiscopus, Amalwinus archiepiscopus, Audax archiepiscopus, Hetti archiepiscopus, Joseph episcopus, Adalulfus episcopus, David episcopus, Hrodingus episcopus, Gislebertus episcopus, Herminus episcopus, Frotharius episcopus, Badaratus episcopus, Hagano episcopus, Hrotgarius episcopus, Ado episcopus, Samuel episcopus, Provocatus episcopus, Hrambertus episcopus, Rataldus..... Amalricus vocatus episcopus, cum cæteris plurimis presbyteris ac diaconibus, in Ingelenheim palatio publico assistentibus. His namque explicitis canonicæ restitutionis, palatinis summis negotiis, comprovincialium receptionis solemniter roborata VIII Idus Decembris exstitit principali in ecclesia et sancta sede Rhemensi, obviam ibi occurrentibus cunctis diœceseos præsulibus aut missis, cum concivibus inclytis, ecclesiastica aut publica necessitate vel utilitate promotis, quibus veniendi impossibilitas sola non restitit, generali conventu congratulantes, hanc subscriptionem publicam concordi unanimitate celebrata, priscorum Patrum exemplis edocti rationabiliter ediderunt.

Hæc ita scribendo omnes subternotati antistites unanimiter præfigentes sanxerunt.

Dum non habetur incognitum, quod a pluribus videtur esse compertum, qualiter Ecclesia hæc maxima Galliarum sub regimine Francorum diversis perturbationibus, ac discordiis principum indignatione violenta, his temporibus agitata vexatur; unde et plurimi episcoporum vi propriis a sedibus expulsi, aut timore derelictis gregibus, diversis in partibus exsulantur. Inter quos etiam Ebo archiepiscopus Rhemensis ecclesiæ, raptus a propria sede, principum indignatione violenti exsilio ductus est. Unde et reductus sub custodia, ut periculum evaderet, et furores persequentium mitigaret, redimendo tempus, ut meliori tempori se reservaret, cum consensu episcoporum pontificali secessit a ministerio, dum inter terrores et discordias ratio non sinit immolare victimas, dicente Domino : *Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum*, etc. (*Matth.* v, 23.) Postquam vero Deus Ecclesiæ suæ tranquilliora reddidit tempora, placuit principibus et magistratibus ecclesiasticis, ut isdem pastor ad debitum ovile reverteretur, et oves quas compulsus reliquerat, tuendas reciperet iterum.

Quibus et ecclesiasticis debitis negotiis ego Theodericus, Cameracensis episcopus, assensum canonice præbens : sicut prius de illius discessu compatiendo dolui, ita et modo de illius reversione congaudens, constitutiones has seniorum vel fratrum roborando subscripsi; quia talia sæpe contigisse et in aliis ecclesiasticis gestis legi.

Hrodhadus Suessionensis episcopus hæc ita similiter roboravi.

Hildemannus Belvacensis similiter.

Symeon Laudunensis similiter.

Erpwinus Silvanectensis similiter.

Raginharius Ambianensis similiter

Emmo Nomiomacensis similiter.

Folcwinus Taravanensis similiter.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei summi, glorioso imperante Ludovico Cæsare, cujus prima tempora regni quanquam valde coruscarent prospera, ultima tamen ejus concussa nimia adversitate divinam quasi indignationem illam passa, quam de novissimis temporibus vis semper terret evangelica, dicens : *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes* (*Matth.* x, 21). Multi denique hinc potentes expulsi sunt a patria; episcopi quoque Dei, aliive ministri custodias et exsilia passi; quidam etiam utriusque sexus nobiles laïci ad monasticum habitum compulsi, ut saltem his flagellis celeri castigatione compuncti, remedia salutis reciperent; quia quos blanda vitiaverat prosperitas, necesse erat ut dira purgaret adversitas, ne ad tartaream vindictam divina ultro sæviret majestas.

His etenim manifestis cognitis periculis, ego Rhemensis Ebo indignus episcopus, inter cæteros anxios tribus afflictus pressuris, id est, sublatis rebus omnibus, in ira vel custodia oppressus principis, insuper et fessus ægritudine corporis, sancto cum Psal-

mista dicere non erubui : *Iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo* (*Psal.* XXXVII, 19); divinis flagellis monitus si in prosperis legem Domini neglexi, ad ipsam in adversis confugere debui; ita ut, si quem per potentiam quondam injuste læsi, hinc in angustiis me lædentem ferre patienter devovi. Si cui etiam aliquid indebite abstuli, ablatis mihi omnibus non contradixi, sed auferenti tunicam, etiam et pallium reliqui. Si enim quandoque unicum neglexi inimicum diligere, hinc et pro persecutoribus orare didici. Sicque humili satisfactione memetipsum accusans, furores persequentium mitigare, plus quam litigare decrevi; sancto instruente Abraham, qui inter pericula a prælatione uxoris se exuens, vim facientibus humiliter cedere magis, quam damnabiliter resistere elegit. Sanctus utique Apostolus non minus eadem docuit, cum dixit : *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ* (*Rom.* XII, 19). Inter divina siquidem verbera beatus Job non murmurare, sed orare atque confiteri peccata maluit, cum anxius inter cætera multa lamenta dixit : *Peccavi : quid faciam tibi, o custos hominum?* (*Job* VII, 20.) Quibus multimodis Patrum animatus exemplis, ductus eodem mundano impetu, compulsus ad tribunal palatinum, non ad synodalem sanctorum conventum, quo violenter non licet trahi, sed magis liberum canonice convocari episcopum. Contigit tamen me in media multitudine sanctorum astitisse fratrum, hiemali vexatione diutina ibi afflictorum, quorum consolatione piá recreatus, illa mihi divinitus inspirata sententia charitatis præsto apparuit condolentium, sicut scriptum est : *Cum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (*I Cor.* XII, 26); quorum consilio adjutus tres mihi ex ipsis elegi secretissimos adjutores, Aiulfum videlicet archiepiscopum, Badaradum Modoinumque episcopos, cum quibus de Salvatoris nostri institutione peccatorumque remissione diligenter contuli, memor evangelici præcepti dicentis : *Si offers munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare* (*Matth.* v, 23). Hac igitur auctoritate cernens, quia frater, quanto magis quia princeps meus commotus adversum me erat, reliqui munus oblationis meæ ante altare, et summa satisfactione jam dictorum consensu confessorum vel fratrum succumbens propter [spem] recuperandi concordiam illatas omnes patienter suscepi injurias, et puritate confessionis remissionem peccatorum veniamque, et non condemnationem percipere credidi, quia superbiam in me judicavi ut necem diabolicam, vanam gloriam, ruinam perpetuam : mundi hujus (quod est amatorum mundi) noxiam amicitiam, quæ divino testimonio ad Dei pertinet inimicitiam, in me damnavi ut pœnam tartaream, sacra dicente Scriptura : *Qui hujus sæculi amicus fuerit, inimicus Dei deputabitur* (*Jac.* IV, 4). Fratris convicium, ut fatue dictum, lege evangelica deputavi ut gehennale supplicium : mendacium quoque vel odium non minus quam homicidium exsecravi, testante apostolo : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*Joan.* III, 15). Eodem modo mendacium respui, ut scelus pessimum, de quo divinitus habetur præfixum : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 7) : quo scelere offenditur Deus, decipitur proximus, perit et ipse propria necessitate dolosus. Quibus quidem aliisque similibus formidolosissimis pestibus territus atque compunctus, non fiete, sed devote corripiente me Domino ingemui, qui *quos amat, arguit, flagellat omnem filium, quem recipit* (*Heb.* XII, 6), sancto clamante Apostolo : *Cum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (*I Cor.* XI, 32).

Ne igitur sævientes in me amplius peccarent, Salvatoris nostri evadendi usus sum argumento, qui inter manus persequentium se abscondit, et exivit de templo, neque periculis imminentibus distuli exire de templo, et secedere a pontificali officio, qui violenter triennio jam exclusus eram a debito sacrificandi loco. Nam et apostoli tempore passionis territi, non ritum sacrificandi, sed provida circumspectione abdita tantum loca orationis quærebant latitandi : quia metus fraterna cum discordia divina rite non celebrat charismata, etiam et tempus lugendi non exposcit solemnia, sed potius evadendi remedia, dicendo : *Confitebor adversum me injustitias meas : et tu remisisti impietatem peccati mei : pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno* (*Psal.* XXXI, 6). In hoc ergo tempore opportuno si sancti pro remissione peccatorum laborant, peccatores utique ad confessionis remedia currere non differant necesse est. Unde et nequaquam noxia, sed potius saluberrima habenda est illa confessionis meæ publica inscriptio, per quam perhibetur certa peccatorum posse fieri remissio, dum lex pœnitentium, quæ a mœrore incipit, ad gaudia merito consurgit, divina dicente sententia : *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Psal.* CXXV, 6); neque enim Dominus despicere aut damnare, sed potius sanare atque erigere contritos corde legitur. Subscriptionem ergo mihi in angustiis, nequaquam damnationis sed potius ereptionis titulo edidi, quam non convictus, sed valde constrictus pertuli, melius hic inserendam adnotatione publica prævidi in testimonio veritatis, ne aucta aut minuta maculetur alicujus æmuli quandoque mendaciis, ut et quod tunc gestum est secreto ereptionis argumento, hinc jam publico ubique discutiatur ab omnibus veræ charitatis studio, et dum nullum ibi certum damnationis præfigitur crimen, nullatenus ullum possit ultra pati confusionis discrimen. Non noxia ergo, sed valde proficua habenda est talis subscriptio, quæ furores persequentium mitigavit, hiemales anxias vexationes fratrum porrecta levigavit, me etiam ab ira persequentium eripuit; insuper et secundum sanctarum Scripturarum auctoritatem mihi confitenti remissionem porrigit peccatorum, si perseveravero divinitus castigatus certa in emendatione morum. Scripsi

utique in quo apud Deum non corrui, sed potius humili satisfactione convalui, et hæc ita vim facientibus edita obtuli, quia certus sum, et scio cui credidi dicens : Ego Ebo indignus episcopus, etc. *Vide confessionem, supra.*

Si quis vero per salutarem hanc in pressuris repertam conscriptionis formulam me damnandum decreverit, similiter et in omnibus scriptis meis me opprimere poterit, in quibus nunquam me justifico, sed semper indignum episcopum subscribens ubique denuntio. Nec tamen me in hac eadem subscriptione ullus violatorem aut mendacem deprehendere poterit : quia nemo ibi postea utilior præfuit, sed septenni ferme sub pœnitentiæ spatio, quo in sancta Ecclesia peccatorum pœnitentibus fieri solet remissio, patienter exspectans, nemini consecrationis ibi dignitatem impedivi. *Nolite ergo*, dicente Domino Deo nostro, *condemnare, et non condemnabimini : in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini* (*Luc.* VI, 37).

Conscriptio itaque hæc diversis necessitatibus, id est, delictorum vel persequentium occasione confecta, si adhuc scandalizanti alicui scrupulum generat, universorum ibi quæso verborum rationem discutiat, in qua certo crimine invento, unde canonica rite sequatur damnatio, juste precor; et non livide judicet proximum, dumque se æstimat stare, videat ne cadat, quia lividus judex festucam in alterius quærens trabem, in suo nequaquam sentit oculo. Luce clarius namque canonica fulget auctoritas, quod sicut sine certo crimine canonice nunquam dejicitur episcopus, ita nec absolutione spontanea, quanto minus violenta alterius sub custodia non licet recedere episcopum sine concordi præsentia, vel consensu civium subditorum.

Prævalet ergo merito in omnibus his ecclesiastica repetitio supra quascunque alias adinventiones violentas aut libitas, sua magis quam Jesu Christi quærentium. Juste ergo judicantur omnia irrita, quæcunque non fuerant auctoritate canonica undique fulta. Fidissimus denique tot talibusque præsidiis ecclesiasticis ac statutis præsentia et æterna quæsivi remedia, dum nimis tacendo in tempore loquendi, nimisque loquendo in tempore tacendi, inter cætera memetipsum noxia reprehendi contagia, divinam majestatem implorans, ut ponat ultra *custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Ne declinet cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis* : sed *corripiat me justus semper in misericordia* (*Psal.* CXL, 3, 6). Cum enim nec justum nisi in misericordia sinat corripere divina potentia : quomodo peccator peccatorem damnare licite poterit divina sine vindicta? Dominus utique dominantium meretricem legalibus pœnis dignam, A nonnisi sine peccato quemquam damnare acquievit (*Joan.* VIII, 3) : quo pietatis exemplo compunctum corde non mortificare, sed misericordiam magis quam sacrificium se velle monstravit (*Ose.* VI, 6). Publicanum siquidem seipsum accusantem non condemnavit (*Luc.* XVIII, 13), sed magis justificavit, nec oppressit, sed extulit, cum non dixit : *Qui se humiliat* condemnabitur, sed *exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11). Semivivum similiter prostratum non respuit, sed procurandum sanctis stabulariis ligandi solvendique potestatem habentibus commisit, et super divina accepta denariorum reparandi munera compassione proprie condolere pro æternæ mercedis lucro commonuit, dicens : *Quodcunque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi* (*Luc.* X, 30-35). B Davidica quippe compunctio momentanea, non dejectionem sed recuperationem meruit. Sancti quoque apostoli de promissa ac mentita in passione perseverantia, post resurrectionem vero de stultitia, et incredulitate vel cordis duritia increpati : Petri etiam negatio contritione cordis purgata. Nequaquam damnatos hos, verum etiam correctos pristinisque dignitatibus restitutos non solum celebrat, sed potius de reparatione lapsorum imitando gloriatur ubique gavisa sancta Dei Ecclesia. Moderna equidem auctoritate palatina compulsos in angustiis ad monasticum pœnitentis habitum utriusque sexus laïcos, itemque pace reddita redisse ad statum sæculi pristinum manifestum est; quo etiam ritu nullum esse dedecus constat, si offensus clericus post humilem C satisfactionem sui debitum clericatum recuperat.

Igitur tam manifestis Novi ac Veteris Testamenti divinis nobis ostensis beneficiorum exemplis, ad jam dictam vulgo notam satisfactionem humilem me devotus obtuli, eo quod recuperationem magis quam damnationem unquam ab initio semper humilis meruit satisfactio. Postquam vero persecutionem succedente offensi principis glorioso hærede Lothario Cæsare, mox mihi ecclesiastica restituta est concordia, et vacantem Ecclesiam, quam quondam violenter amiseram inveniens, non præsumptive, sed repetentibus ibi sanctis ordinibus debite septennem fere post satisfactionem recepi, assistentibus cum principe magnificis præsulibus plurimis, quorum auctoritate omnium revocatus, hanc annotationem futuris D temporibus recitandam, scriptis his memorabilibus in universa Ecclesia Dei catholica manifestam fieri placuit, et sinistras opiniones falsorum fratrum hac certa veritate prolata delere, sanctis verisque fratribus in his omnibus satisfacere decuit, et plus de gratia recuperationis congaudere quam de nequitia damnationis dolere, suggerens (sicut oportuit) festiva hæc restitutio Deo dignis posteris procurabit.

NARRATIO CLERICORUM RHEMENSIUM,

Qualiter Ebbo Rhemorum archiepiscopus, quod in Ludovicum Pium imp. conspiraverat, ab episcopis depositus anno 835, et post ipsius Ludovici mortem sedi suæ restitutus, ac deinde iterum dejectus est.

(Duchesn., Script. Rer. Franc.)

Deserente omni populo Ludovicum imperatorem, et transeunte ad filium ejus Lotharium, Ebbo etiam episcopus inter eos ad eumdem se contulit Lotharium. Qui scilicet Lotharius veniens per imperialia palatia, adduxit secum patrem suum usque Suessionis ad monasterium S. Medardi; ibique hortantibus et jubentibus cæteris episcopis, seu primoribus regni, coactus est Ebbo, quia in diœcesi ejus erat, illi imponere publicam pœnitentiam. Unde nimiam et perpetuam ejus incurrit offensam. Inde vero plurima pars procerum ac populi verterunt se iterum ad jam dictum imperatorem, deserentes ejus filium Lotharium, et restituerunt eum in imperium apud monasterium S. Dionysii. Morabatur autem tunc temporis Ebbo episcopus in monasterio S. Basoli, infra parochiam Rhemensem, claudus utroque pede, B et nimia afflictus infirmitate. Timens vero quia nec cum Lothario exire poterat, nec animum imperatoris adversum se quidquam emollitum habebat, ne, sicut tali turbine furoris fieri solet, a levibus et indisciplinatis hominibus, quasi pro fidelitate domni imperatoris perderetur, jussit se deportari ad quemdam fluvium nomine Matronam, qui propius erat, et mitti in navim, atque Parisius ad quamdam deduci cellulam cujusdam Reclusi, sperans ibi tute posse manere, usque dum aut animum imperatoris quoquo modo placare potuisset, aut recepta sanitate ire post Lotharium valeret. Audiens vero domnus imperator eum illuc transfugisse, misit, et jussit eum deduci sub custodia ad Voldam monasterium Sancti Bonifacii, ibique servari, et post biennium adduci C ad Teotonis-villam in parochia Mettensi, ubi erat placitum imperatoris publicum. Præsentatus autem concilio episcoporum, accusatus est ab imperatore, atque diu nimiis terroribus maceratus, inito tandem consilio cum cæteris coepiscopis et fratribus suis, quia episcopus nec archiepiscopus suis omnibus bonis exspoliatur, subque custodia tentus, et ab ecclesia sua sequestratus, in synodo apostolica auctoritate non convocata, neque ejus legatione roborata, damnari nullatenus juxta decreta sanctorum Patrum potuisset, nec diutius in talibus torqueretur, et etiam sanus corpore iram maximi principis quocunque modo declinaret, coactus scripsit libellum hunc : « Ego Ebbo indignus quondam episcopus recognoscens fragilitatem meam et pondera peccatorum meorum, D testes et confessores, Aiulfum videlicet archiepiscopum, et Bradaradum episcopum, necnon et Modoinum episcopum, constitui mihi judices delictorum meorum, et puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, et salutem animæ meæ, ut recederem ab officio et ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum, et alienum me reddens, pro reatibus meis, in quibus me peccasse secreto illis confessus sum, eo scilicet modo, ut ipsi sunt testes alium succedendi et consecrandi subrogandique in loco meo, qui digne præesse et prodesse possit Ecclesiæ, cui hactenus indignus præfui; et ut inde ultra nullam repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmavi. » Quorum testium vel confessorum testimonium in successione et in consecratione alterius nullus unquam requisivit, cum etiam unus eorum, Badaradus scilicet, in restitutione Ebbonis fuerit.

Finito autem concilio, reductus est sub arcta custodia ad eumdem, Sancti scilicet Bonifacii monasterium. Post aliquantum vero temporis, commendatus est similiter ad custodiendum Freculfo Lexoviensi episcopo, inde etiam Bosoni abbati in monasterium Sancti Benedicti, sub cujus manu exsulabat quando dominus imperator viam totius ingressus est carnis. Defuncto autem imperatore, reductus est a jam dicto Bosone abbate ad Lotharium, et obviavit ei apud Ingelenhaim. Ubi congregata synodo auctoritate apostolica et præceptione Lotharii imperatoris, apud eam restitutus est ab his episcopis, Drogone episcopo, Hecti archiepiscopo, Othgario archiepiscopo, David archiepiscopo, Amalwino archiepiscopo, Joseph archiepiscopo, Andaux archiepiscopo, Adalulpho episcopo, Erminio episcopo, Badarado episcopo, Aganone episcopo, Samuel episcopo, Rodingo episcopo, Frothario episcopo, Gisleberto episcopo, Adone episcopo, Hramperto episcopo, Ratulfo vocato episcopo, Harcarrio vocato episcopo, Amalrico vocato episcopo, Bosone abbate ex monasterio Sancti Benedicti, cum aliis quampluribus abbatibus, presbyteris atque diaconibus. Remissus est autem a jam dicto imperatore Lothario, seu a præfato concilio, ad sedem propriam, Rhemensem scilicet ecclesiam. Ad quam veniens VIII Idus Decembris, receptus est ab episcopis suffraganeis suis, Rothado episcopo, Simeone episcopo, Lupo episcopo, Erpuino episcopo, una cum legatis omnium aliorum episcoporum Rhemensis diœceseos, qui variis detenti infirmitatibus illuc corporali præsentia occurrere non valentes, suam tamen per ecclesiasticos legatos et excusatorias litteras illi exhibuerunt præsentiam. Insuper etiam a canonicis et monachis, atque corregionalibus litteris totius diœcesis, cum infinita mul-

titudine utriusque sexus, qui omnes cum ramis palmarum et cereis ardentibus, laudesque Deo intimis ex cordibus et excelsissimis vocibus proclamantes, longe ei ab ecclesia obviaverunt, et usque ad ecclesiam indesinenter psallentes eum perduxerunt. Tunc oratione completa, silentioque imposito, ascendit Rothadus episcopus ambonem, ducens secum Ingobertum monachum, et primo allocutus est gaudenti plebe de desiderabili reversione proprii pastoris, et qualiter restitutus a sancto concilio, seu ab imperatore Lothario, eis remittebatur. Et jussit Ingobertum monachum alta voce ipsam ejus restitutionem legere. Dederunt etiam præsente omni ecclesia legati episcoporum unusquisque assensum proprii sui episcopi et plebis scriptum : qui omnes ecclesiæ ab Ingoberto monacho publice relecti sunt. Ad ultimum dedit Iutaus [Vitaus] chorepiscopus et vicarius Theoderici episcopi assensum infra scriptum. Quem idcirco hic præ cæteris inseruimus, quatinus in eo et res gesta licet breviter comprehensa liquidius cognosci possit, et consensus eorum qui præsentes adesse non valuerunt in restitutione ejus, manifestius intelligi. « Dum non habetur incognitum, quod a pluribus videtur esse compertum, qualiter Ecclesia hæc maxima Galliarum sub regimine Francorum diversis perturbationibus ac discordiis principum indignatione violenta istis temporibus agitata vexatur. Unde et plurimi episcoporum a propriis sedibus expulsi, aut timore derelictis gregibus diversis in partibus exsulantur. Inter quos etiam Ebbo archiepiscopus Rhemensis ecclesiæ raptus a propria sede, principum indignatione violenta in exsilio ductus est. Unde et reductus sub custodia, ut periculum imminens evaderet, et furores persequentium mitigaret, redimendo tempus ut meliori se tempori reservaret, cum consensu episcoporum pontificali secessit a ministerio, dum inter terrores et discordias ratio non sinit immolare victimas, dicente Domino : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum*, et cætera. Postquam vero Deus Ecclesiæ suæ tranquilliora tempora reddidit, placuit principibus et magistratibus ecclesiasticis, ut isdem pastor ad debitum ovile reverteretur, et oves quas, compulsus reliquerat, tuendas idem reciperet. Quibus et ecclesiasticis debitis negotiis, ego Theodericus Cameracensis episcopus assensum canonicis præbens, sicut prius de illius discessu compatiendo dolui, ita modo de ipsius reversione congaudens, constitutiones has seniorum vel fratrum roborando subscripsi : quia talia sæpe contigisse et in aliis gestis ecclesiasticis legi. » His ita peractis, iterum reboantibus signis, et vociferante omni Ecclesia, *Te Deum laudamus*, ductus est jam sæpe dictus Ebbo episcopus in vestiarium, et indutus episcopalibus vestimentis, similiter etiam alii episcopi, et processerunt cum eo ad celebrationem Missæ. Nam Rothadus episcopus dextra manu eum sustentans, habuit suæ partis Lupum Catalaunensis ecclesiæ episcopum, et Hirminfredum presbyterum, postea vero Belvacensis ecclesiæ episcopum. Sinistra autem manu sustinens eum Simeon episcopus, similiter suæ partis Erpuinum episcopum, et Vitaum [Jutaum] Cameracensis ecclesiæ chorepiscopum. Et sic ad sanctum altare cum eo procedentes, ad propriam sedem eum deduxerunt, atque cum eo cuncti sedentes, in omni pontificali officio ipsa die ei communicaverunt. Fuerunt autem per longum spatium ejus exsulatus ordinati episcopi eo absente, Simeon episcopus, Lupus episcopus, Erpuinus episcopus; quod omnimodis sanctissimis prohibetur canonibus. Qui completa cum omni gaudio et lætitia consecratione et solemnitate sacrificii præsente omni Ecclesia deprecati sunt eum, ut ipsius auctoritate eorum statueretur ac roboraretur ordinatio. Qui benignissime eorum preces obaudiens dedit eis publice coram sacrosancto altari annulos et baculos suæ auctoritatis in confirmatione eorum ordinationis, et allocutus est de eis omni Ecclesiæ, ut scirent universi se in charitate, quæ ex Deo est, eorum ordinationi consentire, absque subsistere.

Postea vero accipiens auxilium et legationem jam sæpe fati Lotharii imperatoris, ad limina beatorum perrexit apostolorum, non satis habens in restitutione sua sine apostolicæ sedis auctoritate, consensu tantorum episcoporum, et aliorum bonorum hominum. Ubi a piissimo ac spiritali patre Gregorio, domno videlicet apostolico, benignissime est receptus et apostolica auctoritate plenissime restitutus, sicuti penes nos habemus. Postremum denique functos pacifice plus quam biennio omnibus episcopalibus officiis, vocavit nos jam sæpe fata mater Rhemensis ecclesia ad gradus ecclesiasticos, ad quos, Deus novit, non importune nos gessimus, sed electione ministrorum Ecclesiæ, magistrorumque nostrorum acclamatione, etiam atque oblatione totius Ecclesiæ delati sumus. Post hæc vero dividentes inter se regna paterna, Lotharius imperator ac domnus noster Carolus gloriosissimus rex, devenit jam sæpe dicta mater nostra Rhemensis ecclesia in partem et ditionem gloriosissimi' regis Caroli, cum quo erat gratissimus ac potentissimus Fulcho abbas, qui ipsam ecclesiam domni Ludovici imperatoris antea presbyter obtinuerat, et gratia ejusdem regis, cum quo erat, iterum adeptus est eam. Cujus impetum atque furorem metuens jam sæpe dictus Ebbo episcopus, quippe qui nedum cum eodem rege pacificatus erat, cum Lothario, qui primitus adhæserat, remanendo, secessit, et cum eo moratus, timens quia nullatenus suam adipisci posset pacifice sedem, apostolica auctoritate et consensu episcoporum, dono etiam Ludovici regis Germaniæ adeptus est pro tempore ipse vacans vacantem sedem Hiltinesheim, aspirans semper ad propriam sedem. Quam siquidem a domno Carolo rege, licet valida pedum infirmitate gravaretur, repetisse multorum testimonio comprobatur. Unde necessitate compulsus, ad prædictam sedem Hiltinesheim revertens, secundum restitutionem

apostolicæ sedis episcopali officio functus usque in finem vitæ immutabiliter fuisse convincitur. Ubi inter cætera multa bona, diversas etiam fecit ordinationes, quæ absque ulla unquam reprehensione ab omnibus Deo amabilibus gaudenter amplexantur.

Interea vero unusquisque nostrum in suo ordine pacifice ministravit, atque cum omnibus ad eamdem matrem Ecclesiam confluentibus, tam episcopis quam etiam regibus, atque cunctis potentibus, communicavit : donec jam supradictus Carolus rex eamdem ecclesiam longo post tempore reverendo viro Hincmaro gubernandam commisit. Qui statim post ordinationem suam nobis infestus ministrare prohibuit. Cui cum humiliter culpam nostram abjectionis quærendo interrogassemus, nullam nobis culpam objicere voluit, sed tamen a propriis officiis cessare præcepit. Qui autem ab ecclesia Rhemensi ex nobis recedere pro hac eadem interdictione noluerunt, absque ulla contradictione postea semper ministraverunt. Unde quanta jurgia et contentiones inter eum et nostrum ordinatorem jam sæpissime dictum Ebbonem exstiterint, longum est litteris comprehendere, quia quod expetierat consequi nequivit. Obtinuit enim tandem apud piissimum Leonem papam, ut daret ei judices suæ vicissitudinis, Drogonem episcopum, Otgarium archiepiscopum, Hecti archiepiscopum, et Gunbaldum archiepiscopum. Unde et litteris jam dicto Hincmaro mittens præcepit, ut eis suam vicissitudinem habentibus ad causas reddendas contra Ebbonem se Treveris præsentaret. Quod minime, variis intervenientibus occasionibus, ad effectum pervenit. Ista quæ inter hæc duo signa habentur, ab ipso monacho et ab his qui interfuerunt audivimus : nos tamen ipsi non vidimus. « Similiter etiam ut fertur, sicut audivimus quando pallium ab apostolica auctoritate isdem Hincmarus petiit, non antea impetrare potuit, quam ab Ermenardo quodam Orbacensi monacho eidem sanctæ Romanæ sedi sacramento firmatum est, Ebbonem jam sæculo decessisse; cum adhuc, licet senectute et variis infirmitatibus gravatus, superstes tamen, sedem Hiltinesheim pacifice regeret ac gubernaret. Sed tamen in ipsis apostolicæ auctoritatis litteris, quibus eidem Hincmaro usus pallii concessus est, caute, ut in scriniis sanctæ matris Romanæ Ecclesiæ inveniri potest, insertum legitur : Concedimus tibi usum pallii, salva tamen contentione quæ inter te et Ebbonem habetur. » Ad quam contentionis litem finiendam, nullo imperio, nulla unquam auctoritatis præceptione isdem Ebbo pervenire meruit. Illis autem ita contendentibus, nos semper humiliter et pacifice nostram sustinendo portavimus ignominiosam dejectionem.

Defuncto autem jam dicto ordinatore nostro mense Martio, statim obtinuit dominus noster Hincmarus apud Carolum regem, ut convocaret synodum Suessionis apud monasterium Sancti Medardi, et jussit nos fere tunc temporis quatuordecim numero presbyteros et diaconos illuc ire, promittens se de nobis misericorditer tractaturum. Qui renuentes, et humiliter deprecantes, ne nos illuc ad majorem nostram confusionem ire faceret et dejectionem, non audivit, sed potius magistris nostris præcepit, ut omnimodis nos illuc ire facerent : quod et fecerunt. Venientes autem illuc, præcepit nobis dare libellum proclamationis : quod minime volebamus, scientes jam ex parte, sicut et postea manifestius cognovimus, quid de nobis tractabatur. Tamen licet coacti, dedimus cæteri, excepto uno, qui, priusquam Ebbo removeretur, litteris canonicis traditus est Liutado Vincentiensi episcopo, et postea licentia et deprecatione ipsius nobiscum ordinatus. Ipse enim erat cum Carolo rege, et nullatenus ad synodum venit : quippe cujus proprius episcopus ibi non erat. Sed nec ipse, sicuti et nos, ad synodum canonice vocatus advenerat. Ideoque suum nomen illuc scriptum non misit, licet dicatur scripsisse in libello a nobis volenti præceptione subscripto, et per Sigloardum, et Leutonem, atque Isaac, illuc transmisisse : quod minime fecit. Dato autem libello, surgens dominus noster Hincmarus archiepiscopus elegit sibi judices, Wenilonem archiepiscopum, Amalricum archiepiscopum, Pardulum quoque episcopum suum suffraganeum, commendans ei etiam locum suum. Jussit autem nos eligere, qui jam ab ipso solo, si fas est dicere, non canonice excommunicati eramus. Manentes autem in hac maxima tribulatione, timentes quod si non eligeremus, superbiæ et arrogantiæ deputaretur ; si autem eligeremus, nullatenus nobis profuturum sciebamus, cum omnia violenter nobis extorquebantur, quia scilicet nos proloqui nequaquam cedebat, vel condemnationis præjudicium, vel evocatio non legalis ad synodum. Judices etiam, qui erant nobis eligendi, quoniam non interposita temporis dilatione, verum subitæ necessitudinis interpellatione essent eligendi; cum secundum legum constituta per temporis spatium eligi judices debeant, ut possint diligenter edoceri quibus de rebus sint judicaturi.

EBBONIS POEMATIA.

(Flodoard., Hist. Eccl. Rhem.)

I.

Inscriptio quam Ebbo præfixit ecclesiæ Sancti Petri.

Ludovicus Cæsar factus coronante Stephano
Hac in sede papa magno : tunc et Ebo pontifex
Fundamenta renovavit cuncta loci istius,
Urbis jura sibi subdens præsul auxit omnia.

II.

Epitaphium matris Ebbonis.

Mea forte si requiris temporis initia,
Scito Caroli fuisse regni sub primordia :
Ludovico triumphante dies fluxit ultima.
Rhenus primos lavit mores, alveus Germanicus ;
Hunc nutrivit et secundos Liger, amnis Gallicus ;
Sequana fovit jumentam, sordes sordens Vidula.
Præsul erat urbis hujus mihi natus unicus :
Idem me conduxit sibi sociam laboribus,
A Proximum ruinæ locum renovandi cupidus.
Decem ferme nuper annos simul hic peregimus
Ebo rector, ego mater Himiltridis humilis,
Fundamenta sedis sanctæ pariter ereximus,
Deo debitum laborem dum gerebat pontifex :
Fessa quietem quærebam. Ecce sub hoc tumulo
Quinto me September mensis Kalendarum rapuit.
O viator, esto cautus semper ab excessibus.
Fateor non profuisse ut debui, dum potui,
Veniam dic pro vindicta da Deus peccantibus.

ANNO DOMINI DCCCL.

HARTMANNUS

S. GALLI MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN HARTMANNUM.

(Fabric., Biblioth. med. et inf. Lat.)

Hartmannus, monachus S. Galli, quem tempore Grimaldi abbatis et Harmoti, hoc est circa annum 850, claruisse testatur Eckerhardus in Vita Notkeri cap. 15 (*a*), *consilio magnum, qui litaniam*, sanctus humili prece, *texuit, et melodiam fecerat*. Litaniam illam inter alios Hartmanni sacros hymnos edidit Canisius tom. V antiq. Lect., parte II (editionis novæ tom. II, parte III, pag. 192), recusos inde in Bibliotheca Patrum edit. Lugdun., tom. XXVII, pag. 509 seq. Confer quæ ex ms. Bibliothecæ Helmstadiensis proferuntur a Polycarpo Leysero in Historia poetarum medii ævi, pag. 263. Ab illo Hartmanno Eckhardus ibidem distinguit *Hartmannum* juniorem, *cujus*, inquit, *et Waltmanni melodiæ, ipsi quales fuerint, non celant : opera enim illorum multa per Ecclesiam clara exstant*.

(*a*) Canis., tom. III, edit. Basnagianæ, parte II, pag. 562. Adde tom. III, parte III, pag. 187.

CARMINA HARTMANNI.

(*Vide Patrologiæ tom. LXXXVII, col.* 30 *et seq.*)

ANNO DOMINI DCCCL.

ERMANRICUS

AUGIENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN ERMANRICUM.

(Fabr., Biblioth. med. et inf. Lat.)

Ermenricus, sive *Ermanricus*, Walafridi Strabonis abbatis Augiensis discipulus, monachus ipse Augiensis, post Walafridum anno 849 exstinctum, scripsit *librum de Grammatica* ad Grimoldum archicapellanum. Ex eo fragmenta, in quibus multa de viris illustribus S. Galli, edidit Mabillonius tomo IV Analectorum, pag. 329 (edit. novæ in f° pag. 420-422). Opusculum breve, quod *de inceptione Augiensis cœnobii* et fratrum ibidem Deo famulantium Vita, ad Gozbaldum episcopum misisse se Ermenricus testatur, nemo hactenus in lucem protulit.

FRAGMENTA

EX LIBRO ERMANRICI DE GRAMMATICA [a]

AD GRIMOALDUM ARCHICAPELLANUM,

Ubi multa de viris illustribus S. Galli.

(Mabill., Vet. Analect.)

Diu sane mihi pertractanti, præceptorum doctissime, quo primo exordium adipiscendæ dilectæ amicitiæ vestræ caperem, inter multa animo opposita occurrerunt mihi duo magna luminaria : luminare majus, quo illuminamur ut diligatur Deus, et luminare minus unde proximus : ad quæ præcepta cætera cohærent, veluti etiam nomini et verbo, in quibus personam tenemus et actum, cæteræ partes omnes invicem appendent. Cum enim non ignoro te tam in poemate quam in omni arte priorum adprime cautum, in tantum, ut interdum cothurno comico, aliquando vero veste septemplici, quam Sophia sibi suis manibus texuerat, indutus mirifice procedis. Præter hæc etiam gemmis omnium virtutum adornatus, humilitate præcipuus, justitia temperans, fortitudine serenus, prudentia cautus, temperantia modestus, zelo Dei fervidus, patientia lenissimus, in adversis lætissimus, in prosperis humillimus pares. Et non immerito his virtutum alis cæteros præcellis : quia primo ætatis flosculo inter aulicos beatorum Augustorum mores decentissimos enutritus es, tam dogma totius disciplinæ, quam normam recte vivendi ab eis didicisti, qui in omni imperio cum Deo summi fuere.

Sed et hactenus rivo jucundissimo ac in omni virtutum stemmate præfulgido ex primoribus fontibus totius Europæ emananti cohæres, Ludovico scilicet dilectissimo regi nostro, qui licet angustiori limite terrarum, virtute tamen vincit Herculem centauros dominantem, et agilitate Ulyssem. Interroga Sclavos in gyro, et non miraris epitoma meum. Habemus denique nos, ipsius alumni pauperculi, in eodem rivo majores copias Scythico Canai formasque ipsas Nilo præferentes. Ei gratias referimus, qui nobis tam limpidum atque salubrem totius boni fontem concessit, unde cuncta pacifica et utilia semper haurimus, haustumque ipse omnibus ad se properantibus indeficiens præbet et cupit hauriri.

Sed eheu! idem ipse tam labilis fons ne late flueret, quam sæpe machinamentis quorumdam tam privatorum, quam etiam ethnicorum seu externorum hominum dispendio obstruitur, eremus prodit, ac bestiæ loquuntur, donec restagnatus in sese, et non sine periculo sui patientissime se exedebat, Deoque eum protegente armis rempublicam defendebat : in cujus etiam laribus tu ipse veluti fidelis Jola conversatus, latusque dexterum observans, nostri melius quam incomparabilis sit ejus pietas, virtus et ingenium, aliarum gentium legibus! quippe qui in Deo solo potentiam possidet, et copia divitiarum ejus est sapientiæ decus. Quippe aliis sophia, ut dictum est, impar, avo tantum parte censore judicatus : quatenus eo superstite habeas, unde ingenium grandævo jam senio fessum exacuas, et seu Carolum optimum præ oculis habes, nil sit vel quod doleas, vel pertimescas. Sed hæc latius alias.

Cæterum, mi charissime didascale, ne me longius ab incœpta via egressum objurges, redeo demum ad id, quo omnes virtutes spectant, hoc est, ut primo diligamus Deum et Dominum nostrum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, qui est æterna pulchritudo, æterna dulcedo, æterna suavitas, æterna fragrantia, æterna jucunditas, perpetuus honor, indeficiens felicitas. Dein diligamus proximos nostros tanquam nos ipsos.

Postea auctor agit de anima et ratione ; tum subdit : Hæc idcirco, de animæ statu vel substantia, tam late protuli, ut sciant legentes, qui se Deum diligere deest libellus, quem *de incœptione* monasterii Augiensis, et *de Vita* ejusdem loci monachorum a se scriptum Ermenricus sub finem superiorum fragmentorum dixit.

Homerus poeta, cujus mentio fit sub finem, est Grimaldus magister, cui Walafridus Strabus carmen quoddam inscribit, *de Grimaldo magistro*, quem postea Homerum appellat his verbis :

> Quamvis subter agas regum tabularia vitam,
> Non te prætereo, specubusne latebis, Homere.
> Novi namque Sicana tibi spelea placere,
> Solus ubi mensis Musarum et amore fruaris.

Itaque alius fuit Homerus iste Angilberto abbate Centulensi, cui hoc nomen ascriptum est : alius item a Grimaldo archicapellano.

[a] In bibliotheca Sancti Galli libellus cujus fragmenta damus exstat cum hoc titulo : *Orditur epistola Ermenrici episcopi ad domnum Grimoldum abbatem et archicapellanum.* Codex auctoris ætate scriptus est, id est ab annis octingentis : quo tempore Sancti Galli monasterio præerat Grimoldus, qui illius cœnobii regimen iniit anno 841, teste Ekkehardo. Libelli titulus primaria manu exaratus est præter nomen *episcopi*, secundaria, sed antiqua, manu ascriptum. Ermenricus hic fuit monachus Augiensis, alius ab Ermenrico monacho Elewangensi. Porro ex his fragmentis inter alia intelligimus, Walafredum Augiensem abbatem, cujus mors in annum 849 ex Hepidanno et Hermanno incidit, obiisse in legatione, quam jussu Ludovici Germaniæ regis ad Carolum ejus fratrem, cognomento Calvum, susceperat. In prædicto codice

profitentur, quod ita eum diligere debent veluti tu diligis, ex tota videlicet anima, id est cum ratione, et cum omnibus sensibus suis, fide firma, spe certa, charitate perfecta ; credens in eum, sperans in eum, diligens eum a quo omnia, in quo omnia, et per quem omnia sunt bona, atque permanentia.

Ob cujus amorem, licet habitu hæreas, animo tamen spernis præsens sæculum, cupiens dissolvi et esse cum Christo : terrena atque temporalia magis agens ex debito, quam ex intentione ; misericordiæ operibus deditus, hospitalitate præcipuus, Dei servitio intentus, omne quod ad cultum, vel ad religionem divinæ pietatis pertinet, quod Græci θεοσεβειαν vocant, summopere colis. Sacerdotes Christi diligis, vasaque sacrarum ædium restauras, monasteria visitas, ac visitata paterno affectu disponis, et æquanimiter, si qua sunt in eis anomala, dirigis, atque ad statum æquitatis perducis. Et propter quem vel propter quid hæc agis, nisi propter Deum quem diligis, et propter proximum quem ita diligis ut te ipsum, ac interdum plusquam te ipsum ? Nonne cum cibum vel vestem tibi subtrahis, et indigenti tribuis, indigentem proximum plusquam te ipsum colis ? Et ut tibi pernota incutiam : ecce pro invictissimo rege nostro post Deum, tanquam pro capite nostro, eique charissima laterali costa, atque pro tota simul prole inde procedente, quantis precibus incumbis, quantasque vigilias pateris, quot itinera conficis, quantaque hinc et inde in commune vulgus expendis ? Ambulas, curris, in montibus reptans, in fluminibus natans ; silvas pertransis, et volitas in campis : nec est jam his labor diligentis animo, quia labor parit patientiam, patientia tolerantiam, tolerantia assiduitatem, assiduitas autem adducit charitatem.

Tum multa affert de dilectione proximi, deinde de quatuor virtutibus cardinalibus, et intellectualibus. Postmodum descendit ad grammaticalia, ac demum redit ad moralia de dilectione, de anima, de redemptione; et ad laudem ipsius Grimoaldi postmodum hæc subdit : Ac ne me in his laudibus hypocritam sentias, dicam tibi absque fuco simulationis, quia, prout nosti, beatissimo præceptore meo Walahfredo pro responso quodam domni regis ad Carolum germanum suum pergente, ibique defuncto, interim quo eum inde sperabas incolumem reversurum, jussisti me de Auvavensi monasterio, ad monasterium S. Galli commorandi, et discendi gratia proficisci, ibique a fratribus honorifice receptum aliquandiu commorari, quod et feci juxta præceptum benignitatis vestræ. Navem conscendi, atque illuc cum omni prosperitate, Deo gubernante, perveni, tantasque virtutes in iisdem fratribus conspexi, ut vix illas, ne dicas me, sed neque Pythagoram de Samo egressum putem eloqui posse. Alius enim alio humilior, et patientior invenitur, nec est zelus amarus inter eos, vel invidiæ livor : sed sola charitas ibi principatur, et justitia regnat. Et sic charitas mater est virtutum, et concordia filia ejus, ac simplicitas earum pedisequa illic sine dubio domicilium proprium habet, quæ etsi pro tempore aliquanto in aliis locis commorata fuerit, et particulatim se ibi ostenderit, hic tamen semper cum filia et ministra tota consistit.

Nec est adventantium hospitum ullus, cui ab his tribus non occurratur. Sunt enim jugiter simul indissolubiles, ut funiculus triplex, et inter omnes sparsæ, integræ tamen unum omnibus ministerium præbent. A cujus scilicet charitatis uberibus suxit domnus Engilpertus largitatem, et ingeniosissimus Herimodus benignitatem : ambo tam Deo quam hominibus dignissimi, tibi etiam domino charissimo per omnia fidelissimi, ceu aurea candelabra lucent in domo tua ante Deum. Nec nocet si unius lux paulo ferventius ardet, alterius vero lenius, et ob hoc longius : cum utrumque placeat, et botrus qui a calore solis citius, et qui sero maturescit ; et equus velox, et qui pedetemptim ambulat, æque laudatur ab his, qui interdum hujus, interdum vero illius utilitate, prout res liceat, utuntur.

Longum est sane per singulos nominatim velle discurrere, quantos, qualesque Dei famulos in omni arte et virtutum stemmate redimitos ibi viderim. Sed neque in ædificiis construendis ex omni materia, tam industrios viros, vel raro usquam reperi sicuti bene in nido apparet, quales volucres ibi inhabitant. Cerne basilicam et cœnobii claustrum, et non miraris quod refero. Et ne de omnibus sileam, quid est Uvinihartus, nisi ipse Dædalus? vel quis Isenricus, nisi Beseleel secundus? in cujus manu versatur semper dolabrum, excepto quando stat ad altaris sacri ministerium. Tanta humilitas in eis est, ut tam perfecti viri non dedignentur opus rusticum per se ipsos actitare, pensantes scriptum : Humilitate penetratur cœlum, et charitate pervenitur ad regnum sempiternum. Quid memorem de domnô Amalgero, in consiliis provido, et universitate morum honestate præclaro? In divino autem cultu quam religiosus sit, testatur altare aureum, ante quod sedulo sedet, nec jacet orans. Taceo de domno Radgero, viro simplicissimo, usquequo ventum fuerit ad hoc, quo latius id valeam exponere, qualiter omnis congregatio illa per totum diem laboraverat in una columnarum illarum, quæ in basilica ipsa circumstant. Ad ultimum omnibus jam fessis, ac inde secedentibus, solus ille ab incœpto opere non recessit; sed tamen frustra sudabat, antequam in hæc verba prorupit, dicens : Sancte Galle, finde illam, mirumque in modum in his verbis simpliciter edictis rupis illius moles immensa, sua sponte inde fissa enituit, unde tota illa multitudo ante laboravit, ut aperte daretur intelligi, quod hanc findere non labor hominum, sed meritum sancti Galli potuit, quæ per invocationem nominis ejus simplicem, tam facile fissa apparuit. Et quia idem ipse frater columna spiritualis ædificii fuit, in tali miraculo optime claruit.

Longum est denique si omnia illorum fratrum bene gesta, quibus per meritum sancti Galli præeminent, velim tam brevi sermone concludere, dum omnes

unum sint, et ipsi in Christo, et Christus in eis : quia nihil impossibile est capiti Deo, qui diligit membra sua : sed nec aliquid ad impetrandum difficile erit membris suis, qui sic cohærent capiti suo. Fateor, omnia laudabilia vidi in eis, et præcipue charitatem ridentem, et unum vel nusquam, vel in paucis hic nullum mussitantem; completurque in eis quod olim Deus per Prophetam suum promisit dicens : *Et veniens habitabo cum eis, et ipsi mecum, et inter illos ambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Et juxta Psalmistæ cohortationem, senes ibi cum junioribus semper laudant nomen Domini.

Quapropter, mi charissime Pater domne Grimolde, diu opitulatam mentis meæ intentionem nunc recludendam sentio. Quia tamen bona in te, et in familia tua, per Dei gratiam conspexi, ceu basium quoddam B rependens charitati vestræ, cogitavi scripto commendare quæ mihi constant de vestra bonitate nota, et dignissima. Et cur non memoriæ tradimus facta virorum cum Christo viventium, si tanto studio legimus facta hominum iniquorum mortuorum, et cum diabolo in inferno sepultorum? Quid enim Jupiter, vel Mavors, nisi homines pessimi? et quid e contra sanctus Columbanus, et sanctus Gallus nisi homines optimi fuerunt? quorum familia, tantis terrarum spatiis dirempta, talis est, ut una sit; tantaque est, ut per Dei gratiam signa faciat. Sed quia de omnibus longum est commemorare, vel de vita sancti Galli, cujus tu pastor quam optime tugurium possides, et familiam regis; liceat amoris causa virtutum C ejus quosdam floscellos decarpere, et metricis melodiis, ceu floreum diadema capiti tuo componere : ut si superius te omni virtutum decore dixi gemmatum, sine corona tantum non te videat sol stellatum. Scripsit itaque ejusdem confessoris Christi vitam supradictus præceptor meus, vir simplicissimæ vitæ, et per omnia rectæ, domnus Walhafredus tibi notissimus, quem etiam tu ipse ut peritus cathegeta peritum sophistam enutristi, et ut plus in domo Dei luceret, lumine Dei præventum super candelabrum elevasti. Sed heu pro dolor! mors acerba, quæ nulli parcere novit, subito eum nobis tulit : nec tamen sibi animam illam vindicavit, quam Christus assumpsit. Voluit vero ille poetico cothurno gesta beatissimi Galli comere, sed morte præventus, vitam in D vita finivit. Unde ego rogatus sum a quibusdam fratribus, et præcipue a devotissimo Gozperto, ne dicas Calvo, sed pilis cephali auretenus nudo, omni tamen sancta benevolentia pleno, felicissimi abbatis Gozperti nepote, cum quadam vi impulsus, ut quod magister devotus non impleret, ego cliens assecla compleam illud factum, asserens esse unum tam incipientis ex animo, quam perficientis præmium. Fecissemque, fateor, in hac re votis satis, si supradictus dilectus noster in hac petitione aliquam patientiam habuisset. Est enim tam ferventis studii, ut in una eademque hora, et lac velit mulgere, et caseum premere : cum nec Roma una die sit condita, sed neque triticum eodem die metitur, quo seminatur. Ad hæc etiam de uno fonte non putavit sitibundus sitim suam posse sedari. Ad mare cucurrit, scilicet Homerum nescio quem novum pro hac re invocans cis Rhenum, qui in morem Flacci non currit in poemate, sed fluit. Insuper et Alpes philosophantur virum, sub quibus jugum Sambutinum Radpertus lyrico possidet sono : et si nosset antra Musarum, esset talis, ut Cynthius Apollo. Cujus poesis prisco si interdum alternatur more, Hartmodus ejus aures avellit, apta repingens proprietati. Nam et ipse scientiam philosophandi habet, ut Aristoteles calamum in mentem erigens. Et quia multa sunt miracula sancti Galli, plures decet habeat astipulatores multiplicesque laudatores. Ac ne solus in ejus laude sileam, usque beneficia immensa in me ipso expertus sum, tam in vocis claritate, quam etiam in luctus mei solamine, ita ut noctu ante tinnitum nolæ, hunc versum cantaret ante me :

O alumne, tuos comprime luctus.

Quem etiam luctum pro manenti concordia, ne propter me ibidem unquam mutaretur, in crypta ejusdem sancti Deo fudi. Quapropter licet supra nominatis poetis sim abjectior, et ob ipsorum facetam urbanitatem satis spretus, quia nec poetam nec amusæterum [ἀμυσώτερον] me esse profiteor : tamen vestra auctoritate jubente, quibus verba delectant, de magnis parva excerpo, etc.

Inter hæc etiam et cujusdam Scotticæ peræ jacula vereor, seu ex latere emissa, quæ modo in partibus Ausoniæ puttoni Littonias, vel aliud quid incogniti cibi colligit, et licet attrita fronte, apparebit, quando putto inde gustabit. Tertius timor me premit, Calvus jam dictus partibus his favens, sed tuo privilegio semper salvo. Consolatur me una res super eo : quia talis Calvus nunquam erit salvus, imo erit salvus, si bene fuerit Calvus.

Hancque horripilationem forsan in ponte Cumetensi hauserat, quando de Bobiensi cœnobio reliquias sancti Columbani secum ferens rediit, et ob incuriam quamdam de navi egrediens, proram impegit, et in mare cecidit : indeque a sublevantibus emersus, putabatur a nautis ut esset Paulus. Sed quia ut quondam Jacob claudicabat, cognitus est a ducentibus, ut is esset, qui antea per se talis incedebat. Grande tamen tantum periculum, et laudandus Deus, qui eum liberavit per suum miraculum. Hæcque alias suo loco dicenda relinquo.

Cæterum, mi magister et domine amabillime, in calce hujus epistolæ sanctitatem vestram obnixe deposco, ut nugas præsentis eloquii mei ita suscipiatis, veluti optime confido in paternitatem vestram.

Adjunxi autem et huic operi breve opusculum, quod de incœptione nostri cœnobii, et fratrum ibidem Deo famulantium vita conscripsi; ipsaque dicta viro per omnia doctissimo domno Gotbaldo episcopo vel approbanda, seu refutanda commendavi. Et quia ille hæc sibi grata dijudicavit, vestro non ingrata ju-

dicio examinanda destinavi. Simul et hoc scitote, quod nec in cera vel in tabula hæc expressi, sed, sicut in præsentibus scholis dictata sunt, ita sunt vobis directa : ut si forsan coram lecta non placuerint, non sit dolor perisse, quod constat vile fuisse. In priori quidem opere Anicium Boetium sum imitatus, in isto vero Prosperi nostri morem ex parte secutus. Tu vero, doctor sagacissime, lynceis oculis in talibus utens, orationibus tuis me adjuva, quatenus ad portum quietis quandoque prospere evectum audias me inter lætissimos celeuma ex alto canentem. Sancta et inseparabilis Trinitas vos cum omni grege vestro bene valere faciat, mei memorande semper in ævo. Amen.

O felix vates senioris nomine dignus,
Poscimus optatam det tibi Christus opem, etc.

Sane antequam de Vita sancti Galli aliquid tangam, de sanctæ Trinitatis essentia vel substantia pauca dicam, etc.

Primo sane, antequam de Vita sancti Galli tangamus, de situ patriæ hujus et fluminibus ejus, Rheni scilicet et Danubii, dicendum summatim ratum duximus.

Nunc primum loca tangentes cum flumine Rheno,
In quibus est commoratus dignissimus heros, etc.
Has Europa tenet prisco sub nomine gentes,
Quas Hister secum retinet divortia Rheni.
Et satis hinc dictum, clarum nunc persono flumen.
A Rhenus ab Ausoniis descendens montibus altis,
In Brigantinum mare se stagnare videtur.
Antiquo ex fluvio sic dictus nomine Pontus,
Qui modo Podamicus vocitatur gurgite noto.
Et dum se extendit circum per longa viarum,
Fertilitate sui nullis manet æquiparandus
Fluminibus, præstans piscosi germinis agmen.
Hinc æquor medium secat et complectitur urbem,
Nomine quæ proprii est regis Constantia dicta,
Quam Salomon nunc antistes clarissimus ornat,
Doctrina et pietate Dei cultuque benignus.
Exin progrediens parit Auvam cespite claram,
Insula quæ est aliis præstantior Augia sola.
Auget enim indoctis doctam cum dogmate vitam,
Fertilis arboribus cum vitibus undique cincta.
B Quo flores vernant semper, quo lilia spirant.
Quæ me nutrit ovans, et cum nutrimine sancto ;
Quam laudet populus... hinc usque Britannos
Cujus adest Folcwinus custos, Candidus, abbas,
Tempore qui longo salvus sit charus adopto,
Et multis annis tranquilla pace fruatur.
Possideat sine fine novæ, et nova gaudia vitæ, etc.
Quin potius cunctos dimittens ore Pelasgos,
Totum se versat Gallum cantate beatum,
Gallum, inquam, Domini, sanctum et pietate benignum,
Cujus amore quidem cupimus nos scribere quædam.
Sed tu blanda manu hæc tu ne scindas, Homere.
Quin etiam magnas magnis concede magistris :
At parvas parvis nostras da carminis odas.

ANNO DOMINI DCCCLIII.

ERCHAMBERTUS

FRISINGENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN ERCHAMBERTUM.

(Fabric., Biblioth. med. et inf. Lat.)

ERCHAMBERTI fragmentum ex *breviario regum Francorum et majorumdomus a* Chlodhario usque ad Theodoricum Dagoberti junioris filium, sive ab anno 613 ad 727 apud Freherum, tom. I Scriptorum Francorum, pag. 167 ; apud Andream du Chesne, tom. I C Scriptorum de rebus Francorum, pag. 780, 781, et apud Ruinartum ad Gregorium Turonensem, pag. 1352. Vide et Carolum Le Cointe, tom. IV Annalium, pag. 176.

ERCHAMBERTI

Epistola ad suos de corpore sancti Bartholomæi apostoli in Boiariam, ut ferebatur, allato.

(Pez., Thesaurus Anecd., tom. VI.)

ERCHAMBERTUS, Dei gratia donante, humilis episcopus, omnibus fratribus Christo militantibus in Domino salutem. D

Denique cognoscat benevolentia vestra quod quidam vir, nomine *Felix*, per missum suum demandavit seniori nostro rege, dicens se corpus S. Bartholomæi apostoli et aliorum sanctorum corpora secum nostris partibus detulere. Quod nos cum gaudio et

libenti animo Deum laudando audivimus. Sed adhuc incertum habemus, utrum credibile nobis existere debeat, an non contigit fideles senioris nostri insimul venisse in sua [præsentia: et de eo incipiebamus meditari. Et tunc demum, quando pertractavimus, ita nos coadunavimus, triduanum jejunium agere, quatenus a Deo omnipotente in aliquibus signis nobis ostendere mereamur, si ipse supradictus A Felix verum dicat aut aliter: et ne fallente diabolo nos decipiat. Rogamus vero et jubemus, qui spontanea voluntate hoc jejunium colere [volueritis], ut abstineatis vos a vino et carne et medo et melscada, cervisa, et de lacte et ovo, et sequimini crucem ad horam nonam in XII K. [Kalend.] in XI K., et X K., et ut istam notitiam aliis in antea non negligatis transmittere.

ERCHAMBERTI FRAGMENTUM.

Ex Breviario regum Francorum, et majorumdomus.

Chlodharius rex de Austris, postquam Theodericus et Theodebertus reges et germani mortui sunt, recepit regnum eorum, consilio et adjutorio Pippini senioris, qui tunc temporis majordomus erat. Et sortitus est præfatus rex trium regnorum monarchiam sexdecim annis, sicut illi sanctus Columbanus abba in prophetico spiritu antea prædixit : quia ille Theodericus rex instigante Brunihilta avia sua de suo monasterio illum expulerunt. Quam etiam statim ut comprehendit Chlodharius, vitam ignominiose finire fecit. Majordomus tunc Gundolandus vir egregius erat.

Post non multum rex præfatum Pippinum in Austris cum filio suo jam adulto Dagoberto misit, ibidem eum regem constituendum, ipsumque ei in majoremdomus ac pædagogum constituens.

Dagobertus rex, post mortem patris, regnavit annis sexdecim. Hic magnificus ecclesiis Dei largitor ac distributor fuit. Majordomus ejus Erchanoldus [Erchanbaldus] vir illuster, Pippino interim in Auster duce, ac non post multum mortuo post mortem Dagoberti regis.

Chlodoveus rex, filius Dagoberti, regnavit sexdecim annis, qui omni spurcitiæ deditus fuit. Majordomus qui supra.

Chlodharius rex, filius Chlodovei, adhuc in puerili ætate suæ juventutis mortuus est, regnavitque annis quatuor. Majordomus Ebroinus.

Theodoricus rex, filius Chlodovei, frater Chlodharii, regnavit annis novemdecim. Majordomus Bertharius. Quo occiso, Pippinus junior filius Ansegisili [Ansgisi] veniens de Austrasiis, successit in principatum majorumdomus.

Exhinc reges nomen, non honorem habere cœperunt. Quibus tamen ubi constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiaque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure potestatis agere possint. Illis namque temporibus ac deinceps Gotefredus dux Alamannorum, cæterique circumquaque duces noluerunt obtemperare ducibus Francorum, eo quod non potuerunt regibus Meroveis servire, sicut antea soliti fuerant. Ideo se unusquisque secum tenuit, B donec tandem aliquando post mortem Gotefridi ducis, Carlus cæterique principes Francorum paulatim ad se revocare illos arte qua poterant studuere.

Chlodoveum adhuc puerum filium Theodorici constituunt regem, qui tantum regnavit annos duos. Majordomus Pippinus qui supra.

Childebertum filium Theodorici, fratrem Chlodovei, statuunt in regnum, qui regnavit annos septemdecim. Majordomus constituitur Grimoaldus, filius Pippini, quia ipse Pippinus ægrotare cœperat, qua infirmitate et moritur, et interim Grimoaldus occiditur.

Dagobertum filium Childeberti regem statuunt, qui regnavit annos quinque. Majordomus Thedoaldus filius Grimaldi, post quem Regnifredus [Raginfredus]. C

Illis temporibus Carlus, filius Pippini ex concubina, in custodia a Plectrude matrona ejusdem Pippini tenebatur : auxiliante Domino vix evasit.

Danihelem quondam clericum, cæsarie capitis crescente, regem Franci constituunt, quem Chilpericum nuncupant : quia deficiente prosapia regum, illum quem propinquiorem Meroveis invenire poterant, statuere; quia Merovei (ut aiunt) sicut antiquitus Nazaræi, nullo capitis crine inciso erant. Regnavitque annis sex.

Interim prædictus Carlus princeps ad Austrasios paternarum sedium aufugiens, ibique principatum arripiens, regemque sibi nomine Chlodharium constituens, multa bella cum Chilperico rege et suo majoredomus nomine Reganfredo commisit, eosque ut voluit superavit, et thesaurum patris sui a Plectruda recepit, suusque rex Chlodharius post non multum D obiit.

Theodericum filium Tagoberti [Dagoberti] junioris Franci in regem sibi statuunt, qui nutritus in Cala monasterio erat, regnavitque annis sex. Majordomus ac princeps Carolus; qui jam utraque regna viriliter gubernans, circumquaque cum regibus ac ducibus bella semper superando committens, donec eum omnes vincendo, qui ei contrarii fore videbantur, vincere constabat.

ANNO DOMINI DCCCLIII.

NITHARDUS

S. RICHARII ABBAS.

NOTITIA HISTORICA IN NITHARDUM.

(Fabric., Biblioth. med. et inf. Lat.)

Nithardus S. Angilberti filius, Caroli Magni nepos ex Bertha filia, abbas S. Richarii ord. Bened. in Gallia diœceseos Ambianensis, atque in prælio adversus Danos exstinctus an. 853. Vide Sammarthanos tom. IV, p. 787, ubi de Angilberto, et p. 788; Paulum Petavium in syntagmate de Nithardo, edito Paris., 1616, in-4°, et in tomo II Andreæ du Chesne de rebus Francorum, pag. 351; Vossium II, 34; Baluzium ad Lupi epist. 55, et Casp. Barthium XLVI, 9. Adversar. quo judice « cordatus hic scriptor et prudens, proque iis temporibus egregie disertus, qualem sane decuit virum tanto genere oriundum, tanta rerum experientia subnixum; nam et legationibus inter filios Ludovici Pii functus est, et turmis nonnullis a partibus Caroli Calvi præfuit hic Nithardus, satis cætera laudatus, modo odio in Lotharium minus indulgeret suo. »

Scripsit ad fratrem Lotharii (Carolum Calvum ut videtur), *de dissensionibus filiorum Ludovici Pii* ab anno Christi 814, quo Carolus Magnus obiit, ad annum usque 843, libros IV editos primum a Petro Pithœo inter scriptores coætaneos duodecim, Paris., 1588. Francof. 1594, in-8°, p. 433, 488. Inde in Andreæ du Chesne tom. II de rebus Francor.. p. 359, emendatiores ex manuscr. Alexandri Petavii : denique in Jo. Georgii Kulpisii scriptoribus rerum Germanicarum, quos Æneæ Sylvio de rebus Friderici III subjicit, Argentorat., 1685 et 1702, in-folio, p. 83. Bonaventuræ Vulcanii excerpta ex historiarum Nithardi libro tertio, in ejus sylloge de litteris et lingua Getarum, Lugd. Bat., 1597, in-8°, p. 67, continent repetitam ex Nithardo *formulam fœderis* inter Ludovicum, Ludovici Pii filium et Carolum Calvum *lingua utraque : Theotisca et Romana*, de qua formula dixi supra, tom. IV, p. 287. Auctores historiæ litterariæ Gallicæ, tom. V, p. 204, censent insignem hunc Gallicum scriptorem monasticam professionem nequaquam exercuisse; quod enim monachus exstiterit, nulla alia conjectura scriptores Gallici sibi olim persuaserunt, nisi quod ejus cadaver eamdem cum Angilberto patre suo abbate S. Richarii sepulturam habuerit; cum tamen ex vulnere in bello accepto obiisse constet, multo probabilius hinc suspicantur iidem historiæ litterariæ Gallicæ scriptores, tom. V, p. 205, militem egisse, atque obiisse, quo tempore Normanni Neustriam, et Ambianensem tractum hostiliter excurrebant, anno 858 vel 859.

DE NITHARDO

CAROLI MAGNI NEPOTE

AC TOTA EJUSDEM NITHARDI PROSAPIA,

BREVE SYNTAGMA

E Pauli Petavii in Franc. curia consiliarii bimestri Rerum prolatarum otio.

Nithardus (quem nostratum aliqui Vitaldum, quidam Withardum, alii Guithardum, nominarunt) Angilberto patre, matre vero Bertha Caroli Magni filia, natus est. Angilbertus autem [a] gentis nobilitate illustris, animique industria ac probitate præcipuus, sub Pipino rege Caroli Martelli filio, palatinis atque regalibus negotiis præfuit. Quod apto et aperto magis sermone dixit Alcuinus, [b] primicerius fuit palatii Pipini regis. Nam ut illud Alcuini de Pipino Pio Franciæ, non de Pipino Italiæ rege, illius nepote, interpretarer, et præmissa et multa alia induxerunt. Nec quemquam ipsa series et connexio epistolarum Alcuini moveat, quæ (ut aliorum pleræque) temere congestæ, nec digestæ unquam [c] fuerunt. Etsi autem summa illa esset palatii dignitas, data tamen Angilberto in minori adhuc ætate agenti. Idque vult vitæ ipsius Angilberti auctor, ubi monuit Carolum, et Carlomannum, ipso vivente Pipino, Angilbertum filii vel fratris loco habuisse. Quibus etiam aptari debent quæ postea Carolo Magno regi rescripsit Adrianus Romanus pontifex [d] : « Directus, inquit, nobis est a vestra præcelsa regali potentia, fidelis familiaris vester, Angilbertus abbas et minister capellæ, qui pene ab ipsis infantiæ rudimentis in palatio vestro enutritus est, et in omnibus consiliis vestris receptus est. » Cæterum [e] avi et proavi illius clarissimi, Francorum regibus charissimi, primisque in dignitatibus, ac magnatum affines et propinqui,

[a] Auctor Vitæ domni Angilberti, ms.

[b] Alcuini enim epistola, quæ in excusis a Canisio est 51, in ms. vero 42 est ad Angilbertum primicerium palatii Pipini regis.

[c] Ac ne quidem in unum corpus redactæ, ut e variis scriptis libris observare est, et prænonuit Trithemius.

[d] Edita est hæc epistola Romæ inter epistolas summorum pontificum, tom. II, p. 714. Et in parte : tom. III Conciliorum anni 1606, p. 263.

[e] E vita domni Angilberti.

omnes fuere. Is certe, staturæ elegantia, vultusque venustate, cunctis gratus, cum liberalibus studiis apprime eruditus esset, parentum suasu, principumque assensu, clericatus titulo insignitus, magnum piæ conversationis lumen palatinis præbuit. Pipino mortuo, Carolus Angilbertum habuit [a] præ omnibus familiarissimum, omnium secretorum conscium, et primatem capellanorum fecit ; sibi quoque eumdem silentiarium statuit, ut ejus consilio regnum totum componeret, atque eidem Bertham filiam suam conjugem dedit; ad augmentum palatini honoris, illi totius maritimæ terræ ducatu commisso. Hincque Nithardus noster, et Harnidus, procreati. Post aliquod vero tempus, cum Angilbertus gravi affectus infirmitate, monastici ordinis subeundi votum Deo nuncupasset, valetudini restitutus, primo Bertham conjugem, sacro velamine consecratam, loco congruenti intra cœnobium Centulense, vigiliis et jejuniis vacaturam collocavit. Ibidemque mox ipse monachi indumentum a Symphoriano ipsius loci abbate suscepit : ac eodem abbate intra breve tempus decedente, omnium suffragiis (Carolo rege annuente) suffectus, Centulense illud monasterium (quod in Pontivo, Ambianensi diœcesi situm, sanctoque Richario dicatum est) restaurare constituit, et ædificiis, rebus, monachorumque numero ampliare. Verum cui anno ascriberem Symphoriani obitum, initumque ab Angilberto abbatitium illud officium, nondum sum assecutus. Constat certe anno 792 Felicem [b] Urgelitanum episcopum, per Angilbertum [c] abbatem in præsentia Adriani apostolici deductum, hæresim suam, facta confessione, damnasse. Et forte fuerit ejusdem anni epistola Alcuini 28 [Ms., 63] ad Adrianum pontificem magnum, qua Alcuinus (in scriptis libris), ita Angilberti meminit : « Quia electissimus domni mei regis missus, filius equidem meus charissimus Angilbertus, ad beatissimam, summæ auctoritatis vestræ, dirigitur paternitatem, non esse necesse putavi, litteris exarare, quod ille vir fidelis et prudens melius viva voce secundum mandatum domni regis auribus excellentiæ vestræ poterit intimare, » etc. Eumdemque vocat regiæ voluntatis secretarium, ac omnibus amicis valde fidelem asserit. Quanquam nescius non sim, quod et hæc ipsa Alcuini epistola in annum 794 commode rejici possit, quo ipse Adrianus papa Capitulare Caroli Magni adversus synodum, quam Græci septimam vocari voluere, per Angilbertum transmissum sibi esse, litteris [d] ad Carolum ipsum regem, monuit. Sed inest mihi hoc loco hic scrupulus, quod in scripto codice (e quo [e] Elias Philiras, id est Joannes Tilius, notissimus ille patrum ætate Briocensis, dein Meldensis episcopus, opus illud Caroli Magni, libris quatuor absolutum, adversus Græcise synodum de adorandis imaginibus, anno 1549 edidit) hæc in calce habentur : « Ingelrannus abbas jussu Caroli Magni hunc librum scripsit, et ad Adrianum papam tulit. » Quomodo enim quadrare ista possint cum Adriani prædicta [f] epistola, non video. Nec certe hic Ingelrannus potest esse Metensis archiepiscopus, qui sub Carolo Magno sanctæ capellæ primicerius fuit. Obierat enim ille anno [g] 791. At dum Engilramni memini, aliud, quod pene exciderat, memoriæ recurrit; qui fieri possit, ut cum Angilbertus sub Carolo Magno archicapellanus fuerit (quod illius vitæ auctor, et jam laudata epistola Adriani indicant) tam præcise tamen Adalhardus (majoris Corbeiæ abbas, apud Hincmarum epistola 3 cap. 27) sub Carolo Magno hosce tres tantum, Fulradum scilicet, Engelramnum, [h] Hildiboldum apocrisiarios fuisse asserat. Nec enim archicapellanus alius ab apocrisiario. Nam et [i] apocrisiarium nostrates, inquit ipse Adalhardus, capellanum appellant. Inde etiam Alcuinus [j] huncce Engilramnum, sanctum capellæ primicerium ; et episcoporum Metensium chronicum, eumdem, palatii archicapellanum nuncupant. Verum de his alias. Ad Angilbertum redeo [k]; anno quippe 796 cum Leo papa post Adrianum ordinatus claves confessionis sancti Petri (seu, ut ait poeta Saxo « Claves quibus est confessio sancti conservata Petri ») et vexillum Romanæ urbis ad regem Carolum cum aliis muneribus misisset, et ut mitteret aliquem de optimatibus suis, ad confirmandum [l] sibi per sacramentum, Romanum populum, rogasset : « Missus est ad hanc rem Angilbertus abbas monasterii sancti Richarii, per quem etiam magnam partem thesauri, quem Henricus dux Forojuliensis, spoliata Hunorum regia, quæ Hringus vocatur, eodem anno regi de Pannonia attulerat, misit, » etc. Tum vero detulit Angilbertus et Alcuini [m] litteras ad Leonem III et Paulinum Aquileiensem patriarcham.

Interea surgunt prædicti Sancti Richarii, sive Centulensis monasterii ædificia, et tres tandem illic erectæ ecclesiæ a duodecim venerabilibus episcopis dedicatæ sunt, Meginhardo scilicet Rothomagensi episcopo, Georgio, Absalone, Gerfrido, Pleone, Hildigardo, Teodoino, Ydelmaro, Benedicto, Kellano, Joanne præterea et Passivo sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatis. Quod contigit paulo ante adeptum a Carolo magno imperium. Quem et huic dedicationi interfuisse quis forte conjiceret, ex his quæ Nibelungus, Annales editi, Regino, Ademarus in Vita Caroli Magni, Poeta saxo, et alii annotarunt, Carolum anno Domini 800 sanctum Pascha apud Sanctum [n] Richarium celebrasse. Sed stare id non potest, cum apud Centulam Kal. Januariis istius dedicationis (e vet. libro) ecclesiæ solemnitas fiat. Quo vero ornatu, quibusque sanctorum pignoribus ecclesiam ille suam ditaverit, in breviculum hoc nec potuit, nec debuit congeri ; uti aliquot illius versus, sparsim et varie collectos, addere, eadem mente, non visum. Eumdem porro Carolum mox futurum Imperatorem, Angilbertus quoque Romam comitatus est, et a domno Leone III privilegio [o] obtinuit, ut

[a] Ab auctore Vitæ domni Angilberti; et ab Hariulfo in Historia Centulensis monasterii lib. II, cap. 2.

[b] Corrupte editi libri Adonis Viennensis Aurelianum vocant.

[c] Annales enim Moguntini (quos primum P. Pithœo debemus, quosque denuo Marq. Freherus palatinus consiliarius cum continuatore Fuldensi monacho edidit) Angilbertum abbatem vocant.

[d] Jam harum meminimus supra.

[e] Sanctus enim Joannes Baptista dictus Elias alter; et φίλυρα tilia arbor, nostris vocata *tillet*.

[f] Cujus codex scriptus non aliud quam Angilberti nomen habet.

[g] Annales Francici (apud Canisium tom. III) p. 215, ubi tamen corrupte Angiltranus nominatur, scripturæ vitio.

[h] Ab Anastasio in Leone III Hildivaldus vocatur. Habuere quarumdam provinciarum præsides ac prætores suos, inter milites ad responsos, sive apocrisiarios. N. just. 24, c. 4, et 25, c. 1.

[i] Epistola 25 apud Canisium quæ in scripto libro est 79.

[k] Ipsissima verba exhibeo Godefridi monachi S. Pantaleonis ad Coloniam ms. quæ desunipsit ipse ab auctore Annalium regum Pipini, Caroli Magni et Ludovici, quos Hermanno Nuenario debemus: quosque poeta Saxo, de Gestis Caroli Magni, studio Reineccii editus, metrice vertit.

[l] Id est Carolo Magno : Videatur Theganus ad ann. 816, p. 109. Et Aventinus lib. IV Annal. Boiorum.

[m] Hæ sunt in excusis 27 et 59. At in optimæ notæ ms. 72 et 73.

[n] Corrupte hodie in Chronico Reginonis legitur apud Sanctum Richardum.

[o] Quod Zacharias diaconus regionariùs, et sanctæ atque apostolicæ Romanæ Ecclesiæ bibliotheca-

totius Centulæ villæ curam ecclesiasticam solus haberet abbas, nec quidquam episcopus Ambianicæ sedis de ecclesiis aut clericis ejusdem loci constituere posset. Idque « suggestione » (prædicti privilegii verba ista sunt) « fratris et coepiscopi nostri Ambianensium antistitis Jesse, simulque Angilberti abbatis, quam quidem in præsentia gloriosi atque excellentissimi filii nostri Caroli (quem auctore Deo in defensionem et provectum sanctæ universalis Ecclesiæ in Augustum hodie sacravimus) nobis intimarunt, » etc. Fitque ibidem mentio Centulensis monasterii « nuper, » inquit, « restaurati et in nobilem statum redacti. [a] Libellum vero de Vita sancti Richarii rudi sermone digestum, evocato ad se Alcuino magistro, comptius atque lucidius componi et transcribi [b] curavit Angilbertus, hymnosque nocturnos et diurnos ac antiphonas, super vita ipsius idem Alcuinus composuit. Tandem testanti Carolo adfuit Angilbertus, Eginardo teste : eodemque pene tempore decessit quo et Carolus Magnus, nempe XII Kalend. Martii, anni 814, cum dies V, ante Kalend. Februar. ejusdem anni, ipsius Caroli vitæ ultimus fuisset. [c] Angilbertus autem corpus suum sepeliri voluit ante portam Sancti Salvatoris, ac Sancti Richarii ecclesiæ. Cujus loci septum, ideo grave forte non fuerit, si ab illius Vitæ auctore (qui illud ipsum ab Angilberti testamento mutuatum se dicit) addidero. « Ipsa, inquit, mœnia, quæ vocantur Paradisus [*le parvis*], turrita mole surgentia, tribus altariis consecrata sunt : videlicet in porta occidentali altare sancti Michaelis : in porta australi altare sancti [d] Gabrielis, quæ venerabilis Hildivardus episcopus consecravit. In porta autem septentrionali altare sancti Raphaelis dedicavit religiosus Ambianorum episcopus Jesse, II Non. Septemb. » etc. Eo vero e loco [e] 28 post decessum anno Nonis Novembris [f] Angilbertus levatus, corpore absque aromatibus indissoluto repertus est, et a Ribbodone abbate intra ecclesiam translatus, inque ingressu chori a parte occidentali ejusdem majoris ecclesiæ collocatus, cum abbas Ribbodo diutius ferre noluisset tanti viri reliquias ingredientium ecclesiam pedibus calcari. Mox enim pluribus claruit miraculis, sanctorumque consors factus, lætaniam auxit [g] Gallicam. Cujus miracula aliquot, tribus contenta libris, ejusdem cœnobii abbas Anscherus [h] Radulfo Remorum archiepiscopo, longos post annos, transmisit. Frustra tamen Angilbertum quæras, ut et innumeros tutelares nostros sanctos, inter moderna sanctorum syntagmata. Hæcque de Nithardi patre dicta sunt.

Mater Bertha fuit, filiaque illa Caroli Magni et Hildegardæ. De Carolo vero, hoc unum minus notatum puto, quod illi etiam David nomen fuit; quo nomine sæpius Alcuinus in epistolis, aliique illius ævi illum interpellant; propriumque hoc ei fuisse nomen, non adscititium, comprobant ista ad illum ejusdem Alcuini verba [i]. « Clarissimis, inquit, vestræ nobilitatis filiis benedictio copiosa per vestra benefacta accrescat, sicut per solius homonymi tui David Deo dilectissimi regis sanctitatem, omnibus (ut legitur) nepotibus suis, regalis throni potestas conservata fuit, » etc. Nec enim David homonymum vocaret, si ab illius similitudine tantum et imitatione, mens Alcuini fuisset Carolum hoc nomine donare. Et forte immutatum illi nomen, cum vel baptizatus, vel in regem unctus est. Nam de Pipino Italiæ rege, illius filio, hoc idem [j] factitatum. Mirorque e tot auctoribus, qui gesta Caroli Magni scripsere, tam paucos id observasse. Nebelungo etenim, Childebrandi comitis, Pipini Francorum regis avunculi, filio, et Gervasio Tilleberiensi, regni Arelatensis Marescallo, Othonis IV propinquo, hoc debemus, Nibelungi certe ad annum 781 hæc verba sunt. « Perrexit Carolus rex Romam, et baptizatus est ibi filius ejus, qui vocabatur [k] ei Carlomannus. quem [l] Adrianus papa, mutato nomine vocavit Pipinum, et unxit in regem super Italiam, et fratrem ejus Hludovicum super Aquitaniam, et ibi desponsata est [m] Rotarud filia regis Constantino imperatori. » Hæc ille. Ne quid amplius de Carolo addam.

Cujus uxor Hildegarda, seu Hildegardis, Berthæ mater, Suevorum præcipuæ [n] nobilitatis femina, parentes habuit [o] Esnerium dominum Campidonensem, et Regardam natione Bavaram; fratrem vero [p] Uldalricum. Fundatrixque ipsamet fuit cœnobii Campidonensis (*Germanis hodie* Kemptem) quod adhuc unum est e quatuor Romani imperii monasteriis, illicque anno 783 sepultam quidam volunt; cum tamen auctor Chronici episcoporum Metensium, in ecclesia Sancti Joannis Evangelistæ Metis : at verius Vita Ludovici Pii, in Basilica Sancti Arnulfi, cum Ludovico imperatore, filio suo, et Drogone archiepiscopo, quiescere eam asserant. Cæterum, matri Nithardi Berthæ inditum nomen, ab avia sua, matre scilicet Caroli Magni quæ etsi alienigena, habuit tamen nomen longe ante usurpatum Francis, imo notatione plane Francicum, si Vitæ [q] sanctæ Berthæ vetusto auctori fides. « Bertha, inquit, Francicum nomen, quod Latino eloquio, fulgida seu splendida sonat. »

His ergo de Nithardi natalibus præmissis, quid et ubi ille egerit, bellorum inter Lotharium, Ludovicum, et Carolum fratres, sæviente turbine, ab illius Historiæ lectione elicere facile est. Ea certe ad Carolum directa, jussu etiam illius conscripta est. Sub

---

rius VIII Kalend. Januar. indict. scripsit, recognovit et subscripsit.

[a] Auctor Vitæ domni Angilberti.

[b] Edit. tom. II Surii, p. 981.

[c] Auctor Hariulfus, qui Pontivo natus, historiam Centulensis monasterii sui, a domno Saxovallo ante plures annos inchoatam, anno 1088 quatuor libris absolvit. Is et est qui Aldenburgensis tertius abbas fuit, cuique Aub. Miræus in Originibus Cœnob. Belg. ascribit Vitam sancti Arnulphi Suess. ep. quæ Lisiardo tribuitur apud Surium tom. IV, p. 174.

[d] Oratorii Sancti Gabrielis dedicatio facta est VIII Kal. Aprilis : capellæ vero Sancti Michaelis III Kal. Octobr. et observa altare, oratorium et capellam, idem esse.

[e] Id est, anno 482.

[f] Nithardus lib. IV, p. 372.

[g] Erant enim tum lætaniæ divisæ : erat Gallica, erat Italica, erat et Romana, quarum veteres nostri scriptores separatim meminere.

[h] Sedem Rhemensem obtinuit Radulfus anno 1107, e Catalogo ms. archi. Rhemens. vel, ut vulgo creditur, 1114.

[i] In Epistola quæ incipit : « Domino in Domino dominorum dilectissimo David regi, Flaccus fidelis orator. Revertenti me de Uvicus, » etc. Ea est in uno codice 12. In alio 13 necdum edita est.

[j] Sic et Leoni III ex baptismo Conon nomen fuit. Hist. Misc. lib. XXI.

[k] Legit, Francis, pro, ei, Gervasius Tilleberiensis, libro, cui nomen Otia Imperalia, cap. de Regno Francorum et ejus ortu.

[l] Male a Gervasio dicitur Urbanus.

[m] Alias dicitur Ruodtrudis.

[n] Eginardus.

[o] E Munstero lib. III Cosmograph. p. 562; sed patrem illius Gasp. Bruschius de Monaster. German., p. 25, Hildebrandum : Vasseburgius Virdunensis Hist. lib. III, f. 143. Godefridum nominant.

[p] Sancti Galli monachus de Gestis Caroli Magni apud Canisium tom. I, p. 371 quem doctissimus Franc. Pithœus Clementem Scotum nominare subdubitat.

[q] Quæ circa annum 682 Blanziacum monasterium construxit, quod hodie Boloniensis Galliæ diœcesis est.

Carolo etenim Nithardus militavit, utpote ducatus sive comitatus Franciæ maritimæ a patre hæres. Cumque bona alia quæ illi hæreditario jure contigerant, ultra et cis Mosam haberentur (qui [a] limes erat regnorum Lotharii et Caroli) etsi longi tædio belli otium undequaque quæreret, nullibi haberi posse credidit, cum illum (ut ait ipse initio lib. IV) de universis rebus, hinc inde fortuna junxisset. Cæterum, etsi ex illis fuerit, quibus anno 842 cum Lotharius a regno fugisse putaretur, regni illius [b] inter Ludovicum et Carolum partitio commissa et mandata est; pacis tamen inter fratres componendæ avidus semper fuit. At fraternis odiis nusquam detumescentibus, mens tandem illi fuit omnimodo a republica secedere (quod et ipse libri IV initio profitetur). Itaque, cum a scribenda historia destitit, agebatur annus Domini 844, et tum, ex nupera translatione sancti Angilberti per Ribbodonem abbatem, secessus, et solitariæ vitæ, majus innatum illi desiderium est. Obierat vero eo ipso anno apud Centulam abbas Ribbodo. Ribbodoni mortuo successit Hludovicus, vir (ut ait auctor Vitæ sancti Angilberti) regiæ stirpis; quique dicitur ab alio ejusdem loci monacho [c] (cujus nobis adhuc ignotum nomen) « regali semine natus. » Isque ipse est, quem Lupus abbas Ferrariensis, in ipso cœnobio Ferrariensi mansitasse, et haud procul ab eo [d] educatum fuisse, dein (*Epist.* 25) epistolare in palatio Caroli Calvi gessisse officium, notat : quique postremo ab eo, abbatum (*Epist.* 82) summus et (*Epist.* 92) clarissimus appellatur. Hunc et Carolus rex, diplomate (*Epist.* 113 *et* 114) suo apud Compendium palatium regium V Kalend. Octob. anno regni V, indict. 7, vocat « venerabilem et dilectum proximum suum. »

Nithardus ergo, et eo ipso tempore relicto sæculo, Deo sese mancipavit. At quo se monasterio primum contulerit haud ita certo asserere valeo. Centulum enim abiisse, et sancti Angilberti ejus parentis memoria, et Hludovici abbatis affinitas, facile persuaserint. Sed dubium me et ancipitem agunt, quæ legi apud Lupum Ferrariensem, ad Marcuvardum [e] Prumiensem abbatem tertium epistol. 55. « Nithardi, inquit, adventus ad [f] Silvacum, quo me monasterii necessitas traxerat, vehementer lætificavit : cujus præsentia factum est ut hæ litteræ vestræ paternitati redderentur, cum vos esse sospites, et communem filium [g] Egilem ex validissima infirmitate, opitulante favore divino, revaluisse ostendit, » etc. Et præterea quæ idem Marcuvardus Prumiensis abbas ad Didonem [h] abbatem, medicum peritissimum, scripsit, epistol. 72 : « Artis vestræ (ita enim lego) singularis peritia multorum oratione pervulgata, fratris Nithardi potissimum relatione nobis innotuit : quo etiam referente comperimus passim vos accessum indigentibus aperire, » etc. Ista enim Prumiensem potius monachum, quam Centulensem, Nithardum fuisse relinquunt. Ut ut sit, ab Hariulfo et aliunde certum est Centulam illum abbatem habuisse. Sed fefellit Hariulfum, Centulensis historiæ scriptorem, memoriola, cum patri suffectum dixit; ut et Vitæ domni Angilberti auctor male post Ribbodonem abbatem constituit. Etenim Angilberto, Hericus; huic, [i] Helysachar; ei, Ribbodo; illi, Hludovicus successit; tum Nithardus; dein Hruodulfus avunculus Caroli Calvi, frater scilicet Judith imperatricis, etc. Idque monuit me notatiuncula hæc, margini codicis Hariulfi ab antiquo ascripta. « Post domnum, inquit, Hludovicum præfectus dicitur domnus Nithardus : et quoniam tum persecutio gravis insistebat paganorum, etiam maritimæ (terræ) comitatum suscepit. » Fuit igitur post Hludovicum Nithardus abbas et comes, uti et ejus pater Angilbertus fuerat; mansitque eadem dignitas successoribus aliquot ejusdem cœnobii [j] archimandritis. At cum comitatus iste maritimæ Franciæ, ab Hariulfo, et ab illius ævi auctoribus, promiscue etiam ducatus nominetur, hoc obiter inseram : Haud magni apud me ponderis fuisse, quod et in Ambaziensium [k] dominorum Historia, et in Andegavorum [l] consulum gestis, aliquando legi : Hugonem ducem Burgundiæ, Carolo Simplici, adhuc puerulo, tutorem datum, accepta potestate, quæ tum abbacomitatus dicebatur, et a successoribus, in arrogantius vocabulum, quod est ducamen, mutata est. Verum Nithardus paucissimis [m] diebus Centulensi monasterio præfuit, bello ipse peremptus, anno, ut e multis conjicio, 853, cum Dani [n] Suevique, quos Theotisci *Nortman*, id est Aquilonares, appellant, suæ habitationis finibus egressi, jam per viginti annos omnem oram maritimam incendiis, rapinis, omnique crudelitatis genere afficerent. Atque eodem in loco, quo primum quieverat Angilbertus, sepultus ipse est; in aditu nempe, seu porticu majoris ecclesiæ, quæ sancto Salvatori, sanctoque Richario dicata erat. Quod Hariulfus [o] his, et prolixioribus etiam verbis, enarravit. « Tempore, *inquit*, Gervini, [p] hujus nominis primi, Centulensis abbatis, domni ac sancti Angilberti tumulus ignorabatur, nec ullo, ob hoc, terreno honore potiebatur, quamvis

[a] Nithardus lib. I, p. 312.

[b] Nithardus lib. IV, p. 360.

[c] Scripsit metrice ante annos 550 libros tres de miraculis sancti Richarii, et quartum de relatione ejusdem per Hugonem Capet tum Francorum ducem.

[d] In monasterio scilicet sancti Petri Vivi Senonensis, uti mihi multa persuasere, sed et inibi eumdem etiam sepultum.

[e] Marcuvardus illi nomen, non Marcuvadus, abbasque ille fuit Prumiensis anno 829. Obiit 853 Regino.

[f] Hujus loci mentio fit aliquot locis apud Hincmarum Remensem, contra Hincmarum Laudunensem episcopum et alibi. Forte, *Saulnoy*, abbatia Lugduno Clavato proxima (*près Laon*).

[g] Monachus fuit primo Ferrariensis, dein Prumiensis (non etiam sancti Petri Vivi Senonensis), postea Marcuvardo apud Prumiam successit anno 853. Dein a Carolo Calvo Flaviniensis abbas constitutus, tandem Senonum archiepiscopus factus, in monasterio sancti Petri Vivi quiescit. Lupus variis locis, Regino, Jac. Tavellus (vir in historia et sagax et peritus) in archiepiscoporum Senonensium gestis.

[h] Scripta est hæc Marcuvardi epistola anno 848. Tum enim Dido abbas sancti Petri Vivi Senonensis, cui paucis annis præfuit. Auctor Gaufridus in historia istius monasterii sui.

[i] Advertere Helysacharem Centulensem fuisse abbatem juvabit, si Agobardum legeris; illius enim meminit, p. 94, 260 et alibi. Et eum quoque ferunt Gemmetici monasterii fuisse rectorem. Hariulfus lib. III, cap. 4.

[j] Hariulfus lib. III, Hist. Centul., cap. 10.

[k] Incipit : Sæpenumero postulasti ut Ambaziensium dominorum, etc.

[l] Quorum auctor monachus majoris monasterii, eaque sic incipiunt : Historiam sive gesta Andegavorum consulum, etc.

[m] Hariulfus lib. III, cap. 5, et lib. II, cap. 17, eadem de re agens : Paucis, *inquit*, diebus in regimine expletis, Nithardus prælio interemptus est.

[n] Verba sunt Chronici monasterii sanctorum Sergii et Bachi ad Andegavim urbem atque etiam Historiæ imperatorum, regum Francorum, et comitum Andegav. quæ incipit : Ada, etc., et in Ludovico Grosso desinit.

[o] Lib. IV, c. 32.

[p] Obiit Gervinus iste V Non. Mart. anno Dom. 1074, auctor Hariulf.

ejus celeberrima memoria in ore universorum Franciscorum, vel Pontivorum, atque aspectu egregii templi, quondam ab eo fundati, resplenderet. Cum itaque aliquando venerabilis Gervinus cœnobium Gorziam, quod est situm in confinio Metensis civitatis, ivisset, inventum ibi codicem, (ubi de ejusdem sancti viri, aliorumque nostratum abbatum gestis, quædam continebantur) ab illius loci fratribus mutuatum, Centulam detulit: in quo repertum est, quod sanctus abbas Angilbertus XII Kal. Martii transisset ad gloriam. Et inde Centulenses monachi, quoniam ab eo tempore, quo sub Guaramundo pagano combustum fuerat monasterium, usque ad hæc tempora, eos dies transitus ejus latuerat, plurimum exhilarati fuere. Igitur Gervinus (qui vir desideriorum merito dici potest) ad fores ecclesiæ, quo compererat illum primo tumulatum, perquirere cœpit: nec illius quidem corpus ibi invenit, sed in eodem, quo quondam pausaverat, sarcophago, invenit lecticam ligneam coriatam, domni Nithardi filii ejus abbatis et comitis corpus continentem, sale perfusum; in cujus capite videbatur illa percussura, qua eventu prælii fuit occisus. Recludens itaque eumdem tumulum, aliorsus sanctam corporis Angilberti glebam quærere proposuit, » etc. Nec enim te, lector, pluribus morabor, et properante calamo irrepsere multa, quæ intexere initio non erat animus. Hoc unum de Nithardi libro titulo addam: Etiamsi in scripto [a] libro, e quo, sæculi sui honor P. Pithæus illum in publicum dedit, nulla habeatur et libri et auctoris inscriptio: Et e Centulensis Historiæ [b] codice, « Chronicum » seu « Gesta Francorum » dici debere videatur; non abs re tamen esse, quod ab illo, opus istud, « Historia de discordia, » seu « dissensionibus filiorum Ludovici Pii, » appelletur. Huic etenim Nithardi opusculo, hunc fuisse titulum, planum erit ab auctore [c] incogniti nominis, qui anno 1214 Latine tribus libris, Francorum scripsit historiam: quamquidem post 50 annos, alius Equitania oriundus, Gallicam fecit, et Alfonso Pictavi et Tolosæ comiti sancti Ludovici regis fratri, dicavit. E cujus præfatione quæ subsunt, exscripsimus. « Sumpta, inquit, sunt hæc a gestis sanctorum Remigii, Lupi, [*Al.*, Vind.] Indicelli; a Vita etiam sancti Lamberti, quæ sic incipit: Gloriosus vir Lambertus æterno Regi martyr acceptus, etc., a Chronicis Hugonis [d] Floriacensis, Roberti [e] Autisiodorensis; quædam autem a libro Isidori, qui Etymologiarum dicitur; a Chronicis [f] sancti Petri Vivi Senonensis; ab historia Longobardorum; a libro Guertini, qui se alumnum Caroli Magni fatetur; a quadam historia, quæ nomine Turpini intitulatur; a quodam libello, qui de gestis regum Francorum loquitur, qui apud sanctum Germanum de Pratis juxta Parisius reperitur; a libro etiam Nithardi, qui de discordia filiorum Ludovici Pii agit; a Chronicis de Charitate; ab historia Hierosolymitana; quædam autem de Operibus Ludovici Pii et Philippi, qui modo regnat, » etc. Hæc ille. Totum autem hoc hic ascripsi, ut historiæ Francicæ plures necdum vulgati scriptores tibi, lector, innotescerent. Utque Galliæ nostræ (cui catholici reges omnes et principes hoc debent, quod Christiani sunt) illustrandæ, desiderium aliquod aut injicerem, aut, quod mavelim, aliquatenus augerem.

[a] Hic olim fuit monasterii sancti Maglorii Parisiensis, et quidem (si bene conjicio), Hugonis Magni, patris Hugonis Capet Francorum regis beneficio. Qui primus illud construxit.

[b] Duo exstant plane dissimiles. Hujus de quo hic sermo, auctor est Hariulfus.

[c] Hujus præfationis initium, est: « Cum animadverterem quamplurimos et fere omnes de gestis regum Francorum dubitare, » etc. At liber primus sic incipit « : Inter annos illos quibus Hebræorum populus, » etc.

[d] Floriacus, villa ad Ligerim cœnobio sancti Benedicti celebris. Mirorque veterem Gallicum interpretem id latuisse.

[e] Is est sancti Mariani monachus, cujus Chronicum anno 1608 edi voluit Nic. Camusat Tricass. canonicus, litterato cuique abunde notus.

[f] Eorum auctor Gaufridus de Collono, ejusdem loci monachus, et desinunt in anno 1294.

ADDITIO.

Pag. 4, v. 12 ad illud, « Silentiarium statuit: ut ejus consilio regnum totum componeret, » in interiori margine addita hæc erant. Ipsissima verba veteris Vitæ sancti Angilberti enarratoris hæc sunt: « Sibi Karolus eumdem silentiarium statuit: ut in quo compererat prudentiæ altitudinem, ejus consilio componeret totius regni utilitatem. » Quibus addo. Ideo me verba ipsa veteris scriptoris subjicere, ut, si forte in hujus silentiarii officium inquirere velis, non sit quod arguas, verborum a me immutatum quidquam. Mihi certe in facili non est, quæ munia illius essent, certo constituere. Nec adducar, ut credam, fuisse unum e schola silentiariorum, de quibus est tit. 16 libri XII Cod. Justinian. Hi siquidem, ad sacri consistorii limina excubias agentes, nonnisi quietem, et silentium imperabant. Recteque Zonaras, huicce collegio ascribens, quod legerat Anastasium Dicorum ante adeptum imperium silentiarium fuisse, addit χαμαιζήλων τοῦτο εἶναι ἀξιωμάτων (inter minores dignitates esse). Nam opera ista servilis fuit. Et fuere inter servos silentiarii. Ac scite Salvianus, lib. IV de Providentia (dum ostendere vult heris pejora multo imputari posse quam servis). « Ad fugam, inquit, servos non miseriæ tantum, sed et supplicia compellunt: pavent quippe actores, pavent silentiarios, pavent procuratores: prope ut, inter illos omnes, nullorum minus servi sint, quam dominorum suorum, » etc. Hinc fit, ut nonnisi invitus, ad illos quoque referam, quod de Anastasio dictum (quodque e Cedreno [p. 291,] Suida, aliisque constat) ante delatum illi imperium silentiarium fuisse: uti et quod lib. IV de Ædific. Justiniani monuit Procopius; Theodorum Justiniani silentiarium fuisse. Ego enim silentiarium principis, ab his qui e silentiariorum fuere schola, sejungo. Idque produnt hæc, hujusce auctoris veteris de Karolo verba: « Sibi silentiarium statuit. » Deinde, cum ei totius regni utilitas curæ sit, et Angilberto summis jam honoribus perfuncto, addita illa sit dignitas, paulo antequam Bertham, regis filiam, conjugem acciperet; longe ab excubitore, regis silentiarium abesse, nemo inficias iverit. Forte vero silentiarius is fuerit, qui silentio præerat. Dictum enim illa ætate silentium, paucorum congregatio, qui, seorsim a populo, de gravioribus negotiis invicem disceptarent. Inter quos imperator in ambone, seu tribunali, sublimis sedebat; cujus erat, oratione persequi, quæ in concilio agitanda essent. Idque forte, imperatoris vice, peragebat silentiarius. Nam et διάλεξις ista σελέντιον vocabatur, testibus Zonara tom. III, Niceta et aliis. At ipsum quoque conventum, ἢ τὴν σύγκλητον βουλήν (ut verbis Zonaræ utar) silentium dici, Historiæ Miscellæ auctor docuit. Qui lib. XXI: « Impius Leo, inquit, silentium contra sanctas et venerabiles celebravit iconas, » in tribunali decem et novem cubituum, « advocato quoque Germano partriarcha, » etc. Nec enim eo loci aliud vult, quam quod lib. XXII de Constantino Copronymo, istius Leonis III filio, retulit. « Impius, inquit, Constantinus contra sanctas et venerabiles imagines concilium iniquum triginta octo episcoporum congregavit. » Et idem: « Qui cum in Blachernas convenissent, ascendit Constantinus imperator in ambonem, tenens Constantinum Sylei episcopum. Et cum oras-

set, voce magna pronuntiavit, dicens : Constantino universali patriarchæ multos annos, » etc. Hæc vero, neutiquam a me pro veris plene asserta noveris, lector. Quinimo, si hanc litteraturam calles (quæ in forensi quidem palestra desudantibus per- A utilis, at in republica versantibus plane necessaria est) tibique, quid melius istis, occurrerit; me eruditionis tuæ præconem, tuique sequacem invenisti. Fruere interea, et vive.

Sapienti pauca sufficiunt.

NITHARDI

ANGILBERTI FILII, CAROLI MAGNI IMPERATORIS EX BERTHA FILIA NEPOTIS,

DE DISSENSIONIBUS FILIORUM LUDOVICI PII

LIBRI QUATUOR.

(Ad annum usque 843.)

AD CAROLUM CALVUM FRANCORUM REGEM.

Recens a mendis et corruptionibus innumeris expurgati, partim ope vetustissimi ms. codicis, qui exstat in bibliotheca D. Alexandri Petavii S. P., partim conjecturis a sensu historiæ desumptis.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

Cum, ut optime, mi domine, nosti, jam pene annis duobus illatam a fratre vestro persecutionem vos vestrique haud quaquam meriti pateremini, antequam Cadhellonicam introissemus civitatem, præcepistis, ut res vestris temporibus gestas styli officio memoriæ traderem. Opportuna quidem placidaque res, fateor, fuerat præcepta, si otium tanti negotii ut digne exsequeretur, fuisset concessum. Nunc autem si quid minus, vel incultius quam oportuerit, pro rerum magnitudine huic operi inveneritis insertum, tanto facilior venia a vobis vestrisque mihi debetur, quanto me nostis eodem turbine quo et vos, dum hoc opus peregerim, esse agitatum. Præterire autem ea quæ temporibus pii patris vestri gesta sunt, disposueram, sed facilius cuilibet legenti altercationum vestrarum veritas patebit, si quædam, quæ suo in tempore contigisse novimus, summotenus prælibavero. Avi quoque insuper vestri venerandam memoriam per omnia obmittere ratum minime videtur. Ac per hoc textus hinc sumat exordium.

Karolus bonæ memoriæ, et merito Magnus, imperator ab universis nationibus vocatus, hora videlicet plus minus diei tertia, in senectute bona decedens, omnem Europam omni bonitate repletam reliquit. Vir quippe omni sapientia et omni virtute, humanum genus suo in tempore adeo præcellens, ut omnibus orbem inhabitantibus terribilis, amabilis pariterque et admirabilis videretur; ac per hoc D omne imperium omnibus modis, ut cunctis manifeste claruit, honestum et utile effecit. Nam super omne quod admirabile fateor fore, Francorum Barbarorumque ferocia ac ferrea corda, quæ nec Romana potentia domare valuit, hic solus moderato B terrore ita repressit, ut nihil in imperio moliri præter quod publicæ utilitati congruebat, manifeste auderent. Regnavit feliciter per annos duos et triginta, imperiique gubernacula nihilominus cum omni felicitate per annos quatuordecim possedit.

Hæres autem tantæ sublimitatis Lodhuwicus filiorum ejus justo matrimonio susceptorum novissimus, cæteris decedentibus, successit. Qui, ut pro certo patrem obiisse comperit (815), Aquas ab Aquitania protinus venit : quo undique ad se venientem populum, absque quolibet impedimento, suæ ditioni addixit; de cæteris, qui sibi creduli videbantur, deliberaturus. Initio quidem imperii suscepti pecuniam ingenti numero a patre relictam trifariam dividere jussit, et unam partem in causam funeris expendit, C duas vero inter se et sorores suas a patre justo matrimonio susceptas divisit, quas et instanter a palatio ad sua monasteria abire præcepit. Fratres quoque adhuc tenera ætate, Drogonem, Hugonem, et Theodericum, participes mensæ effecit, quos et in palatio una secum nutriri præcepit, et Bernardo nepoti suo filio Pippini regnum Italiæ concessit (818). Qui, quoniam ab eo paulo post defecit, capitur, et a Bertmundo Lugdunensis provinciæ præfecto luminibus pariter et vita privatur. Hinc autem metuens ne post dicti fratres populo sollicitato eadem facerent, ad conventum publicum eos venire præcepit, totondit, ac per monasteria sub libera custodia commendavit (819). Quo peracto, filios suos justo matrimonio junxit, et universum imperium inter eos ita divisit (821) ut Pippinus quidem Aquitaniam, Lodhuwicus autem Bajoariam, Lodharius vero post discessum ejus universum imperium haberet : cui et una secum imperatoris nomen habere concessit. Interea Irmengardis regina materque illorum decessit, ac paulo post Lodhuwicus im-

perator Judith in matrimonium sumpsit (823), ex qua Karolus creatur.

Karolo quidem nato, quoniam omne imperium inter reliquos filios pater diviserat, quid huic faceret, ignorabat. Cumque anxius pater pro filio filios rogaret, tandem Lodharius consensit, ac sacramento testatus est, ut portionem regni, quam vellet, eidem pater daret, tutoremque ac defensorem illius se fore contra omnes inimicos ejus in futuro, jurando firmavit. Instigante autem Hugone, cujus filiam in matrimonium Lodharius duxerat (829), ac Mathfrido, cæterisque, sero se hoc fecisse pœnituit, et quemadmodum illud quod fecerat annullare posset, quærebat. Quod patrem matremque minime latuit, ac per hoc, hinc inde quod pater statuerat, Lodharius diruere, etsi non manifeste, occulte studebat. Ad quod Bernardum quemdam ducem Septimaniæ pater in supplementum sibi sumens, camerarium constituit, Karolumque eidem commendavit, ac secundum a se in imperio præfecit. Qui dum inconsulte republica abuteretur, quam solidare debuit, penitus evertit. Per idem tempus Karolo Alamannia per edictum traditur. Tum tandem Lodharius, quasi justa querimonia reperta, tam fratres quam et universam plebem veluti ad restaurandum reipublicæ statum animabat. Quamobrem pariter cum omni populo patri ad Compendium superveniunt (830). Reginam velaverunt, fratres ejus Cunradum et Rodulfum totonderunt, atque in Aquitaniam servandos Pippino commiserunt. Bernardus quoque fuga lapsus in Septimaniam se recepit. Eribertus frater ejus captus, ac luminibus privatus, in Italiam custodiendus traditur. Et Lodharius quidem eo tenore republica adepta, patrem et Karolum sub libera custodia servabat (831) : cum quo monachos, qui eidem vitam monasticam traderent, et eamdem vitam illum assumere suaderent, esse præceperat. Res autem publica, quoniam quisque cupiditate illectus sua quærebat, quotidie deterius ibat. Quamobrem tam monachi, quos supra memoravimus, quam et cæteri, qui quod factum fuerat dolebant, illum percunctari cœperunt, si respublica eidem restitueretur, an eam pro viribus erigere ac fovere vellet, maximeque cultum divinum, quo omnis ordo tuetur ac regitur. Quod quia facile confessum, in restauratione ejus ocius consensum est : assumptoque Gunthaldo quodam monacho, sub specie religionis in hoc negotio ad Pippinum Ludovicumque filios ejus occulte direxit : promittens, si in sua restitutione, una cum his qui hoc cupiebant, adesse voluissent, regnum utrisque se ampliare velle. Ac per hoc perfacile cupideque paruere, conventuque condicto, regina et fratres ejus eidem restituuntur, ac plebs universa ditioni ejus se subdidit. Hinc hi, qui cum Lodhario senserunt, in concilium deducti, et ab ipso Lodhario ad mortem dijudicati, aut, vita donata, in exsilium retrusi sunt. Lodharium quoque sola Italia contentum, ea pactione abire permisit, ut extra patris voluntatem nihil deinceps moliri in regno temptaret. Cumque se hæc ita haberent, et respubliea paululum respirare videretur, confestim Guntbaldus monachus, quem supra memoravimus, quia multum in restitutione ejus laboraverat, secundus in imperio esse volebat. Quod quoniam Bernardus, ut præmissum est, olim fuerat, summa industria iterum esse certabat. Pippinus quoque et Lodhuwicus, quanquam eis regna, sicut promissum fuerat, aucta fuissent, tamen ut in imperio post patrem primi essent, uterque laborabat. At illi, per quos tunc respublica tractabatur, voluntati eorum obsistebant.

Per idem tempus (833) Aquitania Pippino dempta Karolo datur, et in ejus obsequio primatus populi, qui cum patre sentiebat, jurat. Quod quidem hi quos supra retulimus, graviter ferentes, ut respublica inutiliter tractaretur, divulgant, populumque quasi ad justum regimen sollicitant. Walanam, Elisachar, Mathfridum, cæterosque, qui in exsilium retrusi fuerant, custodia emittunt : Lodharium, ut rempublicam invadat, compellunt. Insuper autem et Gregorium Romanæ summæ sedis pontificem, ut sua auctoritate liberius quod cupiebant perficere possent, sub eadem specie magnis precibus in supplementum suæ voluntatis assumunt. Quamobrem imperator, una cum omni quod habebat imperio, tres reges, filiique ejus, adversus eum cum ingenti exercitu, insuper papa Gregorius eum omni comitatu Romano, Elisatam confluunt, juxtaque montem Siguualdi castra ponunt, ac variis affectionibus populum ut a patre deficeret, filii compellunt. Novissime, quibusdam fuga lapsis, cum perpaucis pater capitur. Uxor ab eo dempta in Langobardiam exsilio mittitur, ac Karolus una cum patre sub magna custodia servatur. Gregorius siquidem papa itineris pœnitudine correptus, tardius quam vellet Romam revertitur. Et Lodharius quidem iterum eo tenore imperium adeptum, quod injuste tam facile iterato obtinuit, iterato facilius juste amisit (834). Nam Pippinus et Lodhuwicus videntes quod Lodharius universum imperium sibi vindicare, illosque deteriores efficere vellet, graviter ferebant. Insuper autem dum huc Lambertus atque Mathfridus, quis illorum secundus post Lodharium in imperio haberetur, ambigerent, dissidere cœperunt. Et quoniam quisque eorum propria quærebat, rempublicam penitus negligebant. Quod quidem populus cernens, molestus erat. Occurrebat insuper etiam filiis verecundia et pœnitudo, quod patrem bis honore privaverant; universæ plebi, quod bis imperatorem dimiserant, ac per hoc hinc inde in restitutione ejus consentiunt, et undique ad Sanctum Dionysium, ubi tunc Lodharius patrem et Karolum servabat, affluere contendunt. Cernens Lodharius prædictam animositatem vires suas excedere, antequam conveniant, arma sumit : patrem ac Karolum dimittit, itinereque arrepto Viennam petit. Plebs autem non modica, quæ præsens aderat, etiam etiamque Lodhario pro patre vim inferre volebat. Rege recepto, basili-

cam sancti Dionysii una cum episcopis et omni clero confluunt, laudes Deo devote referunt, coronam et arma regi suo imponunt, et ad cætera deliberaturi contendunt. Lodharium pater persequi distulit, sed legatos, qui eum citra Alpes festinare juberent, post illum direxit. Pippinum ad se venientem benigne excepit, gratias in eo, quod pro sua restitutione laboraverat, egit : ac reverti eum in Aquitaniam, uti petiverat, permisit. Hinc inde fideles, qui evaserant, et rempublicam regere consueverant, confluunt : cum quibus itinere arrepto, Aquis hiematum petit, tandemque Lodhuwicum venientem gratauter excepit : quem et una secum causa præsidii esse præcepit. Interea hi, qui Judith in Italiâ servabant, audientes quod Lodharius fugam inierat, et pater imperium regebat, arrepta Judith fugam ineunt, Aquis prospere perveniunt, gratum munus imperatori deferunt. Verumtamen haud est thoro regio recepta, donec se criminibus objectis innoxiam, quia criminator deerat, sacramento una cum propinquis coram plebe effecit.

Per idem tempus (835) Mathfridus et Lambertus, cæterique a parte Lodharii, penes Marcam Britannicam morabantur. Ad quos pellendos missus est Vodo, et omnes inter Sequanam et Ligerim degentes. Qui, manu valida collecta, hinc atque inde convenerunt. Et hos quidem paucitas, ac per hoc summa necessitas, unanimes effecit. Vodonem autem et suos maxima multitudo securos, discordes, et inordinatos reddidit. Quapropter prælio commisso, fugerunt. Cecidit Vodo, et Odo, Vivianus, Fulbertus, ac plebis innumera multitudo. Quod quidem citato cursu victores Lodhario notantes, mandant ut quantocius posset illis cum exercitu occurrat. Qui libenter paruit, et Cavillonum collecta manu valida venit, civitatem obsidione cinxit : præliando triduum obsedit, et tandem urbem captam una cum ecclesiis incendit. Gerbergam more maleficorum in Ararim mergi præcepit. Gozhelmum et Senilam [Gauzelinum et Sanilam] capite punivit. Warino autem vitam donavit, et ut se deinceps pro viribus juvaret, jurejurando constrinxit. Hinc autem Lodharius et sui duobus præliis feliciter gestis magnanimes effecti, universum imperium perfacile invadere sperantes, ad cætera deliberaturi Aurelianensem urbem petunt. Quod pater audiens, e Francia manu valida collecta, insuper Lodhuwico filio suo, cum universis, qui trans Rhenum morabantur, in auxilium sibi assumpto, tantum facinus a filio in imperium commissum vindicaturus perrexit. Lodharius quoque eadem spe, qua Francos abducere consueverat, animatus, ire obvius ratum duxit. Ac per hoc hinc inde confluunt, supraque fluvium, juxta villam quæ Calviacus dicitur castra ponunt. Sed Franci, eo quod imperatorem bis reliquerant, pœnitudine correpti, et ut deinde tale quid committerent turpe judicantes, ad defectionem impelli dedignati sunt. Quamobrem cum nec fugæ, nec prælii locum videret, ea pactione novissime prælium dirimit, ut infra dies statutos Alpibus excederet, ac deinceps, sine patris jussione, fines Franciæ ingredi non præsumeret, et extra patris voluntatem in ejus imperio deinceps nihil moliri temptaret. Quod et ita se et suos servaturos, tam is quam et sui sacramento firmaverunt.

His ita compositis (838), pater, uti et cum quibus consueverat, imperium regebat. Videns autem quod populus nullo modo diebus vitæ suæ illum relinquere, uti consueverat, vellet, conventu Aquis hieme indicto, portionem regni his terminis notatam Karolo dedit, id est a mari per fines Saxoniæ usque ad fines Ribuariorum, totam Frisiam, et per fines Ribuariorum comitatus Moilla, Halt, Trahammolant, Masagobbi [Masagouvi]. Deinde vero quidquid inter Mosam et Sequanam usque Burgundiam una cum Viridunensi consistit : et de Burgundia, Tullensem, Odornensem, Bedensem, Blesensem, Parthensem, utrosque Barrenses, Brionensem, Tricasinum, Autisiodorensem, Senonicum, Wastinensem, Milidunensem, Stampensem, Castrensem, Parisiacum; et deinde per Sequanam usque in mare Oceanum, et per ipsum mare usque in Frisiam : omnes videlicet episcopatus, abbatias, comitatus, fiscos, et omnia infra prædictos fines consistentia, cum omnibus ad se pertinentibus, in quacunque regione consistebant, et sui juris esse videbantur : una cum auctoritate divina atque paterna, præfato filio suo Karolo dedit, firmumque ut permaneret Dei omnipotentis clementiam exoravit. Hilduinus autem abbas ecclesiæ sancti Dionysii, et Gerardus comes Parisius civitatis cæterique omnes prædictos fines inhabitantes convenerunt, fidemque sacramento Karolo firmaverunt. Quod quidem Lodharius et Ludhuwicus audientes, graviter ferebant : unde et colloquium indixerunt. Ad quod venientes, cum nihil ex his indignari se posse viderent, callide dissimulantes quippiam se contra patris voluntatem moliri velle, discesserunt. Verumtamen ob id colloquium commotio non modica exorta est, sed facile quievit. Hinc autem Carisiacum mediante Septembrio venit, seditionemque quamdam similiter perfacile sedavit, ac præfato Karolo arma et coronam, necnon et quamdam portionem regni inter Sequanam et Ligerem dedit, Pippinum ac Karolum, ut videbatur, unanimes effecit : ac deinde Pippinum in Aquitaniam abire cum gratia permisit; Karolum vero in partem regni, quam ei dederat, direxit. Quo veniens, omnes hos fines inhabitantes ad illum venerunt, et fidem sacramento commendati eidem firmaverunt. Eodem tempore nuntiatur quod Lodhuwicus a patre suo descivisset, et quidquid trans Rhenum regni continebatur, sibi vindicare vellet. Quod pater ejus audiens, indicto conventu, Magontiam convenit, ac trajecto exercitu fugere illum in Bajoariam compulit. Post Aquis exsultans rediit, quoniam, quocunque se verterat, nutu divino victor erat. Verumtamen ingruente, senili ætate, et propter varias afflictiones pene decrepita imminente, mater ac primores populi,

qui in voluntate patris pro Karolo laboraverant, metuentes, si infectis rebus decederet, odia fratrum usque ad internecionem sibi insurgere, ratum duxerunt ut quemlibet e filiis pater in supplementum sibi assumeret : et si post discessum ejus cæteri concordes esse nollent, saltem bi duo unanimes effecti, valerent resistere invidorum factioni. Cumque necessitate instante, ac per hoc assiduis meditationibus in hac electione versarentur, universorum sententia consensit, si Lodharius certum se in hoc negotio præbere vellet, cum eo fœdus iniri debere. Nam, uti præmissum est, idem olim patri matrique ac Karolo juraverat, ut partem regni quam vellet pater, eidem daret, et eamdem se consentire et protegere illi contra omnes inimicos omnibus diebus vitæ suæ deberet. Quamobrem missos deligunt, et in Italiam ad Lodharium mittunt : promittentes, si patris voluntatem deinceps erga Karolum conservare vellet, omnia quæ in illum hactenus delinquerat, remitti, et omne regnum, absque Bajoaria, inter illum et Karolum dividendum. Quæ quoniam Lodhario et suis rata videbantur, utraque ex parte sic velle, ac sic se perficere, juraverunt.

Ergo ad urbem Vangionum conventu indicto convenerunt (839), in quo Lodharius humillime ad pedes patris coram cunctis procidit, dicens : « Novi me coram Deo et te, domine pater, deliquisse. Non regnum, sed indulgentiam, et ut gratiam tuam merear, quæso. » Idem autem, ut pius ac clemens pater, et delicta postulanti indulsit, et gratiam roganti concessit : eo scilicet pacto ut deinceps nihil quolibet modo contra suam voluntatem nec in Karolum, nec in regnum alicubi egisset. Dein benigne illum excepit, ac deosculans, gratias Deo pro filio quem aversum reconciliaverat egit. Ad prandium deinde conversi sunt, in crastinum de cæteris, quæ sui juraverant, deliberaturi. Die autem altera concilium ineunt. Hinc pater, ut sui juraverant, perficere cupiens : « Ecce, fili, ut promiseram, regnum omne coram te est; divide illud prout libuerit. Quod si tu diviseris, partium electio Caroli erit. Si autem nos illud diviserimus, similiter partium electio tua erit. » Quod idem cum per triduum dividere vellet, sed minime posset, Josippum atque Richardum ad patrem direxit, deprecans ut ille et sui regnum dividerent, partiumque electio sibi concederetur. Insuper vero, in ea fide, quam illis juraverant, testati sunt, quod pro nulla re alia, nisi sola ignorantia regionum, id peragere differret. Quamobrem pater, ut æquius valuit, regnum omne absque Bajoaria cum suis divisit, et a Mosa partem Australem Lodharius cum suis elegit, quinimo et accepit. Occiduam vero, ut Carolo conferretur, consensit, et una cum patre coram omni populo ita se velle annuntiavit. Hinc autem pater fratres, prout valuit, unanimes effecit, rogans ac deprecans ut invicem se diligerent, et ut alter ab altero protegeretur adhortans, exorat, et quod fieri desiderat, optat. Quibus peractis, benigne et pacifice Lodharium in Italiam ditatum remissionis gratia, ac regni muneribus, remittens, sacramenta quæ sæpe juraverat, quoties in illum deliquerat, quoties delicta eidem donaverat, in memoriam reducens, ac piis visceribus monens, contestabatur ne saltem id quod tunc novissime peregerant, coramque cunctis ita se velle confirmaverat, frustrari quolibet modo permittat.

Eodem tempore, ut Pippinus decessisset, pater nuntium acceperat, et pars quædam populi, quid avus de regno vel nepotibus juberet, præstolabatur : pars autem, arrepto filio ejus Pippino, quia natu maximus erat, tyrannidem exercebat. Quapropter his ita, ut præfatum est, cum Lodhario perfectis, collecta manu valida, per Cavillonem, Clarummontem una cum Carolo ac matre pater petit, ac partem populi, quæ illum præstolabatur inibi, benigne recepit. Et quoniam olim regnum Aquitaniæ Carolo donaverat, ut illi se commendarent, hortando suasit, jussit. Qui omnes commendati, eidem sacramento fidem firmaverunt. Post quod quomodo tyrannos compesceret, contendit. Per idem tempus Ludhowicus a Bajoaria solito more egressus, Alamanniam invasit, cum quibusdam Toringis et Saxonibus sollicitatis (840). Quamobrem pater ejus ab Aquitania revocatus, dimisso videlicet Carolo una cum matre ejus Pictavis : ipse vero sanctum Pascha Aquis celebravit, et sic uno eodemque itinere Toringam petiit. A qua Lodhuwico filio ejus pulso, per Sclavos itinere redempto, eum in Bajoariam fugere compulit. Quo peracto, Kal. Julii ad Vangionum urbem conventum indixit, ad quod Lodharium filium suum ab Italia venire præcepit : cum eo, cæterisque sibi credulis de Lodhuwico deliberaturus. Cumque se hæc ita haberent, et Lodharius in Italia, Lodhuwicus trans Rhenum, et Karolus in Aquitania essent, Lodhuwicus imperator, paterque illorum, in insula quadam juxta Magonciacum XII Kal. Julii obiit. Quem Drogo frater, et episcopus, atque archicapellanus ejus, Metis civitate sua apud sanctum Arnulfum, una cum episcopis, abbatibus, comitibusque congruo honore sepulturæ tradidit. Vixit per annos sexaginta quatuor. Rexit Aquitaniam per annos triginta septem. Imperiale vero nomen per annos viginti septem, et per menses sex obtinuit.

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

Explicitis pro tempore ac viribus dissensionum vestrarum initiis, e quibus quique lector scire cupiens quamobrem post obitum patris vestri, Lodha-

rius vos fratremque persequi statuerit, decernat, A colligat, et/si juste egerit, cognoscat : hinc jam qua virtute ac industria hoc exsecutus sit, prout memoria viresque suppleverint, notare curabo. Vos vero difficultates quæ ex eadem molestia parvitati meæ obstiterint inspicere deposco. Et si quid in hoc opere neglexero, ut ignoscatis quæso.

Audiens Lodharius patrem suum obisse, confestim nuntios ubique, præsertim per totam Franciam, mittit, qui se venturum in imperium, quod olim fuerat illi datum, affirment : promittens unicuique honores a patre concessos se concedere, et eosdem augere velle. Dubios quoque fide sacramento firmari præcepit. Insuper autem jussit, ut quantocius possent, obviam illi procederent. Nolentibus vero, capitale B supplicium ut prædiceretur, indixit. Ipse autem pedetemptim, quo se res verteret, antequam Alpes excederet, scire volens. Ergo cupiditate terroreque illecti undique ad illum confluunt, et hoc cernens spe viribusque magnanimus effectus, quibus artibus universum imperium liberius invadere posset, deliberare cœpit. Lodhuwicum quoque, quem itineri suo contiguum esse prospexit, ut primum in illum manum mitteret, ratum duxit; et ut eumdem viribus annullaret, operam omni virtute adjecit. Interea ad Karolum in Aquitaniam legatos callide dirigens, mandat se erga illum, sicut pater statuerat, et sicut erga filiolum ex baptismate oportebat, benevolum esse. Verumtamen, ut nepoti suo filio Pippini, donec cum eo loqueretur, parceret, deprecatus est. Et his C ita compositis, ad urbem Vangionum iter direxit. Eodem tempore Lodhuwicus partem exercitus inibi causa custodiæ reliquerat, et Saxonibus sollicitatis obviam illis perrexerat. Quamobrem Lodharius parvo conflictu custodes fugere compulit. Rhenum cum universo exercitu transiens, Franconofurt iter direxit, quo insperato hinc Lodharius, inde Lodhuwicus confluunt : paceque sub nocte composita, alter inibi, alter vero quo Moin in Rhenum confluit, castra haud fraterno amore componunt. Cumque Lodhuwicus viriliter resisteret, et Lodharius illum absque prælio sibi subigere diffideret, sperans Karolum facilius superari posse, ea pactione prælium diremit, ut iii Idus Novembris eodem loco rursum conveniant, et ni concordia statutis interveniat, quid cui- D que debeatur, armis decernant. Et his ita omissis, Karolum sibi subigere contendit.

Per idem tempus Karolus Biturícas ad Placitum, quo Pippinum sui juraverant venturum, venerat. Qui quidem ex omnibus nuntio recepto, missos, videlicet Nitardum et Adelgarium, delegit, et uti ocius valuit, ad Lodharium direxit : mandans ac deprecans, ut memor sit sacramentorum quæ inter se juraverant, et servet quæ inter illos pater statuerat. Insuper etiam fraternæ, filiolique conditionis meminerit : haberet sua sibi, et quod illi pater suo consensu concesserat, absque conflictu illum habere permittat (840). Promittens si hoc faceret, fidelem se illi et subjectum fore velle, ita ut primogenito fratri esse oporteret. Insuper etiam quidquid hactenus in illum oenquerat, pollicitus est se ex corde remittere, deprecatus ne amplius suos sollicitet, nec regnum sibi a Deo commissum perturbet. Cederent undique paci atque concordiæ, et hoc se sua suorumque ex parte ratum videre, ac per hoc conservare velle, mandavit. Quod, etsi alter hoc ita esse non crederet, quocunque vellet modo, ex his illum certum se efficere promisit. Quæ quidem Lodharius simulans se benigne suscipere, legatos tantum salutationis causa redire permisit, ac per suos se responsurum de cæteris esse respondit. Insuper etiam, quoniam ad ipsum se vertere frustrata fide noluerunt, honoribus, quos pater illis dederat, privavit. Ita quid fratri facere cogitaret, nolens indicium dabat. Interea omnes inter Mosam et Sequanam degentes ad Karolum miserunt, mandantes, ut antequam a Lodhario præoccuparentur, veniret : adventum ejus se præstolaturos promittentes. Quamobrem cum perpaucis Karolus hoc iter accelerans, ab Aquitania Carisiacum venit, et a Carbonariis et infra ad se venientes benigne suscepit. Extra vero Herenfridus, Gislebertus, Bovo, ac cæteri ab Odulfo decepti, firmatam fidem negligentes defecerunt.

Eodem tempore missus ab Aquitania venit, nuntians quod Pippinus cum his qui parti suæ favebant, super matrem Karoli irruere vellet : ac per hoc Karolus Francos inibi omittens, mandat, si illos frater suus donec reverteretur opprimere vellet, obviam sibi procederent. Insuper ad Lodharium, Hugonem, Adelhardum, Gerhardum, et Hegilonem direxit, cuncta quæ tunc nuper illi mandaverat replicans : nec non et pro Deo deprecatus est, ne suos sibi subtrahens, regnum, quod Deus, paterque suo consensu illi dederat, amplius dissipet. Et his ita compositis, in Aquitaniam festinus perrexit, superque Pippinum et suos irruens, fuga illos abire compulit. Per idem tempus, cum Lodharius a Lodhuwico reverteretur, et omnes citra Carbonarias ad illum venirent, Mosa trajecta, ratum duxit ut Sequanam usque procederet. Quo dum tenderet, Hilduinus abbas Sancti Dionysii, et Gerardus comes Parisii civitatis, a Karolo deficientes, fide frustrata ad illum venerunt. Quod quidem Pippinus filius Bernardi regis Langobardorum, cæterique cernentes, elegerunt potius more servorum fidem omittere, juramenta contemnere, quam ad modicum tempus facultates relinquere. Ac per hoc, fide relicta, quos supra memoravimus secuti, eidem se dederunt. Hinc quoque Lodharius magnanimus effectus Sequanam excessit, præmittens more solito qui ad defectionem inter Sequanam et Ligerim degentes, partim minis, partim blanditiis subducerent. Ipse quoque uti consueverat lento itinere subsecutus, Caremtenam civitatem tendebat. Cumque Theodericum, Ericum et hos, qui illum sequi deliberaverant, ad se venturos didicisset, spe multitudinis suæ fretus, Ligerim usque ut produceret, deliberavit. Karolus quoque a fuga, qua Pippi-

num et suos disperserat, reversus, et quoniam matrem ubi tuto relinqueret non habebat, pariter ad Franciæ partes properabat.

Audiens autem Karolus interea, quod hi omnes, quos supra memoravimus, ab eo defecissent, et Lodharius cum ingenti exercitu persequi illum usque ad internecionem statuisset, hinc autem Pippinus, et hinc Brittones infesti erant, quid facerent, concilium convocant, ineunt, deque his omnibus facile deliberaturi, facile consilium perfacile inventum est. Et quoniam nihil præter vitam et corpora reliquum habebant, elegerunt potius nobiliter mori quam regem proditum derelinquere. Quamobrem obviam Lodhario pergunt, atque Aurelianensem urbem hinc inde petunt, castra ponunt, distantes ab invicem plus minus leucas sex. Legatos invicem dirigunt. Et Karolus quidem sola justitia pacem petebat : Lodharius vero, quo astu absque prælio illum decipere ac superare posset, operam dabat. Quod cum peragere, strenue resistentibus, diffideret, sperans vires suas, uti cœperant, quotidie accrescere, quam cum Karolo decrevissent, facilius illum subjugari posse arbitrabatur. Hac autem spe deceptus, ea pactione prælium diremit, ut cederet Karolo Aquitania, Septimania, Provincia, et decem comitatus inter Ligerim et Sequanam, eo videlicet modo, ut his contentus interim inibi esset, donec Attiniacum VIII Id. Maias conveniant : qua siquidem communi consensu utrorumque utilitatem prævidere ac statuere velle promisit. Primores quoque partium Karoli cernentes negotium vires suas excedere, maximeque timebant, ne forte prælio commissio in tanta paucitate regem suum salvare difficile possent. Erat enim spes cunctis non modica indolis ejus. Quamobrem statutis eo tenore consentiunt, ut deinceps Lodharius Karolo ita fidus amicus sit, sicut frater per justitiam fratri esse debet; et regna, quæ illi deputabat, quieta habere faceret; ac interim super Lodhuwicum hostiliter ire dedisset : aliter autem, jure quod juraverant absoluti esse deberent. Qua quidem arte et regem suum a periculis subtrahunt, et se mox a sacramento absolvunt. Nam antequam iidem, qui hæc juraverant, domo egrederentur, aliquos ex his qui aderant subducere ab illo temptavit, et in crastinum quosdam suorum recepit. Insuper et in regna, quæ illi deputaverat, statim direxit, et in quantum potuit, ne illi se subderent, perturbavit : et ut e Provincia ad se venientes exciperet, perrexit, et quemadmodum Lodhuwicum dolo an vi superare posset, intendit.

Interea Karolus Aurelianensem urbem veniens, Teotbaldum et Warinum cum quibusdam e Burgundia ad se venientes gratanter ac benigne excepit. Hinc autem obviam Bernardo, sicut mandaverat, Nivernensem urbem petit. Sed Bernardus, more solito, ad illum venire distulit, dicens se cum Pippino suisque sacramento firmasse, ut neuter absque alterius consensu cum quolibet quodcunque pactum inire deberet. Quamobrem testatus est ad illos se ire velle, et si efficere posset una secum sui devenirent, bene; sin aliter, soluto juramento, infra dies quindecim ad illum reversurum, suæque ditioni se commissurum esse promisit. Quamobrem Karolus Bituricas iterum obviam illi venit. Quo Bernardus veniens, cum neutrum fecisset, graviter Karolus ferens seductiones, quas patri fecerat, et hactenus illi faciebat, timens ne aliter illum comprehendere posset, subito in illum irruere statuit. Sed hoc Bernardus, quanquam tarde, præsensit, fugam iniit, ac vix evasit. Karolus autem quosdam e suis stravit, quosdam saucios ac semivivos reliquit : quosdam vero illæsos cepit, ac more captivorum custodiri præcepit; supellectilem autem universam diripere permisit. Hinc quoque Bernardus humilior effectus, paulo post supplex ad Karolum venit, dicens et fidelem se illi fuisse, et tunc, si liceret, esse voluisse; et deinceps, quanquam hac contumelia affectus esset, in futurum fore minime diffideret. Quod, etsi quilibet aliter dicere vellet, armis se obpropulsurum promittit. Quibus Karolus credulus effectus, ditatum muneribus et gratia in societatem amicitiæ suscepit; et ut Pippinum ac suos, uti promiserat, subditos sibi efficere temptaret, direxit. Et his ita compositis, Cenomannicam urbem adiit, Lantbertum Ericumque, una cum cæteris recepturus. Cumque ille illos inibi perhumane reciperet, protinus ad Nomenoium ducem Brittanorum mittit, scire cupiens si suæ se ditioni subdere vellet. Qui acquiescens consiliis plurimorum, Karolo munera mittit, ac sacramento fidem deinceps servandam illi firmavit. Quibus peractis, quoniam tempus placiti, quod Attiniacum condixerant, appropinquare videbatur, quid consulte ac solida fide sibi suisque agere oporteret, Karolus anxius erat. Ergo participes secretorum convocat, rem omnibus notam replicat, ac quemadmodum a tanta calamitate congruentius se suosque exui posse existimarent, ut aperiretur, deposcit, seque in omnibus publicæ utilitati parere velle : insuper etiam, si oporteret pro ea mortem subire, minime differre fatetur. Quibus cum undique vires crevisse viderentur, reminiscentes insidiarum, quas Lodharius temporibus patris sui patri et Karolo inferre studuerat, quas etiam post obitum patris fratribus suis absque remedio struebat. Occurrebant insuper sacramenta, quæ tunc nuper fefellerat. Aiebant se omnem justitiam ab eo libenter consequi velle, sed his indiciis nil boni sperare posse. Idcirco sibi undique consultum videri, quocunque modo posset, ad condictum placitum venire minime differret. Quod si frater suus, uti promiserat, communem utilitatem quærere ac statuere vellet, hoc omnibus notis placere, et ut gratanter reciperetur, congruum esse. Sin aliter, fretus justitia, ac per hoc auxilio divino, suorumque fidelium, et quidquid regni pater suus amborumque fidelium consensu illi dederat, obtinere omni virtute non negligat.

Ergo omnes Aquitanos qui suæ parti favebant, una cum matre post se venire præcepit : insuper

quicunque e Burgundia, necnon et inter Ligerim et Sequanam sui juris esse vellent, similiter fecit. Idem autem ipse, una cum his qui per præsens aderant, quanquam difficile videretur, præfatum iter arripuit. Cumque ad Sequanam venisset, reperit Guntboldum, Warnarium, Arnulfum, Gerardum, necnon et omnes a Carbonariis et infra, comites, abbates, episcopos, ob hoc videlicet a Lodhario inibi relictos, ut si absque suo consensu transire vellet, minime posset. Accedebat insuper, quod amnis inundans vada ubique denegaverat. Custodes autem fluminis omnes naves aut contriverant, aut certe submerserant. Gerardus quoque pontes quoscunque reperit, destruxit. Igitur supra modum transitus difficilis effectus non modicam transire cupientibus importabat molestiam. Cum autem tot difficultatibus animi multimodis agitarentur, consiliis tandem mercatorum, naves ab ostio, quo Sequana mare influit, ferventi æstu abductæ, propterque Rothomagensem urbem expositæ nuntiantur. Quo veniens, harum duas minus de triginta Karolus armato milite complet, idemque ingressus præmittit qui se venturum prænuntient, unicuique volenti delicta cedens : nolentibus autem, ut abeant, regnumque a Deo sibi datum illi relinquant. Quæ dum sprevissent, classisque appropinquare videretur, crucem, in qua juraverant, et Karolum, ut cognoverunt, relicto littore protinus fugerunt. Quos, quoniam, quod in trajiciendo equi moram fecerant, consequi nequibat, ad sanctum Dionysium laudis obsecrationisque causa iter direxit. Quo veniens, comperit quod hi, quos fuga disperserat, in unum una cum Arnulfo et Gerardo cæterisque coissent, et super Teutbaldum, Warinum, Otbertum, cæterosque, qui, uti mandatum fuerat, ad Karolum veniebant, irruere vellent. Quamobrem ad Sanctum Germanum causa orationis perrexit, ac per totam noctem iter faciens, aurora dilucescente, ubi Luva Sequanæ confluit, Warinum cum sociis salvum recepit : ac sic uno eodemque itinere Senonicam adiit urbem. Hinc noctu consurgit, per Uttam iter faciens, speransque, uti nuntiatum illi fuerat, quos supra memoravimus in eodem saltu consistere. Disposuerat enim ubicunque et qualitercunque posset, supra illos irruere. Quod et utique fecisset, nisi sollicitis vitæ mors imminens pro foribus nuntiaretur. Quamobrem pene cuncti supra modum exterriti, quo quisque valuit, fugam iniit. Quos quoniam Karolus consequi non potuit, sociis equisque fessis, post Cœnam Domini quieti indulget, ac Tricasinorum civitatem in crastinum adiit.

Eodem tempore dum hæc, quæ præmisimus, a Karolo exsequerentur, Lodharius, uti præfatum est, dolo an vi Lodhuwicum aut subdere, aut, quod mavult, perdere posset, tota mente tractabat. In quo negotio congrue Otgarium Magontiæ sedis episcopum, et Adhelbertum Metensium comitem convocat. Habebat enim uterque Lodhuwicum ad mortem usque exosum. Jam enim Adhelbertus ex infirmitate, qua pene per annum detentus fuerat, velut in supplementum fratricidii respiraverat. Erat enim eo in tempore ita prudens consilio, ut sententiam ab eo prolatam non quilibet mutare vellet. Cujus instinctu Lodharius collectam hinc inde infinitam multitudinum Rhenum trajecit, præmittens more solito, qui minis blanditiisque pendulam plebem subducere temptarent. Timens autem populus, qui cum Lodhuwico erat, ne tantum exercitum ferre valeret, partim defecti ad Lodharium transeunt, partim fugam ineunt, ac Lodhuwicum desolatum relinquunt. Qui, quoniam omne suffragium aliud undique deerat, cum perpaucis abiit, et in Bajoariam se recepit. Quod quoniam Lodhuwico contigit, minime deinceps Lodharius aliquid illum prævalere putavit. Igitur Adhelbertum ducem, quem supra modo memoravimus, ob hoc inibi reliquit, ut et populum sacramentis sibi firmaret, et si Lodhuwicus ad Karolum ire vellet, nullomodo posset. Ipse vero, quoniam Karolum Sequanam transire repererat, obviam ire parabat. Velociter quidem præmittit rei veritatem, ubi et cum quibus esset, scire cupiens, Aquis Pascha celebraturus.

Mira sane ac merito notanda res Karolo in eodem sancto sabbato contigit. Nam neque ipse, neque quilibet in suo comitatu quidquam, absque quod corpore gerebant, et absque armis et equis, habebant. Cumque de balneo quidem egrederetur, et eadem vestimenta quæ exuerat induere pararet, repente ab Aquitania missi pro foribus astiterant, qui coronam et omnem ornatum tam regium, quam et quidquid ad cultum divinum pertinebat, ferebant (842). Quis non miretur paucos et pene ignotos viros, tot terrarum spatia, dum ubique omnes rapinæ insisterent, tot talenta auri gemmarumque infinitam multitudinem ferre illæsos valuisse? et, quod maxime mirandum fateor fore, qualiter ad definitum locum, vel certe ad statutam diem et horam venire poterant : cum nec idem Karolus, ubi se suosque oporteret, sciebat? Quem quidem eventum haud aliter quam munere ac nutu divino visum est evenire potuisse. Ac per hoc commilitonibus stuporem injecit, omnesque maximam ad spem salutis erexit. Hinc vero Karolus, cunctaque cohors exsultans, ad festa celebranda sese convertit. Expleto autem quod cœperat, missos Lodharii benigne excipiens, convivari una secum præcepit. Quibus et ut in crastinum redirent, injunxit, per suos se responsurum de eo, quod frater suus illi mandaverat, promittens. In legatione vero Lodharii querebatur, cur absque suo consensu terminos, quos illi statuerat, excederet : et quia fecerat, saltem ubique illum reperirent, mandat ut interim eo loco quiescat, donec illi mandaretur, si ad statutum locum, an alio, ubi congruentius illi videretur, venire deberet. Karolus per suos e contra se ob hoc statutos terminos excessisse respondit, quoniam de omnibus bonis sua ex parte illis promissis ac jurejurando firmatis nihil stabile esse permisit. Nam suorum hominum, ultra quod firmatum fuerat, sollicitatos quosdam suo juri adje-

cit, quosdam vero vita privavit. Insuper regna, quæ subjecta illi efficere debuit, in quantum valuit, perturbavit, et, quod maximum est, in fratrem hostiliter irruit, necnon et suffragium a paganis illum quærere compulit. Verumtamen, quanquam se hæc ita haberent, in conventum, quod communi consensu statuerant, venire se velle mandavit : ubi si communem utilitatem, uti promiserat, quærere ac statuere vellet, sibi placere, sin aliter, de regno quod Deus paterque suus suorum consensu illi dederat, consiliis suorum fidelium in omnibus, secundum Dei voluntatem, parere se in notuit. Et his ita compositis, idem iter arripuit, atque ad præfatum locum pridie quam venerat, prævenit. Quo quidem Lodharius, veluti ex consulto, venire distulit. Verumtamen missos variis querimoniis refertos frequenter mittebat, et ne forte ex improviso Karolus supra illum irruere posset, cavebat.

Interea legati a Lodhuwico venerant nuntiantes, quod si sciret quomodo fieri posset, in illius adjutorium venire vellet. Quo se Karolus et indigere respondit, gratias congruæ voluntati egit, et ut hoc accelerare studerent, protinus præfatos missos remisit. Cumque quatuor vel eo amplius dies inibi adventum Lodharii præstolaretur, et ille venire differret, concionem advocat, concilium iniit quidnam consultius deinceps illi agendum videretur, deliberaturus. Quidam autem aiebant, quoniam mater sua una cum Aquitanis veniebat, obviam illi ire debere. Sed maxima pars aut obviam Lodhario iter arripere suadebant, aut certe, ubicunque vellet, adventum illius præstolari debere dicebant : ob hoc quidem maxime, quoniam si quomodo aliorsum iter flectere cœpisset, cuncti fugam illum iniisse jactarent, et hinc Lodharium et suos audentiores fieri debere. Atque hi, qui adhuc causa timoris neutri sese copulaverant, ad illum affluere undique sperabant, quod et evenit. Quanquam difficile, prævaluit tamen sententia priorum. Quamobrem Cadhellonicam Karolus adiit urbem, ibique matre una cum Aquitanis recepta, repente nuntiatur quod Lodhuwicus cum Adelberto duce Austrasiorum prælio commisso vicisset, Rhenoque trajecto ob illius adjutorium, quantocius posset, veniret. Quod cum ocius universis castris omnibus notum fieret, cuncti alacri animo ut illi obviam irent, suadebant. Lodharius quoque hæc ita se habere ut deprehendit, circumfusæ plebi Karolum fugam inisse, persequique illum quantocius posset, velle denuntiat. Quo quidem nuntio fidos sibi alacriores reddidit, dubiis autem quibusque et affluendi audaciam injecit, et firmiores suæ parti reddidit. Cumque Karolus a Lodhario persequi se didicisset, quoniam in difficili loco aquis paludibusque circumfusis castra posuerant, ut absque qualibet difficultate, si Lodharius vellet, congredi possent, protinus obviam illi perrexit. Quæ quidem Lodhario ut nuntiata sunt, castra posuit, ac veluti fessis A equis biduo requiem dedit. Iterato itaque cum hæc eadem fecissent, missosque invicem frequenter mitterent, sed nihil proficui deliberare possent, tandem appropinquantes Lodhuwicus et Karolus conveniunt, deque his omnibus in eodem conventu quæ Lodharius absque quolibet moderamine erga se suosque sæviebat, dolendo conferunt : quid vero deinceps agendum opportunius videretur, in crastinum deliberaturi. Aurora siquidem delucescente conveniunt, concilium ineunt, in quo multum de tanta calamitate conqueruntur [conquirunt]. Cumque alteruter quæ, quantave et qualia passi a fratre fuerant, referre desiissent, universis visum unaminiter parique consensu, tam ex sacrosancto ordine episcoporum, quam et laicorum, viros nobiles, prudentes, benevolos deligant, per quos, quæ pater inter B illos statuerat, et quæ post obitum patris ab illo passi sint, mandent : insuper obsecrent, ut memor sit Dei omnipotentis, et concedat pacem fratribus suis universæque Ecclesiæ Dei; cederet cuique, quod patris fratrumque consensu juste debebatur Insuper etiam, ut justis precibus acquiesceret, offerant illi quidquid absque equis et armis in universo exercitu habere videbantur. Et si his monitis obsecrationibusque acquiescere vellet, placere : sin aliter, aiebant se divino ex munere suffragium absque dubio sperare posse, si omne quod justum est, vellent, et hoc fratri offerre humiliter studerent. Quæ quoniam merito rata videbantur, protinus expleta sunt.

Sed hæc veluti pro nihilo ducta Lodharius sprevit : C per suos, se nihil absque prælio velle mandavit; confestimque obviam Pippino, qui ab Aquitania ad illum veniebat, iter arripuit. Quod cum ocius didicissent Lodhuwicus et sui, supra modum rem graviter ferentes (erant enim undique graviter tam itineris longitudine, quam et præliis, variisque difficultatibus, et maxime equorum inopia attriti) verumtamen quanquam se hæc ita haberent, timentes ne forte si ab auxilio fratris frater deficeret, posteris suis indignam memoriam reliquissent. Quod quidem ne facerent, elegerunt omni penuriæ, etiam si oporteret, morti potius subire, quam nomen invictum amittere. Quamobrem ex eadem magnanimitate mœstitia oppressa, invicem se adhortantes, gaudentes velociterque ut Lodharium cito consequi possent, D ibant. Cumque insperate propter urbem Alciodorensem uterque exercitus alter ab altero videretur, confestim Lodharius verens, ne forte fratres sui absque dilatione supra se irruere vellent, armatus castra aliquantulum excessit. Quod quoniam fratres sui facere illum cognoverunt, quosdam secum armatos assumunt, et absque dilatione obviam proceduntur. Missos invicem mittunt, pacemque sub nocte componunt. Castra autem ab invicem distabant plus minus leucas tres, et intererat paucula palus saltusque : ac per hoc erat utrique ad alterum difficilis accessus. Quapropter aurora delucescente, Lodhuwicus et Karolus ad Lodharium mittunt : mandant sibi valde displicere, quod illis pacem absque prælio

denegaverat. Quod etiam, quoniam vellet, et absque qualibet fraude, si fieri deberet, esset. Et primum quidem jejuniis ac votis Deum invocent. Deinde si ille transire ad illos voluisset, locum transeundi se daturos promittunt : ut omni impedimento sua suorumque ex parte ablato, absque qualibet occulta deceptione congredi possent. Quæ et si vellet, sacramento firmare præceperunt. At si nollet, ut eadem illis concederet atque firmaret, rogant et petunt. Is autem more solito per suos se responsurum promisit, et ut legati regressi sunt, protinus obviam iter arripuit, ac locum quo castra poneret, Fontaneum petit. Eadem autem die fratres sui post Lodharium iter accelerantes, antecesserunt illum, et propter vicum, qui Tauriacus dicitur, castra posuerunt. Crastina die exercitus præparati ad prælium, castra aliquantulum excesserunt. Præmittentes Lodhuwicus ac Karolus Lodhario mandaverunt, ut memor esset fraternæ conditionis, sineret Ecclesiam Dei et universum populum Christianum pacem habere, concederet illis regna a patre suo consensu concessa, haberet sua sibi, non merito, sed sola misericordia a patre illi relicta. Et in munere offerebant illi quidquid in universo exercitu absque armis et equis habere videbantur. At si id nollet, cedebant illi uterque portionem regni, alter usque Carbonarias, alter vero usque Rhenum. Quod et si renueret, universam Franciam æqua lance dividerent, et quidquid horum vellet, suæ ditionis esset. Ad quod Lodharius, more solito, per suos se quidquid placeret notare respondit, mittensque per præsens Drogonem, Hugonem, et Hegibertum, mandat, non illos aliquid tale antea illi mandasse : ad quod considerandum, spatium habere se velle aiebat. Re autem vera Pippinus non venerat, illum hac dilatione exspectare volebat. Verumtamen Ricuinum, Hirmenaldum, et Fredericum sacramento firmare præcepit, quod pro nulla re alia has inducias peteret, præter quam quod commune profectum tam illorum quam et universæ plebis, sicut justitiam inter fratres et populum Christi oportebat, quærere volebat. Quo quidem sacramento Lodhuwicus et Karolus creduli effecti, eadem die, et in crastinum, insuper etiam usque in horam secundam diei tertiæ, quod evenit VII Kalend. Julii, pace utrorumque ex parte jurejurando firmata, ad castra redeunt, missam vero sancti Joannis in crastinum celebraturi. Pippino quoque eadem die Lodharius in supplementum recepto, mandat fratribus suis, quoniam scirent illi imperatoris nomen magna auctoritate fuisse impositum, ut considerent quatenus ejusdem nominis magnificum posset explere officium. Insuper autem haud se libenter utrorumque quærere profectum. Interrogati autem, si quiddam horum quæ mandaverant recipere vellet, vel si quamlibet finitivam sententiam illis mandasset, nihil sibi horum fuisse injunctum responderunt. Quamobrem cum omnis spes justitiæ ac pacis sua ex parte ablata videretur, mandant illi, si melius non invenisset, aut reciperet unum horum quæ illi mandaverant, aut nosset illos in crastinum (quod contigit, sicut præfatum est VII Kalend. Julii, hora videlicet diei secunda), ad omnipotentis Dei judicium, quod illis absque illorum voluntate mandaverat, esse venturos. Quæ quidem Lodharius solito more insolenter sprevit, et visuros se quid agere deberet, respondit. Dum hæc super Ligerim juxta sanctum Fludualdum consistens scriberem, eclypsis solis hora prima, prima feria, XV Kal. Novembris Scorpione contigit. His ita omissis, diluculo Lodhuwicus et Karolus consurgunt, verticem montis castris Lodharii contigui cum tertia, ut videtur, exercitus parte occupant, adventumque ejus, et horam secundam, ut sui juraverant, exspectant. Cumque utrumque adesset, prælium super Riudam [Rivolum] Burgundiorum magno certamine committunt. Et Lodhuwicus quidem ac Lodharius in loco, qui Brittas dicitur, strenue confligunt. Quo superatus Lodharius, terga vertit. Pars autem exercitus, quam Karolus in loco, qui Fagit vulgo dicitur, excepit, protinus fugit. Pars vero, quæ in Solennat Adhelardum, cæterosque, quibus haud modicum supplementum, Domino auxiliante, præbui, appetiit, strenue conflixit. Quo et utrique vicerunt. Sed novissime omnes a parte Lodharii fugerunt. Quo finem primi certaminis dedit Lodharius, terminetur liber secundus.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

Quoniam sinistrum quiddam me ex genere nostro ut audiam, pudet, referre præsertim quam maxime piget. Quamobrem imperio haud quaquam malivole contempto, ut finis optatus libri secundi affuit, per omnia finire hoc opus animus decrevit. Sed ne forte quilibet quocunque modo deceptus, res nostro in tempore gestas, præter quam exactæ sunt, narrare præsumat, ex his quibus interfui, tertium Libellum ut adderem, acquievi.

Prælio quidem, ut præfatum est, strenue peracto, quid de palantibus peragere deberetur, Ludhuwicus et Karolus in eodem campo deliberare cœperunt. Et quidam ita correpti, persequi hostes suadebant : quidam autem, et maxime reges, miserantes fratris plebisque, et ut judicio Dei, et hac plaga repressi, ab iniqua cupiditate resipiscerent, et Deo donante, deinceps unanimes in vera justitia devenirent, piis visceribus, solito more, optabant. In quo negotio Dei omnipotentis misericordia ut præstolaretur, suadebant. Quibus cætera multitudo assen-

tientes, a prælio et præda discesserunt, et fere mediante die ad castra redeunt : quid deinceps consultius acturum videretur, deliberaturi. Fuit quidem ingens numerus prædæ, et ingens cædes : insuper admirabilis, imo et merito notabilis misericordia, tam regum quam et universorum. Nam diversis pro rebus diem Dominicum inibi acturos se deliberarunt. In quo, missa peracta, amicos et inimicos, fideles et infideles pariter sepulturæ tradebant; plaga correptos, ac semivivos, eodem modo viribus ex animo refovebant. Post hos, qui fuga evaserant, miserunt offerentes, si reverti sana fide vellent, omnia delicta remitti. Post hæc reges, populique, super fratre populoque Christiano dolentes, percontari episcopos cœperunt, quid agere super hoc negotio deberent. Quamobrem unanimes ad concilium omnes episcopi confluunt, inventumque in conventu publico est, quod pro sola justitia et æquitate decertaverint, et hoc Dei judicio manifestum effectum sit; ac per hoc immunis omnis Dei minister in hoc negotio haberi, tam suasor quam effector, deberet. At quicunque conscius sibi aut ira, aut odio, aut vana gloria, aut certe quolibet vitio quiddam in hac expeditione suasit, vel gessit, esset vere confessus secrete, secreti delicti, et secundum modum culpæ dijudicaretur. Verumtamen in veneratione ac laude tantæ declarationis justitiæ, pro remissione, delictis mortuorum fratrum suorum (in eo quod imperfecti peccatis intervenientibus se noverant, ut in multis volentes nolentesque delinquebant) uti suo adjutorio ab his exuti liberarentur. Insuper autem, uti hactenus in justitia adjutor et protector illis Deus exstitit, ita et deinceps ubique existeret. Proque his omnibus triduanum jejunium injunctum, imoque libenter ac celebre celebratum est.

His ita rebus peractis, Ludhuwicus ut Rhenum peteret, decrevit : Karolus autem diversis pro rebus, et maxime propter Pippinum, ut illum sibi subdere studeret, in Aquitaniam ut proficisceretur, ratum duxit. Nam Bernardus dux Septimaniæ, quanquam a loco prædicti prælii plus minus leuvas tres defuerit, neutri in hoc negotio supplementum fuit. Victoriam autem ut Karoli esse didicit, filium suum Willelmum ad illum direxit. Et si honores, quos idem in Burgundia habuit, eidem donare vellet, ut se illi commendaret, præcepit. Insuper jactabat se posse, necnon et aiebat, quod Pippinum una cum suis Karolo fœdere quo valeret subdere vellet. Quam legationem benigne excepit, et sicut postulaverat per omnia concessit : monens ut de Pippino et suis, quod promiserant, in quantum posset, ut perficeretur, operam daret. Cumque adversa undique propulsa viderentur, ac spes prosperitatis cuique hinc inde faveret, Lodhuwicus cum suis Rhenum petiit, Karolus vero una cum matre Ligerim adiit. Res autem publica inconsultius quam oporteret omissa, quo quemque voluntas rapuit, perfacile omissus abscessit. Quod quidem Pippinus audiens, paulo ante desideratum cum illo fœdus inire distulit. Bernardus quidem ad illum venit, sed ut illi se commendaret, minime acquievit. Quidam tamen a Pippino desciverunt, et hoc tantum præfata expeditio Karolo profuit, quos illos sibi fœderatos recepit. Interea Adhelardus, cæterique, quos Karolus ad Francos direxerat, scire cupiens si ad illum reverti vellent, Carisiacum venientes quo illi ut missos dirigeret mandaverant perpaucos obviam habuerunt : qui hoc dicebant, si idem Karolus ad præsens esset, ad illum venire minime differrent. Aliter autem nescire aiebant utrum viveret an non. Jactaverant enim hi, qui parti Lodharii assentiebant, in prælio Karolum cecidisse, Lodhuwicum vulneratum, et fuga lapsum abisse. Quapropter inconsultum aiebant, in incertis rebus aliquod fœdus cum quolibet inire debere. At Guntboldus, cæterique coadunati, supra præfatos Karoli missos irruere se simulabant; et utique fecissent, si ausi essent. Quapropter ad Karolum Adhelardus et cæteri miserunt, mandantes, ut quantocius posset, venire satageret, quatenus et illis adjutorium præberet; et si Franci, uti aiebant, ad illum venire vellent, scire posset. Ipsi vero Parisiacam civitatem adeunt, adventum Karoli præstolaturi. Quod cum Karolo nuntiaretur, protinus his in partibus iter direxit. Ad Sequanam autem ut pervenit, Adhelardum una cum cæteris in Spedonna obviam habuit. Et quanquam propter conventum, quod cum fratre in Lingonicam urbem Kal. Sept. condixerat, quoniam imminebat, anxius esset : ratum duxit, ut saltem citato cursu per urbem Beluacensem, ac deinde per Compendium et Suessiones, hinc per Rhemensem et Cadelonensem, Lingonicam peteret urbem; quatenus eo tenore id, quod cum fratre statuerat observare studeret, et si quilibet e Francis ad illum venire vellet, posset. Franci vero eamdem paucitatem, quam et Aquitani spreverant, spernentes, variis fictionibus illi se per præsens subdere distulerunt. Quod ut Karolus cognovit, præfatum iter accelerare cœpit. Cumque Suessonicam peteret urbem, monachi de sancto Medardo occurrerunt illi, deprecantes ut corpora sanctorum Medardi, Sebastiani, Gregorii, Tiburcii, Petri et Marcellini, Marii, Marthæ, Audifax et Abacuc, Honesimi, Meresinæ et Leocadiæ, Mariani, Pelagii, et Mauri, Floriani cum sex fratribus suis, Gildardi, Sereni, et domni Remigii Rothomagorum archiepiscopi, in basilicam, ubi nunc quiescunt, et jam tunc maxima ex parte ædificata erat, transferret. Quibus acquiescens, inibi remansit, et uti postulaverant, beatorum corpora propriis humeris cum omni veneratione transtulit. Insuper et villam, quæ Barnacha dicitur, rebus ejusdem ecclesiæ per edictum addidit. His ita peractis, Rhemensem urbem petiit. Quo cum venisset, nuntium recepit, quod Lodhuwicus ad conventum, quod in Lingonicam urbem condixerant, venire non posset, eo quod Lodharius in regnum illius hostili manu irruere vellet. Mandaverant etiam huc avunculus ejus necnon et Gislebertus comes Mansuariorum [Mausuariorum], si in illis

partibus iisset, ad illum se una cum cæteris esse venturos.

Ergo tam pro fratris adjutorio, quam et ut hos, si ad illum venire vellent, recipere posset, ad Sanctum Quintinum iter direxit. Quo quidem Hugonem, sicut mandaverat, obviam habuit, et inde in partes Trajecti iter direxit. Lodharius autem ut hæc audivit, omisso Lodhuwico, quem paulo ante persequi statuerat, a Warmacia ad conventum, quod ad Teotonis villam indixerat, iter arripuit, et qualiter super Karolum irrueret, intendit. Quod cum Karolus in Wasiticum didicisset, Hugonem, et Adhelardum, et Gislebertum, una cum cæteris, ut eum fœdere quo valerent sibi adnecterent, direxit. Rabanonem etiam ad Lodhuwicum dirigens, mandat qualiter pro suo adjutorio illis in partibus esset. Quod Lodharius audiens, illo omisso, supra se cum omnibus copiis ire pararet, ad Pipinum dirigit : monetque ac deprecatur, ut quantocius posset, solito more adjutorium illi præbere studeret. Insuper autem Karolus Exemenonem venerabilem episcopum ad Lodharium direxit : solito more humiliter præcepit ut roget, ut obsecret, meminerit quod frater filiolusque ejus sit. Meminerit quæ pater inter illos statuerat, quæ tam is quam et sui inter illos juraverant. Meminerit quod novissime judicio Dei inter illos voluntas ejus declarata sit. Et si horum omnium recordari nolit, cesset a persecutione sanctæ Dei Ecclesiæ : misereatur pauperum, viduarum, orphanorumque; et regnum a patre suo consensu sibi datum ut ingrediatur, omittat, ne forte iterato populum Christianum ad cædem mutuam confluere compellat. Et his ita compositis, idem ipse Parisiacam urbem adiit, tam fratris sui Lodhuwici adventum, quam et cæteros fideles suos, quos undique convocaverat, præstolaturus. Quod cum Lodharius didicisset, ad eamdem urbem iter direxit. Habebat enim tam Saxonum quam et Austrasiorum, necnon et de Alamannis partem haud modicam secum; horumque auxilio præmaxime confisus, ad Sanctum Dionysium venit. Repererat autem inibi naves plus minus viginti. Insuper quoque Sequana, uti mense Septembrio solet, exigua erat, transitumque perfacilem præstabat. Quamobrem jactabant se sui facile transire posse, et hoc utique simulabant se maxime velle. Ergo Karolus quosdam Parisium et Milidonem custodire præcepit : quosdam vero ubicunque vada vel navigia esse noverat, residere fecit; ipse vero e regione Sancti Dionysii juxta Sanctum Fludualdum castra in meditullio posuit, ut et Lodhario, si ita oporteret, transitum prohibere, aut si alicubi super suos irruere vellet, illis succurrere posset. Et ut perfacile dignosceretur, quo in loco adjutorium præberi deberet, more maritimo signa in locis congruis atque custodias deputavit. Insuper autem Sequana, mirabile dictu, dum nos nusquam eo in tempore infra duos menses pluvias esse novimus, repente aere sereno tumescere cœpit, ac sponte his in locis vada ubique prohibuit. Cumque hæc ita haberent, cernens Lodharius transitum inibi undique sibi prohibitum, eo tenore cum Karolo pacem inire se velle mandavit, ut fœdus, quod Karolus cum fratre suo Lodhuwico sacramentis firmaverat, omisisset. Et ille econtra fœdus, quod cum Pipino nepote suo similiter sacramentis firmaverat, omitteret, et haberet Karolus a Sequana partem Occiduam absque Provincia et Septimania, essentque quasi pace perpetua fœderati. Re autem vera sic se utrosque facilius decipere posse putabat, omneque imperium hac arte invadere sperabat. At Karolus respondit se fœdus, quod cum fratre suo necessitate coactus inierat, minime violare velle. Insuper ut a Mosa usque Sequanam regnum, quod pater illi dederat, nequaquam congruum videretur ut illi omitteret; præsertim cum tanta nobilitas illum secuta de his regionibus esset, quos in sua fide deceptos esse minime oporteret. Quamobrem quoniam hiems aderat, haberet quique honores quos pater illis dederat, si vellet, mandavit, donec veris tempore vel cum paucis, vel etiam cum omni comitatu, omnes conveniant; et ni statutis aut statuendis concordia concurrat, quid cuique debeatur, armis decernant. Quæ quidem Lodharius more solito sprevit et a Sancto Dionysio obviam Pipino, qui ab Aquitania ad illum veniebat, Senones iter direxit. Karolus autem econtra, qualiter Lodhuwicum in adjutorium suum recipere posset, intendit.

Interea nuntiatum est Karolo, quod soror sua Hildigardis Adelgarium quemdam ex suis captum haberet, et in urbe Laudunensi una secum custodiri fecisset. Qua pro re expeditos ad hoc opus Karolus sibi delegit, ac protinus decedente jam die, his in partibus festinus perrexit. Distabat enim urbs eadem plus minus leuvas triginta. Per totam siquidem noctem iter faciens, impediente gelu prævalido, hora fere diei tertia, insperate subito sorori et civibus cum infinita multitudine nuntiatur Karolus adesse, omnisque urbs militibus circumdata fore. Quo quidem nuntio exterriti, quoniam nec evadendi, nec aderat spes mœnia tuendi, pacem sub una eademque nocte petunt : Adelgarium confestim reddunt, et ut se urbemque absque conflictu in crastinum dedant, cum omni subjectione promittunt. Dum hæc agerentur, milites moram hujus rei graviter ferentes, insuper laboris tædio præteritæ noctis, quod passi fuerant, permoti, in excidium urbis ruere undique cœperunt. Essetque proculdubio protinus flammis rapinisque tradita, ni idem Karolus misericordia insuper ecclesiarum Dei sororisque, nec non et populi Christiani permotus, minis atque blanditiis horum animos maximo labore compescere studuisset. Quos cum abscedere fecisset, ut soror postulaverat, concessit, et Salmonciacum ab urbe discessit. Crastina quoque die Hildigardis ad fidem suam, sicut spoponderat, venit, urbemque illæsam et absque conflictu suo juri restituit. Sororem suam siquidem Karolus benigne excepit, et omnia quæ hactenus erga illum deliquerat, illi donavit. Multisque verbis blande illam allocutus, omnem benignitatem, quam

frater sorori debet, si deinde benevola erga illum esse vellet, ei perhumane promisit, ac quo voluit illam abire concessit. Urbi sua jura statuit, et ad suos, quos circa Parisium omiserat, his ita peractis rediit. Senones autem Lodharius Pipino recepto, quid agere deberet, anxius erat. Nam Karolus partem exercitus Sequanam trajecit, et in saltum, qui Pertica vulgo dicitur, direxit. Quos quoniam Lodharius vel se, vel suos, impedire timuit, primum insectari statuit. Qua quidem re sperabat se et hos facile dedere, et hoc terrore sibi residuos subjugare, maximeque Nomenoium Brittanorum ducem suo subdere dominatui posse. Sed frustra hæc omnia expleturus adiit, dum nihil horum ad effectum perduxit. Nam exercitus Karoli omnis ab eo salvus evasit, insuper ex suis neminem recepit; et Nomenoïus omnia quæ illi mandaverat insolenter sprevit. His ita se habentibus, repente nuntium accepit, quod Lodhuwicus et Karolus una cum ingenti exercitu alter alteri studeret. Cumque se undique rebus adversis circumseptum videret, maximo ambitu inaniter expleto, a Turonis redire cœpit, et fatigato exercitu tandem fessus Franciam pervenit. Pipinus autem, quod se illi sociaverat, pœnitudine correptus, Aquitaniam se recepit. Interea audiens Karolus, quod Otgarius Maguntiæ sedis episcopus, una cum cæteris, Lodhuwico fratri suo transitum ad se prohibuisset, iter per Tullensem urbem accelerans, Elisazam [Elizatam], ad Zabarnam introiit. Quod cum Otgarius didicisset, una cum cæteris littore relicto abiit, et quo quisque valuit ocius se abdidit.

Ergo XVI Kalend. Martii Lodhuwicus et Karolus in civitate, quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburg vulgo dicitur, convenerunt, et sacramenta quæ subter notata sunt Lodhuwicus Romana, Karolus vero Teudisca lingua juraverunt. Ac sic ante sacramenta circumfusam plebem alter Teudisca, alter Romana lingua allocuti sunt. Lodhuwicus autem, quia major natu, prior exorsus sic cœpit : « Quoties Lodharius me et hunc fratrem meum post obitum patris nostri insectando usque ad internecionem delere conatus sit, nostis. Cum autem nec fraternitas, nec Christianitas, nec quodlibet ingenium, salva justitia, ut pax inter nos esset, adjuvare posset : tandem coacti rem ad judicium omnipotentis Dei detulimus, ut suo nutu, quid cuique deberetur, contenti essemus. In quo nos, sicut nostis, per misericordiam Dei victores exstitimus. Is autem victus, una cum suis, quo valuit, secessit. Hinc vero fraterno amore correpti, necnon et super populum Christianum compassi, persequi atque delere illos noluimus : sed hactenus, sicut et antea, ut saltem deinde cuique sua justitia cederetur, mandavimus. At ille posthac non contentus judicio divino, sed hostili manu iterum et me et hunc fratrem meum persequi non cessat. Insuper et populum nostrum incendiis, rapinis, cædibusque devastat. Quamobrem nunc necessitate coacti convenimus. Et quoniam vos de nostra stabili fide ac firma fraternitate dubitare credimus, hoc A sacramentum inter nos in conspectu vestro jurare decrevimus. Non qualibet iniqua cupiditate illecti hoc agimus, sed ut certiores, si Deus nobis vestro adjutorio quietem dederit, de communi profectu simus. Si autem, quod absit, sacramentum quod fratri meo juravero violare præsumpsero, ab subditione mea, necnon et a juramento, quod mihi jurastis, unumquemque vestrum absolvo. » Cumque Karolus hæc eadem verba Romana lingua perorasset, Lodhuwicus, quoniam major natu erat, prior hæc deinde se servaturum testatus est. *Pro Deo amur, et pro Christian poblo, et nostro commun saluamento dist di in auant, in quant Deus sauir et podir me dunat, si saluareio cist meon fradre Karlo, et in adiudha, et in cadhuna cosa, si cum om per dreit son fradre* B *saluar dist, in o quid il mi altre si fazet. Et abludher nul plaid numquam prindrai, qui meon vol cist meon fradre Karle, in damno sit.* Quod cum Lodhuwicus explesset, Karolus Teudiscua lingua sic hæc eadem verba testatus est. *In Godes minna induithes* [*indintbes*] *Christianes folches ind unser bedhero gealt nisi* [*iusi*] *son thesenioda ge grammor desso fram so mir Got geuuiz ei indi madh furgibit so hald ihtes an minan bruodher soso manmit rehtu sinan bruher scal iuthi utha zermig soson maduo, in dimit luheren in nothe inuit hinc nege gango zheminam vuillon imo ces cadhen vuerhen.* Sacramentum autem quod utrorumque populus quique propria lingua testatus est, Romana lingua sic se habet : *Si Lodhuuigs segrament que son* C *fradre Karlo iurat, conseruat, et Karlus meos sendra de suo par non lo stanit, si io returnar non lint pois, ne io ne veuls cui eo returnar int pois in nulla aiudha contra Lodhuwig nun li iuer.* Teudisca autem lingua : *Oba Karl theu eid then er sine no bruodher Ludhuwige gesuor gele istit, ind Ludhuwig min herro then er imo gesuor forbrih chit, obi hina nes iou ven denne mag, noh ih, noh thero, noh hein thenihes iruuenden mag vuidhar Karle imo ce folus tine vuirdhit.* Quibus peractis Lodhuwicus Rhenotenus per Spiram, et Karolus juxta Wasagum per Vuizzumburg, Warmaciam iter direxit. Æstas autem, in qua præfatum exactum est prælium, fuit frigida nimis, et omnes fruges persero collectæ sunt. Autumnus vero et hiems naturalem ordinem peregerunt. Ac eadem die, qua D prædicti fratres, necnon et primores populi, præfatum pepigerunt pactum, subsequente gelu nix multa cecidit. Stella cometis mense Decembrio et Januario, necnon et Februario, usque prælatum conventum apparuit. Per Pisces centrum ascendit, et inter signum, quod a quibusdam Lyra, a quibusdam vero Andromeda vocatur, et Arcturum obscuriorem, hoc concilio expleto defecit. His paucis de temporum siderisque serie delibatis, ad historiæ tramitem revertamur. Cumque Warmatiam venissent, missos deligunt, quos protinus ad Lodharium, et in Aquitaniam [Saxoniam] mittunt : et horum, necnon et Karlemanni adventum inter Warmatiam et Magonciam cum præstolaretur, statuunt.

Hic quoque haud quaquam ab re, quoniam jo-

cunda ac merito notanda videntur de qualitate horum regum, et unanimitate qua interea deguerint, pauca referre libet. Erat quidem utrisque forma mediocris, cum omni decore pulchra, et omni exercitio apta. Erat uterque audax, largus, prudens pariter et eloquens, omnemque præmissam nobilitatem excedebat fratrum sancta ac veneranda concordia. Nam convivia erant illis pene assidua, et quodcunque pretium habebant, hoc alter alteri perhumane dabat. Una domus erat illis convivii, et una somni. Tractabant tam pari consensu communia, quam et privata. Non quidquam aliud quilibet horum ab altero petebat, nisi quod utile ac congruum illi esse censebat. Ludos etiam hoc ordine sæpe causa exercitii frequentabant. Conveniebant autem quocunque congruum spectaculo videbatur, et subsistente hinc inde omni multitudine, primum pari numero Saxonorum, Wasconorum, Austrasiorum, Brittannorum, ex utraque parte, veluti invicem adversari sibi vellent, alter in alterum veloci cursu ruebat. Hinc pars terga versa protecti umbonibus, ad socios insectantes evadere se velle simulabant. At versa vice, iterum illos, quos fugiebant, persequi studebant: donec novissime utrique reges cum omni juventute ingenti clamore, equis emissis hastilia crispantes exsiliunt, et nunc his, nunc illis terga dantibus insistunt. Eratque res digna pro tanta nobilitate, nec et moderatione, spectaculo. Non enim quispiam in tanta multitudine ac diversitate generis, uti sæpe inter paucissimos et notos contingere solet, alicui aut læsionis aut vituperii quippiam inferre audebat.

His ita se habentibus, Karlemannus cum ingenti exercitu Bajoariorum et Alamannorum ad patrem suum Mogontiam venit. Bardo vero, qui in Saxoniam missus fuerat, similiter fecit, nuntians quod Saxones mandata Lodharii sprevissent, et quidquid Lodhuwicus et Karolus illis præciperent, libenter id facere vellent. Lodharius quoque missos, qui ad se directi fuerant, inconsulte audire distulit. Quod tam Lodhuwicus quam et Karolus, necnon et universus exercitus, ægre tulerunt; et qualiter iidem ipsi ad illum pervenire possent, intendunt. Ergo XVI Kalend. Aprilis illis in partibus viam dirigunt, et Karolus quidem per Wasagum iter difficile ingressus, Lodhuwicus vero terra Rhenoque per Bingam, Karlomannus autem per Einrichi ad Conflentum in crastinum hora fere diei sexta venerunt, protinusque ad Sanctum Castorem orationis causa pergunt. Missam audiunt, ac deinde iidem reges armati naves conscendunt, et Mosellam ocius trajiciunt. Quod cum Otgarius Mogontiæ sedis episcopus, Hatto comes, Herioldus, cæterique viderunt, quos Lodharius ob hoc inibi reliquerat, ut illis transitum prohibuissent, timore perterriti, littore relicto, fugerunt. Lodharius quoque ut fratres suos Mosellam transisse in Sinciaco didicit, confestim et ipse abire et regno et sede non destitit, donec se super ripam Rhodani cum paucis, qui se sequi deliberaverunt, cæteris omissis, excepit. Qua finem secundi certaminis dedit Lodharius, terminetur liber tertius.

LIBER QUARTUS.

PRÆFATIO.

Non solum me, uti præfatum est, ab hoc opere narrationis quiescere delectat, verum etiam quo ab universa republica totus secedam, mens variis querimoniis referta, assiduis meditationibus anxia versat. Sed quoniam me de rebus universis fortuna hinc inde junxit, validisque procellis mœrentem vehit, qua portum ferat, imo vero penitus ignoro. Interim autem si aliquod tempus otiosum reperero, quid oberit, si uti jussum est, facta principum procerumque nostrorum styli officio memoriæ mandare curabo? Ergo huic rerum operi quarto insistam [assistam], et si in cæteris rebus futuris prodesse nequivero, saltem in his erroris nubeculam proprio labore posteris detergam.

Usque Lodhuwicus et Karolus Lodharium a regno suo abiisse certis indiciis cognovere, Aquis Palatium, quod tunc sedes prima Franciæ erat, petentes, sequenti vero die quid consultius de populo ac regno a fratre relicto agendum videretur, deliberaturi. Et primum quidem visum est, ut rem ad episcopos sacerdotesque, quorum aderat pars maxima, conferrent; ut illorum consultu, veluti numine divino, harum rerum exordium atque auctoritas proderetur Et hoc illis, quoniam merito ratum videbatur, commissum est. Quibus ab initio gesta Lodharii considerantibus, quomodo patrem suum regno pepulerit, quoties populum Christianum perjurum sua cupiditas effecerit: quoties idem ipse hoc, quod patri fratribusque juraverat, frustraverit; quoties post patris obitum fratres suos exhæreditare atque delere temptasset: quanta homicidia, adulteria, incendia, omnigenaque facinora universalis Ecclesia, sua nefandissima cupiditate perpessa sit; insuper autem neque scientiam gubernandi rempublicam illum habere, nec quoddam vestigium bonæ voluntatis in sua gubernatione quemlibet invenire posse, ferebant. Quibus ex causis non immerito, sed justo Dei omnipotentis judicio, primum a prælio, et secundo a proprio regno fugam illum inisse aiebant. Ergo omnibus unanimiter visum est, atque consentiunt, quod ob suam nequitiam vindicta Dei illum ejecerit, regnumque fratribus suis melioribus se juste ad regendum tradiderit. Verumtamen haudquaquam illis hanc licentiam dedere, donec palam illos percontati sunt, utrum illud per vestigia fratris ejecti, an secundum Dei voluntatem regere voluisset. Respondentibus

autem, in quantum nosse ac posse Deus illis concederet, secundum suam voluntatem se et suos gubernare et regere velle, aiunt : « Et auctoritate divina ut illud suscipiatis, et secundum Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur atque præcipimus. » Hinc autem uterque illorum duodecim e suis ad hoc opus elegit, quorum unus exstitit, et sicut illis congruum, ut inter illos hoc regnum dividerétur, visum est, contenti sunt. In qua divisione non tantum fertilitas aut æqua portio regni, quantum affinitas et congruentia cujusque aptata est. Evenitque Lodhuwico omnis Frisia[a].....

Karolo vero [b].....

Quibus peractis, quique illorum e populo, qui se secutus est, suscepit, ac sibi, ut deinceps fidelis esset, sacramento firmavit. Et Karolus quidem Mosam regnum suum ordinaturus trajecit : Lodhuwicus vero, Saxonorum causa Coloniam petiit. Quorum casus quoniam maximos esse perspicio, prætereundos minime puto. Saxones quidem, sicut universis per Europam degentibus patet, Karolus Magnus imperator ab universis nationibus non immerito vocatus, ab idolorum varia cultura multo ac diverso labore ad veram Dei Christianamque religionem convertit. Qui ab initio tam nobiles, quam et ad bella promptissimi, multis indiciis persæpe claruerunt. Quæ gens omnis in tribus ordinibus divisa consistit. Sunt enim inter illos qui Edhilingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua hoc sunt : nobiles, ingenuiles, atque serviles. Sed pars illorum, quæ nobilis inter illos habetur, in duabus partibus in dissensione Lodharii ac fratrum suorum divisa, unaque eorum Lodharium, altera vero Lodhuwicum secuta est. His ita se habentibus, cernens Lodharius quod post victoriam fratrum, populus qui cum illo fuerat deficere vellet, variis necessitatibus astrictus, quocunque et quomodocunque poterat, subsidium quærebat. Hinc rem publicam in propriis usibus tribuebat, hinc quibusdam libertatem dabat, quibusdam autem post victoriam se daturum promittebat. Hinc etiam in Saxoniam misit, Frilingis Lazzibusque, quorum infinita multitudo est, promittens, si secum sentirent, ut legem, quam antecessores sui tempore quo idolorum cultores erant, habuerant, eadem illis deinceps habendam concederet. Qua supra modum cupidi, nomen novum sibi, id est Stellingua imposuerunt; et in unum conglobati, dominis e regno pene pulsis, more antiquo, qua quisque volebat lege vivebat. Insuper autem Lodharius Nortmannos causa subsidii introduxerat, partemque Christianorum illis subdiderat : quibus etiam, ut cæteros Christianos deprædarent, licentiam dabat. Igitur metuens Lodhuwicus, ne iidem Nortmanni, necnon et Sclavi, propter affinitatem Saxonibus, qui se Stellinga nominaverant, conjungerent, regnumque sibi vindicaturi invaderent, et Christianam religionem his in partibus annularent. Quamobrem, uti prætulimus, præmaxime... [Coloniam] adiit, et in quantum valuit simul et cætera regni sui scandala, ne hoc nefandissimum malum sanctæ Dei Ecclesiæ deveniret, præcavit. Quibus expletis, Viridunensium civitatem Lodhuwicus per Teotonis villam, Karolus autem per Rhemensem urbem adeunt : quid deinceps agendum videretur, deliberaturi.

Per idem tempus Nortmanni Cotuuig deprædati sunt, inibique mari trajecto, Hamuuig et Nodhunuuig similiter depopulati sunt. Lodharius autem ut se supra ripam Rhodani recepit, navigio ejusdem fluminis fretus inibi resedit, quo undique quos valuit sibi in subsidium attraxit. Verumtamen legatum ad fratres suos dirigens mandat, si sciret, qua fieri posset, primores suos ad illos dirigere vellet de pace deliberaturos. Responsum est, mitteret quos vellet : facile quemlibet scire posse, qua illis deveniret esse. Ipsi vero uno eodemque itinere per Tricasinensium, Cadhellonensem adeunt urbem. Cumque Miliciacum venissent, Iosippus, Eberhardus, Egbertus, una cum cæteris a parte Lodharii, ad illos venerunt, dicentes quod Lodharius cognovisset se in Deum et illos deliquisse, nolletque amplius ut altercatio inter illos et Christianum populum esset. Si vellent, aliquid illi supra tertiam partem regni propter nomen imperatoris, quod illi pater illorum concesserat, et propter dignitatem imperii, quam avus regno Francorum adjecerat, augere facerent. Sin aliter, tertiam tantummodo partem totius absque Langobardia, Bajoaria, et Aquitania, illi concederent : regeretque quisque illorum, Deo favente, portionem regni sui prout melius posset. Frueretur alter alterius subsidio ac benevolentia, concederent pacem et leges invicem sibi subjectas, essetque inter illos Deo auctore, pax pacta perpes. Quod cum Lodhuwicus et Karolus audissent, et illis plebique universæ perplacitum esset, in unum una cum primoribus coeunt, ac quid de talibus acturi essent, gratanti animo conferunt. Aiebant se hoc in exordio dissensionis voluisse, et quanquam peccatis intervenientibus proficuum esse non posset, sæpe hoc illi mandatum fuisse. In eo tamen omnipotenti Deo gratias referebant, cujus tandem ope adjuti hoc promeruerant, ut frater illorum, qui semper pacem atque concordiam spreverat, Deo largiente tunc illam petebat. Verumtamen solito more ad episcopos sacerdotesque rem referunt, ut quocunque divina auctoritas id vertere vellet, nutu ipsius libenti animo præsto adessent. Quibus cum undique ut pax inter illos fieret melius videretur, consentiunt, legatos convocant, postulata

[a] Sic vet. ex., quod nuper admodum quidam sic supplere tentavit : « Et Orientalia regna cesserunt, omnis scilicet Germania usque ad Rheni fluenta, et aliquæ civitates trans Rhenum cum adjacentibus pagis. »

[b] Sic vet., quod et idem nuper sic supplere conatus est : « Karolus vero accepit Occidentalia regna a Britannico Oceano usque ad Mosam fluvium, in qua parte ex tunc et modo nomen Franciæ remansit. »

concedunt. Cumque in divisione regni quatuor dies vel eo amplius morarentur, tandem visum est ut inter Rhenum et Mosam usque ad exortum Mosæ, ac deinde ad exortum Saugonnæ, et sic per Saugonnam usque ad confluentum Rhodani, et sic deinde per Rhodanum usque in mare Tyrrhenum omnes videlicet episcopatus, abbatias, comitatus, fisca cis Alpibus consistentia, absque... illi in parte regni tertia offerrent. Et si hanc recipere renuat, quid cuique debeatur, armis decernant. Quod quidem quanquam ultra quod justum ac congruum, ut quibusdam videbatur, inventum fuerit, per Conradum, Abbonem [Cobbonem], Adelhardum, et cæteros mandatum est. Ipsi vero interim, donec qui missi fuerant reverterentur, in eodem loco esse se decernunt, responsum Lodharii præstolaturi. Qui cum ad Lodharium venissent, repererunt illum paululum minus solito more animatum. Aiebat enim se non esse contentum in eo quod fratres sui illi mandaverant, quia æqua portio non esset : querebaturque insuper suorum, qui se secuti sunt, causam, quod in præfata parte quæ illi offerebatur non haberet unde illis ea quæ amittebant restituere posset. Quamobrem, ignoro qua fraude decepti, hi qui missi fuerant, augent illi supra definitam partem usque in Carbonarias. Insuper si hoc usque ad tempus, quod illis pariter convenire, reciperet, jurant illi, quod tunc fratres sui jurejurando, prout æquius possent, regnum omne absque Langobardia, Bajoaria, et Aquitania, in tribus partibus dividerent, essetque super his sua electio, ut quam vellet harum acciperet, ac diebus vitæ suæ eamdem illi concederent, in eo quod ille illis similiter faceret. Et hæc omnia si aliter non crederet, sacramento sic se facturos promitterent. Jurat etiam Lodharius sic se velle, ac sua ex parte sic perficere, in eo quod fratres sui, uti missi illorum tunc illi juraverant, adimplessent.

Igitur mediante Junio, feria videlicet quinta propter civitatem Madasconis, in insula quæ Ansilla dicitur, cum æquo numero priorum Lodharius, Lodhuwicus et Karolus conveniunt, et hoc sacramentum mutuo sibi juraverunt. Videlicet ut ab ea die et deinceps invicem sibi pacem conservare deberent, et ad placitum, quod fideles illorum inibi statuissent, regnum omne absque Langobardia, Bajoaria, et Aquitania, cum sacramento, prout æquius possent, in tribus partibus sui dividerent, electioque partium ejusdem regni esset Lodharii : et quique illorum partem, quam quisque acciperet, cuique deinde omnibus diebus vitæ suæ conservare deberet, in eo, si adversus fratrem et suos frater suus similiter faceret. Quo expleto, adhibitisque verbis pacificis, pacifice discedunt, ad castra redeunt, in crastinum de cæteris deliberaturi. Quanquam et ægre, vix tamen effectum est, ut usque ad conventum, quod in Kalendis Octobris condixerant, pacifice quisque in sua portione, quam vellet, esset. Et Lodhuwicus quidem Saxoniam, Karolus vero Aquitaniam ordinaturi, adeunt. Lodharius autem jam, ut sibi videbatur, de electione regni partium securus, Arduennam venatu petit, omnesque primores suæ portionis populi, qui a se, dum a regno abiret, necessitate coacti desciverant, honoribus privavit. Lodhuwicus etenim in Saxonia seditiosos, qui se, uti præfatum est, Stellinga nominaverant, nobiliter, legali tamen cæde, compescuit. Karolus vero in Aquitaniam Pippinum fugavit. Quo latitante, nihil aliud notabile efficere valuit, præter quod Warinum quemdam ducem, cæterosque, qui sibi fidi videbantur, ob custodiam ejusdem patriæ inibi reliquit. Insuper Egfridus comes Tolosæ e Peppini sociis, qui ad se perdendum missi fuerant, quosdam in insidiis cepit, quosdam stravit. Idemque Karolus ad placitum, quod cum Lodhuwico fratre suo Wormatiam condixerat, iter direxit. Cumque Metis pridie Kal. Octobris venisset, Lodharium in villa Theotonis reperit quo ante condictum placitum venerat, ac aliter quam statuerat, residebat. Quamobrem his, qui a parte Lodhuwici, necnon et Karoli, propter divisionem regni Metis residere debuerant, tutum minime videbatur, ut dum seniores sui in Wormatia, et Lodharius in Theotonis villa essent, illi Metis regnum dividerent. Distat enim Wormatia a Metis leuvas plus minus septuaginta. Theotonis autem villa plus minus octo. Occurrebat etiam, quod Lodharius in fratrum deceptione sæpe perfacilis promptusque exstiterat. Ideoque suam salutem illi credere haudquaquam, absque qualibet securitate, audebant. Ergo Karolus horum saluti consulens, ad Lodharium dirigit : mandat, quoniam aliter quam convenisset, venerat, et erat, si vellet ut missi fratris sui, necnon et sui, inibi una cum suis remanerent, daret illi obsides, ut de salute illorum fidus esset. Sin aliter mitteret ille missos suos Wormatiam ad illos, et illi quos vellet obsides illi darent : sin aliter, recederent a Metis pari spatio. Sin etiam et hoc nollet, in meditullio qua vellet, missi eorum convenissent. Non enim se tot nobilium virorum salutem negligere debere, dicebat. Erant quidem octoginta electi ex omni multitudine, omni nobilitate præstantes, quorum interitus ni præcaveretur, maximam sibi fratrique suo posse inferre jacturam aiebat. Tum tandem pro commoditate omnium hinc inde visum est, ut confluentum missi illorum, centum decem videlicet, absque obsidibus convenirent, inibique regnum, prout æquius possent, dividerent.

Quo scilicet XIV Kal. Novembris convenientes, ne forte quoddam scandalum inter homines illorum qualibet ex causa oriretur, pars illorum, quæ a Lodhuwico, necnon et Karolo venerat, orientalem ripam Rheni metantes, quæ autem a Lodhario, occiduam, quotidieque ob commune colloquium Sanctum Castorem petierunt. Cumque ad regni divisionem, hi qui a Lodhuwico et Karolo missi fuerant variis querimoniis accessissent, quæsitum est, si quis illorum totius imperii notitiam ad liquidum haberet. Cum nullus reperiretur, quæsitum est, cur missi illorum illud in transacto spatio non circumiissent, et

illorum industria imbreviatum esset. Cum et hoc ut fieret, Lodharium nolle reperissent, aiebant impossibile esse ignoranti quiddam æqualiter dividere posse. Novissime autem quæsitum est, quoniam sacramento illud, prout æquius ac melius possent, nossentque, dividere deberent, si hoc sincere jurare possent, dum scirent quod nemo ignoranter id facere valeret. Et hoc quoque ad conferendum episcopis commissum. Qui hinc inde in basilicam Sancti Castoris convenientes, a parte Lodharii aiebant, si in sacramento quilibet deliquisset, hoc expiare posse, ac per hoc melius esset ut hoc facerent, quam diutius tot rapinas, incendia, homicidia, adulteria Ecclesia Dei pateretur. At contra hi qui a parte Lodhuwici, necnon et Karoli erant, aiebant, dum neutrum necesse esset, cur in Deum peccare deberent : melius esse ut firmaretur pax inter illos, mitterentque pariter per universum imperium, et imbreviaretur, ac tum tandem iurare quod certum est absque periculo, æqualiterque dividere posse censebant. Sic quoque perjuria cæteraque facinora devitare, ni cæca cupiditas impediret, posse firmabant. Ac per hoc nec se lædere in sacramento velle, nec cuipiam ut faceret licentiam dare, testabantur. Qua dissentientes, quique qua venerat, ad suos secesserunt. Hinc omnes in eadem domo convenerunt, a parte Lodharii dicentes, quod parati sacramentum et ad divisionem, uti juratum fuerat, essent. At contra a parte Lodhuwici et Karoli similiter se velle, si possent, aiebant. Novissime autem, quoniam neuter quod alter volebat, absque seniorum suorum auctoritate, assentire audebat, statuunt ut pax inter illos esset, donec scire possent quid seniores sui horum recipere vellent. Et hoc fieri posse in Non. Novemb. visum est, usquequo pacis termino constituto discedunt. Qua quidem die factus terræ motus magnus per omnem pene hanc Galliam est. Eademque die Angilbertus vir memorabilis Centulo translatus, et anno post decessum ejus XXVIII [XXIX], corpore absque aromatibus indissoluto repertus est. Fuit hic vir ortus eo in tempore haud ignotæ familiæ. Madhelgaudus autem, Richardus, et hic, ex una progenie fuere ; at apud Magnum Karolum merito magni habebantur. Qui ex ejusdem magni regis filia nomine Berchta Harnidum fratrem meum, et me Nithardum genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei sanctique Richarii construxit : familiam sibi commissam mirifice rexit. Hinc vita cum omni felicitate defuncta Centulo, in pace quievit. His paucis de origine mea delibatis, ad historiæ seriem redire libet.

Cum autem, ut præfatum est, reversi quique regi suo quæ invenerant nuntiassent, hinc inopia, hinc hieme instante, hinc etiam quod primores populi degustato semel periculo iterum prælium nolebant, ac per hoc ut pax inter illos usque in vigesimo die post missam sancti Joannis firmaretur, assentiunt. Ad quam statuendam hinc inde primates populi Theotonis villam confluunt. Jurant, ut ipsi reges inter se interim mutuam pacem servare deberent. Et ut neA quaquam quolibet modo omitteretur, ni in eodem conventu, ut æquius possent, omne regnum dividerent, essetque Lodharii, uti juratum fuerat, partium electio ejusdem regni. Hinc quique qua libuit discessit, et Lodharius Aquis hiematum petiit, Lodhuwicus Bajoariam. Karolus autem uxorem ducturus Carisiacum venit. Eodem tempore Mauri a Sigenulfo fratre Sigihardi sibi causa subsidii inducti Beneventum invadunt. Eodem etiam tempore Stellinga in Saxonia contra dominos suos iterum rebellarunt, sed prælio commisso, nimia cæde prostrati sunt. Ac sic auctoritate interiit, quod sine auctoritate surgere præsumpsit. Accepit quidem Karolus, uti præfatum est, in conjugio Hirmentrudem Vodonis et Ingeltrudis filiam, et neptem Adelhardi. B Dilexerat autem pater ejus suo in tempore hunc Adelhardum adeo, ut quod idem vellet in universo imperio, hoc pater faceret. Qui utilitati publicæ minus prospiciens, placere cuique intendit. Hinc libertates, hinc publica in propriis usibus distribuere suasit ; ac dum quod quique petebat ut fieret, effecit, rempublicam penitus annullavit. Quo quidem modo effectum est, ut in hac tempestate populum, qua vellet facile divertere posset. Et hac de re Karolus præfatas nuptias maxime iniit, quia cum eo maximam partem plebis sibi vindicare posse putavit. Nuptiis quidem XVI Kal. Januarii expletis, Natalem Domini ad Sanctum Quintinum celebre peregit. Valentianas quoque, qui de fidelibus suis inter Mosam C Sequanamque causa custodiæ remanere deberent, ordinavit. Idem vero partibus Aquitaniæ una cum conjuge anno 843 Incarnationis Domini in hieme iter direxit. Fuit autem eadem hiems præfrigida nimis ac diuturna. Languoribus insuper abundans necnon et agriculturæ, pecorique, apibusque satis incongrua.

Hic quique colligat, qua dementia utilitatem publicam negligat, privatisque ac propriis voluntatibus insaniat, dum ex utrisque Creatorem adeo offendat, ut etiam omnia elementa ejus vesaniæ contraria reddat : quodque hujuscemodi exemplis pene adhuc omnibus notis perfacile probaturus accedam. Nam temporibus bonæ recordationis Magni Karoli, qui evoluto jam pene anno tricesimo decessit, quoniam hic populus unam eamdemque rectam, ac per hoc D viam Domini publicam incedebat, pax illis atque concordia ubique erat. At nunc e contra, quoniam quique semitam, quam cupit, incedit, ubique dissensiones et rixæ sunt manifestæ. Tunc ubique abundantia atque lætitia, nunc ubique penuria atque mœstitia. Ipsa elementa tunc cuique regi congrua, nunc autem omnibus ubique contraria, uti Scriptura divino munere prolata testatur : *Et pugnabit orbis terrarum contra insensatos* (*Sap.* III). Per idem tempus eclipsis lunæ XIII [*Al.*, XV] Kal. Aprilis contigit. Nix insuper multa eadem nocte cecidit, mœroremque omnibus, uti præfatum est, justo Dei judicio incussit. Id propterea, inquam, quia hinc inde ubique rapinæ et omnigena mala sese inserebant, illinc aeris intemperies spem omnium bonorum eripiebat.

ANNO DOMINI DCCCLIII.

AMULO

EPISCOPUS LUGDUNENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud. Galland., veterum Petrum Biblioth., tom. XIII.)

Diversimode vocatur auctor noster in priscorum libris : Amulo enim, Hamulus, vel etiam Hamularius audit. Fuit natione Gallus, successit Agobardo, tenuitque Lugdunensem sedem ab anno 841 ad 852 et ultra : De illo plura dabunt curiosis præter bibliographos Cointius (*a*), et Dominicus de Colonia (*b*). Cavæus diligenter ejus scripta recensuit. Nos ex Baluzii Agobardo tanquam potiora decerpsimus epistolas duas, ad Theobaldum alteram de adulterinis quibusdam sanctorum reliquiis, alteram ad Gothescalcum pro confutanda ejus doctrina et moribus. Præterea opuscula duo ad eumdem Gothescalcum *de Præscientia, Prædestinatione, et Libero arbitrio*, etc., ex quodam ms. codice Trevirensi deprompta. Hæc primus vulgaverat Parisiis an. 1649 Sirmondus.

(*a*) Tom. VIII, pag. 650.

(*b*) Hist. Litter. Lugdun. tom. II, pag. 127.

AMULONIS EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

AD THEODBOLDUM EPISCOPUM LINGONENSEM.

I. Reverendissimo et puro dilectionis affectu excolendo Theodboldo [a] Ecclesiæ Lingonicæ episcopo, Amulo humilis Ecclesiæ Lugdunensis episcopus in Domino Jesu Christo sempiternam salutem. Mandastis nobis per dilectum fratrem chorepiscopum [b] vestrum, nuper in castro Divionensi, apud ecclesiam beati Benigni martyris, cœpisse quædam fieri in his qui orationis et veneration**is** causa ex quibuscunque locis confluere videntur, et maxime, imo, ut nonnulli affirmant, tantummodo in feminis ; unde animus vester quadam ambiguitate turbaretur, et necessarium judicaretis nostrum, id est, fraternum, expetendum esse consilium. Dixit enim quod anno transacto duo quidam, qui se monachos esse dicerent, detulerint usque ad præfatam sancti martyris basilicam quædam velut cujusdam sancti ossa, quæ se vel ex urbe Roma, vel ex nescio quibus Italiæ partibus, sustulisse affirmabant : cujus tamen sancti nomen se oblitos esse mira impudentia dixerunt. Quasi aut eum in tantum diligere et venerari potuerint, si vere sanctum esse cognoverant, ut tanto terrarum spatio tam studiose deferre satagerent, nisi ejus nomen in locis illis, unde assumptus dicitur, usitatum esset atque vulgatum, et istis ita insinuatum et cognitum, ut desiderarent illum et exposcerent, vel etiam furto auferrent in suæ regionis finibus collocandum, ac veneration**i** fidelium commendandum. Aut certe quem tanta veneratione dignum agnovissent, quem tanto amore transferendum exoptassent, quem tam longo itinere ipsi assidue pertulissent, ejus nomen saltim una hora oblivisci potuerint, ut non illum, quem tantopere diligebant et venerabantur, continuo desiderio atque oratione ad præsidium salutis suæ, et ad propitiandam divinam clementiam pia et indesinenti memoria sibi adesse precarentur, aut omnino tantæ ignaviæ ac stoliditatis exstiterint, ut nomen ejus ad commonitionem sui nec litteris saltem signare studuissent.

II. Unde, sicut prædictus frater noster retulit, prudenter et religiose fecistis ut istiusmodi reliquias, quarum nulla exstaret auctoritas, et ipsum quoque vocabulum esset ignotum, nec ullo modo recipiendas judicaretis, nec penitus contemnendas ; si tamen illi qui detulerant possent, sicut promittebant, hujus rei certitudinem ex eisdem partibus delatam sub diligenti examinatione evidenter ostendere. Dixit itaque nobis quod unus ex præfatis monachis, qui apud Divionem remanserat, jam mortuus sit ; alter vero, qui ad perquirendum et renuntiandum perrexerat, nequaquam ulterius sit reversus. Attamen dum illa ossa, a tam vilibus personis delata, et nulla veritatis assertione declarata, et tam insulsa relatione Ecclesiæ illata, velut causa honoris juxta sepulcrum præfati gloriosi martyris reverenter locata conservantur, cœpisse in eadem basilica velut quædam miracula fieri, non sanitatum et curationum, quibus ulla indicia divinæ miserationis et propitiationis ostende-

[a] Alias *Teotbaldus* vel *Teutboldus* dicitur, factus episcopus anno 844.

[b] Ingelrannus erat is in castro Divionensi vices episcopi agens.

rentur, sed percussionum et elisionum, quibus miseræ mulierculæ subito in ipsa orationis domo cadere et collidi, et quasi vexari viderentur; cum tamen in nulla parte corporis læsæ appareant, aut ulla plagæ alicujus vestigia monstrare videantur. Qua ex causa tanta illuc velut admirantium turba concurrit, sicut non solum ab illo fratre nostro, quem misistis, sed etiam a nonnullis aliis didicimus, ut jam trecentæ sive quadringentæ aut eo amplius personæ esse referantur, quæ jam dicto modo corruentes atque elisæ et per paululum velut recepto sensu sanatæ, nullatenus a loco discedere posse firmantur, quia videlicet si ad domos suas redire tentaverint, statim nova nescio qua plaga percussæ, ad ecclesiam de qua exierant redire compellantur. In quibus esse dicuntur, non solum puellæ, sed etiam conjugatæ juveniores, et maturiores ætate, honestiores atque viliores.

III. Hæc autem non solum in ecclesia sancti Benigni, sed etiam in altera ecclesia intra ipsum castellum, et in aliis nonnullis per parochias vestras similiter jam fieri cœpisse significastis. Nam et in Augustodunensi territorio quod Sedelocus vocatur, apud ecclesiam in qua sancti martyres Andochius, Thyrsus et Felix, conditi sunt, similia fieri vel potius simulari certa relatione comperimus. Exspectavimus autem aliquot diebus, ut sicut per præfatum chorepiscopum vestrum rogavimus, diligentius et modum et ordinem hujus rei vestris nobis litteris intimaretis, ut quanto subtilius et evidentius instructi, tanto, aspirante Dei gratia, ad respondendum inveniremur parati. Sed quia nihil postea rescripsistis, melius nobis visum est ut juxta quod ex ejus relatione agnoscere vel perpendere potuimus, dilectioni vestræ debitum responsionis officium solvere non differamus. Igitur, ut ad hæc omnia, prout Christus donare dignatur, breviter respondeamus, et causæ ambiguum cum vestra pariter dilectione resecemus, videtur nobis in primis ut ossa illa, quæ nulla ratione, nulla auctoritate, nescio cujus sancti esse dicuntur, unde primum prurigo hujus curiositatis exorta esse videtur, omnino de sacris adytis et de loco celebri tollantur et nequaquam intra ecclesiam, sed foris in atrio, aut certe sub pariete, vel circa ipsam, vel quod utilius existimamus, circa aliam secreto in loco, apto et mundo, sub paucorum conscientia sepeliantur; ut quoniam et sancta esse dicuntur, aliquid eis reverentiæ referatur, et quia esse penitus nesciuntur, nequaquam rudibus populis occasio erroris et superstitionis exsistant. Nec metuere debemus ne forte ex hac diligentia aliquam offensionem incurramus. Vult enim omnipotens Deus nos in rebus suis cautos esse atque discretos, juxta præceptum Apostoli dicentis: « Omnia autem pro- « bate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala « abstinete vos. » Et iterum: « Nam et ipse Satanas « transfigurat se in angelum lucis. » Unde et Dominus monet dicens: « Estote prudentes sicut serpen- « tes, et simplices sicut columbæ. » Habemus in hac re magnum et reverendum pietatis exemplum in gestis beati Martini, ut nequaquam temere adhibeamus incertis fidem. Qui beatus et gloriosus [a] Christi confessor et pontifex locum quemdam a præcessoribus suis sub altaris titulo consecratum et concurrentis populi frequentia celebratum, quia nec nomen sepulti illic, ut ferebatur, martyris, nec tempora passionis ejus reperit, omnino se ab illo loco abstinuit, nec auctoritatem suam vulgi opinioni accommodare ullatenus voluit, donec, rei veritate divinitus sibi patefacta, etiam populum superstitionis illius absolvit errore.

IV. Invenimus etiam in decretis beati papæ Gelasii [b] graviter notari episcopos et pene alienos a Christianitatis affectu designari, qui in quocunque nomine defunctorum, et fortassis nec omnino fidelium, ædificatas sacris processionibus audacter instituere præsumunt ecclesias. Sed et quorumdam venerabilium valde sanctorum corpora novimus, vel inter agrorum sepulturas, vel in angulo ecclesiæ annis plurimis jacuisse, donec se dignis revelationibus manifestarent. Quapropter juxta apostolicam atque evangelicam auctoritatem et venerabilia sanctorum Patrum exempla atque instituta, removeatur de medio et congruenti modo habeatur unde tanta pullulavit occasio superstitionis, et nulla probatur existere utilitas salutis. Nam etsi unum aut multo duo vel tria istis ipsis temporibus, quibus talia geruntur, sanitatum vel curationum signa in eadem beati Benigni martyris ecclesia veraciter et probabiliter celebrata sunt, hæc profecto cum omni gaudio et veneratione ac debita gratiarum actione ad Dei gloriam et beatissimi atque gloriosissimi martyris merita referenda sunt. Nec tamen ob hoc cætera quæ sive in ejusdem martyris ecclesia, sive in plerisque aliis fieri dicuntur, approbanda sunt; quia, quantum ipsius rei gestæ ordo ostendit, potuit fieri ut hæc primum ex vana opinione, tanquam nuper allati sancti corporis locum inveniret occasio, dum in diebus quadragesimalibus, confluentibus fortasse, ut in multis locis consuetudo est, ad orationem popularibus turbis ostenderetur, commendaretur, et venerationi habendus qui penitus ignorabatur, supervacue inculcaretur; atque ex hoc jam superveniente solemnitate Paschali, quando talia inchoasse perhibentur, viles et nequam homunculi, accepta occasione, sive necessitate famis cogente, sive cupiditate lucri instigante, istiusmodi velut percussiones, et collisiones, et dementationes, ac rursum sanationes, fingere atque ostentare cœperint, sive sint viri, sive mulieres.

V. Quod cum populus, supervacua opinione delusus, in admiratione vel terrore habere cœpisset, tanta illuc conferre et quasi male habentibus velut ex misericordiæ compassione administrare cœperunt, ut omnino qui talia pati videbantur, non solum

[a] Sulp. Severus in lib. de Vita beati Martini, cap. 8.

[b] Decreta Gelasii, cap. 25.

a loco recedere nollent, sed tanquam nova plaga ac debilitate percussi, nullatenus se recedere posse simularent. Quando enim unquam in Ecclesiis Dei, in memoriis beatissimorum martyrum, talia signa increbuerunt, quibus nequaquam ægri sanarentur, sed sani percuterentur et dementarentur? Quando istiusmodi sanitates sanctorum oratio apud Dominum obtinuit, quibus simplices et innocentes puellæ in sanctuario Dei incolumes reddantur, sed si de salute sua gaudium parentibus facere voluerint, continuo iterum percussæ ad domos eorumdem parentum suorum redire prohibeantur? Quando autem martyres sancti ita conjugatas quasque fideles in suis sanctuariis sanitati restituerunt, ut eas a maritis sejungerent, et ne ad virorum suorum domos reverti possent, repentinæ cladis animadversione percuterent? Quis hæc non videat vel fallaciis hominum nequissimorum, vel deceptionibus et ludibriis dæmonum concinnata, qui hebetes sensu, et inanes fide, et plenos curiositate, et attonitos vanitate, facile opprimunt, vel etiam invadunt ut in eis, Deo juste permittente, et propria nequitia sæviente, talia etiam veraciter exercere sinantur? Atque ita velut ex uno loco per astutiam hominum et nequitiam dæmonum pessimorum, qui humanæ saluti libenter illudunt, per alia atque alia loca se pestilentia ista superstitionis atque illusionis diffudisse videtur, dum in sacris locis et sanctorum martyrum basilicis sunt etiam quidam qui turpis lucri gratia non solum ista non prohibent, nec errantem populum ad sinceram et puram religionis observantiam instituunt, sed etiam instigant ad talia sectanda, eosque tanquam religiosos prædicant, ac suis adulationibus supplantant, tantum ut ex eorum votis atque donariis vel marsupia sua repleant, vel epulis et potationibus vacent. De quibus recte per Prophetam dicitur: « Peccata populi mei « comedent et ad iniquitatem eorum sublevabunt « animas eorum. » Hæc de fictione talium illusionum et insana quorumdam cupiditate nequaquam in hujus responsionis nostræ serie diceremus, nisi talia tempore pii patris et antecessoris nostri ita certissime in quibusdam homunculis, tam viris, quam feminis, intra parœciam nostram experti essemus, ut de his nullatenus dubitare permittamur.

VI. Vidimus namque aliquoties coram illo qui se dæmoniacos advexaticios esse simularent; sed cum plurimis plagis atque verberibus distringerentur, confestim de miserrima simulatione confessi, et necessitates atque egestates suas, quibus supplendis talia ostentaverant, publice exponentes, ab omni invasione dæmoniaca, sicuti et erant, illæsi apparuerunt. Scimus etiam civitatem quamdam haud longe a nostris finibus, quæ Ucetia nuncupatur, sita in provincia Narbonensi, ubi cum ejusdem piæ memoriæ prædecessoris nostri tempore ad sepulcrum sancti Firmini episcopi istiusmodi percussiones et elisiones fieri cœpissent, ita ut in membris cadentium reperirentur quædam stigmata ultionis, tanquam illic sulphur arsisset, et ex hoc territi atque obstupefacti vulgares, cum votis ac donis plurimis gregatim ecclesiam frequentarent, accepto ab eodem patre nostro consilio prædicavit eis atque præcepit Narbonensis qui nunc superest Bartholomæus episcopus, ut omnino locum illum, quem superstitiose frequentare cœperant, nequaquam amplius ita frequentarent, et quæcunque illuc conferre consueverant, magis in usus indigentium et misericordiæ opera erogarent. Quod cum factum fuisset, statim et ibi et in aliis locis in quibus jam similiter fieri incipiebat, tota illa deceptio cessavit, et populus fidelis optata incolumitate ac tranquillitate, respiravit.

VII. Unde omnino videtur nobis, prout ratio ipsa dictat, et bonorum nos exempla informant, ut arripiatis pium studium et sacerdotalem sinceritatem ac severitatem; et ne domus Domini, quam oportet esse domum orationis, fiat domus negotiationis et spelunca latronum, eliminetis ex ea istiusmodi commentum et figmentum diabolicum, quo tanta infelicium hominum et maxime mulierum multitudo nimis dolende ac pudende, velut captiva et mente capta, obligata tenetur; annuntiando omnibus fideliter atque obtestando, ut intermisso hujusmodi vano et pernicioso concursu, unde nulla animæ salus, nulla corporis incolumitas, nulla vitæ utilitas provenire cognoscitur, unaquæque plebs in parœchiis et ecclesiis, quibus attributa est, quieta consistat; ubi sacrum baptisma accipit, ubi corpus et sanguinem Domini percipit, ubi missarum solemnia audire consuevit, ubi a sacerdote suo pœnitentiam de reatu, visitationem in infirmitate, sepulturam in morte consequitur, ubi etiam decimas et primitias suas offerre præcipitur, ubi filios suos baptismatis gratia initiari gratulatur, ubi verbum Dei assidue audit, et agenda ac non agenda cognoscit; illuc, inquam, vota et oblationes suas alacriter perferat, ibi orationes et supplicationes suas Domino effundat, ibi suffragia omnium sanctorum quærat, qui, ut scriptum est: « Sequuntur « Agnum quocunque vadit, » et idcirco fideliter invocantibus ubique præsto sunt, et per ipsos atque in ipsis omnipotens Deus, qui populo suo promittit dicens « : In omni loco in quo memoria fuerit nominis « mei, veniam ad te et benedicam tibi. » Ibi itaque unaquæque plebs pupillis et viduis, pauperibus et peregrinis, de facultatulis quas Deus tribuit eleemosynarum largitionem exhibeat, hospitalitatis officia impendat, et quodcunque comessationibus et ebrietatibus et quæstu hominum vanorum consumere solebat, in istiusmodi suis et proximi salubribus utilitatibus expendat. Hæc est enim legitima et ecclesiastica religionis forma; hæc antiqua fidelium consuetudo, per quam et novitatum vanitas amputatur, et vetusta ac recta evangelicæ atque apostolicæ institutionis semita custoditur. Si autem et languores aliqui ac debilitates accidunt, juxta evangelicum et apostolorum præceptum præsto habet unusquisque ut « inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super « eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et ora« tio fidei salvabit infirmum (*Jacob.* v, 14). »

VIII. Cum hæc largiente vobis Domino fideliter atque instanter annuntiata fuerint et observata, confidimus in ipsius pietate, quoniam cessante inani ac supervacua largitione munerum ac votorum, cessabit etiam multitudo illa simulantium et simulatio percussionum ac dementationum, cum unusquisque non vana et falsa ostentare, sed ad corpusculi sustentationem necessaria quærere vel etiam mendicare cogetur; ita ut si forte aliqui obstinatiores in tali facto apparere voluerint, duris omnino verberibus coerciti, ad confessionem veritatis compellendi nobis esse videantur. Nam etsi illud verum esset ut discedere a locis illis tentantes confestim novo morbi genere corriperentur, quanto esset manifestius hoc ex diaboli impugnatione fieri, tanto confidentius Domino miserante ac protegente erat discedendum, et contemptis fideliter inimici terroribus, in locis legitimis more ecclesiastico illius misericordiæ supplicandum. Neque enim inter sanctos martyres et spiritus atque animas justorum cum Domino jam regnantium illic invidia suspicanda est, sed plena charitatis unitas, et pietatis societas; et ideo simul sibi oblatos ægros, si vitandæ tentationis gratia fideliter ad aliorum sanctorum limina deducantur, nequaquam indignari, sed potius favere et congaudere atque congratulari credendi sunt. Quorum unus præcipue, magnus videlicet apostolus Paulus, propter hanc unitatem spiritus cæteris sanctis dicit: « Si cui autem aliquid donatis, et ego. Nam et « ego si quid donavi, propter vos in persona Christi. » Quod si votum et desiderium est populorum fidelium, diversorum martyrum et cæterorum sanctorum limina suppliciter frequentare, sunt dies certi et legitimi, quibus id juxta antiquam Ecclesiæ observantiam devote exercere conveniat, tempore videlicet generalium rogationum, et pro diversis tribulationibus ac necessitatibus indictarum litaniarum, seu quadragesimalium jejuniorum, sive etiam in vigiliis et natalitiis martyrum.

IX. Quæ omnia et ex universalis Ecclesiæ lege descendunt, et sacerdotum prædicatione ac denuntiatione commendantur, et omnium fidelium obedientia et pietate attentius observanda sunt, quanquam et cæteris diebus cum silentio et puritate devotionis, non in ostentatione et tumultu, sacra loca probabiliter visitentur. Nunc vero quanta absurditas est hæc tam legitima, et tam assidue annuntiata ac justa a plerisque popularibus aut negligenter omitti, aut vix et coacte observari, et ad illa esse promptissimos quæ, nullo prædicante ac docente, imo etiam obsistente, tantum animi sui supervacuitate sequuntur; quibus sæpe beati Pauli apostoli voce inculcandum est: « Fratres, nolite pueri effici sensibus; sed « malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis. » Et illud beati Jacobi dicentis: « Religio munda et « immaculata apud Dominum et Patrem hæc est: « visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, « et immaculatum se custodire ab hoc sæculo. » Quatenus hæc atque hujusmodi apostolica hortamenta attendentes tam presbyteri quam populi, atque in locis suis devote, instanter ac fideliter Domino servientes, sinceritati mentis et fructibus misericordiæ potius studeant quam vanitati vel ostentationi. Nam etsi quidam illorum fallacium atque fallentium vere energumeni et arreptitii essent, more ecclesiastico vel in locis suis a sacerdotibus suis, vel in quibusque martyrum sanctuariis a propinquis et amicis tranquille debuerant tractari atque, opitulante Dei gratia, purgari, non populorum turbis ac tumultibus inaniter prosequi. Hæc, prout Dominus dedit, juxta auctoritatem divinam et institutionem paternam ad interrogationem vestram sedulo respondere curavi. Vos et ista libenter accipite; et si qua meliora Deus inspiravit, prompta intentione et vigilanti cura peragite; quatenus grex Dominicus vestræ gubernationi commissus, eodem Domino auxiliante, et erroris effugiat offendiculum, et religionis ac sinceritatis consequatur augmentum. Misimus vobis etiam exemplar epistolæ præfati pii patris et nutritoris nostri ad jam dictum Narbonensem episcopum, ut si quis de hujusmodi causis subtilius et plenius nosse voluerit, illius lectione uberius ac profundius instruatur. Deus omnipotens reverendam dilectionem vestram ad ædificationem Ecclesiæ suæ jugiter protegere et custodire dignetur.

EPISTOLA II.

AD GOTHESCALCUM.

Amulo humilis Ecclesiæ Lugdunensis episcopus dilectissimo fratri Gothescalco [a] salutem. Quod te in hujus sermonis exordio fratrem nomino, quem fraternæ unitati contrarium non ignoro, ea, in quantum Deus largitur, facio charitate, quam Scriptura nobis præcepit dicens: « Dicite his qui oderunt « vos: Fratres nostri estis. » Quia etsi ex illorum parte qui ejusmodi sunt fraternitas deperit, non idcirco etiam in nobis frigescere aut perire debet ipsius fraternitatis affectus. Quod autem non solum fratrem, sed etiam dilectissimum dico, Dominus novit quia te fideliter diligo, hoc tibi cupiens quod et mihi. Unde et salutem tibi veraciter opto, præsentem pariter et futuram, per eam divini cultus pietatem, quæ, sicut Apostolus testatur: « Ad omnia « utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc « est, et futuræ. » Audiens sane et agnoscens quæ in scriptis tuis misisti, et per quemdam fratrem nostrum mihi innotescenda vehementissime flagitasti, diu hæsitavi utrum tibi respondere deberem, homini de novis contra Ecclesiam præsumptionibus, et non parvis erroribus jamdudum accusato, et propter contumaciam, ut audio, episcopalis concilii auctoritate damnato. Importunum namque et impudens videri posse existimabam, si de causa, quæ prudentium et reverendorum fratrum nostrorum inquisitione, cognitione et sententia definita est, aliquid

[a] Monacho Orbacensi, docto quidem, sed Ecclesiæ perturbatori, et in synodo Carisiacensi, damnato jam Moguntiæ, ob contumaciam virgis cæso, anno 849.

ultro dicere vel respondere aggrederer : et rursum tantam deprecationem et supplicationem tuam contemnere et præterire silentio non videbatur Christianæ esse pietatis et charitatis, per quam præcipue lex Christi adimpletur in nobis, testante et commendante Apostolo : « Alter alterius onera portate, « et sic adimplebitis legem Christi. » Unde et cum de seipso dixisset : « Factus sum infirmis infirmus, ut « infirmos lucrarer : omnibus omnia factus sum, ut « omnes facerem salvos ; » et post aliqua : « Non quæ- « rens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi « fiant, » continuo, ut nos ad exemplum sui, et per hoc ad exemplum Christi, instrueret et informaret, adjunxit : « Imitatores mei estote, sicut et ego « Christi. » Ipse est enim verus et pius ille Samaritanus, qui descendentem ab Jerusalem in Jericho, et a latronibus in itinere spoliatum, et vulneratum, ac semivivum derelictum, clementer miseratus est, alligans vulnera ejus, et vini atque olei infusione curans : tantæque misericordiæ et pietatis suæ nos imitatores esse desiderans, in fine hujus parabolæ unicuique nostrum dicit : « Vade, et tu fac similiter. » Manifeste ostendens illum vere esse proximum fratri, illum vere imitatorem sui, qui fraternis necessitatibus atque infirmitatibus prompta pietate et compassione succurreret. Istiusmodi igitur consideratione provocatus, et de venerabilium fratrum atque consacerdotum nostrorum sincerissima charitate confisus (per quam in Domino unum sumus, et invicem commissi nobis ministerii onera et officia communicare debemus, quatenus et illorum bona per unanimitatis spiritum nostra, et nostra, si qua divina misericordia esse possunt, illorum sint), melius et salubrius existimavi aliquid tuæ fraternitati rescribere, quam inutili taciturnitate, et de illis viderer diffidere, et tibi tam angustiato, tam afflicto, tam anxio et conturbato, nihil consulere. Quapropter omnipotentis Domini et Salvatoris largissimam et indeficientem oro gratiam, ut nobis tribuere dignetur utilem et veracem tuam consolationem et instructionem, sermonem et animum tuum præparet ac tranquillet, ut quæ dicturi sumus, pia mansuetudine et humilitate suscipias, ac seposita animositate et studio contentionis, libenter quæ vera sunt audias, et non nostra, sed Dei et sanctorum Patrum dicta obedienter suscipias, eisque animum tuum et sensum sincera pietate submittas, quia, ut verax veraciter Scriptura dixit, « Sunt viæ quæ « videntur homini rectæ, et novissimum earum « ducit ad mortem. » Et : « Qui confidit cogitatio- « nibus suis impie agit. » Unde et alibi eadem Scriptura admonet, dicens : « Et ne innitaris pru- « dentiæ tuæ. » Hoc namque malum, quantum cavendum sit homini, etiam beatus Ephrem admirandæ sanctitatis et illustrissimæ doctrinæ pater ostendit, cum in hora exitus sui, astanti sibi uni ex discipulis, magni et acuti et nimis curiosi ingenii, sollicite admonens dixit : Cave, Pauline, ne unquam te submittas cogitationibus tuis. Quantum vero bonum sit obedientiæ, et quantum malum contentionis et contumaciæ, docet nos iterum sermo divinus, ubi per Samuelem prophetam dicit : « Melior est obe- « dientia quam victimæ, et auscultare magis quam « offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum « ariolandi est repugnare, quasi scelus idololatriæ « nolle acquiescere. » Itaque et tu, si bonus, et utilis, et pacificus Ecclesiæ filius esse desideras, noli te sensui tuo committere, sed majorum judiciis atque sententiæ, imo divinis et ecclesiasticis auctoritatibus facile cede, libenter acquiesce et obedienter subdere, ut possit in te Dei Spiritus habitare, dicente Domino per Prophetam : « Super « quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem « et quietum, et trementem verba mea? » Videmus certe tempora novissima et periculosissima, ab Apostolo olim prædicta, plena ignorantiæ et infirmitatis animorum, in quibus illud Domini terribile dictum semper est reminiscendum, atque tremendum : « Qui scandalizaverit unum de pusillis his « qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur « mola asinaria in collo ejus, et demergatur in « profondum maris. » Et iterum : « Væ mundo ab « scandalis! Necesse est ut veniant scandala : ve- « rumtamen væ homini illi per quem scandalum « venit! » Sed et aures et linguas prurientes cavere debemus, ne vel ad audiendas vel ad loquendas novitates prompti et faciles simus. Quia et prurientes auribus, et profanas vocum novitates pariter Apostolus condemnat, et oppositiones falsi nominis scientiæ admonens devitandas, continuo de eadem falsi nominis scientia subjungit, dicens : « Quam quidem « promittentes, circa fidem exciderunt. » Cum adhuc esses in partibus regni Germaniæ, audivimus in primis super nomine tuo famam dolendam : quod videlicet novitates sereres, et stultas ac sine disciplina quæstiones ventilares. Deinde perlata est etiam ad nos studio ecclesiasticorum virorum quædam scriptura tua, in qua apertissime, et prolixo sermone, atque ut tibi visum est etiam testimoniis Scripturarum, sive sanctorum Patrum, quid sentires sive doceres multipliciter exsecutus es. Nunc quoque accepimus et alia scripta tua non parva, quæ ad episcopos, vel contra episcopos, qui in concilio damnationis tuæ affuerunt, scripsisse vel protulisse videris. In quibus quanta potuisti intentione, de una tantum quæstione, id est, prædestinatione divina, quid teneas, diligenter explicare curasti. Ita factum est, ut ex utraque scriptura tua, sive quam per alios, sive quam te mittente accepimus, plenissime nobis cognoscere videamur, in quibus quæstionum periculis fluctuet, vel, quod nimis dolendum est, naufragetur sensus tuus. Quapropter compendiose nobis et utiliter fieri posse videtur, ut ex illa tota serie scriptorum tuorum, ea quæ nobis fidei catholicæ maxime contraria esse videntur, brevibus et distinctis capitulis ordinemus, adjungentes, sive subjungentes per singula, quid e contrario Scriptura sancta doceat, et Ecclesia Dei firmissime teneat, et

ubique fideliter ac salubriter doceat. Cujus doctrinæ et sensibus te, quasi devotum et pium filium, irrefragabiliter obtemperare oportet, si cupis in ejus corporis unitatem vivum et sanum membrum inveniri, et non cum putribus et emortuis justæ severitatis judicio abscissionem mereri. Hunc autem sermonis nostri tenorem, servato in omnibus legitimo ordine ac ecclesiastica auctoritate, non tibi, qui infelici et miserabili lapsu excommunicationem ab Ecclesia excepisti, sed principaliter reverentissimo et charissimo nostro metropolitano antistiti direximus tuo, confidentes in Domini pietate, quia cum hæc legerit et nostræ erga te compassionis affectum cognoverit, non indignatione aliqua adversum te, sed boni patris et pii pastoris visceribus commovebitur, ut his congruenter perlectis et tranquille apud te tractatis, si divina gratia aspirante acquiescere volueris veritati, nequaquam diutius aberres a caulis, sed boni et summi pastoris humeris reportatus, unitati inventæ ac redemptæ ovis, cum gaudio cœlestium et terrestrium, feliciter restituaris. Hæc sunt igitur quæ in scriptis tuis merito reprehendenda, et reprehensa, tanquam veræ fidei catholicæ inimica, notavimus, et qualiter ad regulam veritatis sint corrigenda perstrinximus.

In primis displicet nobis valdè, quod dicis et asseris neminem perire posse Christi sanguine redemptum. Hoc enim dictum dupliciter fidei catholicæ adversatur. Si aut neminem ex numero Christianorum, postquam semel in Christo baptizatus et particeps redemptionis Christi effectus est, perire posse confirmas, contra Apostolum apertissime prædicantem et contestantem : « Quoniam iniqui regnum « Dei non possidebunt. » Et quoniam qui illa vel illa crimina admiserint, regnum Dei non consequentur, et non habent hæreditatem in regno Christi Dei, inter quos etiam illi sunt negatores Christi, de quibus ipse terribiliter testatur : « Quicunque negave- « rit me coram hominibus, negabo et ego eum co- « ram Patre meo qui est in cœlis. » Et illi infructuosæ fidei, de quibus ait : « Non omnis qui dicit « mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœ- « lorum. » Sed et illæ fatuæ virgines, quæ non sumpserunt oleum in vasis suis cum lampadibus, quibus clausa janua regni dicturus est : « Amen dico « vobis, nescio vos. » Aut si non credis, omnes, qui vera fide et devotione per baptismi gratiam regenerantur, Christi esse sanguine redemptos, imo in Christi morte et sanguine baptizatos, licet postea plurimi ex eis, vel per hæreses, vel per alia diversa crimina pereant, manifestissime contrarium est beato Paulo apostolo dicenti : « Quicunque bapti- « zati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius bapti- « zati sumus. » Et beato Joanni similiter de eodem Domino contestanti : « Qui dilexit nos, inquit, et lavit « nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Et beato Petro etiam de pessimis hæreticis, qui post baptismum redemptionis Christi de Ecclesia recesserunt, ita dicenti : « Et eum qui emit eos Dominum negant, « superducentes sibi celerem perditionem. » Et ipsi Domino de eisdem hæreticis per Prophetam : « Et « ego redemi eos, et contra me locuti sunt mendacia. » Itaque juxta fidem catholicam et apostolicam, propheticam et evangelicam, omnes isti, fideliter ad baptismum Christi accedentes, non utique alio pretio, sed Christi sanguine redempti sunt. Sed cum plurimi ex eis eamdem gratiam in se irritam fecerint, et idcirco in æternum pereant, qua ratione verum est neminem perire posse sanguine Christi redemptum?

Secundo loco displicet nobis valde, quia verissima et sacratissima Ecclesiæ sacramenta, videlicet exorcismi, et baptismi, chrismatis, et Eucharistiæ ac manus impositionis, perfunctorie et frustratorie omnibus, qui post perceptionem eorum pereant, dari confirmas, dum eos sanguine Christi, sine quo ipsa mysteria, sed quædam velut vacua et inania ludibria sunt habenda, redemptos negas : cum e contrario Apostolus, et veritatem redemptionis Christi, et verum divinorum mysteriorum effectum, etiam in eis qui irreparabiliter pereunt doceat esse collata, cum ait : « Impossibile enim est eos qui semel sunt « illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et « participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt « nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæ- « culi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad « pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsis « Filium Dei, etc. » Et iterum : « Quanto magis « putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei « conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum « duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gra- « tiæ contumeliam fecerit? » Et alio loco : « Et per- « ibit, inquit, infirmus in tua conscientia frater, « propter quem Christus mortuus est! » Ita veritas mysteriorum peragit virtutem suam, cum fideliter accipitur, etiam in illis qui non permanent in veritate eorumdem mysteriorum. Sed et in illa regula intelligendarum Scripturarum de corpore Christi vero atque simulato, unde tu hunc errorem velut confirmare niteris, veraciter nosse debes, simulationem denotari vitæ et morum, non, quod absit, divinorum mysteriorum et sacramentorum.

Tertio loco displicet nobis valde, quia et divinarum Scripturarum testimoniis et sincerissimis sanctorum Patrum dictis tam perverse abuteris, ut hæc omnia quæ manifestissime adversus divinam veritatem et paternam fidem disputas, ex illis non recte intellectis multipliciter affirmare contendas. In tantum ut illos qui ex numero fidelium pereunt, nec tunc, quando imprimis ad percipienda mysteria regenerationis et Dominicæ oblationis, vel in parvula ætate ab aliis oblati sunt, vel ipsi in majori fideliter accesserunt, affirmes Christo et Ecclesiæ non incorporatos, nec membra illius quæsitæ et salvatæ ovis effectos, ac per hoc nec unquam fuisse Christianos. Nam quomodo est Christianus, qui non pertinet ad corpus Christi, qui non est membrum Christi? Cum e contrario Apostolus etiam illos, qui graviter peccare, et in eodem gravi peccato

perire possunt, membra Christi et templum Spiritus sancti esse dicat, quandiu fideliter et innocenter agunt. « Neseitis, inquit, quia corpora vestra membra Chri- « sti sunt? Tollens ergo membra Christi faciam mem- « bra meretricis? Absit. » Et iterum : « Nescitis quia « templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in « vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, dis- « perdet illum Deus, » etc.

Quarto loco displicet nobis valde, quia tam dure et indisciplinate et immaniter de divina prædestinatione sentis et loqueris in damnatione reproborum, ut omnes illos qui ad sinistram ponendi sunt in die judicii, et cum diabolo atque angelis ejus pro malis meritis suis æterno igne damnandi, ita sint divinitus ad interitum prædestinati, ut eorum prorsus nullus aliquando potuerit, nullus possit salvus esse. Quod sentire et dicere quid est aliud, quam in Deum graviter et horribiliter blasphemare, si illis ejus prædestinatio hanc necessitatem irrevocabiliter imposuit, ut omnino quod ad salutem suam proficeret operari non possint? Sed absit a nobis hoc recipere, ne meritum damnationis illorum Dei culpa sit, qui eos tales esse constituit, non illorum qui aliud esse non potuerunt. Huic errori, vel potius immanissimæ impietati resistit Scriptura dicens de illo : « Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit « spatium peccandi. » Et ipse judex vivorum et mortuorum destruit istud insanum mendacium, qui se in illo die judicii ita illis qui ad sinistram stabunt dicturum esse prædixit : « Discedite a me, maledicti, « in ignem æternum, qui paratus est diabolo et an- « gelis ejus. », Ut cur a se inseparabiliter discedere sint digni, cur maledicti, cur diabolo et angelis ejus in æterna pœna sociati, videlicet non ex præjudicio prædestinationis suæ, sed ex merito iniquitatis eorum, statim clarissime subjungat et ostendat dicens : « Quia esurivi, et non dedistis mihi manducare : « sitivi et non dedistis mihi bibere, » etc. Ubi evidenter ostenditur quod non propterea damnantur, quia opera salutis suæ facere non potuerunt, sed quia facere noluerunt. Unde et Psalmista de eodem justo et æterno judice dicit : « Quia tu red- « des unicuique secundum opera sua. » Non ait, secundum præjudicia sua, sicut ista insana et furibunda doctrina asserere conatur, ad nihil aliud nisi ad subversionem audientium. Cum e contrario fides catholica firmissime teneat, nec ipsum diabolum, et angelos ejus, ad hoc unquam prædestinatos ut tales essent : sed quia tales suo vitio esse voluerunt, idcirco eis æterni ignis supplicia præparata. Omnipotens enim Deus non est auctor malorum meritorum, nec malorum hominum, nec malorum angelorum : sed ipsi sibi sunt auctores mali, quod propria voluntate gesserunt; Deus autem justus ultor et judex in his quæ ejus æquitate passuri sunt. Præscivit ergo æternaliter futura mala merita ipsorum, sed præscientia ejus non eis intulit necessitatem, ut aliud esse non possent, sed tantum prævidit quod aliud esse nollent. Prædestinavit eisdem malignis angelis, et reprobis hominibus perpetuas pœnas, non quia malignos et reprobos ipse eos facit, sed quia malignos et reprobos suo vitio futuros illos prævidit : et quos tales proprio vitio futuros prævidit, quid mirum si eos justo judicio suo æternis pœnis et incendiis prædestinavit, ut qui volentes peccaverunt, nolentes puniantur? Non itaque in illis prædestinavit omnipotens Deus quæ sibi erant facturi iniqua voluntate sua, sed quæ ipse de eis erat ordinaturus æquissimo judicio suo. Nulla enim prædestinavit injusta, sed tantum justa ; injusta vero præscivit ut Deus futura, prædestinavit ut judex justus damnanda. Nec præscientia tamen, nec prædestinatione sua, cuiquam malorum hominum, vel angelorum, necessitatem imposuit male agendi, sed tantummodo pro malis gestis æternas pœnas luendi. Unde verissime ad eum Scriptura dicit : « Deus « æterne, qui occultorum es cognitor, qui nosti « omnia antequam fiant. » Et iterum de illo : « Do- « mino enim Deo antequam crearentur omnia fue- « runt cognita : similiter et post perfectum respicit « omnia. » Et alio loco : « A sæculo enim, inquit, « usque in sæculum respicit, et nihil est novum in « conspectu ejus. » Sunt quidem in malis et damnandis aliqui reputati, qui aliud esse non potuerunt, sicut illi parvuli recens nati, sub reatu originalis peccati defuncti, quibus per baptismum Christi non potuit subveniri ; sicut etiam illi ignorantes Deum, qui non potuerunt invocare in quem non crediderunt, nec audire sine prædicante, nec prædicatorem habere, quia nullum ad se mitti meruerunt. Sed et in his non est iniquitas apud Deum, quia et illos traxit ad mortem originale peccatum, et istos et originale pariter et actuale. Ipso tamen ubique justo judice, qui de tota humani generis massa, ob primæ prævaricationis meritum juste damnatos, alios facit vasa misericordiæ gratuita gratia, alios permisit esse vasa iræ justo judicio. Sin autem hoc quæritur, ubi in Scripturis prædestinatio in malam partem dicatur, ipsum quidem proprie verbum tali sensu positum forsitan non facile invenitur : sensus tamen verbi manifeste in pluribus locis apparet ; sicut in primis de angelis refugis beatus Judas Apostolus dicit : « Angelos vero, qui non servaverunt suum « principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, « carceribus caliginis damnatos tradidit in judicium « cruciandos reservari. » Et de Antichristo Paulus apostolus dicit : « Et revelatus fuerit homo peccati, « filius perditionis, qui adversatur et extollitur su- « pra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. » Et post pauca : « Quem Dominus interficiet spiritu « oris sui, et destruet illustratione adventus sui. » De Juda quoque proditore ipse Dominus, cum pro apostolis oraret : « Et nemo ex eis periit, nisi filius « perditionis, ut Scriptura impleatur. » De quo etiam apostoli, orantes pro electione successoris ejus Matthiæ, ad Dominum dicunt : « Ostende quem « ex his duobus elegeris accipere locum ministerii « hujus, et apostolatum, de quo prævaricatus est

« Judas, ut abiret in locum suum, » Tale est et illud, quod per Salomonem dicitur : « Universa propter « semetipsum operatus est Dominus, impium quo- « que ad diem malum. » Et quod in libro Job scriptum est : « Quia in diem perditionis servatur ma- « lus, et ad diem furoris ducitur. » Et in libro Sapientiæ de Ægyptiis : « Ducebat enim eos ad hunc « finem digna necessitas. » Et apud Jeremiam de quibusdam : « Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in diem occisionis. » Talibus etiam Amos propheta dicit : « Qui sepa- « rati estis ad diem malum, et appropinquatis « solio iniquitatis. » Item de filiis Heli scelestis et sacrilegis dicitur : « Qui non audierunt vocem patris « sui, quia voluit Dominus occidere eos. » Et ad Amasiam prævaricatorem et impium regem propheta loquitur : « Scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere « te, quia fecisti hoc malum, et insuper quod non « acquievisti consilio meo. » Sed hæc omnia ita fideliter pensanda sunt, ut in eis et malorum, sive angelorum, sive hominum, iniquitas, et Dei vindicantis incontaminabilis justitia cognoscatur. Præordinavit atque tradidit angelos malignos in judicium cruciandos reservari ; sed, exigente eorum impietate, quia non servaverunt ordinem et honorem suum, quem sub Deo et cum Deo habere potuerunt. Et Judas præcognitus et prædictus est filius perditionis, sed merito impiæ proditionis abiit in locum suum, id est, sibi in pœnis destinatum et præparatum ; sed quia prævaricatus est de loco ministerii et apostolatus. Ita non est mirum si Antichristus, quia præscitus est homo peccati, præcognitus etiam et prædictus est filius perditionis. Et malus atque impius præparatus ad diem malum, servatur in diem perditionis et furoris ; sed quia ipse sua sponte et malus et impius exsistet. Ducebat et Ægyptios divini judicii necessitas ad exitium et interitum præparatum ; sed digna, quia pro impietatibus et contumacia eorum justa. Sic et illi, qui velut pecora æternæ morti devoti esse voluerunt, siquidem impii manibus et verbis accersierunt illam, congregantur quasi grex perditionis, et sanctificantur, id est, quodammodo separantur ad diem malum, et ad diem occisionis. Sed et impii filii Heli, et impius rex ille Amasias, indigni habiti sunt judicio Dei, qui consilium salutis suæ susciperent, et Deus illos occisioni et perditioni præparavit. Sed juste utique ob merita impietatum, quæ de illis prius Scriptura commemorat, et excæcari et interire meruerunt. Ait etiam Scriptura : « Et qui transgreditur a justitia ad pec- « catum, Deus præparavit illum ad romphæam. » Paravit ergo et præordinavit istiusmodi transgressorem ad romphæam, id est, ad mortem et interitum ; sed juste, quia ipse ultro transgressus est a justitia ad peccatum. Juxta hunc igitur divinæ auctoritatis sensum, omnipotens Deus justo judicio suo prædestinat pœnas malis, prædestinat malos pœnis, nullum tamen prædestinat ut sit malus, quia non malorum, sed bonorum auctor est bonus, et malorum gestorum ultor est justus, et si mala gerentes ad eum convertantur, indultor pius. Sciendum tamen quod prædestinationis verbum, in malam partem, sicut in Scripturis minus est usitatum, ita et a doctoribus rarius est usurpatum, et ob hoc nequaquam magnopere de eo certandum.

Quinto loco non minus detestamur et horremus, quod ita exarsisti adversus eos qui æterno interitu sunt digni, ut dixeris eos tam irrevocabiliter et incommutabiliter perditioni esse prædestinatos, sicut Deus ipse incommutabilis et inconvertibilis est ; et episcopos, ad quos scribis, quasi misericorditer adhortaris, ut hoc prædicent populis, ut quia jam præfinitam damnationem evadere non possunt, saltim aliquantulum Deo supplicent et humilientur, ut statutum eis vel modicum mitiget et leviget pœnas. Obsecro, ubi hæc unquam in Scripturis sacris legisti ? ubi in sanctis et catholicis Ecclesiæ doctoribus invenisti ? Cur non similiter diabolum et angelos ejus exhortaris, ut quia statutam damnationem evadere non potuerunt, jam nunc interim orent et deprecentur Dominum, ut eis mitiores et tolerabiliores fiant æternæ pœnæ ? aut quid amplius istis relinquis, quos similiter irrevocabili sententia damnatos asseris ? Huic tam atroci impietati contradicit Ecclesiæ fides, quæ diabolum cum angelis suis credit irremediabiliter corruisse : hominibus vero, etiam impiis, si recognoscant peccata sua, si defleant, si confiteantur, si divinam misericordiam implorent, indubitanter januam indulgentiæ aperiri. Sic enim propheta docet et exhortatur dicens : « Quærite Do- « minum, dum inveniri potest ; invocate eum, dum « prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir « iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Domi- « num, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, « quoniam multus est ad ignoscendum. » Et iterum : « Quis ambulabit in tenebris, et non est lumen ei ? « speret in nomine Domini, et innitatur super Deum « suum. » Et ipse Dominus per se : « Convertimini « ad me, et convertar ad vos, dicit Dominus exerci- « tuum. » Et alio loco : « Revertimini, filii reverten- « tes, et sanabo aversiones vestras. » Et iterum : « Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die « conversus fuerit ab impietate sua. » Ista est fides et pietas Ecclesiæ : quia diabolum novit in malis suis sine pœnitentia permansurum, nec ullam indulgentiam accepturum : et hominibus ad Deum conversis per ineffabilem ejus bonitatem, et pœnitentiæ remedium concedi, et salutis aditum non negari. Oro, quid tibi peccavit humanum genus ; quid tibi peccavit Ecclesia ? quid in ipsa Ecclesia tot proximi et fratres tui, ut eis tam magnam, tam patentem januam pietatis Dei obstruere et obserare coneris ? Quis unquam fidelis ecclesiasticus vir ita prædicavit, ut hæc tam attente et obstinate inculcare et confirmare non erubescas ? Vere non est Christiana, sed pagana, imo diabolica ista duritia : quam si bene cogitare et cognoscere posses, profecto signares cor tuum, et manum tuam poneres super os tuum. Legi-

mus quidem in Evangelio beatum Joannem Evangelistam de Judæis dixisse : « Propterea non poterant « credere, quia dixit Isaias : Excæcavit oculos eo- « rum et induravit cor eorum. » Sed sicut beatus Augustinus in quinquagesimo ejusdem evangelistæ tractatu fideliter et catholice exponit [a] : « Sic dictum est, « non poterant, » ubi intelligendum est quod nolebant, quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro, « Si non credimus, ille fidelis permanet, negare « seipsum non potest. » De omnipotente dictum est, « non potest. » Sicut ergo quod Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ : ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ. » Non quia mutari homines in melius non possunt, sed quandiu superba sapiunt, non possunt credere. Hoc de Judæis, qui excæcati et indurati sunt, Deus præscivit, atque in ejus spiritu propheta dixit. Non ergo poterant credere, juxta sensum fidelissimi doctoris, quia hanc eorum futuram impossibilitatem, id est, superbam impietatem, per quam Domini humilitatem contempserunt, et Deus vere prævidit, et per Dei Spiritum propheta vere prædixit. Claudamus itaque aures adversus hanc inauditam duritiam, et verba præcipitationis, et audiamus præfatum doctorem dulciter orantem, et dulciter disputantem adversus profanæ inaniloquia vanitatis. « Quosdam, inquit, nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam, et quosdam nimiæ suæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt : Ut quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt : Ut quid conamur bene vivere, quod in Dei est potestate? O Domine! o Pater qui es in cœlis! ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos a malo. Audiamus Dominum dicentem : « Rogavi pro te, Petre, ut non « deficiat fides tua : » ne sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, ut divino non egeat adjutorio. Audiamus et evangelistam dicentem : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri : » ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus. Verumtamen in utroque illius beneficia cognoscamus. Nam et agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas, et orandum ne succumbat infirmitas. »

Sexto loco similiter detestati sumus quod Deum, et sanctos ejus, in perditione eorum, quos æternæ damnationi prædestinatos assidue repetis, dicis exsultaturos et gavisuros, cum e contrario apertissime Scriptura dicat : « Deus mortem non fecit, nec læ- « tatur in perditione vivorum. » Et alio loco : « Vivo « ego, dicit Dominus Deus, quia nolo mortem impii, « sed ut convertatur et vivat. » Et iterum : « Nun- « quid voluntatis meæ est mors impii, dicit Domi- « nus Deus, et non magis ut convertatur a via sua « mala, et vivat? » Quomodo ergo lætatur in morte et in damnatione impii, cum ipse jurat non esse voluntatis suæ? aut quomodo gaudet ad ruinam cujusquam, qui ut nullius bono, ita etiam nullius malo indiget, ut quasi potentior vel beatior fiat? Protu- listi quidem, velut ad muniendum sensum tuum, testimonia de Scripturis, sed incongruenter, et non eo sensu quo ibi posita sunt. Velut est illud : « Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsan- « nabo. » Et illud, quod non de generali perditione impiorum, ut tu posuisti, sed proprie de miseria et calamitate infidelium Judæorum in Deuteronomio dicitur : « Et sicut lætatus est Dominus super vos, « benefaciens vobis, vosque multiplicans; sic lætabi- « tur disperdens vos atque subvertens. » Sed grandi et pia consideratione indiget, ut qualitercunque cogitetur risus et subsannatio Dei in interitu perditorum, et lætitia sive exsultatio, non solum in profectu rectorum, sed etiam in subversione pravorum, qui, ut supra ostensum est, in nullius morte, in nullius perditione lætatur, nec aliquem perire velle sejurat, quia nullius interitum velut inimicus creaturæ suæ desiderat, sed in eis qui pereunt, tantummodo finem malitiæ et ordinem ac retributionem justitiæ diligit. Sic itaque in interitu impiorum et iniquorum ridebit et subsannabit, cum eorum superbiam et contemptum digna punitione humilians atque condemnans, omnem creaturæ vanitatem et elationem adversus Creatorem irrisione et subsannatione dignam esse monstrabit. Unde et divina eadem verba posita sunt, ut non diceret, de interitu vestro : scilicet non pro illo, sed in illo; id est, non pro illis qui sua culpa perierunt, sed quia in eorum justa perditione, in contemplatione rationalis et beatæ creaturæ, laus accresceet et gloria Creatoris, exsultante omni electa creatura, non in tormentis miserorum, sed in æquitate et veritate judiciorum divinorum. Quod etiam in præsenti sæculo animabus sanctorum conceditur, dicente Psalmista : « Ex- « sultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua, Do- « mine. » Non ergo propter perditionem cujusquam, sed propter divinæ æquitatis justitiam. Hoc sensu accipi potest et illud : « Lætabitur justus cum vide- « rit vindictam. » Et illud in Salomone : « Et in per- « ditione impiorum erit laudatio. » Lætatur autem omnipotens Deus, vel benefaciens justis, vel mala retribuens pravis. Non quod ipse diversa affectatione mutetur atque varietur, cujus gaudere, sicut et esse, æternum atque incommutabile est, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Sed sicut Spiritus Patris dicitur loqui in eis quos loquentes facit, quos ad testificationem veritatis instruit et informat : qui etiam postulare pro sanctis, et gemere ac desiderare dicitur, quia eis quos repleverit affectum postulandi et gemendi et desiderandi inspirat. Ita et ipse lætatur in sanctis in quibus habitare dignatur, quia eos proculdubio lætantes facit, sive in donis gratiæ quæ largitur piis, sive in judiciis et æquitatibus, quibus impios punit. Pro quibus etsi humano affectu, sicut Apostolus dicit de se, tanquam homines contristantur, tamen divino Spiritu regente atque illustrante, justa Dei judicia laudare et glorificare non cessant. Cum igitur tam

[a] Tract. 53 in Joan

magna et ineffabiliter majori cautela, ut aliquatenus intelligi possint, divina verba indigeant, non facile a quoquam proferenda sunt velut pro se, ne forsitan bene tractata inveniantur contra se.

Septimo loco, duo prorsus gravia mala in tuis nobis moribus plurimum displicuerunt. Unum quod sacerdotes Dei, et rectores Ecclesiarum, tantis injuriis et conviciis et maledictis laceras, tanto despectu et contumacia conculcas, utique spiritu erroris et superbiæ miserabiliter deceptus, ut omnino nihil Christianæ patientiæ, nihil Christianæ reverentiæ habere videaris. Nam inter cætera, omnes qui insaniæ sensuum tuorum zelo fidei resistunt, hæreticos appellare non metuis, eosque a bono et erudito viro atque catholico episcopo Rhabanicos nuncupare præsumis. Nec times Deum, quod in tales et tantos diaboli laqueos, per vanam instabilitatem mentis et corporis, et vaniorem curiositatem atque arrogantiam incidisti. Nec erubescis, quod in tot erroribus et mendaciis ab omnibus ubique deprehenderis et confutaris. Nec doles, quod ecce tot annis a corpore Ecclesiæ justæ severitatis damnatione præcisus, atque omni bonorum contubernio ac solatio defraudatus, remansisti velut stirps inutilis, et palmes aridus igni destinatus. Sed adhuc insuper os tuum maledictione et amaritudine plenum est : et conversus in arcum pravum, non pro Domino, ut putas, sed Ecclesiam matrem tuam, ejusque præsules patres tuos, sacrilega audacia contemnens, adversus Dominum jaculáris. Alterum vero malum est in moribus tuis, quod in omnibus quæ dicis et sentis, sicut Scriptura tua declarat, nullum omnino, hominum more bonorum, pie et humiliter deprecaris, nullius te sensui et auctoritati submittis, nec dicis quod sæpe solet et debet pietas dicere : Obsecro, bone vir aut bone frater, si in his quæ dico aliquatenus erro, ferto infirmitatem meam, instruito ignorantiam meam, et probabis obedientiam meam, quia paratus ero libenter suscipere quidquid Veritas dignabitur declarare. Sed ita te sensui tuo credis, et in ipsa veritate speculari et contemplari gloriaris, ut in scriptis tuis nec Deo ipsi supplices, ut tibi quod melius est revelet. Quapropter multum fraternitatem tuam exhortor et moneo, et paterna pietate ac fraterna charitate persuadeo, ut revertaris in temetipsum, convertaris ad cor tuum, et excutias procul a te istum errorem vanum, et laborem infructuosum ac perniciosum, restituasque te sanctæ matri Ecclesiæ, restituas te obedientiæ Domini sacerdotum et patrum tuorum, restituas te fraternæ omnium charitati. Ut qui modo jaces tanquam vas perditum, cooperante Dei gratia, efficiaris in domo ejus vas utile, ad omne opus bonum paratum. Nec terrearis consideratione, vel erroris quem incurristi, vel injuriarum quas in Dei sacerdotes intulisti, ne ex hoc velut implacabiles patiaris. Omnes deprecabimur pro te, et ipsi ultro propter amorem Christi obliviscentur se, eruntque apud omnes et præterita errata in oblivionem, et præsens conversionis tuæ bonum in gaudium et exsultationem. Tantum ne dubites, nec remoreris, sed erue te quasi damula de manu, et quasi avis de insidiis aucupis, ne in tali damnatione repentina morte præventus, Ecclesiæ matri, cui nunc mœrorem facis assiduum, luctum, quod absit, derelinquas perpetuum. Crede indubitanter quia hæc ex vera et sincera erga te charitate et solo amore salutis tuæ loquor. Nec omnino æstimes, quod quædam superius, velut durius et austerius prosecutus sum, ad confusionem vel condemnationem tuam prolata. Sed scito certissime quia ad hoc tantum dicta sunt, ut ea coram oculis ponerem tanquam in speculo veraciter dijudicanda, et adjuvante Dei gratia, quantocius et studiosius emendanda. Siquidem, ut bene ipse nosti, meliora sunt vulnera amici quam fraudulenta oscula inimici. Ad extremum, breviter tuæ intimo charitati, gestum esse intra Gallias, temporibus pene beati papæ Leonis, sive Agapiti, concilium venerabile et Ecclesiæ Dei valde utile, a pluribus episcopis, quibus præfuit admirandæ sanctitatis, et virtutum ac miraculorum, beatus Cæsarius Arelatensis episcopus : ubi diligenter de gratia Dei et libero hominis arbitrio, de præscientia et prædestinatione divina constat esse definitum, qualiter moderatissima ratione sentiendum, tenendum et docendum sit. Unde hæc ad commonitionem prudentiæ tuæ paucissima verba subnecto, quibus aiunt : « Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod post acceptam baptismi gratiam, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos non solum non credimus, sed etiam, si sint qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. »

AMULONIS

OPUSCULA DUO

EJUSDEM ARGUMENTI,

Amulonis ad Gothescalcum epistolæ adjuncta in codice Trevirensi.

OPUSCULUM PRIMUM.

Responsio ad interrogationem cujusdam de Præscientia vel Prædestinatione divina, et de libero Arbitrio.

Omnipotens Deus, quia verissime verus et solus Deus est, omnino in sua æterna et incommutabili scientia præscivit omnia antequam fierent, sicut Scriptura testatur, dicens : « Deus æterne, qui abs- « conditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam « fiant. » Præscivit ergo sine dubio, et bona quæ boni erant facturi, et mala quæ mali erant gesturi. Sed in bonis ipse fecit sua gratia ut boni essent : in malis vero, non ipse fecit ut essent mali, quod absit, sed tantum præscivit eos proprio vitio tales futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem, ut aliud esse non possent, sed tantum quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille ut Deus prævidit ex sua omnipotenti majestate. Unde Scriptura incontaminabilem justitiam ejus nobis insinuans, ait de illo : « Nemini mandavit impie « agere, et nemini dedit spatium peccandi. » Quod ergo impie agunt impii et iniqui, et spatium temporis vitæ hujus, quod eis dedit Deus ad bene agendum, ipsi e contrario convertunt ad malum exercendum, non Dei, sed ipsorum est culpa, et ideo recte damnantur ipsius justitia. Præscivit autem idem omnipotens Deus etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseveraturos prævidit, non ex sua, quod absit, iniquitate, qui nihil injuste constituit, et qui reddit unicuique secundum opera sua, id est, et bene agentibus bona æterna, et male agentibus mala perpetua. Ergo bonos præscivit omnino, et per gratiam suam bonos futuros, et per eamdem gratiam æterna præmia accepturos, id est, et in præsenti sæculo bene victuros, et in futuro feliciter remunerandos. Utrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Unde Apostolus vasa misericordiæ eos appellat dicens : « Ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa « misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. » E contrario autem malos, et præscivit per propriam malitiam malos futuros, et præscivit per suam justitiam æterna ultione damnandos. Sicut præsciebat de Juda proditore quod eum esset traditurus, sicut Evangelium dicit : « Cum esset unus de duodecim, » præsciebat etiam æternam ejus damnationem, cum diceret : « Væ homini illi per quem Filius hominis « tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset « homo ille. » Sic et de impiis Judæis, præsciebat sine dubio eorum impietatem futuram, de qua prædixit in Psalmo : « Dederunt in escam meam fel, et « in siti mea potaverunt me aceto. » Præsciebat et subsequentem ipsorum damnationem, de qua in eodem Psalmo subjunxit : « Deleantur de libro viven- « tium, et cum justis non scribantur. » Sed in his, et in omnibus iniquis, illud prius ex propria est pravitate, istud sequens ex divina æquitate. Hoc modo et de prædestinatione Dei omnino sentiendum est quia in bonis prædestinavit, et ipsam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ suæ, et pro eadem bonitate æternam ipsorum remunerationem, ut ipsius dono fierent boni, ipsius dono essent remunerati. Unde ait Apostolus : « Qui prædestinavit nos in « adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum. » Et alio loco : « Quos præscivit et præde- « stinavit conformes fieri imaginis Filii sui. » Prædestinavit utique electos suos, ut et nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, et in futuro efficiantur conformes imaginis Filii Dei, per eamdem Dei gratiam secundum imaginem ejus renovati et glorificati. Prædestinavit omnino, ut et hi essent boni, non ex se, sed ex illo, et illi beati, non per se, sed per illum. In utroque ergo bona sua in eis et de eis futura præscivit et prædestinavit. In malis vero et impiis, non prædestinavit omnipotens Deus malitiam et impietatem, id est, ut mali et impii essent, et aliud esse non possent : sed quos præscivit et prævidit malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinavit ad æternam damnationem justo judicio. Non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibimetipsis exstiterunt causa perditionis : Deus autem justus judex et ordinator justus ipsius damnationis. Non enim prædestinavit injusta, sed justa. Prædestinat tamen et coronas justis, et pœnas injustis, quia utrumque est justum. Quam justitiam ejus commendans nobis Apostolus, ait : « Nunquid ini- « quus Deus, qui infert iram? Absit. » Et quia modo omnibus prærogat patientiam, ut convertantur ad pœnitentiam, et qui pereunt, suo contemptu et duritia pereunt, quia tantam Dei patientiam contempserunt, iterum alio loco dicit : « An divitias bonita-

« tis et patientiæ et longanimitatis ejus contemnis, « ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam « te adducit. » Secundum duritiam autem suam et cor impœnitens, thesaurizat sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. Hinc etiam alia Scriptura testatur, dicens: « Deus mortem non fecit, nec lætatur in « perditione vivorum : impii autem manibus et verbis « accersierunt illam, et æstimantes amicam deflexe- « runt et sponsiones posuerunt ad illam, quoniam digni « sunt qui sint ex parte illius. » Non ergo omnipotens Deus ulli hominum causa mortis vel perditionis existit; sed ipsam mortem et perditionem manibus et verbis ipsi impii sibi acccersunt, dum nequiter operando, et nequius aliis suadendo, et sibi et illis damnationem adducunt; dum viam iniquitatis et perditionis amantes, a recto itinere deflectunt, et ad perpetuam damnationem, tanquam datis inter se dextris, pari consensu nequitiæ, quasi ex voto et sponsione festinant, fœderati mortis et vitæ æternæ inimici : ipsi secundum duritiam suam et cor impœnitens, thesaurizant sibi iram in die iræ. In qua die justi judicii Dei, quia unusquisque secundum opera sua recipit, nemo ex Dei præjudicio, sed ex merito proprio iniquitatis, condemnatur. Non enim ille aliquem prædestinavit ut malus esset, sed vere omnem malum prædestinavit ut impunitus non esset. Quia et unaquæque lex justa crimen non jubet, ne sit injusta, et tamen criminosum punit, ut vere sit justa. Qui ergo dicit, quod hi qui pereunt prædestinati sunt ad perditionem, et ideo aliter evenire non potest; similiter quoque et de justis, tanquam et ipsi ideo salventur, quia prædestinati ad salutem aliud esse non potuerunt. Qui ergo hæc tam confuse et insulse, et illis tollit meritum damnationis, et istis meritum salutis : ac per hoc quid aliud agit, nisi ut et pereuntibus secundum illum sit imposita necessitas perditionis, et his qui salvantur sit imposita necessitas salutis? atque ideo nec illi juste damnentur, qui justi esse non potuerunt, nec isti juste remunerentur, qui aliud quam justi esse nequiverunt, ut in utraque parte et perditio et salus non sit ex judicio propriæ actionis, sed ex præjudicio divinæ præordinationis? Et ubi erit illud : « Qui reddet unicuique « secundum opera sua? » Et iterum : « Nunquid « iniquus Deus qui infert iram? Absit. » Aperte namque causa perditionis illorum qui pereunt, in Deum refertur, si ipse eos ita ad interitum prædestinavit, ut aliud esse non possent. Quod sentire vel dicere horribilis blasphemia est. Sed Ecclesiæ catholicæ fides, cujus filii et sectatores esse debemus, ita nobis firmissime tenendum insinuat, ut superius juxta Scripturæ sanctæ auctoritatem breviter designavimus. Videlicet omnipotentem Deum, in malis ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est; non prædestinasse, quia ex illo non est : pœnam vero illorum et præscisse, quia Deus est, et prædestinasse, quia justus est : ut et in illis sit meritum suæ damnationis, et in illo potestas et judicium justæ damnationis. Non enim prædestinat Deus, nisi quæ ipse facturus est : præscit vero multa quæ ipse facturus non est, sicut omnia mala, quæ utique mali faciunt, non ille. Ipsos quoque malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt : sed quia boni esse noluerunt, et suo vitio vasa iræ apta in interitum perseveraverunt, et in massa damnationis, vel originali- vel actuali merito permanserunt. In bonis autem, omnipotens Deus, sicut supra satis ostensum est, utrumque præscivit et prædestinavit, ut et in præsenti vita per suam gratiam existerent boni, et in futura etiam beati. Utriusque enim boni eorum, id est, præsentis et futuri, ipse est auctor, et idcirco sine dubio utriusque præcognitor et prædestinator. Quare et ipsi ex seipsis non solum aliud esse potuerunt, sed etiam aliud fuerunt antequam per eum qui justificat impium, ex impiis justi efficerentur. Sive autem in illis qui salvantur, sive in illis qui pereunt, voluntas propria remuneratur, voluntas propria damnatur. Sed in illis, quia per gratiam Domini Salvatoris est sanata, ut ex mala et prava fieret bona et recta, est procul dubio dignissime coronata : in istis autem, quia non acquiescit per Salvatorem recipere sanitatem, justissime per eumdem judicem sentiet perpetuam damnationem. Et hoc est breviter totum, quod de libero arbitrio juxta veritatem catholicæ fidei est tenendum. Quod scilicet omnem hominem liberi arbitrii condiderit Deus. Sed quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt : ita istud liberum arbitrium, in universo genere humano, illius prævaricationis merito, vitiatum et corruptum, ita obcæcatum est et infirmatum, ut sufficiat homini ad male agendum, id est, ad ruinam iniquitatis, et ad hoc solum possit esse liberum : ad bene agendum, id est, ad exercitium virtutis et fructum boni operis, nullo modo assurgat et convalescat, nisi per fidem unius mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu, et donum Spiritus sancti instauretur, illuminetur atque sanetur : sicut ipse Salvator in Evangelio promittit, dicens : « Si vos « Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. » Et Apostolus ait : « Ubi spiritus Domini, ibi libertas. » Ut per hanc gratiam Christi et spiritus Christi, humanum liberum arbitrium illuminatum atque sanatum, dicat gratulans illud Psalmistæ : « Dominus illumi- « natio mea et salus mea, quem timebo? « Qui igitur hanc gratiam libertatis accipere desiderat, ut ad bene et pie vivendum veraciter liber fiat, non de suis viribus præsumat, sed illi se fideliter sanandum corroborandumque committat, de quo idem Psalmista dicit : « Apud Dominum gressus hominis dirigentur « et viam ejus volet : » illumque oret atque supplicet dicens : « Gressus meos dirige secundum elo- « quium tuum, et non dominetur mei omnis injuc « stitia. » Et iterum : « Deduc me, Domine, in via « tua, et ingrediar in veritate tua, » et cætera similia.

OPUSCULUM II.

De gratia et præscientia Dei, deque prædestinatione et libero arbitrio, de spe item ac fiducia salutis, et de sententia sancti Augustini.

(Opusculum hoc in veteri codice Amulonis Epistolam subsequitur, sine titulo, et, ut apparet, sine principio.)

Gratiam itaque Dei credere debemus, qua humanum genus, nullis suis bonis meritis præcedentibus, sola Dei gratuita bonitate et misericordia salvatur per unum mediatorem Dei et hominum Jesum Christum. Quam gratiam commendat ipse Dominus in Evangelio dicens: « Venit enim Filius hominis quæ-« rere et salvum facere quod perierat. » Hanc et Apostolus prædicat dicens: « Ut gratia Dei pro omni-« bus gustaret mortem. » Et alibi: « Deus autem, « qui dives est in misericordia, propter nimiam cha-« ritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus « mortui peccatis, convivificavit nos Christo. » Hanc significat gratiam, ubi dicit fidelibus: « Gratia salvi « facti estis per fidem, et hoc non ex vobis. Dei « enim donum est. » Id est, utrumque, et quod salvi facti estis, et quod per fidem salvati: et salus vestra, et fides vestra. Per hanc gratiam, id est, gratuitum donum suum, trahit Deus Pater quos vult ad Filium suum. Trahit autem, non necessitate, sed delectabili voluntate et amore: sicut ipse Filius dixit: « Nemo « potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, tra-« xerit eum. » Trahit eosdem et ipse Filius ad se, sicut ipse dicit: « Et ego si exaltatus fuero a terra, « omnia traham ad meipsum. » Hanc accipiunt in baptismo regenerati parvuli et majores, et quotidie fideles in omni cogitatu, et opere, et sermone bono. Exhortatur videlicet, quod bonum est inspirando: confirmat vero, quod inspiraverit conservando. Nullum est enim hominis bonum, quod non sit Dei donum. Per hanc gratiam nobis, etiam quotidiana peccata humiliter confitentibus et supplicantibus remittuntur, testante beato Joanne apostolo, et dicente: « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et « justus, ut remittat nobis peccata, et emundet nos « ab omni iniquitate. »

Præscientiam quoque Dei credere debemus, qua omnia in æterna scientia sua præscivit, et præcognita ei sunt quæcunque futura sunt: non solum bona quæ ipse facit et remunerat in suis, sed etiam mala quæ ipse non facit, sed tantum judicat et damnat in alienis. Unde et Scriptura dicit: « Qui nosti omnia « antequam fiant. » Ita namque in illa æterna præscientia, ei æternaliter et incommutabiliter omnia præcognita sunt, sicut omnino futura sunt. Et quia verissime et certissime præscivit, omnino ita erunt, sicut ea præscivit. De qua præscientia ejus Apostolus dicit: « Nam quos præscivit et prædestinavit con-« formes fieri imaginis Filii sui. » Præscivit credituros et non credituros; præscivit in fide perseveraturos, et non perseveraturos; præscivit in vita æterna futuros, et in igne æterno arsuros. Præscivit ergo et certum numerum sanctorum suorum. Unde mystice in Psalmo canitur: « Qui numerat multitudinem « stellarum, et omnibus eis nomina vocat. » Et Apostolus: « Novit Dominus qui sunt ejus. »

Debemus etiam credere prædestinationem et electionem sanctorum: quia eos, quos præscivit sua gratia salvandos et liberandos, prædestinavit, id est, præordinavit, et elegit, id est, a massa perditionis et societate reproborum discrevit, ut ejus gratia fierent vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Non itaque idcirco eos prædestinavit et elegit, quia præscivit eos ex semetipsis justos futuros: sed potius ad hoc eos præscivit et prædestinavit, ut eos gratis sua gratia justificaret. Quod totum ita Apostolus testatur dicens: « Nam quos præscivit et prædesti-« navit, » etc. Hoc itaque eis præstitit præscientia et prædestinatio Dei, ut fierent quod non erant, id est, ut fierent conformes imaginis Filii sui, et vocarentur vocatione non solius vocis exterius, sed et gratiæ inspirantis et adjuvantis interius. Hæc prædestinatio Dei appellatur nonnunquam propositum Dei, sicut ait Apostolus: « Scimus enim, quoniam diligentibus Deum « omnia cooperantur in bonum his, qui secundum « propositum vocati sunt sancti. » De hoc proposito et gratia, ante mundi constitutionem, ante tempora æterna sanctis promissa et donata, iterum dicit: « In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non men-« titur Deus ante tempora sæcularia, manifestavit « autem temporibus suis verbum suum. » Et alibi: « Secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, et voca-« vit vocatione sua sancta, non secundum opera « nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, « quæ data est nobis in Christo Jesu, ante tempora « sæcularia, manifestata est autem nunc, per illu-« minationem Salvatoris nostri Jesu Christi. » De qua vocatione dictum est: « Sine pœnitentia enim « sunt, » id est, sine mutatione, « dona et vocatio « Dei. » Oportet itaque ut credamus, ipsum bonum perseverantiæ sanctorum, non solum donum, sed etiam magnum et præcipue necessarium Dei donum. Quid enim prodest in his bonis esse cœpisse, et ea ante finem vitæ vel in finem perdidisse?

Oportet etiam ut credamus, liberum et rectum voluntatis arbitrium, ab initio homini a Deo naturaliter insitum, ita primæ prævaricationis merito esse vitiatum, infirmatum et depravatum, ut ad amorem veritatis et justitiæ assurgere non possit, nisi per donum Christi fuerit excitatum, sanatum, ac vegetatum, et a suæ pravitatis vitio liberatum. Hinc enim Scriptura dicit: « Creavit Deus hominem rectum « et ipse se infinitis miscuit quæstionibus. » Et post

hunc humanæ depravationis lapsum quid subjectum sit, eadem Scriptura sic dicit: « Sensus enim et « cogitatio humani cordis prona est ad malum. » Hunc itaque liberi arbitrii languorem, quo sensus hominis et cogitatio ex vitio damnatæ originis, prona et intenta est ad malum, et ipsum liberum arbitrium tenetur captivum, solus ille sanat medicus, solus ille liberat, et reddit liberum liberator, qui de seipso ait: « Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. » Et iterum: « Si vos Filius liberaverit, tunc vere « liberi eritis. » Ipse liberum arbitrium reddit sua gratia liberatum: ut sicut erat pronum et promptum ad malum, multo attentius et delectabilius efficiatur pronum et promptum ad bonum. De qua libertate Apostolus ait: « Ubi autem spiritus Domini, ibi « libertas. »

Hæc igitur gratia, et præscientia, et prædestinatio, et electio, et vocatio, sed et liberi arbitrii dejectio et instauratio, tam clare annuntiata in Scripturis, fidelissime et firmissime debent teneri a nobis. Quæ non ad hoc annuntiantur, ut hominem fidelem ab spe et fiducia salutis dejiciant, aut frangant: sed ut humiliata omni humana superbia, et omni de suis viribus præsumptione deposita, subjiciat se unusquisque et commendet fideliter Deo regendum, et ejus virtute protegendum, ejus bonitate juvandum, ejus gratia conservandum et perficiendum, quæ nulla est alia, nisi misericordia et benignitas Redemptoris, cujus morte vivificamur, cujus sanguine Redimimur, cujus justitia absolvimur, cujus cruce salvamur, ut fiat in nobis, non ad desperationem, sed ad salutem, quod Apostolus ait dicens: « Sed ipsi in nobis ipsis « responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes « in nobis, sed in Deo, qui vivificat mortuos. » Et alio loco: « Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, « qui factus est sapientia nobis a Deo, et justitia, « et sanctificatio, et redemptio. » Quatenus totum ipse nobis sit, et nos toti ejus simus, non ex parte de nobis, et ex parte de illo fidentes, et unusquisque nostrum dicat ei fideliter cum Psalmista: « Tuus « sum ego, salvum me fac. » Quid est enim, quod ita se quodammodo familiarius Deo commendandum putavit, ut diceret, « Tuus sum ego? » nisi intelligi volens, quod malo suo suus esse voluerit, quod est inobedientiæ primum et maximum malum. Ideo tanquam dicens, Meus esse volui, et perditum me feci, « Tuus sum, » inquit, « salvum me fac. » Constanter utique fidelis quisque Christo crede, eique te totum committe, quantum potes. Noli velle esse quasi proprius, et in tua potestate, sed ejus clementissimi et utilissimi Domini te servum esse profitere. Ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. Ipsa est namque Dei sapientia, quæ loquitur et admonet dicens (*Eccli.* XXIV, 24 *et seqq.*): « Ego mater pulchræ « dilectionis et timoris, et agnitionis et sanctæ spei: « in me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis « spes vitæ et virtutis. Transite ad me, omnes qui « concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Qui audit me « non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt. » Pro hac vir sapiens orat dicens (*Sap.* IX, 10): « Mitte illam de sanctis cœlis tuis, et a sede « magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret « et sciam quid acceptum sit apud te. »

Neque contrarium putari debet, quod in dictis sancti Augustini, forsitan et aliorum catholicorum doctorum, aliquoties inveniri solet, impios quoque ad æternam damnationem, sive ad æternum interitum prædestinatos. Quia omnipotens Deus, quos in peccato suo, sive originali, sive etiam actuali, atque in impietate prævidit esse perituros, non eos sua divina potestate, quasi præjudicando, prædestinavit ad malum, ut eos velut ipsa prædestinatione cogeret malos esse, atque ad æterna mala toleranda pervenire: sed quos vel ex juste in Adam damnata origine, vel etiam propria impietate, perpetuæ damnationis reos futuros esse præscivit, justo eos judicio, tanquam omnium præscius, ad æternum interitum præordinavit, et præordinando utique prædestinavit. Sed jam audiamus beatum Augustinum, quomodo et ipse, post Apostolum præcipuus prædestinationis et gratiæ prædicator, hortetur fideles ad studia pietatis, et instantiam orationis, ut mereantur accipere præmium vocationis. « [a] O si cor esset, inquit, qualitercunque suspirans in illam ineffabilem gloriam! o si peregrinationem nostram in gemitu sentiremus, et sæculum non amaremus, et ad eum qui nos vocavit pia mente perpetuo pulsaremus! Desiderium sinus cordis est: capiemus, si desiderium quantum possumus extendamus. Hoc nobiscum ait et Scriptura divina, hoc congregatio populorum, hoc celebratio sacramentorum, hoc baptismus sanctus, hoc cantica laudis Dei, hoc ista nostra disputatio, ut hoc desiderium non solum seminetur et germinet, verum etiam in modum tantæ capacitatis augeatur, ut idoneum sit sumere, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Sed amate mecum. Non multum amat nummum qui amat Deum. Et ego palpavi infirmitatem. Non sum ausus dicere, non amat nummum, sed non multum amat nummum: quasi amandus sit nummus, sed non multum. » O si Deum digne amemus! nummos omnino non amabimus. « Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, non irritamentum cupiditatis: quo utaris ad necessitatem: non quo fruaris ad delectationem. Deum ama, si aliquid in te egit quod audis et laudas. Utere mundo, non te capiat mundus. Quod intrasti, iter agis. Exiturus venisti, non remansurus. Iter agis, stabulum est hæc vita. Utere nummo, quomodo viator in stabulo utitur mensa, calice, urceo, lectulo, dimissurus non permansurus. Si tales fueritis, erigite cor qui potestis, et audite me. Si tales fueritis, ad ejus promissa venietis. Non enim multum est ad vos, quia magna est manus ejus qui vos vocavit. Vocavit, invocetur. Di-

[a] Tract. XL in Joan. in fine.

catur illi : Vocasti nos, invocamus te. Ecce audivimus vocantem : audi invocantes. Perduc quo promisisti, perfice quod inchoasti. Noli deserere munera tua, noli deserere agrum tuum. Germina tua intrent in horreum. Abundant tentationes in mundo, sed major est qui fecit mundum. Abundant tentationes, sed non deficit, qui illo spem ponit in quo defectus nullus est. »

B. AUGUSTINI SENTENTIÆ

DE PRÆDESTINATIONE ET GRATIA DEI, ET DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO.

COLLIGENTE AMULONE EPISCOPO LUGDUNENSI.

(Biblioth. vet. Patrum.)

JACOBI SIRMONDI PRÆFATIO.

Eclogem hanc sententiarum idem nobis vetus codex protulit, qui Amulonis nuper epistolam ad Gothescalcum : ac nisi nos conjectura fallit, idem ipse Amulo, qui epistolæ est auctor, hujus quoque auctor est Collectionis. Cujus tu operis duplicem, lector, pro solertia tua statim agnosces gratiam. Unam, quod plurimis et maximis de rebus quæ in controversia nunc versantur, quid senserit et docuerit Augustinus, ipsius Augustini verbis, quod erat optandum, patefaciet : alteram, quod verborum Augustini, ne malos interpretes audiamus, veram utilemque intelligentiam depromet. Sunt enimvero, sicut olim fuerunt, qui sub Augustini titulo incautos circumveniant. Neque enim cautior ille aut felicior esse potuit quam prophetæ, quam apostoli et evangelistæ, quorum verbis hæretici aliquando ad defendendos errores suos abusi sunt. Cæterum liceat quibus hos sequi libet, vel Augustinum cum Adrumetinis monachis non intelligere, vel falsa illi affingere cum prædestinatis. Nos, Amulone duce, Augustini sententias in eam partem accipiemus, quæ Ecclesiæ placitis maxime congruat, quæ fidem fiduciamque nostram ædificet, quæ nos Deo divinæque providentiæ totos dedat, explosis iis qui cum ab Augustino procul absint, Augustini tamen nomine gloriari suumque illum dicere cum Gothescalco non erubescunt.

EJUSDEM SIRMONDI PRÆFATIO ALTERA.

De Sententiis S. Augustini quanti merito faciendæ sint.

Etsi de sancti Augustini sententiis nulli dubium esse potest quin magno in pretio et honore habendæ sint, tanquam admirabilis doctrina, sapientissimique, ut Facundus ait, atque clarissimi Ecclesiarum Christi magistri, cautio in his tamen, ne fraus incurrat, duplex adhibenda est : una, ne male forsan expositæ nobis illudant : altera, ut in laudando earum auctore modum teneamus. Male olim Augustini epistolam ad Xystum intellexerant monachi Adrumetini, eoque ferebantur ut liberum hominis arbitrium ab eo negari crederent, nisi erroris illos admonuisset, suamque illis mentem aperuisset in libro de Gratia et libero Arbitrio. Prædestinatos rursus ad interitum quosdam cum scripsisset Augustinus, atque hoc nonnulli, quasi prædestinatos ad peccatum diceret, interpretarentur, Fulgentius contra, libro primo ad Monimum, prædestinationem non ad iniquitatem, sed ad supplicium intelligendam docuit. Prima itaque in verbis Augustini cura sit oportet ut quo sensu accipi debeant exploremus; proxima, ut de auctoritate cum agitur, Augustinum sic amemus, ut eos non audiamus, qui illum supra quam par est extollere student. Quod dum faciunt, non animadvertunt se illum ipsum, cujus laudibus indulgent, minime faventem, sed adversarium habituros. Quippe qui ad S. Hieronymum scribens epistola 28 solis canonicorum librorum scriptoribus honorem hunc deferre norit, ut nusquam errasse illos credat. De se autem tantum abest ut idem sibi arroget, ut horum similes quosdam amatores suos, qui de ipso aliter sentiebant, graviter hoc nomine reprehendat in epistola 143 ad Marcellinum. « Vos autem, inquit, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos quorum malitia, vel ignorantia, vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis; non bonam causam suscepistis, facile in ea me judice superamini : quoniam non mihi placet, cum a charissimis meis talis esse existimor qualis non sum. »

AMULONIS PRÆFATIO.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Legat fidelis quisque fideliter subnexas beati Augustini sententias, quas ex libris ejus studiose collectas, et eodem Domino adjuvante salubriter ordinatas, in hoc libello avide carpendas ac dulciter proponimus ruminandas, ut devotus et simplex lector, ne magnis

et multiplicibus prædicti Patris disputationibus fatigetur, vel etiam profunditate ac perplexitate tantarum quæstionum deterreatur aut perturbetur, brevi compendio discat unde fidem suam fideliter ædificet, et actionem salubriter informet. Sumat itaque hæc velut alimenta salutis, et utatur velut unguentis suavitatis; quatenus ipso usu pietatis et devotæ supplicationis magis magisque quotidie experiatur quam veraciter omnibus Deum fideliter quærentibus et invocantibus Scriptura dicat : « Quærite Deum, et « vivet anima vestra (*Psal.* LXVIII). » Et iterum : « Quærite bonum, et non malum, ut vivatis; et « erit Dominus exercituum vobiscum, sicut dixi- « stis (*Amos* V). » Et alio loco : « Lætetur cor quæ- « rentium Dominum (*I Par.* XVI). » « Quærite Do- « minum, et confirmamini : quærite faciem ejus « semper (*Psal.* CIV). » Itemque alibi ipse Dominus : « Et ibitis, inquit, et orabitis me, et exaudiam vos. « Quæretis me, et invenietis, cum quæsieritis me in « toto corde vestro, et inveniar a vobis, dicit Do- « minus (*Jer.* XXIX). » Quoniam, ut Psalmista ait : « prope est Dominus omnibus invocantibus eum in « veritate (*Ps.* CXLIV). » Absit enim ut doctor pietatis ideo aliquem ad hæsitationem vel diffidentiam impellere videatur, quia juxta Scripturæ sanctæ fidem omnes docet, omnes hortatur, non in seipsis, sed in Deo spem ponere; cum scriptum sit : « Male- « dictus homo qui spem suam ponit in homine (*Jer.* « XVII); » et post pauca : « Erit quasi myricæ in de- « serto, et non videbit cum venerit bonum (*Ibid.*). » E contrario autem : « Benedictus vir qui confidit in « Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi « lignum quod transplantatur super aquas, quod ad « humorem mittit radices suas (*Ibid.*), » etc. Unde et in psalmo canitur : « Mihi autem adhærere Deo « bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. » « (*Psal.* LXXII). » Audiamus itaque fideliter, et diligentissime discamus in his brevissimis et suavissimis beatissimi Patris dictis, videlicet quid sentiendum et tenendum sit, juxta certissimam fidei catholicæ regulam, de originali delicto ex Adam in omne humanum genus transfuso, de libero arbitrio in Adam vitiato et per Christum sanando, de gratia Dei qua genus salvatur humanum, de modo justitiæ fidelium in hac vita, de utilitate correptionis et exhortationis, de prædestinatione, electione et vocatione sanctorum, de dono perseverantiæ usque in finem, quo pervenitur ad bonum quod non habet finem. Quantum etiam inter hæc adjuvetur apud Deum, et proficiat atque firmetur vita fidelium orationibus, eleemosynis, et cæteris studiis pietatis, ut alleventur prostrati, curentur saucii, erigantur elisi; ut petendo accipiatur, quærendo inveniatur, pulsando intretur, atque ita cooperante Dei gratia bonum certamen certetur, cursus consummetur, fides servetur, adventus Domini diligatur, et qui legitime certaverit coronetur. Sic itaque in his, et ex his, quæ tantus Pater de tantis rebus necessario et fideliter docet, proficiat ædificatio fidei nostræ, ut concalescat et accendatur fiducia spei nostræ, excitetur devotio orationis nostræ, informetur studium actionis nostræ : quia apud omnipotentem Dominum, veritatis et pietatis auctorem, nequaquam fides impedit devotionem, sed devotio dirigitur et ædificatur ex fide, ut quanto quis fidelius de illo sentit, et sentiendo veneratur, tanto promptius et efficacius ejus gratiam assequatur, Scriptura sancta dicente : « Sentite « de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis « quærite illum : quoniam invenitur ab his qui non « tentant illum, apparet eis qui fiduciam habent in « illum (*Sap.* I). »

INCIPIT LIBER.

CAPUT PRIMUM.

Ex libro de Perfectione justitiæ hominis, ad Eutropium et Paulum episcopos.

SENTENTIA I. (*Cap.* 3.) Spe salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII). Tunc ergo erit plena justitia, quando plena sanitas; tunc plena sanitas, quando plena charitas; plenitudo enim legis est charitas. Tunc autem plena charitas, quando videbimus eum sicuti est. Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad visionem.

II. (*Cap.* 4.) Per arbitrii libertatem factum est ut esset homo cum peccato; sed jam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. Unde ad Deum fidelis clamat : « De necessitatibus meis « educ me (*Psal.* XXIV). » Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere; vel quod intellexerimus, nolumus nec valemus implere. Nam et ipsa libertas credentibus a liberatore promittitur : « Si vos, inquit, Filius liberaverit, tunc vere liberi « eritis (*Joan.* VIII). » Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia Scriptura dicit : « A quo enim quis devictus est, huic et « servus addictus est (*II Petr.* II). » Sicut ergo non est opus sanis medicus, sed male habentibus, ita non est opus liberis liberator, sed servis, ut ei dicat gratulatio libertatis : Salvam fecisti de necessitatibus animam meam. Ipsa enim sanitas est vera libertas, quæ non perisset, si bona permansisset voluntas. Quia vero peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, et accipiatur tota libertas; in qua sicut necesse est permaneat beate vivendi vo-

luntas, ita sit ĕtiam bene vivendi et nunquam peccandi voluntaria felixque necessitas.

III. (*Cap.* 5.) Dominus, qui verbum consummans et brevians fecit super terram, in duobus præceptis dixit legem prophetasque pendere, ut intelligeremus quidquid aliud divinitus præceptum est, in his duobus habere finem, et ad hæc duo esse referendum : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et « ex tota anima tua, et ex tota virtute tua : » et « Di- « liges proximum tuum sicut teipsum. In his, inquit, « duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ. » (*Matth.* XXII). Quidquid ergo Dei lege prohibemur, et quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur et jubemur ut duo ista compleamus. Et forte generalis prohibitio est : « Non concupisces ; » et generalis jussio : « Diliges. » Unde breviter et apostolus Paulus quodam loco utrumque complexus est. Prohibitio est enim : « Nolite conformari huic sæculo ; » jussio autem, « sed reformamini in novitate mentis « vestræ (*Rom.* I). » Illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere ; illud ad continentiam, hoc ad justitiam ; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo enim vetustate exspoliamur, et novitate induimur diligendo. Sed nec quisquam potest esse continens, nisi Deus det : et charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctum, qui datum est nobis. Hoc autem fit de die in diem in his qui volendo, et credendo, et invocando proficiunt, et præterita obliviscentes in ea quæ ante sunt extenduntur. Ad hoc enim lex ista præcipit, ut cum in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus; ac sic eum lex terrendo ad Christum diligendum pædagogi perducat officio.

IV. (*Cap.* 8.) Sic curramus ut comprehendamus. Omnes enim qui recte currunt comprehendent : non sicut in agone theatrico, omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando. Curramus corpus castigando, et eleemosynas in bonis dandis, malisque ignoscendis, hilariter et ex corde faciendo, et currentium vires ut adjuventur orando. Et sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis.

V. (*Cap.* 10.) Quis nesciat, cum præceptum generale sit charitas, quia finis præcepti est charitas, et plenitudo legis est charitas, grave non esse quod diligendo fit, non timendo ? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere ; sed perfecta charitas foras mittit timorem, et facit præcepti sarcinam levem ; non solum non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum. Quæ tamen charitas ut habeatur, etiam tanta quanta in corpore mortis hujus haberi potest, parum est nostræ voluntatis arbitrium, nisi adjuvet gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Diffunditur quibus in cordibus nostris, quod sæpe dicendum est, non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Nec aliam ob causam Scriptura commemorat non esse gravia præcepta divina, nisi ut anima, quæ illa gravia sentit, intelligat nondum se accepisse vires, quibus talia sint præcepta Domini, qualia commendantur ; levia scilicet atque suavia, et oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis. Qui enim dicit : « Fiat cor meum « immaculatum, » et, « Itinera mea dirige secundum « verbum tuum, ne dominetur mihi omnis iniquitas » (*Psal.* CXVIII) ; et : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo, « ita et in terra : » et, « Ne nos inferas in tentatio- « nem (*Matth.* VI), » et cætera hujusmodi, quæ commemorare longum est, hoc utique orat, ut præcepta Dei faciat. Quæ ut fierent nec juberetur, si nihil ibi nostra voluntas ageret, nec oraretur, si sola sufficeret. Commendantur ergo non esse gravia, ut cui gravia sunt, intelligat nondum se accepisse donum, quo gravia non sint ; nec arbitretur ea se perficere, quoniam ita facit ut gravia sint. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nec tamen cum ea gravia sentit, desperando frangatur, sed ad quærendum, petendum, pulsandumque cogatur.

VI. (*Cap.* 11.) Aliud est esse sine peccato, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est ; aliud esse sine querela, quod de multis justis etiam in hac vita dici potuit. Quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana conversatione justa querela esse non possit. Quis enim juste queritur de homine qui nemini male vult, et quibus potest fideliter consulit, nec contra cujusquam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat : « Sic- « ut et nos dimittimus debitoribus nostris ? » (*Matth.* VI.) Et tamen eo ipso quod verum dicit : « Dimitte « sicut et nos dimittimus, » sine peccato se non esse declarat.

VII. (*Ibid.*) Custodivit vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat ; sed in eis currendo proficit, etsi aliquando ut infirmus offendit, aut titubat. Proficit autem minuendo peccata, donec perveniat ubi sine peccato sit. Non enim aliter potest eo modo proficere, nisi custodiendo vias ejus. Declinat autem a mandatis Domini atque discedit apostata, non ille qui, etiamsi habet peccatum, confligendi tamen cum eo perseverantiam non relinquit, donec eo perveniat ubi nulla cum morte contentio remanebit.

VIII. (*Cap.* 12.) Abstinet se ab omni re mala, qui peccato, sine quo non est, vel nunquam omnino consentit, vel si aliquando premitur, non opprimitur, sicut luctator fortior, etsi aliquando tenetur, non ideo perdit quo superior invenitur. Legitur sane homo sine crimine, legitur sine querela, et non legitur sine peccato, nisi filius hominis, unus idemque Dei Filius unicus.

IX. (*Cap.* 13.) Verissime tunc erunt homini multa bona, cum recesserit ab omni peccato. Tunc enim nulla erunt mala, ut non opus habeat dicere : « Li- « bera nos a malo. » Quamvis et tunc omnis qui proficit recta intentione proficiens, recedit ab omni peccato, et tanto inde longinquior, quanto plenitu-

dini justitiæ perfectionique fit propinquior, quia et ipsa concupiscentia, quod est peccatum habitans in carne nostra, etsi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non desinit in proficientibus. Aliud est ergo recedere ab omni peccato, quod nunc in opere est, aliud recessisse ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit.

X. (*Cap.* 13.) Quomodo dictum est : « Non est qui « faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII), » nisi quia populum quemdam psalmus ille culpat, in quo nec unus erat qui faceret bonum, dum volunt remanere filii hominis, et non esse filii Dei, cujus gratia homo fit bonus ut faciat bonum ? De illo enim bono dictum hic debemus accipere, quod ibi ait : « Deus de cœlo respexit super filios hominum, ut « videat si est intelligens aut requirens Deum. » Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum, sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum. Super hos enim respexit Dei præscientia protulitque sententiam.

XI. (*Cap.* 14.) « Nemo bonus, nisi unus Deus. » Sive quia omnia quæ creata sunt, quamvis ea Deus fecerit bona valde, Creatori tamen comparata, nec bona sunt, cui comparata nec sunt. Altissimo quippe et proprio modo quodam de se ipso dixit : « Ego « sum qui sum, » Sic dictum est, « Nemo bonus nisi « unus Deus (*Marc.* X), » quemadmodum de Joanne dictum est : « Non erat ille lumen (*Joan.* I), » cum Dominus eum dicat esse lucernam, sicut discipulos quibus dixit : « Vos estis lumen mundi (*Matth.* V). » Sed in comparatione luminis illius, quod est lumen verum illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, non erat ille lumen. Sive quia etiam ipsi filii Dei, comparati sibiipsis, quales in illa perfectione æterna futuri sunt, ita boni sunt, ut adhuc et mali sint, quod de illis dicere non auderem. Quis enim audeat dicere malos esse quorum pater est Deus, nisi ipse Dominus diceret : « Si ergo vos, « cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, « quanto magis (*Matth.* VII), » et reliqua. Cum ait utique « pater vester, » filios Dei jam esse monstravit, quos tamen adhuc malos esse non tacuit. Unde est ille admonitus, qui interrogaverat quid boni faceret, ut illum quæreret, cujus gratia bonus esset, cui bonum esse, hoc est ipsum esse, qui incommutabiliter bonus, non potest omnino malus esse.

XII. (*Cap.* 15.) Si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, et quæcunque petierimus accipiemus ab eo (*I Joan.* III). Hoc enim agitur voluntate, credendo, sperando, diligendo, corpus castigando, eleemosynas faciendo, injurias ignoscendo, instanter orando et proficiendi vires precando veraciterque dicendo : « Dimitte nobis, sic- « ut et nos dimittimus, » et : « Ne nos inferas in tenta- « tionem, sed libera nos a malo. » Hoc prorsus agitur, ut cor mundetur, et peccatum omne tollatur, et quod judex justus, cum in throno sederit, occultum invenerit, minusque mundatum, ejus misericordia A remittatur, ut Deo vivendo totum sanum mundumque reddatur. Judicium enim sine misericordia, sed illi qui non fecit misericordiam. Superaxaltat autem misericordia judicio. Quod si non esset, quæ spes esset ? Quandoquidem cum Rex justus sederit in throno, quis gloriabitur se castum habere cor ? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato ? Tunc ergo per ejus misericordiam justi, plene perfecteque mundati, fulgebunt in regno Patris sui sicut sol.

XIII. (*Ibid.*) Mundat Christus Ecclesiam nunc lavacro aquæ in verbo, abluens peccata præterita, et pellens ab ea dominationem malorum angelorum. Deinde, perficiens ejus sanitates, facit eam occurrere in illam gloriosam, non habentem maculam, neque rugam. Quos enim prædestinavit, illos et vocavit; B et quos vocavit, ipsos et justificavit ; quos autem justificavit, illos et glorificavit. In hoc mysterio dictum arbitror : « Ecce ejicio dæmonia, et sanita- « tes perficio hodie et cras, et tertia die consummor « (*Luc.* XIII), » id est, perficior. Dixit enim hoc ex persona corporis sui, quod est Ecclesia : disponens pro distinctis ordinatisque temporibus, quod in sua resurrectione significavit in triduo.

XIV. (*Ibid.*) Avertat se homo a delicto, cum proficiendo inde discedit, et renovatur de die in diem, et dirigat in opus misericordiæ, et ab omni delicto mundet cor suum : misereatur, ut quod restat, per veniam dimittatur. Hoc enim salubriter et sine vana inanique jactantia, bene intelligitur in eo quod dixit S. Joannes : « Si cor nostrum nos non reprehendat, C « fiduciam habemus ad Dominum, et quæcunque pe- « tierimus accipiemus ab eo. (*I Joan.* II). » Hoc enim videtur isto loco admonuisse, ne cor nostrum nos in ipsa oratione et petitione reprehendat, hoc est, ne forte cum cœperimus dicere : « Dimitte nobis « sicut et nos dimittimus, » compungamur non facere quod dicimus, aut etiam non audeamus dicere quod non facimus, et fiduciam petendi amittamus.

XV. (*Cap.* 18.) Quomodo verum est : « Omnis qui « peccat non vidit eum, neque cognovit eum (*I* « *Joan.* III), » cum secundum visionem et cognitionem quæ erit in specie, nemo eum in hac vita videat atque cognoscat ; secundum visionem autem et cognitionem quæ est in fide, multi sunt qui peccent, certe ipsi apostatæ, qui tamen in eum aliquando crediderunt, ut de nullo eorum dici possit, D secundum visionem et cognitionem quæ adhuc in fide est, « non vidit eum, neque cognovit eum ? » Sed intelligendum arbitror, quia renovatio perficienda videt, et cognoscit ; infirmitas vero absumenda, nec videt, nec cognoscit eum. In cujus quantiscunque reliquiis interius constitutis si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est.

XVI. (*Ibid.*) Cum per gratiam renovationis filii Dei sumus, tamen propter reliquias infirmitatis nondum apparuit quod erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Tunc peccatum nullum erit,

quia infirmitas nec interior nec exterior ulla remanebit, et omnis qui habet hanc spem in eum, sanctificat se sicut et ipse sanctus est. Sanctificat enim se, non per seipsum, sed credendo in illum, et invocando illum, qui sanctificat sanctos suos. Cujus sanctificationis perfectio, quæ nunc proficit, et crescit de die in diem, omnes infirmitatis reliquias ablatura est.

XVII. (*Cap.* 19.) Dei gratiam vel misericordiam volumus impetrare, cum dicimus : « Fiat voluntas « tua sicut in cœlo, ita et in terra, » vel : « Ne nos infe- « ras in tentationem, sed libera nos a malo. » Ut quid enim ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis et currentis, non miserantis est Dei ? Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adjuvetur. Hæc est fidei sanitas ; quæ nos facit orare, quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulsare ut aperiatur nobis. Contra istam qui disputat, contra seipsum claudit ostium misericordiæ Dei. Nolo plura dicere de re tanta, quia melius eam committo fidelium gemitibus quam meis sermonibus.

XVIII. (*Ibid.*) Voluntarium nostrum bonum est, cum Deus operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate. In Deuteronomio scriptum est : « Vitam et mortem dedit ante faciem hominis, bo- « num et malum, et admonuit ut eligeret vitam « (*Deut.* xxx). » Sed et ipsa admonitio de misericordia venit, nec aliquid prodesset eligere vitam, nisi Deus eligendi charitatem inspiraret, et electam habere præstaret. De eo dictum est : « Quoniam ira in in- « dignatione ejus, et vita in voluntate ejus. (*Psal.* « xxix). » Item dictum est : « Si velis præcepta, serva- « bunt te. (*Eccli.* xv). » Sed debet Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset. Positis antè hominem igne et aqua, quo vult quidem porrigit manum ; sed altior est qui vocat altius quam omnis humana cogitatio.

XIX. (*Ibid.*) Lex prævaricationis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est. Unde subintravit ut abundaret delictum, et ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. Id est, ut acciperet homo præcepta, superbe de suis viribus fidens : in quibus deficiens, et factus etiam prævaricator, liberatorem salvatoremque requireret ; atque ita eum timor legis humilem factum, tanquam pædagogus ad fidem gratiamque perduceret. Ita multiplicatis infirmitatibus postea acceleraverunt, quibus sanandis opportune Christus advenit. In cujus gratiam etiam justi antiqui crediderunt, eadem ipsa gratia ejus adjuti, ut gaudentes eum prænoscerent, et quidam etiam prænuntiarent esse venturum, vel in illo populo Israel, sicut Moyses, et Jesu Nave, et Samuel, et cæteri tales, vel extra ipsum populum, sicut Job, vel ante ipsum populum, sicut Abraham, sicut Noe, et quicunque alii sunt, quos commemorat vel tacet divina Scriptura. Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sine cujus gratia nemo a condemnatione liberatur, sive quam traxit ex illo in quo omnes peccaverunt, sive quam postea suis iniquitatibus addidit.

XX. Dicitur : « Adjutor meus esto, ne derelinquas me : » non utique ad corporalia bona capessenda et mala cavenda ; sed ad gerendam perficiendamque justitiam. Propter quod dicimus : « Ne nos inferas « in tentationem, sed libera nos a malo. » Nec adjuvatur, nisi qui et ipse aliquid agit : adjuvatur autem, si invocat, si credit, si secundum propositum vocatus est. Quomodo quos ante præscivit et prædestinavit conformes imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos et vocavit ; quos vocavit, illos et justificavit ; quos autem justificavit, illos et glorificavit. Currimus ergo cum proficimus, dum sanitas nostra in proficientibus currit : sicut etiam cicatrix currere dicitur, quando bene vulnus diligenterque curatur, ut omni ex parte perfecti, sine ulla simus omnino infirmitate peccati, quod non solum vult Deus, verum etiam ut impleatur facit atque adjuvat. Et hoc nobiscum agit gratia Dei per Christum Jesum Dominum nostrum, non solum præceptis, sacramentis, exemplis, sed etiam Spiritu sancto per quem latenter diffunditur charitas in cordibus nostris, qui interpellat gemitibus inenarrabilibus, donec in nobis sanitas perficiatur, et Deus, sicuti est videndus in æterna veritate, monstretur.

XXI. Quisquis fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei et hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ Scripturæ, ubi Apostolus dicit : « Per unum ho- « minem peccatum intravit in mundum, et per pec- « catum mors, et ita in omnes homines pertransiit, « in quo omnes peccaverunt (*Rom.* v). » Et necesse est ut impia contentione asserat esse posse homines qui sine mediatore Christo, liberante atque salvante, sint liberi salvique a peccato ; cum ille dixerit : « Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. « Non veni vocare justos, sed peccatores (*Matth.* « ix ; *Luc.* xii). »

XXII. (*Ibid.*) Quisquis autem dicit, post acceptam remissionem peccatorum, ita quemquam hominem juste vixisse in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit apostolo Joanni, qui ait : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, « nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est « (*I Joan.* i). » Non enim ait « habuimus, » sed « habe- « mus. » Quod si quisquam asserit de illo peccato dictum, quod habitat in carne nostra mortali, secundum vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum est, cujus peccati desideriis ne obediamus, Paulus apostolus præcipit : non autem peccare, qui eidem peccato, quamvis in carne habitanti, ad nullum opus malum omnino consentit, vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamvis ipsa concupiscentia moveatur, quæ alio modo peccati nomen accepit, quod-

ei consentire peccare sit, nobisque moveatur invitis; subtiliter quidem ista discernit, sed videat quid agatur de Dominica oratione, ubi dicimus: « Dimitte « nobis debita nostra. » Quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si nunquam, vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione, ejusdem peccati desideriis aliquantulum consentiremus. Sed tantummodo dicendum esset: « Ne nos inferas in tentationem, sed « libera nos a malo. » Nec Jacobus apostolus diceret: « In multis offendimus omnes (*Jacob.* III). » Non enim offendit, nisi cui mala concupiscentia contra justitiæ rationem, appetendo seu vitando, faciendum, vel dicendum, vel cogitandum aliquid, quod non debuit, sive fallens, sive prævalens persuadet. Sed plane quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem), ab auribus omnium removendum et ore omnium anathematizandum esse non dubito.

CAPUT II.

Ex libro de Natura et Gratia, ad Timasium et Jacobum.

SENTENTIA I. (*Cap.* 1.) Justitiam Dei non in præcepto legis, qua timor incutitur, sed in adjutorio gratiæ Christi, ad quam solam utiliter legis, velut pædagogi, timor ducit, constitutam esse qui intelligit, ipse intelligit quare sit Christianus. Nam si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si autem non gratis mortuus est, in illo solo justificatur impius, cui credendi in eum qui justificat impium, deputatur fides ad justitiam. Omnes, enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per sanguinem ipsius.

II. (*Cap.* III.) Natura hominis primitus inculpata et sine ullo vitio creata est. Natura vero ista hominis, qua unusquisque ex Adam nascitur, jam medico indiget, quia sana non est. Omnia quidem bona, quæ habet in formatione, vita, sensibus, mente, a summo Deo habet creatore et artifice suo. Vitium vero, quod ista naturalia bona contenebrat et infirmat, ut illuminatione et curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio; ac per hoc natura pœnalis ad vindictam justissimam pertinet.

III. (*Ibid.*) Si enim jam sumus in Christo nova creatura, tamen eramus natura filii iræ, sicut et cæteri. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter multam dilectionem, qua nos dilexit, et cum essemus mortui delictis, convivificavit nos Christo, cujus gratia sumus salvi facti. (*Cap.* 4.) Hæc igitur Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes, salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. « Ju« stificati, inquit, gratis per sanguinem ipsius « (*Rom.* III). » Unde hi qui per illum non liberantur, sive quia audire nondum potuerunt, sive quia obedire noluerunt, sive etiam, cum per ætatem audire non possent, lavacrum regenerationis, quod accipere possent, per quod salvi fierent, non acceperunt, juste utique damnantur, quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccaverunt, sive in Adam, sive in seipsis, et egent gloria Dei. (*Cap.* 5.) Universa igitur massa pœnas debet; et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur. Cujus misericordiæ, nisi illius qui Christum Jesum misit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quos præscivit, et prædestinavit, et vocavit, et justificavit, et glorificavit? Quis igitur usque adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiæ quos voluit liberantis, qui recte nullo modo posset culpare justitiam universos omnino damnantis?

IV. (*Cap.* 6.) Si secundum Scripturas sapiamus, non cogimur contra Christianam gratiam disputare, et ea dicere quibus demonstrare conemur naturam humanam, neque in parvulis medico indigere, quia sana est, et in majoribus sibi ipsam ad justitiam, si velit, posse sufficere. Acute quippe videntur hæc dici, sed in sapientia verbi, qua evacuatur crux Christi, nec est ista sapientia desursum descendens.

V. (*Cap.* 12.) In scripturis Novi Testamenti discimus hanc esse intentionem legis arguentis, ut propter illa quæ perperam fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis, velut pædagogo concludente in eadem fide, quæ postea revelata est, ubi et remittunt quæ male fiunt, et eadem gratia juvante non fiunt.

VI. (*Cap.* 15.) Quantum est in homine linguæ malum, ut a nullo homine domari possit, cum ab hominibus domentur et bestiæ? Neque hoc ideo dixit Apostolus, ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur; sed ut ad domandam linguam divinæ gratiæ poscamus auxilium. Non enim ait: « Linguam nullus domare potest, sed « nullus hominum (*Jacob.* III); » ut cum domatur Dei misericordia, Dei adjutorio, Dei gratia, fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, et dum conatur petat auxilium, et oret lingua, ut dometur lingua, donante illo qui dixit ad suos: « Non « enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris « vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* X). » Itaque præcepto facere commonemur quod conantes et nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.

VII. (*Cap.* 16.) « Si quis autem vestrum indiget « sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluen« ter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet in « fide nihil hæsitans (*Jac.* I). » Hæc est fides, ad quam præcepta compellunt, ut lex imperet, fides impetret.

VIII. (*Cap.* 18.) Oratio Dominica utrumque petendum esse commemorat, et ut dimittantur nobis

debita nostra, et ut non inducamur in tentationem. Illud, ut præterita expientur ; hoc, ut futura vitentur. Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit, tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit. Ideo pro hac re nec superflua nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius quam orare ne facias quod in potestate habeas ?

IX. (*Cap.* 22.) Prævaricatorem legis digne lux deserit veritatis, qua desertus utique cæcus, et plus necesse est offendat, et cadendo vexetur, vexatusque non surgat. Ut ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.

X. (*Cap.* 23.) Molestiis exercitata vita justorum splendidius enituit ; et eas per patientiam superando, majorem gloriam comparavit, sed adjuta gratia Dei, adjuta Spiritu Dei, adjuta misericordia Dei, non superba voluntate se extollens, sed humili confessione fortitudinem promerens. Noverat enim Deo dicere : « Quoniam tu es patientia mea (*Psal.* LXX). »

XI. (*Cap.* 25.) Utinam non fuisset miseria, ne ista esset misericordia necessaria ! Sed iniquitatem peccati, tanto graviorem, quanto facilius homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna justissima subsecuta est, ut mercedem mutuam peccati sui in semetipso reciperet, amittens sub se positam sui corporis quodammodo obedientiam, quam præcipuam sub domino suo ipse contempserat. Et quod nunc cum eadem lege peccati nascimur, quæ in membris nostris repugnat legi mentis, neque adversus Deum murmurare, neque contra rem manifestissimam disputare, sed pro pœna illius miseri- C cordiam quærere et orare debemus.

XII. (*Cap.* 26.) Sicut vulnere, verbi gratia, claudicans ideo curatur, ut, sanato malo præterito, futurus dirigatur incessus ; sic mala nostra non solum ad hoc supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cætero recte ambulare possimus. Quod quidem etiam sani non nisi illo adjuvante poterimus.

XIII. (*Ibid.*) Medicus homo, cum sanaverit hominem, jam de cætero sustentandum elementis et alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat atque persistat, Deo dimittit, qui præbet ista in carne viventibus, cujus erant etiam illa quæ dum curaret adhibebat. Non enim quemquam medicus ex his rebus quas ipse creaverit sanat, D sed ex illius opibus qui creat omnia necessaria sanis atque vitiosis. Ipse autem Deus, cum per mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum spiritalem sanat ægrum, vel vivificat mortuum, id est justificat impium, et eum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur. Sicut enim oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.

XIV. (*Cap.* 27.) Propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, cito potest subrepere animo humano, ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet et dicat in abundantia sua : « Non movebor in æternum (*Psal.* XXIX). » Ideo qui in voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit faciem suam paululum, ut qui hoc dixerat fieret conturbatus, quoniam ipse est ille tumor sanandus doloribus (*Cap.* 28). Non itaque dicitur homini : Necesse est peccare, ne pecces sed dicitur homini : Deserit aliquantum Deus, unde superbis, ut scias non tuum, sed ejus esse, et discas superbus non esse.

XV. (*Cap.* 30.) Vitium quo peccatum committitur, nondum omni ex parte sanatum est. Quod quidem ut inolesceret, de non recte usa sanitate descendit. Ex quo vitio jam male valens, vel infirmitate, vel cæcitate plura committit. Pro quo supplicandum est ut sanetur, ut deinceps in perpetua sanitate vivatur ; non superbiendum, quasi homo eadem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est.

XVI. (*Cap.* 31.) Ipsam superbiam, quæ in rectefactis animo insidiatur humano, non cito Deus sanat. Pro qua sananda illi piæ animæ cum lacrymis et magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam et quodammodo calcandam, et obterendam, dexteram conantibus porrigat, cum extrema ejus umbra illo meridie quantum arbitror absorbebitur. Qui meridies, Scriptura dicente, promittitur : « Et « educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium « tuum sicut meridiem, » si fiat quod supra scriptum est : « Revela Domino viam tuam, et spera in « eum, et ipse faciet (*Psal.* XXXVI). »

XVII. (*Ibid.*) Operamur et nos, sed Deo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos. Prævenit autem ut sanemur, quia et subsequetur ut etiam sanati vegetemur. Prævenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur. Prævenit ut pie vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus ; quia sine illo nihil facere possumus. Utrumque enim scriptum est, et, « Deus meus, misericordia ejus præveniet « me (*Psal.* LVIII) ; » et : « Misericordia tua sub- « sequetur me per omnes dies vitæ meæ (*Psal.* « XXII). »

XVIII. (*Ibid.*) Revelemus ad Dominum viam nostram confessione, non defensione laudemus. Si enim non est ipsius via, sed nostra, procul dubio non est recta. Revelemus eam confitendo, quia non eum latet, etiamsi operire conemur (*Cap.* XXXII). Bonum est autem confiteri Domino. Ita enim quod ei placet dabit nobis, si quod ei displicet in nobis, displiceat et nobis. « Avertet, » sicut scriptum est, « semitas nostras a via sua, » et nostram faciet esse quæ sua est, quoniam ab ipso præbetur credentibus in eum et sperantibus in eum, ut ipse faciat.

XIX. (*Cap.* 34.) Non debemus sic laudare Creatorem, ut cogamur dicere, imo vere convincamur dicere superfluum Salvatorem. Naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus, easque laudes ad Creatoris gloriam referamus. Sed quia nos creavit, ita simus grati,

ut non simus, quia sanat, ingrati. Vitia sane nostra quæ sanat, non divino operi, sed humanæ voluntati, justæque illius vindictæ tribuamus. Sed ut in nostra potestate fuisse ne accederent confitemur, ita ut sanentur in illius magis esse misericordia, quam in nostra potestate fateamur.

XX. (*Cap.* 35.) Quorumdam exempla, quos peccasse legimus, non ideo scripta dicit qui sanum sapit ut ad desperationem non peccandi valeant, et securitatem peccandi nobis quodammodo præbere videantur; sed ut disceremus, vel pœnitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapsibus non desperandam salutem. Quidam enim in peccata prolapsi desperatione plus pereunt, nec solum pœnitendi negligunt medicinam, sed ad explenda inhonesta et nefaria desideria servi libidinum et sceleratarum cupiditatum fiunt, quasi perdant, si non fecerint quod instigat libido, cum eos jam maneat certa damnatio. Adversus hunc morbum, nimium periculosum et exitiabilem, valet commemoratio peccatorum, etiam in quæ justi sanctique prolapsi sunt.

XXI. (*Ibid.*) Non frustra etiam justos in oratione dicere, « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos « dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI). » Dominumque Christum, cum eamdem orationem docendo explicuisset, veracissime subdidisse: « Si « enim dimiseritis hominibus peccata, dimittet vobis « Pater vester peccata vestra (*Matth.* VI). » Per hoc enim quotidianum spiritale quodammodo incensum, quod ante Deum in altare cordis, quod sursum habere admonemur, infertur, etiamsi non hic vivatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde venia deletur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur.

XXII. (*Cap.* 43.) Deus tam bonus quam justus, talem hominem fecit, qui peccato carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim eum nescit sanum et inculpabilem factum, et libero arbitrio atque ad juste vivendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones in via reliquerunt. Qui gravibus saucius confossusque vulneribus, non ita potest ad justitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere, qui etiamsi jam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis.

XXIII. (*Cap.* 44.) Ea fides justos sanavit antiquos quæ sanat et nos, id est, mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu. Fides sanguinis ejus, fides mortis ejus, et resurrectionis ejus. « Habentes ergo « eumdem spiritum fidei et nos credimus, propter « quod et loquimur (*I Cor.* IV). »

XXIV. (*Cap.* 55.) Dimitte hominem, clamet quod clamabat. Non enim tantum desiderat, ut per indulgentiam sit de præteritis impunitus, sed etiam ut sit de cætero ad non peccandum fortis et validus. Condelectatur enim legi Dei secundum interiorem hominem. Videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Videt esse, non recolit fuisse, præsentibus urgetur, non præterita reminiscitur. Nec tantum repugnantem videt, verum etiam captivantem se in lege peccati, quæ est in membris ejus, non quæ fuit. Hinc est quod clamat: « Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis « hujus? » (*Rom.* VII.) Sinatur orare, sinatur adjutorium medici potentissimi flagitare, quid contradicitur? quid obstrepitur? quid miser misericordiam Christi petere prohibetur?

XXV. (*Cap.* 67.) Adjutorium postulamus dicentes: « Ne nos inferas in tentationem. » Quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caveri, sed opitulante illo qui non potest falli. Nam et hoc ipsum ad cavendum peccatum pertinet, si veraciter dicimus: « Dimitte « nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debi- « toribus nostris. » Duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malum, ut non accidat et ut, si acciderit, cito sanetur. Ut non accidat caveamus dicendo: « Ne nos inferas in tentationem: » ut cito sanetur, caveamus dicendo, « Dimitte nobis debita « nostra. »

XXVI. (*Ibid.*) Recte enim fortasse quererentur homines si erroris et libidinis nullus hominum victor existeret. Cum vero ubique sit præsens qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem adversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.

XXVII. (*Cap.* 69.) Valde bona sunt præcepta, si legitime his utamur. Eo quippe ipso, quo firmissime creditur Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est, aut ea una est sarcina ipsa quæ levis est. Secundum hoc dictum est, « et præcepta « ejus gravia non sunt (*I Joan.* V); » ut cui gravia sunt consideret non potuisse divinitus dici, « gravia non « sunt, » nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sint, et petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur.

XXVIII. (*Ibid.*) Quomodo dicitur. « Propter verba « labiorum tuorum, ego custodivi vias duras (*Psal.* « XVI), » nisi quia utrumque verum est? (*Cap.* 70.) Duræ timori sunt, leves amori. Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est. Sed charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita.

CAPUT III.

Ex epistolis et libro de Gratia et libero Arbitrio ad Valentinum monachum.

SENTENTIA I. (*Epist.* 1.) Primo Dominus Jesus, sic-

ut scriptum est in Evangelio Joannis apostoli, non venit ut judicaret, mundum, sed ut salvaretur mundus per ipsum (*Joan.* III). Postea vero, sicut scribit Paulus apostolus, judicabit Deus mundum, quando venturus est, sicut tota Ecclesia in symbolo confitetur, judicare vivos et mortuos (*II Tim.* IV). Si ergo Dei gratia non est, quomodo salvat mundum? et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?

II. (*Epist.* II.) Soli parvuli, qui nondum habent opera propria, vel bona, vel mala, secundum solum originale peccatum damnabuntur, quibus per lavacrum regenerationis non subvenit gratia Salvatoris. Cæteri autem omnes, qui jam utentes libero arbitrio, sua propria peccata originali peccato insuper addiderunt, si de potestate tenebrarum per gratiam Dei non eruuntur, nec transferuntur ad regnum Christi, non solum secundum originis, verum etiam secundum propriæ voluntatis merita, judicium reportabunt. Boni vero etiam ipsi quidem secundum bonæ voluntatis suæ merita præmium consequentur, sed etiam ipsam bonam voluntatem per Dei gratiam consecuti sunt. Ac sic implebitur quod scriptum est : « Ira et indignatio, tribulatio et angustia, in omnem « animam hominis operantis malum, Judæi primum « et Græci (*Rom.* II). »

III. (*Ibid.*) Fides sane catholica neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam ; neque tantum ei tribuit, ut sine Dei gratia valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat, ubi jam non timeat ne deficiat.

IV. (*Ibid.*) Sic intellige quod tibi præceptum est, « Rectos cursus fac pedibus tuis, et vias tuas di- « rige (*Hebr.* XII). » Ut noveris, cum hoc facis, a Domino Deo tibi præstari ut hoc facias, et non declinabis ad dexteram, quamvis ámbules in viis dextris, non confidens in virtute tua, et ipse erit virtus tua, qui rectos faciet cursus tuos, et itinera tua in pace producet. Quapropter quicunque dicit : Voluntas mea mihi sufficit ad faciendа opera bona, declinat in dexteram. Sed rursus illi qui putant bonam vitam esse deserendam, quando audiunt sic Dei gratiam prædicari, ut credatur et intelligatur voluntates hominum ipsa ex malis bonas facere, ipsa etiam quas feceris custodire, in sinistram declinant.

Ex libro de Gratia et libero Arbitrio.

V. (*Cap.* 2.) Solet dicere humana superbia . « Si scissem, fecissem, ideo non feci, quia nescivi; » aut, « Si scirem, facerem, ideo non facio, quia nescio. » Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur. Sed sunt homines qui etiam de ipso Deo se excusare conantur. Quibus dicit apostolus Jacobus : « Nemo « cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentor. Deus « enim intentator malorum est. Ipse autem neminem « tentat, unusquisque vero tentatur a concupiscen- « tia sua abstractus et illectus. Dein concupiscentia, « cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero « cum consummatum fuerit, generat mortem « (*Jac.* I). » Item de ipso Deo se excusare volentibus respondit liber Proverbiorum Salomonis : « Insi- « pientia viri violat vias ejus. Deum autem causa- « tur in corde suo (*Prov.* XIX). » Et liber Ecclesiasticus dicit : « Ne dixeris quia propter Dominum re- « cessi, quæ enim odit ne facias. Ne dixeris quia « ipse me induxit. Non enim opus habet viro pec- « catore. Omne exsecramentum odit Dominus, et « non est amabile timentibus illum. Ipse ab initio « fecit illum, et relinquit illum in manu consilii sui. « Si volueris, servabis mandata et fidem bonam pla- « citi (*Eccli.* XV). »

VI. (*Ibid.*) Nemo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque cum peccat, neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces ab eo de quo dictum est : « Qui reddet unicui- « que juxta opera sua (*Rom.* II). »

VII. (*Cap.* 3.) Gravius peccare hominem scientem, quam nescientem. Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescivisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe arguitur in eo de quo dicitur : « Noluit intelligere ut bene ageret (*Psal.* « XXXV). » Sed et illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet, sed fortasse ut mitius ardeat. Non enim sine causa dictum est : « Effunde « iram tuam in gentes quæ te non noverunt, « (*Psal.* LXXVIII), » et illud quod ait Apostolus : « Cum « venerit in flamma ignis dare vindictam in eos qui « ignorant Deum (*II Thess.* II). »

VIII. (*Cap.* 4.) Metuendum est ne divina testimonia in defensione liberi arbitrii sic intelligantur, ut ad vitam piam et bonam conversationem, cui merces æterna debetur, adjutorio et gratiæ Dei locus non relinquatur, ut audeat miser homo, quando bene vivit et bene operatur, vel potius bene vivere et bene operari sibi videtur, in seipso, non in Domino gloriari, et spem recte vivendi in seipso ponere, ut sequatur eum maledictum Jeremiæ prophetæ dicentis : « Maledictus homo qui spem habet in « homine, et firmat carnem brachii sui, et a Domino « discedit cor ejus (*Jer.* XVII). » Quia enim non dixit propheta : « Maledictus homo qui spem habet « in seipso, » posset alicui videri, ideo dictum esse, « Maledictus homo qui spem habet in homine, » ut nemo habeat spem in altero homine, sed in se. Ut ergo ostenderet sic se admonuisse hominem, ut nec in seipso haberet spem, propterea cum dixisset, « Maledictus homo qui spem habet in homine, » mox addidit, « et firmat carnem brachii sui. » Brachium pro potentia posuit operandi, in nomine autem car-

nis intelligenda est humana fragilitas. Ac per hoc firmat carnem brachii sui, qui potentiam fragilem atque invalidam, id est, humanam, sufficere sibi ad bene operandum putat, nec adjutorium sperat a Domino. Propter hoc enim subjecit, « et a Domino « discedit cor ejus. » Nos ergo ad bene operandum spem non habeamus in homine, firmantes carnem brachii nostri; nec a Domino discedat cor nostrum, sed ei dicat : « Adjutor meus esto, ne derelinquas « me neque despicias me, Deus salutaris meus « (*Psal.* XXVI). »

IX. (*Cap.* 4.) « Gratias autem Deo qui dat nobis vi- « ctoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. « (*I Cor.* XV). » Ergo et victoria, qua peccatum vincitur, nihil est aliud quam Dei donum, in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium.

X. (*Ibid.*) Dicat cœlestis magister : « Vigilate et « orate ne intretis in tentationem (*Matth.* XXIV). » Ergo unusquisque contra suam concupiscentiam dimicans, oret ne intret in tentationem, id est, ne sit ab illa abstractus et illectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi a Domino victoria concedatur oranti ne intret in tentationem. Quid vero evidentius quam Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur? Si enim dixisset Salvator noster : « Vigilate ne intretis « in tentationem, » admonuisse tantummodo videretur. Cum vero addidit, « et orate, » ostenditur Deum adjuvare ne intretur in tentationem.

XI. (*Cap.* 5.) Nisi Dei donum esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur : « Deus « virtutum, converte nos (*Psal.* LXXIX); » et : « Deus, « tu convertens vivificabis nos (*Psal.* LXXXIV), » et : « Converte nos, Deus sanitatum nostrarum (*Psal.* « LXXXIV), » et hujusmodi alia, quæ commemorare longum est. Nam et venire ad Christum quid est aliud, nisi ad eum credendo converti? et tamen ait : « Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit a « Patre meo (*Joan.* VI).

XII. (*Cap.* 6.) Probatur gratia Dei non secundum merita nostra dari, quandoquidem non solum nullis bonis, verum etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, et quotidie videmus dari. Sed plane cum data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen. Nam si se illa subtraxerit, cadit homo, non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quando cœperit homo habere merita bona sibi debet tribuere illa, sed Deo, qui dicitur : « Adjutor meus esto, ne derelin- « quas me (*Psal.* XXVI). »

XIII. (*Ibid.*) Necessarium est homini ut gratia Dei non solum justificetur impius, id est, ex impio fiat justus, cum redduntur ei bona pro malis, sed etiam, cum fuerit jam justificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, et incumbat super ipsam ne cadat. Propter hoc scriptum est in Cantico canticorum de ipsa Ecclesia : « Quæ est ista quæ ascendit dealbata, incum- « bens super fratruelem suum? » (*Cant.* VIII.) Dealbata est enim quæ per seipsam alba esse non posset. Et a quo dealbata est, nisi ab illo qui per prophetam dicit : « Si fuerint peccata vestra ut Phœnicium, « sicut nivem dealbabo (*Isa.* I). » Quando ergo dealbata est, nihil boni merebatur. Jam vero alba facta, bene ambulat, sed si super eum, a quo dealbata est, perseveranter incumbat. Propter quod et ipse Jesus, super quem incumbit dealbata, dixit discipulis suis : « Sine me nihil potestis facere « (*Joan.* XV). »

XIV. (*Ibid.*) Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi a teipso, non ab illo, sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt, quæ non coronat Deus; si autem bona sunt, Dei dona sunt, quia sicut dicit apostolus Jacobus : « Omne datum opti- « mum et omne donum perfectum desursum est de- « scendens a Patre luminum (*Jac.* I). » Unde dicit Joannes præcursor Domini nostri : « Non potest « homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de « cœlo (*Joan.* III). » Utique de cœlo, unde etiam venit Spiritus, quando Jesus ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.

XV. (*Cap.* 8.) Vita bona nostra nihil est aliud quam Dei gratia. Sine dubio et vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est. Et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est. Hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia.

XVI. (*Cap.* 11.) Quando spiritu actiones carnis mortificatis ut vivatis, illum glorificate, illum laudate, illi gratias agite, cujus spiritu agimini, ut ista valeatis, et vos filios Dei esse monstretis. (*Cap.* 12.) Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei; quotquot ergo adjuncto solo adjutorio legis, sine adjutorio gratiæ, confidentes in virtute sua, suo spiritu aguntur, non sunt filii Dei.

XVII. (*Cap.* 14.) Neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum, est illa gratia quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur; sed ipsa facit ut lex impleatur, et natura liberetur, ne peccatum dominetur.

XVIII. (*Ibid.*) Quod lex jubet facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus ut facere valeamus. Nam si fides liberi est tantummodo arbitrii, nec datur a Deo, propter quid pro eis qui nolunt credere, oramus ut credant? Quod prorsus faceremus inaniter nisi rectissime crederemus etiam perversas et fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere.

XIX. (*Cap.* 15.) Meminerimus Deum dicere : « Convertimini et vivetis, » cui dicitur : « Converte « nos, Deus. » Meminerimus Deum dicere : « Proji- « cite a vobis omnes impietates vestras; » cum ipse justificet impium. Meminerimus ipsum dicere : « Fa- « cite vobis cor novum et spiritum novum, » qui dicit : « Dabo vobis cor novum et spiritum novum « dabo vobis (*Psal.* LXXXIV; *Ezech.* XVIII, XXXVI). » Quomodo ergo quod dicit : « Facite vobis, » hoc di

cit : « Dabo vobis? » Quare jubet, si ipse daturus A est? Quare dat, si homo facturus est? nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat ut faciat cui jubet.

XX. (*Cap.* 15.) Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est quando servit peccato, et tunc est mala : aut a peccato libera est quando servit justitiæ, et tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo voluntatis bonæ, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est : « Si volueris, conservabis man- « data (*Eccli.* xv), » ut homo qui voluerit et non potuerit, nondum se plane velle cognoscat et oret ut B habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur ut faciat quod jubetur.

XXI. (*Cap.* 16.) Non juberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri, quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat.

XXII. (*Ibid.*) Certum est nos mandata servare, si volumus. Sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus. Sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est quod paulo ante posui, quod præparatur voluntas a Domino, de quo dictum est : « A Do- C « mino gressus hominis dirigentur, et viam ejus vo- « let (*Psal.* xxxvi), » de quo dictum est : « Deus « qui operatur in vobis et velle (*Psal.* ii). » Certum est nos facere cum facimus. Sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit : « Faciam ut in justificationibus meis ambu- « letis, et judicia mea observetis et faciatis (*Ezech.* « xxxvi). » Cum dicit : « Faciam ut faciatis, » quid aliud dicit nisi, Auferam a vobis cor lapideum unde non faciebatis, et dabo cor carneum unde faciatis? Et hoc quid est nisi, Auferam cor durum unde non faciebatis, et dabo cor obediens unde faciatis? Ille facit ut faciamus, cui dicit homo : « Pone, Domine, « custodiam ori meo (*Psal.* cxl). » Hoc est enim dicere : Fac ut ponam custodiam ori meo. Quod beneficium Dei jam fuerat consecutus qui dixit : « Po- D « sui ori meo custodiam (*Psal.* xxxviii). »

XXIII. (*Cap.* 17.) Omnipotens Deus cooperando perficit quod operando incipit, quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, quo volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus : « Certus « sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, « perficiet usque in diem Christi Jesu. » Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.

XXIV. (*Cap.* 18). Cur dictum est : « Diligamus « invicem, quia dilectio ex Deo est » (*I Joan.* iv), nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium ut quæreret Dei donum? Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret unde quod jubebatur impleret, cum dicitur : « Diligamus invi- « cem, » lex est : cum dicitur, « quia dilectio ex Deo « est, » gratia est. Sapientia quippe Dei legem et misericordiam in lingua portat. Unde scriptum est in psalmo : « Et enim benedictionem dabit qui legem « dedit (*Psal.* lxxxiii). »

XXV. (*Cap.* 21.) Quid est amentius, et ab ipsa sanctitate charitatis alienius quam confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine charitate inflat, et ex nobis esse charitatem, quæ facit ut scientia inflare non possit? Item cum dicit Apostolus : « Super eminentem « scientiæ charitatem Christi (*Ephes.* iii), » quid est insanius quam putare ex Deo esse scientiam, quæ subdenda est charitati, et ex hominibus charitatem, quæ supereminet scientiæ? Fides autem vera et doctrina sana ambas esse dicit ex Deo, quia scriptum est : « A facie ejus scientia et intellectus procedit, » et scriptum est : « Charitas autem ex Deo est, » et legimus spiritum scientiæ et pietatis, legimus spiritum virtutis et charitatis, et continentiæ. Sed majus est donum charitatis, quam scientiæ. Nam scientia, quando est in homine, charitas est necessaria, ne inflетur. Charitas autem non æmulatur, non agit perperam, non inflatur.

XXVI. (*Cap.* 20.) Gratia Dei voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam; et cum bona fuerit, adjuvatur.

XXVII. (*Cap.* 21.) Fixum debet esse et immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc, quod legitis in litteris veritatis, a Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, ut juste ista paterentur, ne incurramus in illud proverbium Salomonis : « Insipientia viri vio- « lat vias ejus, Deum autem causatur in corde suo « (*Prov.* xix). »

XXVIII. (*Ibid.*) Gratia non secundum merita hominum datur, alioquin gratia jam non est gratia : quia ideo gratia vocatur, quia gratis datur.

XXIX. (*Cap.* 22.) Lex autem subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia, Sed utique gratia id agitur, ut jam fiant bona ab eis qui fecerant mala, non ut perseverent in malis, et reddi sibi existiment bona. Non itaque debent dicere : « Faciamus mala ut ve- « niant bona; » sed : Fecimus mala et venerunt bona : jam faciamus bona, ut in futuro sæculo recipiamus pro bonis bona, qui in hoc sæculo recepimus pro malis bona.

XXX. (*Cap.* 23.) Quando auditis dicentem Dominum : « Ego Dominus seduxi prophetam illum « (*Ezech.* xiv); » et quod ait Apostolus : « Cujus vult « miseretur, et quem vult obdurat (*Rom.* ix), » in

eo quem seduci permittit vel obdurari, mala ejus merita credite; in eo vero cujus miseretur, gratiam Dei non reddendis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter et indubitanter agnoscite. Nec ideo auferatis a Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus : « Ego induravi Pharaonem, » vel « Induravi, » aut « Indurabo cor Pharaonis. » Non enim propterea ipse Pharao non induravit cor suum. Nam et hoc de illo legitur, quando ablata est de Ægypto cynomyia, dicente Scriptura : « Et ingravavit « Pharao cor suum in isto tempore, et noluit dimit- « tere populum (*Exod.* VIII). » Ac per hoc et Deus induravit per justum judicium, et ipse Pharao per liberum arbitrium.

XXXI. (*Cap.* 23). Certi estote quia non erit inanis labor vester, si in bono proposito proficientes perseveretis usque in finem. Deus enim, qui modo illis quos liberat non reddit secundum opera eorum, tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Reddet omnino Deus et mala pro malis, quoniam justus est, et bona pro malis, quoniam bonus est, et bona pro bonis, quoniam bonus et justus est. Tantummodo mala pro bonis non reddet, quoniam injustus non est. Reddet ergo mala pro malis, pœnam pro injustitia, et reddit bona pro malis, gratiam pro injustitia, et reddet bona pro bonis, gratiam pro gratia.

CAPUT IV.

Ex libro de Correptione et Gratia, ad præfatum Valentinum.

SENTENTIA I. (*Cap.* 1.) Dominus non solum ostendit nobis a quo malo declinemus, et quod bonum faciamus, quod solum potest legis littera, verum etiam adjuvat nos, ut declinemus a malo, et faciamus bonum, quod nullus potest sine spiritu gratiæ. Quæ si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat et occidat. Propter quod dicit Apostolus : « Littera occidit, spiritus autem vi- « vificat. » Qui ergo legitime lege utitur, dicit in ea bonum et malum; et non confidens in virtute sua, confugit ad Dei gratiam, qua præstante declinet a malo, et faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, nisi cum a Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet? ac per hoc et desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est, de quo ait ille : « Et dixi, nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ « Excelsi (*Psal.* LXXVI). »

II. (*Ibid.*) Liberum arbitrium et ad malum et ad bonum faciendum confitendum est nos habere. Sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ, servusque peccati; in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit : « Si vos filius « liberaverit, tunc vere liberi eritis (*Joan.* VII). » Nec ita ut cum quisque fuerit a peccati dominatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio; sed ita potius, ut ab illo audiens : « Sine me nihil « potestis facere (*Joan.* XV), » dicat ei et ipse : « Adjutor meus esto, ne derelinquas me (*Psal.* XXVI), » et cætera.

III. (*Cap.* 2.) Non se fallant qui dicunt : Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur ut declinemus a malo et faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle et operari Deus operatur in nobis? Sed potius intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant; et cum egerint, illi a quo aguntur gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant, et ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione et delectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus, ut terra ejus daret fructum suum, accepisse se gaudeant; quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent accipiant. Quid enim habebunt quod non acceptûri sunt, aut quid habent, quod non acceperunt?

IV. (*Cap.* 3.) Doctores Ecclesiarum apostoli omnia faciebant et præcipiebant quæ fierent, et corripiebant si non fierent, et orabant ut fierent. Præcepit Apostolus dicens : « Omnia vestra in charitate « fiant (*I Cor.* XVI). » Corripit dicens : « Jam qui- « dem omnino delictum est in vobis, quia judicia « habetis vobiscum. Quare enim non magis iniqui- « tatem patimini? quare non potius fraudamini? « Sed vos iniquitatem facitis, et fraudatis, et hoc « fratres. An nescitis quia injusti regnum Dei non « possidebunt? » (*I Cor.* VI.) Audiamus et orantem : « Vos autem, inquit, Dominus multiplicet, ut abun- « dare faciat in charitate in invicem et in omnes « (*I Thess.* 3). » Præcipit ut habeatur charitas, corripit quia non habetur charitas, orat ut abundet charitas. O homo, in præceptione cognosce quid debeas habere; in correptione cognosce tuo te vitio non habere; in oratione cognosce unde accipias quod vis habere.

V. (*Cap.* 5.) Quod vult pro se fieri qui corripi non vult, et dicit : Ora potius pro me, ideo corripiendus est, ut faciat etiam ipse pro se. Dolor quippe ille, quo sibi displicet quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majoris orationis affectum, ut, Deo miserante, incremento charitatis adjutus, desinat agere pudenda et dolenda, et agat laudanda atque gratanda.

VI. (*Ibid.*) Correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor, pro peccatorum diversitate salubriter adhibetur, tunc est salubris, quando supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cum fecit ut peccati sui quemque pœniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit apostolum Petrum negantem et fecit flentem?

VII. (*Ibid.*) Potest Deus quem vult, etiam nullo homine corripiente, corrigere, et ad dolorem salubrem pœnitentiæ occultissima et potentissima medicinæ suæ potestate perducere. Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis quos corrigi volumus, etiamsi nullo hominum orante pro Petro, Dominus respexit eum et fecit eum suum flere peccatum, ita non est negligenda correptio, quamvis Deus quos voluerit, etiam non correptos, faciat esse correctos.

Tunc autem correptione proficit homo, cum misere- A tur atque adjuvat qui facit quos voluerit etiam sine correptione proficere.

VIII. (*Cap.* 6.) Corripiatur ergo [origo] damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, si tamen qui corripitur filius est promissionis, ut strepitu correptionis forinsecus insonante ac flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur et velle. Si autem jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere : Non accepi, qui acceptam Dei gratiam suo in malum libero amisit arbitrio. Qui si correptione compunctus salubriter ingemit, et ad similia bona opera vel etiam ad meliora convertitur, nempe hic apertissime utilitas correptionis apparet. Sed per hominem correptio, B sive ex charitate sit, sive non sit, tamen ut correpto prosit, non nisi per Deum fit.

IX. (*Ibid.*) Si dixerimus perseverantiam tam laudabilem tamque felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo, illud primitus evacuamus quod ait Dominus Petro : « Rogavi pro te, ne deficiat fides tua « (*Luc.* XXII). » Quid enim ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem? Quæ profecto si ab homine homini esset, a Deo poscenda non esset. Deinde cum dicat Apostolus : « Oramus autem ad Deum, ne « quid faciatis mali (*II Cor.* XIII), » procul dubio perseverantiam eis orat ad Deum. Neque enim nihil mali facit qui bonum deserit, et a quo declinare non debet, inclinatur in malum non perseverans C in bono.

X. (*Cap.* 7.) Electi sunt qui secundum propositum vocati sunt. Propositum autem, non suum, sed Dei, de quo alibi dicit : « Ut secundum electionem pro- « positum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vo- « cante dictum est ei, quia major serviet minori « (*Rom,* IX) ; » et alibi : « Non secundum opera no- « stra, sed secundum propositum suum et gratiam « (*II Tim.* I). »

XI. (*Ibid.*) Multi vocati, pauci electi. Quicunque enim electi, sine dubio etiam vocati, non autem quicunque vocati, consequenter electi. Illi ergo electi, ut sæpe dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam sunt prædestinati atque præsciti.

XII. (*Cap.* 12.) Si nos de Scripturis sanctis nosse D potuimus sanctos angelos jam nullos esse casuros, quanto magis hoc ipsi revelata sibi sublimius veritate noverunt? Nobis quippe beata sine fine vita promissa est, et æqualitas angelorum. Ex qua promissione certi sumus, cum ad illam vitam post judicium venerimus, non inde nos esse lapsuros. Quod si de seipsis angeli nesciunt, non æquales, sed beatiores erimus. Veritas autem nobis eorum promisit æqualitatem. Certum est igitur hoc eos nosse per speciem, quod nos per fidem, nullam scilicet ruinam cujusquam sancti angeli jam futuram.

XIII. (*Cap.* 11.) Dei unigenitus Filius, æqualis Patri et coæternus, pro nobis homo factus, et sine ullo velle originali, vel proprio peccato, ab hominibus peccatoribus crucifixus. Qui quamvis die tertio resurrexit nunquam moriturus ulterius, pertulit tamen pro mortalibus mortem : qui mortuis præstitit vitam, ut redempti ejus sanguine, tanto ac tali pignore accepto dicerent : « Si Deus pro nobis, quis contra « nos? qui proprio Filio non pepercit, sed pro no- « bis omnibus tradidit eum; quomodo non et cum « illo omnia nobis donavit? » (*Rom.* I.)

XIV. (*Ibid.*) Deus naturam nostram, id est, animam rationalem, carnemque hominis Christus suscepit, susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari, ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis, Filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset, ut ipse et Verbum, quod sine initio est, una persona esset. Neque enim quisquam tanta rei hujus et fidei cæcus est ignorantia, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu sancto et virgine Maria Filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo et sine peccato bona opera faciendo meruisse ut esset Dei Filius, resistente Evangelio atque dicente : « Verbum caro factum est (*Joan.* I). » Nam ubi hoc factum est, nisi in utero virginali, unde fuit initium hominis Christi? Itemque Virgini requirenti quomodo fieret quod ei per angelum annuntiabatur, angelus respondit : « Spiritus sanctus « superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit « tibi. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vo- « cabitur Filius Dei (*Luc.* I). » Propterea, inquit, non propter opera quæ nondum nati utique nulla sunt, sed propterea quia Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Ista nativitas profecto gratuita conjunxit in unitatem personæ hominem Deo, carnem Verbo. Istam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt. Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita suscepti, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. Per hunc mediatorem Deus ostendit eos quos ejus sanguine redimit facere se ex malis deinceps in æternum bonos. Quem sic suscepit, ut nunquam esset malus, nec ex malo factus semper esset bonus.

XV. (*Ibid.*) Nec ipsum Deus esse voluit sine sua gratia, quem reliquit in ejus libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus. Hæc est prima gratia quæ data est primo Adam; sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit ut habeat homo justitiam, si velit. Secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, quæ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adjuva-

batur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium si vellet, desereret. Hæc autem tanto major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur ut velit. Tunc ergo dederat Deus homini bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum; dederat adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet, ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio. Sed quia noluit parmanere, profecto ejus est culpa cujus meritum fuisset si permanere voluisset; sicut fecerunt angeli sancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adjutorium vel angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum, et tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale sit ut velimus. Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo et perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus.

XVI. (*Cap.* 12.) Prima libertas voluntatis erat posse non peccare : novissima erit multo major, non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori : novissima erit multo major, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere : novissima erit perseverantiæ felicitas, bonum non posse deserere. Nunquid quia erunt bona novissima potiora atque meliora, ideo fuerunt illa prima vel nulla vel parva?

XVII. (*Cap.* 14.) Cum homines per correptionem in viam justitiæ seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante et rigante, et quolibet in agris vel arbusculis operante, dat incrementum Deus?

XVIII. (*Cap.* 16.) Nec gratia prohibet correptionem, nec correptio negat gratiam. Et ideo sic est præcipienda justitia, ut a Deo gratia, qua id quod præcipitur fiat, fideli oratione poscatur; et hoc utrumque ita faciendum est, ut neque justa correptio negligatur. Omnia vero hæc cum charitate fiant, quoniam charitas nec facit peccatum, et cooperit multitudinem peccatorum.

XIX. Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.

CAPUT V.

Ex sermone 51 *expositionis Evangelii secundum Joannem.*

SENTENTIA I. Dominum præscium futurorum per prophetam prædixisse infidelitatem Judæorum, prædixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quemquam Deus cogit ad peccandum, quia futura hominum peccata jam novit. Ipsorum enim præscivit peccata, non sua; non cujusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter si ea quæ ille præscivit ipsorum, non sunt ipsorum, non vere illa præscivit. Sed quia illius præscientia falli non potest, sine dubio non alius, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse præscivit. Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos facere non compulit cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur, et hoc facturi prævideretur ab eo qui novit quid sit quisque facturus, et quid ei sit pro ejus opere redditurus.

II. Malam Judæorum voluntatem prævidit Deus, et per prophetam prænuntiavit ille cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquis, dicit propheta, non voluntatis illorum. Quam causam dicit propheta? « Quia dedit illi Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non « audiant, et excæcavit oculos eorum, et obduravit « cor eorum (*Rom.* XI). » Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, et non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Hoc omnino pietas religiosorum inconcussum debet inviolatumque servare. Sicut Apostolus, cum eamdem ipsam tractaret difficillimam quæstionem : « Quid « ergo dicemus, inquit, nunquid iniquitas apud « Deum? Absit (*Rom.* IX). » Sic ergo absit ut sit iniquitas apud Deum. Sive quando adjuvat, misericorditer facit; sive quando non adjuvat, juste facit, quia omnia non temeritate, sed judicio facit.

III. Si judicia sanctorum justa sunt, quanto magis justificantis et sanctificantis Dei? Justa ergo sunt, sed occulta. Ideo cum quæstiones hujusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic, quare ille, Deo deserente, excæcetur, ille, Deo adjuvante, illuminetur, non nobis judicium de judicio tanti judicis usurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo : « O altitudo divitiarum sapientiæ et « scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et « investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI)! » Unde dictum et in psalmo : « Judicia tua sicut abyssus multa (*Psal.* « XXXV). »

IV. Audiamus admonentem Scripturam atque dicentem : « Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris (*Eccli.* III). » Non quia ista negata sunt nobis, cum Deus magister dicat : « Nihil est occultum « quod non reveletur (*Luc* VIII). » Sed si « in quod

« pervenimus in eo ambulemus (*Phil.* III), » sicut A dicit Apostolus, non solum quod nescimus et scire debemus, sed etiam « si quid aliter sapimus, id quoque « nobis Deus revelavit. » Pervenimus autem in viam fidei, hanc perseverantissime teneamus. Ipsa perducit ad cubiculum Regis, « in quo omnes sunt thesauri « sapientiæ et scientiæ absconditi. » Ambulandum est, proficiendum est, crescendum est, ut sint corda nostra capacia earum rerum quas capere modo non possumus. Quod si nos ultimus dies proficientes invenerit, ibi discimus quod hic non potuimus.

V. Ne audeat quisquam liberum arbitrium sic defendere, ut nobis orationem qua dicimus, « Ne « nos inferas in tentationem, » conetur auferre. Rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium et B audeat excusare peccatum. Sed audiamus Dominum, et præcipientem, et opitulantem, et jubentem quid facere debeamus, et adjuvantem ut implere possimus.

VI. Quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam, et quosdam nimia suæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt: Ut quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt: Ut quid conamur bene vivere, quod in Dei est potestate? O Domine, o pater qui es in cœlis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos a malo. Audiamus Dominum dicentem: « Rogavi pro te, Petre, ne « deficiat fides tua (*Luc.* XXII), » ne sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, ut divino non C egeat adjutorio. Audiamus et evangelistam dicentem: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* III), » ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus. Verumtamen in utroque illius beneficia cognoscamus. Nam et agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas, et orandum, ne succumbat infirmitas. Ipsa est fides, quæ per dilectionem operatur, sicut ejus mensuram Dominus cuique partitus est, ut qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur.

VII. Quotquot tam superbe sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent sibi necessarium divinum adjutorium ad bene vivendum, non possunt credere in Christum. Non D enim aliquid prosunt syllabæ nominis Christi, et sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi. Fides autem Christi est credere in eum qui justificat impium; credere in mediatorem, sine quo interposite non reconciliamur Deo; credere in Salvatorem, qui venit quod perierat quærere atque salvare; credere in eum qui dixit: « Sine me nihil potestis fa- « cere (*I Joan.* XV). » Qui ergo ignorans Dei justitiam, qua justificatur impius, suam vult constituere, qua convincatur superbus, in hanc non potest credere, non quia mutari homines in melius non possunt, sed quandiu talia sapiunt, non possunt credere. Hinc excæcantur et indurantur, quia negando divinum adjutorium non adjuvantur.

CAPUT VI.

Ex libro de Prædestinatione sanctorum, itemque de dono perseverantiæ, ad Prosperum et Hilarium.

SENTENTIA I. (*Cap.* 10.) Inter gratiam et prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus, « Non ex operibus, « ne forte quis extollatur, ipsius enim sumus fi- « gmentum, creati in Christo Jesu in operibus bo- « nis (*Ephes.* II), » gratia est. Quod autem sequitur: « quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus, » prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est: « Fecit B « quæ futura sunt (*Isa.* XLV). » Præscire autem potest etiam ipse quæ non facit, sicut quæcunque peccata, quia etsi sunt quædam, quæ ita peccata sunt, ut pœnæ sint etiam peccatorum, unde dictum est: « Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut fa- « ciant quæ non conveniunt (*Rom.* I), » non ibi peccatum Dei est, sed judicium. Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio, gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.

II. (*Cap.* 11.) Cum Apostolus dicat: « Ideo ex « fide, ut secundum gratiam firma sit promissio « (*Rom.* IV), » mirum est homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, de meipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipso certa est, nec times? « Qui videtur stare, videat ne ca- « dat (*I Cor.* X). » Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori fidem suam, spem, charitatemque committit?

III. (*Cap.* 15.) Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis et gratiæ ipse salvator, ipse mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Ille enim homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? quod ejus bonum qualecunque præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Faciente ac suscipiente Verbo, ipse homo, ex quo esse cœpit, Filius Dei unicus esse cœpit. Filium Dei unicum femina illa gratia concepit. De Spiritu sancto et virgine Maria Dei Filius unicus natus est; non carnis cupidine, sed solo Dei munere. Libera in illo voluntas erat, ac tanto magis erat, quanto magis servire peccato non poterat. Apparet itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, unde secundum uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus, de ipso Spiritu et hic renatus, de quo est ille natus, eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est ut nullum haberet ille peccatum. Hæc se Deus esse facturum profecto præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in Sancto sanctorum maxime claruit.

De dono perseverantiæ.

IV. (*Cap.* 1.) Donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo, finem autem quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrum quisque hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit, incertum est. Si enim priusquam moriatur cadat, non perseverasse utique dicitur, et verissime dicitur. Quomodo ergo perseverantiam qui non perseveravit accepisse vel habuisse dicendus est?

V. (*Ibid.*) Si habeat aliquis continentiam, et ab ea decidat atque incontinens fiat, si justitiam similiter, si patientiam, si ipsam fidem, recte dicitur habuisse et non habere. Continens enim fuit, vel justus fuit, vel patiens, vel fidelis fuit quandiu fuit; cum vero esse destitit, non est quod fuit. Qui vero B non perseveraverit, quomodo perseverans fuit, cum perseverando quisque ostendat perseverantem? quod iste non fecit.

VI. (*Ibid.*) Perseverantiam, qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendum est, qui non perseveravit usque in finem, potiusque hanc habuit unius anni fidelis, et quantum infra cogitari potest, si donec moreretur fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit.

VII. (*Cap.* 2.) Oratio quæ Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur a sanctis, nihil pene aliud quam perseverantia posci intelligitur. [Dicimus enim : « Sanctificetur nomen tuum, » non quod optemus Deo ut sanctificetur orationibus C nostris, sed quod petamus ab eo ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterum a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit : « Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum, » id petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus. Hæc itaque sanctificatio ut in nobis maneat oramus. Et quia Dominus et judex noster sanato a se et vivificato comminatur, non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur.] Quid cum dicimus, « Adveniat regnum tuum, » num aliud D poscimus nisi ut veniat et nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergo et hi, qui jam sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate quæ illis data est perseverent? Neque enim aliter veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his qui perseverant usque in finem certum est esse venturum. (*Cap.* 3.) « Fiat voluntas tua « in cœlo et in terra, » vel quod in plerisque codicibus legitur, magisque ab orantibus frequentatur, « sicut in cœlo et in terra. » Quod plerique intelligunt, sicut sancti angeli, et nos faciamus voluntatem tuam, ut terra scilicet imitetur cœlum, id est, ut homo angelum, vel infidelis fidelem. Quantalibet enim homine sanctitate præpolleant, nondum sunt A æquales angelis Dei, nondum ergo sicut in cœlo in eis fit voluntas Dei. « Panem nostrum quotidianum « da nobis hodie. » (*Cap.* 4.) Hunc panem autem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum saluti accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur. « Dimitte nobis debita « nostra, sicut et nos dimittibus debitoribus nostris. » (*Cap.* 5.) Quam necessarie autem, quam providenter et salubriter admonemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur? ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientiæ suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, et se extollendo plus pereat, instruitur et docetur peccare B se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique et Joannes in Epistola sua ponens dixit : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos « ipsos seducimus, et veritas in nobis non est « (*I Joan.* 1). » Jam vero cum dicunt sancti : « Ne nos « inferas in tentationem, sed libera nos a malo, » quid aliud quam ut in sanctitate perseverent precantur? Nam profecto concesso sibi isto Dei dono, quod esse Dei donum cum ab illo poscitur satis aperteque monstratur; isto ergo concesso sibi Dei dono ne inferantur in tentationem, nemo sanctorum non tenet usque in finem perseverantiam sanctitatis. Neque enim quisquam in proposito Christiano perseverare desistit, nisi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei quod orat, ut non inferatur, C utique in sanctificatione quam, Deo donante, percepit, Deo donante, persistit.

VIII. (*Cap.* 6.) Non dicant homines perseverantiam cuiquam datam usque in finem, nisi cum ipse venerit finis, et perseverasse cui data est, repertus fuerit usque in finem. Dicimus quippe castum quem novimus castum, sive sit, sive non sit in eadem castitate mansurus, et si quid aliud divini muneris habeat, quod teneri et amitti potest, dicimus eum habere quandiucunque habet; et si amiserit, dicimus habuisse. Perseverantiam vero usque in finem, quoniam non habet quisquam nisi qui perseveret usque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est, ne forte cum perseveraverit homo usque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest, sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cum enim perseveret quisque usque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finem.

IX. Imperavit Deus, ut ei sancti ejus dicant orantes : « Ne nos inferas in tentationem. » (*Ibid.*) Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere. At enim voluntate sua quisque deserit Deum, ut merito deseratur a Deo, quis hoc negaverit? Sed ideo petimus ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit

ut fiat. Potens enim est, et a malo in bonum flectere A voluntates, et in lapsum pronas convertere ac dirigere in sibi placitum gressum, cui non frustra dicitur : « Deus, tu convertens vivificabis nos (*Psal.* LXXXIV); non fustra dicitur : « Ne des ad movendum pedem meum (*Psal.* CXX); » non fustra dicitur : « Ne tradas me, Domine, a desiderio meo « peccatori (*Psal.* CXXXIX); » postremo non frustra dicitur : « Ne nos inferas in tentationem. » Nam quisquis in tentationem non infertur, profecto nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur; et qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur.

X. (*Cap.* 6.) Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, et nobis ex parte committimus. Quando enim rogamus ne in tentationem B veniamus, admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe aut arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam dicat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit : « Vigilate et orate, ne veniatis in « tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro « autem infirma (*Matth.* XXVI), » ut dum præcedit humilis et submissa confessio, et datur totum Deo quidquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.

XI. (*Cap.* 7.) Post casum hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam C posuit in illo in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur; ac per hoc sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne discedamus.

XII. (*Ibid.*) Prorsus in hac re non operosas disputationes expetat Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant, Deus ergo convertit ad fidem. Orat ut credentes perseverent, Deus ergo donat perseverantiam usque in finem. Hæc Deus se facturum esse præscivit. Ipsa est prædestinatio sanctorum, quos elegit in Christo ante constitutionem mundi.

XIII. (*Cap.* 16.) Cum constet alia Deum dare etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseve- D rantiam, profecto qui ex seipso hanc habere se putat, non orat ut habeat. Cavendum est igitur, ne dum timemus ne tepescat hortatio, exstinguatur oratio, accendatur elatio.

XIV. (*Cap.* 17.) Sua dona quibuscunque Deus donat, proculdubio se donaturum esse præscivit, et in sua præscientia præparavit. Quos ergo prædestinavit, ipsos et vocavit, vocatione illa, quam sæpe commemorare non piget, de qua dictum est : « Sine pœni- « tentia sunt dona et vocatio Dei (*Rom.* XI). » Namque in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare.

XV. (*Cap.* 21.) Interest quantum et in quibus rebus erretur, et quam facile quisquam corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bonæ quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus vitæ hujus invenerit, ut adjiciantur ei quæ proficienti defuerunt, et perficiendus quam puniendus potius judicetur.

XVI. (*Ibid.*) Quisquis dicere gratiam Dei secundum merita nostra dari, sicut catholicus fidelis exhorret, nec ipsam fidem subtrahat Dei gratiæ, quia misericordiam consecutus est ut fidelis esset. Ac per hoc gratiæ Dei tribuat perseverantiam quoque usque in finem, quia misericordiam consequitur, quam poscit quotidie, ne inferatur in tentationem. Inter initium autem fidei, et perfectionem perseverantiæ, media sunt illa quibus recte vivimus. Hæc itaque omnia, initium scilicet fidei, et cætera usque in finem, dona sua Deus largiturum se vocatis suis esse præscivit.

XVII. (*Cap.* 22.) An vero timendum est ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus et infelicissimus poneret? (*Cap.* 23.) Atque utinam tardi corde et infirmi, qui non possunt vel nondum possunt Scripturas nec earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit et habebit Ecclesia ab exordiis suis donec finiatur hoc sæculum. Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis ejus, ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem, et non ei petivit a Domino mentem obedientem in Christianam fidem? Quis autem sibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret? aut quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit : « Da illis, « Domine, in te perseverare usque in finem, » non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super ejus talem benedictionem, et corde credente, et ore confitente respondit, « Amen? » cum aliud in ipsa oratione Dominica non orent fideles, dicentes maxime illud : « Ne nos in- « feras in tentationem, » nisi ut in sancta obedientia perseverent? Sicut ergo in his orationibus, ita et in hac fide nata est et crevit et crescit Ecclesia, qua fide creditur, gratiam Dei non secundum merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet et aversas et adversas hominum ad se convertere voluntates, nec oraret Ecclesia ut perseveraret in fide Christi non decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur et velle. Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed a seipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet, quod absit a nobis. Quis enim veraciter gemat desiderans acci-

pere quod orat a Domino, si hoc a seipso se sumere existimet, non ab illo?

XVIII. (*Cap.* 23.) « Quid oremus sicut oportet nesci- « mus, sed ipse Spiritus, ait Apostolus, interpellat « pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). » Quid est « ipse Spiritus interpellat, » nisi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, quoniam veritas est Spiritus? Ipse est enim de quo alio loco dicit : « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda « nostra clamantem Abba pater (*Galat.* IV). » Et hic quid est « clamantem, » nisi clamare facientem? ubi intelligimus et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritaliter clamemus ad Deum. Falluntur itaque qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus atque pulsemus. Accepimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.

XIX. (*Ibid.*) Quæ poscit a Domino, et semper ex quo esse cœpit poposcit Ecclesia, ita Deus vocatis suis daturum se esse præscivit, ut in ipsa prædestinatione jam dederit. Quod Apostolus sine ambiguitate declarat. Scribens quippe ad Timotheum : « Collabora, inquit, Evangelio secundum veritatem Dei, « salvos nos facientis et vocantis vocatione sua « sancta, non secundum opera nostra, sed secundum « propositum suum et gratiam quæ data est nobis in « Christo Jesu ante tempora æterna, manifestata « autem nunc per adventum Salvatoris nostri in « Christo Jesu (*II Tim.* II). » Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus et gratiæ qui dicere audet aliquando eam non orasse vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles. Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit, nec ab illo esse præcognita unquam ei negare fas fuit, ac per hoc prædestinationis hujus fidem nunquam Ecclesia Christi non habuit.

XX. (*Cap.* 24.) Et hoc Dei præceptum est, et hoc præceptum obedienter audire, id est, « ut qui glo- « riatur in Domino glorietur (*I Cor.* I), » similiter ut cætera Dei donum est. Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quæcunque habet, inaniter habet.

XXI. (*Ibid.*) Oramus ut Deus gratiæ det nobis intelligere et confiteri, post ingentem et ineffabilem ruinam, qua in uno omnes cecidimus, neminem nisi Dei gratia liberari, eamque non secundum merita accipientium tanquam debitam reddi, sed tanquam veram gratiam nullis meritis præcedentibus gratis dari.

XXII. (*Ibid.*) Nullum est illustrius prædestinationis exemplum, quam ipse Mediator. Quisquis vult eam fidelis bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniat et seipsum. Fidelis, inquam, qui in eo veram naturam credit et confitetur humanam, id est, nostram, quamvis singulariter, suscipiente Deo Verbo, in unicum Dei Filium sublimatam, ita ut qui suscepit et quod suscepit, una esset in Trinitate persona. Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente personæ unius in Deo et homine veritatem. Quoniam non Deum tantum dicimus Christum, sicut hæretici Manichæi; nec hominem tantum, sicut hæretici Photiniani; nec ita hominem, ut aliquid minus habeat, quod ad humanam naturam pertinere certum est, sive animam, sive in ipsa anima mentem rationalem, sive carnem non de femina sumptam, sed factam de Verbo in carnem converso atque mutato, quæ omnia tria falsa et vana hæreticorum Apollinaristarum tres partes varias diversasque fecerunt. Sed dicimus Christum Deum verum, natum de Deo Patre, sine ullo initio temporis, eumdemque hominem verum, natum de homine matre, certa plenitudine temporis. Nec ejus humanitatem qua minor est Patre, minuere aliquid ejus divinitati, qua æqualis est Patri. Hoc autem utrumque unus est Christus, qui et secundum Deum verissime dixit : « Ego et Pater unum sumus, » et secundum hominem verissime dixit : « Pater major me « est (*Joan* X; XIV). » Qui ergo hunc fecit ex semine David hominem justum, qui nunquam esset injustus, sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipse ex injustis facit justos sine ullo merito præcedentis voluntatis ipsorum, ut ille caput, hi membra sint ejus. Qui ergo fecit illum hominem sine ullis ejus meritis præcedentibus, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum, ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit illum talem ut nunquam habuerit habiturusque sit voluntatem malam, ipse facit in membris ejus ex mala voluntate bonam. Et illum ergo et nos prædestinavit, quia et in illo ut esset caput nostrum, et in nobis, ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præscivit.

AMULONIS

[a]EPISTOLA, SEU LIBER CONTRA JUDÆOS

AD CAROLUM REGEM.

I. Detestanda Judæorum perfidia, et eorum inter Christianos conversatio quantum sit noxia fidelibus, et ecclesiarum doctoribus periculosa, apud multos incognitum est, non solum vulgares et plebeios, sed etiam nobiles et honoratos, doctos pariter vel indoctos : et apud eos maxime, inter quos nulla præfatorum infidelium habitatio aut frequentatio est. Unde necessarium duximus, et quantum religionis damnum ex eorum permistione Christianus populus sentiat, et quid de eis observandum vel divina auctoritas, vel sanctorum Patrum venerabilia instituta, vel antiquorum principum religiosa edicta præceperint, præsentium litterarum scriptis breviter comprehendere : et tam per nos, quam per vestram unanimem fraternitatem et fraternam unanimitatem, ad notitiam omnium qui nobis in Domino regendi commissi sunt, vel quicunque nosse voluerint, et valuerint pervenire.

II. Ad quam rem sollicite peragendam constringit nos vehementer ipsa pastoralis officii necessitas; et animarum damna, quas, juxta exemplum Apostoli, Dei æmulatione zelare debemus, et ab insidiis serpentis antiqui, qui veneno malitiæ suæ fidelium mentes semper depravare conatur, Domino auxiliante, custodire : ut Ecclesia Dei vivi, sponsa Agni, in fidei et religionis sinceritate, proprio viro incorrupta et casta servetur. Juxta quod idem Apostolus dicit : « Æmulor enim vos Dei æmulatione : despondi « enim vos uni viro virginem castam exhibere « Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam se- « duxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, « et excidant a simplicitate quæ est in Christo « (*II Cor.* XI, 2, 3). » Quod maxime nobis metuendum esse, qui in his novissimis et periculosis temporibus occulto Dei judicio Ecclesiæ regimen sortiti sumus, testatur alibi idem ipse Apostolus, et imminens periculum aperte denuntiat, dicens : « Spiritus autem « manifeste dicit, quod in novissimis temporibus « discedent quidam a fide, attendentes spiritibus « erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi lo- « quentium mendacium, et cauteriatam habentium « suam conscientiam (*I Tim.* IV, 1). » Unde et Dominus in Evangelio, omnium fidelium mentes terret, et præmonet, dicens : « Verumtamen Filius « hominis veniens putas inveniet fidem in terra (*Luc.* « XVIII, 8)? » Hoc namque tempus, et hos periculosissimos dies, in quibus abundante iniquitate refrigescit charitas multorum, etiam Isaias propheta significat, ubi ait : « In die illa auferetur paxillus qui « fixus fuerat in loco fideli, et frangetur, et peribit « et cadet quod pependerat in eo, quia Dominus « locutus est (*Isa.* XXII, 25). »

III. Primum itaque illud ad memoriam reducimus, ut recogitet et perpendat unusquisque fidelis qui, et quales, et quam cavendi sint de quibus nunc loquimur ; id est, perfidi et blasphemi Judæi. De ipsis enim Dominus in Apocalypsi Joannis, angelo, id est sacerdoti Ecclesiæ Smyrnæ loquitur, dicens : « Scio tribulationem tuam, et paupertatem, sed di- « ves es ; et blasphemaris ab his qui se dicunt Ju- « dæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ « (*Apoc.* II, 9). » Et iterum Angelo Ecclesiæ Philadelphiæ scribit : « Ecce dabo de synagoga Sa- « tanæ qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed « mentiuntur : ecce faciam illos ut veniant, et ad- « orent ante pedes tuos, et scient quia ego dilexi te « (*Apoc.* III, 9). » De his ergo non Judæis, ut ipsi mentiuntur, sed synagoga Satanæ, dicit etiam beatus Paulus apostolus ad Thessalonicenses : « Quia « eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, quæ « et ipsi a Judæis, qui et Dominum occiderunt Jesum, « et prophetas : et nos persecuti sunt, et Deo non pla- « cent, et omnibus hominibus adversantur ; prohiben- « tes nos gentibus loqui ut salvæ fiant, et impleant « peccata sua semper : pervenit autem ira Dei super « eos usque in finem (*I Thess.* II, 14, 15, 16). » De talibus et beatus Joannes in Epistola sua, fidelibus præcipit, dicens : « Si quis venit ad vos, et hanc « doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo, « nec ave ei dixeritis : qui enim dicit illi ave, commu- « nicat operibus illius malignis (*II Joan.* 10, 11). » Quod licet nonnulli tantummodo de hæreticis qui ab Ecclesia recesserunt, et Christi fidei contraria docent, dictum putent ; nos tamen vigilanter considerare debemus, quod nullam exceptionem fecerit Apostolus, sed generaliter de omnibus doctrinam Christi respuentibus dixerit : « Si quis venit ad vos, « et hanc doctrinam non affert, » et cætera.

IV. Si quis autem illud nobis opponit, quod iste sermo veniendi, quo dictum est, « Si quis venit ad vos, » proprie quodammodo de falsis doctoribus in Scripturis poni soleat, de quibus et Dominus dicit :

[a] Hunc librum sub nomine Rabani Mauri ediderat Petrus Franciscus Chiffletius; critici vero plurimi, et hi magni ponderis, inter quos auctores Historiæ litterariæ Galliæ, tum ex manuscriptorum unanimi consensu, tum ex styli dissimilitudine, Rabano abjudicandum censuerunt et Amuloni nostro restituendum. Quos sequimur. Vide Historiam litterariam Galliæ EDIT.

« Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in « vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi « rapaces (*Matth.* VII, 15); » et iterum: « Omnes « quotquot venerunt, fures sunt et latrones (*Joan.* x, 8) ; » legat librum beati Augustini, contra quinque hæreses prætitulatum; id est, paganorum, Judæorum, Manichæorum, Sabellianorum, Arianorum : et evidenter agnoscet Judæos falsos esse doctores, et inter cæteros hæreticos deputari; et idcirco in omni colloquio atque convictu, consessu vel processu, vel osculo (per quæ plurimi eis adulantur) tanquam hæreticos esse cavendos; imo et pejores hæreticis : sicut eos Ecclesia catholica esse judicat, quæ in diebus Dominicæ Passionis, post hæreticos, et schismaticos, et prope paganos pro eis orat, hoc modo patenter ostendens eos et pejores esse hæreticis, et proximos paganis. Quia videlicet proprium esse solet hæreticorum, de Domino Jesu Christo Dei Filio quædam vera, quædam falsa sentire : proprium autem Judæorum, cuncta de illo falsa credere ; dum illum et Deum nullo modo esse credunt, et hominem tantum communis naturæ, id est, ex viro et femina procreatum adhuc suspicantur venturum. Quod vero unum Deum conditorem omnium confitentur, etiam idolorum cultores negare non solent.

V. Unde et præfatus venerabilis Doctor, libro de vera religione (*Cap.* 5), quatuor ordines errantium ordinum omnimodis cavendos in Christiana religione commendat et inculcat, dicens : « Neque in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærenda religio est ; sed apud eos solos, qui Christiani, catholici, orthodoxi nominantur; id est, integritatis custodes, et recta sectantes. » Ubi etiam ostendens, et docens quod his quatuor generibus hominum tam caute et pie utendum sit Ecclesiæ Dei, ut ex his non solum non depravetur, sed etiam proficiat, et enitescat in melius, subjungit, dicens (*Cap.* 6) : « Hæc enim Ecclesia Dei catholica, per totum orbem valide lateque diffusa, omnibus errantibus utitur ad provectus suos, et ad eorum correctionem cum evigilare voluerint. Utitur enim gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo invitat, alios excludit ; alios relinquit, alios antecedit ; omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem : sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi , sive admittendi. » Et post aliquanta iterum dicit (*Cap.* 7) : Repudiatis igitur omnibus qui neque in sacris philosophantur, neque in philosophia consecrantur ; et his qui vel prava opinione, vel aliqua simultate superbientes, a regula et communione Ecclesiæ catholicæ deviarunt ; et his qui suarum Scripturarum lumen, et spiritalis populi gratiam, quod Novum Testamentum vocatur, habere noluerunt, quos quanta potui brevitate constrinxi, tenenda est nobis Christiana religio, et ejus Ecclesiæ communicatio quæ catholica est, et catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis.

VI. Juxta hæc verba sancti Doctoris et Patris, repudiandi sunt isti omnes (in quibus, et cum quibus etiam Judæi) ; et ita tantummodo eisdem utendum est Ecclesiæ Dei, ut ipsa proficiat, ut illi corrigantur, ut ex eorum comparatione pulchrescat, non ex eorum (quod absit) participatione sordescat. Tanquam hostes enim Dei, et inimici crucis Christi vitandi sunt, de quibus ipse Dominus Christus dicit : « Qui non est mecum, contra me est : et qui non « colligit mecum, dispergit (*Luc.* II, 23). » Quam attente autem istorum consortia fugienda sint, beatus Joannes apostolus, non solum verbis (ut supra posuimus), sed etiam exemplis edocuit : sicut beatus Irenæus ecclesiæ Lugdunensis antiquissimus pontifex, et Martyr gloriosus, in libris suis, de se ipso, et de beato Polycarpo discipulo ejus scribit (*Lib.* III *adv. hær.*, c. 3), dicens : Polycarpus qui non solum ab apostolis eruditus est, et conversatus cum his qui Dominum viderant, sed et ab ipsis apostolis ordinatus est Smyrnæorum ecclesiæ episcopus · quem nos quoque in prima ætate nostra vidimus (diu etenim permansit, in vita et longæva ætate perdurans) nobilis vivendo, sed et moriendo nobilior exstitit ; quippe qui vitam martyrio terminavit. Et sunt etiam nunc qui audierunt ab ipso, quod Joannes discipulus Domini, apud Ephesum cum balneas lavandi gratia fuisset ingressus, et vidisset ibi Cerinthum ; exsiluisset continuo, et discessisset non lotus, dicens : Fugiamus hinc, ne et balneæ ipsæ corruant, in quibus Cerinthus lavat veritatis inimicus. Idem etiam Polycarpus Marcioni aliquando cum occurrisset, dicenti sibi : Agnoscis nos, respondit : Agnosco, agnosco primogenitum Satanæ. Tanta tunc apostoli, atque eorum discipuli in religione cautela utebantur, ut ne verbi quidem communionem cum aliquo eorum, qui a veritate deviaverant, habere paterentur.

Ad hæc si forte aliquis dicit, Cerinthum hæreticum fuisse, non Judæum, noverit temporibus apostolorum non fuisse hæreticos nisi ex Judæis ac Samaritanis, sicut fuerunt Simon et Menander, Ebion et Nicolaus. Sed et ex erroribus supradicti Cerinthi cognoscat quod omnia sint Judaica quæ astruebat. Prædicabat Dominum nostrum Jesum Christum purum fuisse hominem, nec resurrexisse ; et circumcidi carne oportere. Post resurrectionem, terrenum dicebat futurum esse regnum Christi in Jerusalem : et homines in carne iterum concupiscentiis et vitiis subjectam conversationem habituros, et legales festivitates rursum celebrandas, et hostias carnales iterum jugulandas.

VII. Quam polluta sit hæc pessima generatio, et quam vere effecta synagoga Satanæ, etiam in Evangelio Dominus ostendit, dicens : « Cum immundus spiritus « exierit ab homine, ambulat per loca arida, quæ« rens requiem, et non invenit ; tunc dicit : Rever-

« tar in domum meam unde exivi : et veniens, in- « venit vacantem, scopis mundatam, et orna- « tam. Tunc vadit, et assumit septem alios spi- « ritus secum, nequiores se : et ingressi habitant « ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prio- « ribus (*Luc.* XI, 24, 25, 26). » Sic fiet et generationi huic pessimæ. Quæ verba Domini beatus Hieronymus explanans, ita dicit : « Immundus spiritus exivit a Judæis, quando acceperunt legem : et ambulavit per loca arida, quærens sibi requiem. » Expulsus videlicet a Judæis, ambulavit per gentium solitudines : quæ cum postea Domino credidissent, ille non invento loco in nationibus, dixit : Revertar ad domum meam pristinam unde exivi : habebo Judæos quos ante dimiseram. Et veniens invenit domum vacantem, scopis mundatam. Vacabat enim templum Judæo- B rum, et Christum hospitem non habebat, dicentem : « Surgite, eamus hinc (*Joan* XIV, 31). » Et in alio loco : « Dimittetur vobis domus vestra deserta (*Luc.* XIII, « 35). » Quia igitur et Dei, et angelorum præsi- dia non habebant, et ornati erant superfluis ob- servationibus legis, et traditionibus Pharisæorum : revertitur diabolus ad sedem suam pristinam, et septenario sibi numero dæmonum addito ha- bitat pristinam domum, et fiunt novissima illius pejora prioribus. Multo enim nunc majori dæmo- num numero possidentur, blasphemantes in syn- agogis suis Christum Jesum, quam in Ægypto pos- sessi fuerant ante legis notitiam. « De istis eorum blasphemiis, non solum in Dominum Jesum Chri- C stum, sed et in Ecclesiam ejus, idem doctor in ex- planatione Amos prophetæ, cum illa verba expone- ret : « Et tenuerit ultra furorem suum, et indignatio- « nem suam servaverit usque in finem (*Amos* I, 2), » ita ait : « Antiquumque furorem et iracundiam tenen- tes usque hodie in synagogis suis, sub nomine Naza- renorum blasphemant populum Christianum. » Item apud eumdem prophetam exponens illa Domini verba, quibus psalmos et cantica, quæ videntur canere in synagogis Satanæ reprobat, dicens : « Aufer a me « tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ « non audiam (*Amos* V, 23) ; » præfatus doctor con- jungens eos hæreticis, sic loquitur : « Judæorum quoque traditio, et psalmi quos in synagogis canunt, et hæreticorum composita laudatio, tumultus est Domino, et (ut ita dicam) grunnitus suis, et clamor D asinorum. »

VIII. Idem etiam doctor quanto odio et exsecra- tione istiusmodi blasphematores Christi, et Ecclesiæ ejus abominandi sint, suo nos exemplo informat, quodam loco dicens : « Si expedit odisse homines, et gentem aliquam detestari, miro odio aversor cir- cumcisionem : usque hodie enim persequuntur Domi- num nostrum Jesum Christum in synagogis Satanæ. » Item alibi (*ep.* 151, *quæst.* 10) : « Quantæ, inquit, traditiones Pharisæorum, quas hodie δευτερώσεις vocant, et quam animales sint fabulæ revolvere ne- queo : pleraque enim tam turpia sunt, ut erubescam dicere. » In expositione quoque Isaiæ (*in cap.* VIII), A cum exponeret eum locum, ubi de Domino prædi- ctum est : « In lapidem autem offensionis, et petram « scandali duabus domibus Israel, » etiam primos auctores talium fabularum, atque doctrinarum qui et quando esse cœperint apud Judæos ; et scholæ eo- rum, quibus invicem succedentibus, usque ad no- vissimam captivitatem pervenerint, his verbis expo- nit : « Nazareni, qui ita recipiunt Christum, ut ob- servationes legis veteris non omittant, duas domus interpretatur Sammai, et Ellel ; ex quibus orti sunt Scribæ et Pharisæi. Quorum suscepit scholam Achi- bas, et post eum Mehir, cui successit Johannan fi- lius Zachæi et post eum Eliezer, et per ordinem Thel- phon, et rursum Joseph Galilæus, et usque ad capti- vitatem Jerusalem Josue. Sammai igitur, et Ellel, B non multo prius quam Dominus nasceretur, orti sunt in Judæa : quorum prior interpretatur dissipa- tor, sequens profanus ; eo quod per traditiones (δευτερώσεις) suas, legis præcepta dissipaverint, at- que maculaverint. Et has esse duas domus quæ Sal- vatorem non receperint ; qui factus sit eis in rui- nam, et in scandalum. »

IX. Tales Scribarum, et Pharisæorum magistri exstiterunt, doctores fabularum et superstitionum : pro quibus eos frequenter in Evangelio Dominus increpat ; et præcipue ubi omnes eorum errores uno prophetico testimonio destruit, dicens : « Quare et « vos transgredimini mandata Dei propter traditio- « nem vestram? » (*Matth.* XV, 3.) Et post pauca : C « Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, di- « cens : Populus hic labiis me honorat, cor autem « ejus longe est a me. Sine causa autem colunt me, « docentes doctrinas et mandata hominum (*ibid.*, « *vers.* 7, 8, 9). » Istorum igitur perversorum atque impiorum doctorum cæci et infideles Judæi, relicta veritate legis et prophetarum, usque in hodiernum diem observant traditiones, et sequuntur errores : in his legendis maxime occupantur, hæc inter se lo- quentes conferunt, hæc per singula sabbata in syn- agogis Satanæ prædicare non cessant. Si quid autem de libris legis divinæ intelligere conantur, juxta cæ- citatem eorum depravantes, cluserunt sibi misera- biliter ostium veritatis ; impleturque in eis mani- festissime quod eisdem doctoribus, imo perditori- D bus, eorum Dominus in Evangelio exprobrat, dicens : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, quia tulistis cla- « vem scientiæ : ipsi non introistis, et eos qui in- « troibant prohibuistis (*Luc.* XI, 52). »

X. Denique audiat paulisper religiosa sanctitas vestra quam nefandis, atque inauditis blasphemiis, et conviciis Dominum nostrum Jesum Christum, et Christianum ejus populum irrideant et subsannent. Sanctos apostolos impie immutato vocabulo appel- lant apostatas ; tanquam non missos a Deo, sed re- fugas legis suæ. Evangelium, quod nos Græco elo- quio intelligimus bonum nuntium, ipsi propria lin- gua malitiosissime immutantes vocant HAVONGALION, quod interpretatur Latine iniquitatis revelatio : aş-

serantes videlicet quod non in eo mysterium salutis humanæ, sed iniquitas qua totus mundus in errorem mitteretur fuerit revelata : nescientes (insani) quod etiam istud ab eis conflictum vocabulum, apertissimum iniquitatis eorum sit testimonium : sicut in libro Job (*in cap.* xx) de impio scriptum est : « Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget « adversus eum. Apertum erit germen domus illius : « detrahetur in die furoris. » Et in tantum Domini Jesu Christi odium exarserunt, ut ab Oriente usque in Occidentem, per omnes regiones transmarinas et citramarinas, in quibus Judæi habitant, mandata miserint, ne ullatenus in synagogis suis psalmum nonum decimum, qui sub specie orationis totus de manifestissimo Salvatoris adventu scriptus est, decantarent. Videlicet ne forte dicentes, sicut ibi canitur : « Exaudiat te Dominus in die tribulationis, « protegat te nomen Dei Jacob (*Psal.* xix, 2), » et cætera quæ sequuntur; et certissime de eo subjungentes : « Nunc cognovi quoniam salvum fecit Do- « minus Christum suum. Exaudiet illum de cœlo « sancto suo : in potentatibus salus dexteræ ejus « (*vers.* 7). » Et in fine psalmi : « Domine, salvum fac « regem, et exaudi nos in die qua invocaverimus « te (*vers.* 10) : » ne ista, inquam, dicentes, tanquam præsenti benedicere et bene optare viderentur. Tulerunt igitur psalmum, qui per tot sæcula in conventu synagogæ quotidie inter cæteros fuerat decantatus, eumque usque in adventu Christi sui omni modo silendum esse decreverunt; et impleverunt in populo miserabili, etiam in hac parte, quod eis per Michæam prophetam (*in cap.* II) tanto ante fuerat exprobratum, dicente Domino : « Eos qui transibant « simpliciter, convertistis in bellum : mulieres populi « mei ejecistis de domo deliciarum suarum : a par- « vulis earum tulistis laudem meam in perpetuum. » Sed hæc agentes, et velut contra stimulum calcitrantes, sibimet ipsis vulnus impietatis addiderunt.

XI. Sed nunquid prophetiam psalmi, aut præsentiam Christi evacuare potuerunt? quem ita videmus declaratum in gentibus, ut verissime illud impletum sit quod in Isaia propheta ad ipsum Dominum Salvatorem Deus Pater dicit : « Posui te in lucem gen- « tibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ (*Isa.* xlix, 6) ; » et quod idem propheta iterum dicit : « Paravit Dominus brachium sanctum suum in « oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines « terræ Salutare Dei nostri (*Ibid.* lii, 10) ; » et quod in Malachia propheta Dominus testatur, dicens : « Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum « est nomen meum in gentibus : et in omni loco « sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda « (*Malach.* i, 11). » De qua oblatione (quæ est utique pretiosa Domini Jesu Christi passio, qui dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis) in præfato psalmo ad ipsum dicitur de Deo Patre : « Memor sit omnis « sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat « (*Psal.* xix, 4). »

XII. Ita procedentibus temporibus, et per impietatis magistros succrescentibus indesinenter erroribus in tantum obcæcati sunt, ut finxerint sibi de proprio sensu duos messias, id est duos Christos : quorum unum dicunt esse velut juxta promissionem Dei, ex genere David : quem et affirmant ea nocte in Judæa natum, quando domus Dei sub Vespasiano et Tito Hierosolymis destructa est; et nescio quibus modis Romam esse perductum : ibique usque hodie in speluncis et cryptis abditis esse reclusum : atque in tali ergastulo vinctum ferro, oppressum catenis, et toto corpore vulneratum. Et confidunt se per hæc vulnera habere indulgentiam peccatorum, et impleri in se quod Isaias dixit (*in cap.* liii) : « Et in vulnere ejus medicina erit nobis. » Habent etiam scriptum in suis traditionibus, quod iste talis messias ostenderit se antiquitus cuidam magno eorum doctori, qui vocabatur Josue Ben Levi : apparuisse autem primum in sordido habitu. Cumque ab illo, ignorante quis esset, corriperetur cur ita illotus et incultus incederet, repente se mutasse in aliam effigiem, et apparuisse quasi senem speciosum, tenentem in manu sapphirum lapidem pretiosum : cumque hoc factum ille admiraretur, et requireret quisnam esset, respondisse eum : Ego sum messias, qui multas pœnas pro vobis sustineo, et vos redempturus sum de captivitate : et omnes accipietis lapidem sapphiri qualem me videtis tenere. Et tunc implebitur in vobis quod in Isaia scriptum est : « Pau- « percula, tempestate convulsa, absque ulla conso- « latione : ecce ego sternam per ordinem lapides « tuos, et fundabo te in sapphiris ; et ponam jaspidem « propugnacula tua, et portas tuas in lapides scul- « ptos, et omnes terminos tuos in lapides desidera- « biles (*Isa.* liv, 11, 12). » Hunc ergo talem messiam sperant in finem esse venturum, ad congregandos eos de captivitate (quod solum, ut vilissima mancipia, desiderare noverunt) : venturum in nubibus cœli, tanquam de ipso dixerit Daniel propheta : « Aspiciebam in visione ; et ecce cum nubibus cœli « quasi Filius hominis veniebat (*Dan.* vii, 13), » et cætera. Et istum nominant messiam Ben David, id est filium David.

XIII. Alterum autem dicunt messiam, quem putant esse de tribu Ephraim, unde et nominant eum messiam Ben Ephraim, id est filium Ephraim : quod ex illa tantum occasione doctores eorum somniaverunt, quia scribitur in Jeremia, dicente Domino : « Quia factus sum Israeli pater, et Ephraim primo- « genitus meus est (*Jerem.* xxxi, 9). » Istum sperant post revocationem captivitatis suæ, venientibus super se gentibus ferocissimis, Gog et Magog, ad bellum contra eas processurum : et in eodem bello interficiendum, et ab omni populo Judæorum graviter plangendum. Et hoc esse dicit quod in Zacharia propheta scriptum est : « Et aspicient ad eum « in quem confixerunt, et plangent eum planctu « quasi super unigenitum, et dolebunt super eo sic- « ut doleri solet in morte primogeniti : et plan-

« gent terræ familiæ, et familiæ seorsum, et mulie- « res eorum seorsum (*Zach.* XII, 10-12), » et cætera. In tantum namque eorum processit impietas, ut etiam Scripturam propheticam falsare conati sint : et ubi nos (sicut in Hebræo sermone ab initio continetur) ex persona Dei dictum legimus : « Et effun- « dam super domum David, et super habitatores « Hierusalem Spiritum gratiæ, et precum : et aspi- « cient ad me quem confixerunt (*Ibid.*); » ubi statim quia iste sit Deus qui hæc de se loquitur, Propheta evidenter ostendit, adjungens : « Et plangent eum planctu quasi super unigenitum : et dolebunt super eo ut doleri solet in morte primogeniti : » iste enim Deus.

XIV. Responsio veritatis contra præfatum errorem Judaicum. Qui se effusurum dicit super domum David, et super habitatores Hierusalem Spiritum gratiæ et precum ; et non de aliis (sicut isti insanientes deliranl), sed de eisdem habitatoribus Hierusalem subjungit : « Et aspicient ad me quem confixerunt, » Dei Patris unigenitus, et primogenitus est, de quo in Evangelio scribitur : « Et vidimus gloriam ejus, « gloriam quasi unigeniti a Patre (*Joan.* I, 14). » Et Apostolus dicit : « Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (*Rom.* VIII, 29). » Et in Apocalypsi scriptum est : « Primogenitus mortuorum, et princeps « regum terræ : qui dilexit nos, et lavit nos a pec- « catis nostris in sanguine suo (*Apoc.* I, 5). » Et in Psalmo : « Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ (*Psal.* LXXXVIII, 28). » Unde in his dictis propheticis brevissime et plenissime mysterium Christi comprehensum est; dum ille qui ab impiis confixus et transfixus est, et Deus, et unigenitus, et primogenitus esse commendatur. Ubi ergo nos juxta fidem Scripturæ sanctæ, ex persona Dei legimus : « Et aspicient ad me, quem con- « fixerunt; » illi quamvis in ipso textu libri, divino nutu terrente, non fuerint ausi mutare : tamen extrinsecus e latere adnotatum habent sicut supra posuimus : « Aspicient ad eum quem confixerunt : » et sic tradunt suis discipulis, ut sicut in textu continetur transcribant, sed sicut foris adnotatum est legant. Ut teneant videlicet, quod juxta eorum dementiam, Judæi aspicient ad eum quem confixerunt, Gog et Magog : cum in hoc loco nulla omnino illarum gentium mentio fiat; sed supra habitatores Hierusalem commemorentur, de quibus aperte Deus dicit : « Et aspicient ad me quem confixerunt : » et de iisdem continuo subjungatur : « et plangent terræ « familiæ, et familiæ seorsum : » id est, familiæ domus David, et domus Nathan, et domus Levi, et domus Semei, et omnes reliquæ : ut omnino ipsi qui confixerunt, pro tanto scelere plangere intelligantur. Sive in primo adventu, post passionem Domini, quando prædicantibus apostolis compuncti sunt corde, et dolentes dixerunt : « Viri fratres, quid fa- « ciemus (*Act.* II, 37, 38)? » et statim consilium salutis acceperunt, dicente Petro ad eos : « Pœni- « tentiam agite, et baptizetur unusquisque in nomine Domini Jesu Christi. » Sive in secundo, cum veniente Domino ad judicium, videbunt in eo vulnera quæ intulerunt : et pro tanta impietate cernent se esse damnandos. Quando implebitur quod Dominus in Evangelio dicit : « Et tunc apparebit signum « Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tri- « bus terræ (*Matth.* XXIV, 30). » Unde et beatus Joannes in Apocalypsi testatur, dicens : « Ecce venit « cum nubibus, et videbit omnis oculus, et qui eum « pupuge- unt : et plangent se super eo omnes tri- « bus terræ. Etiam; amen (*Apoc.* I, 7). »

XV. Sic itaque isti infelices, sanam doctrinam non sustinentes, sed ad sua desideria coacervantes sibi magistros prurientes auribus : a veritate aversi, et ad fabulas conversi; dum unum et verum Christum, qui ex lege et prophetis jam venisse manifestissime ostenditur, suscipere renuunt, duos sibi falsos de malo thesauro cordis sui finxerunt : atque ita semetipsos Antichristi illusionibus totos præparaverunt. Ubi enim unquam in Scripturis propheticis auditum est, ut (sicut ipsi dicunt) in subversione civitatis Hierusalem et templi Christus nasceretur? Cum e contrario stante adhuc templo et civitate, adventum ejus Deus promittat per Malachiam prophetam, dicens : « Ecce ego mitto angelum meum, « et præparabit viam ante faciem meam : et statim « veniet ad templum suum Dominator quem vos « quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis « (*Malach.* III, 1). » Et non solum adventum, sed et passionem ejus ante destructionem civitatis et templi futuram, Gabriel angelus per Danielem prophetam annuntiat, dicens : « Et post sexaginta duas heb- « domades occidetur Christus : et non erit ejus « populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et « sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. « Et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta « desolatio (*Dan.* IX, 26). » In quibus verbis evidenter ostenditur, quia non solum vastationem civitatis et templi præcessit adventus et passio Christi; sed etiam propter ipsam passionem et mortem, quam ei impie intulerunt, continuo subsecuta sit illa subversio. Et perdiderunt Christum ducem, de quo per Michæam prophetam promissum fuerat : « Ex te enim « exiet dux, qui regat populum meum Israel « (*Mich.* V). » Ut merito non sit ejus populus, qui eum negavit, et occidit. Et propter hoc scelus traditi sunt æternæ captivitati : de qua licet ipsi sibi liberationem promittant, manifeste propheta confirmat quia « finis ejus vastitas, et post finem belli « statuta desolatio : et usque ad consummationem et « finem perseverabit desolatio (*Dan.* IX, 27). »

XVI. Quod similiter etiam Jeremias propheta testatur, ubi, præcipiente Domino, lagenam figuli testeam in oculis eorum projecit, et confregit, dicens : « Hæc dicit Dominus : Sic conteram civitatem istam, « et populum istum, sicut conteritur vas figuli, quod « non potest ultra instaurari (*Jerem.* XIX, 11). » Sed et per Osee prophetam eodem modo Dominus comminatur, dicens : « Propter malitiam adinventionum

« eorum, de domo mea ejiciam eos. Non addam, « ut diligam eos (*Ose.* IX, 15). » Et iterum : « Et po- « pulus meus pendebit ad reditum meum : jugum « autem imponetur ei simul, quod non auferetur « (*Ibid.* XI, 7). » Nam et per Malachiam prophetam, in adventu Eliæ, non relaxatio captivitatis, non reditus in terram Judæam, non restauratio civitatis, et templi, et cæremoniarum legalium; sed sola salus, sola fidei gratia eis promittitur, dicente Domino : « Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem : et con- « vertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad « patres eorum (*Malach.* IV, 5, 6); » ut videlicet corda istorum filiorum carnalium, quæ nunc per incredu- litatem suam ab antiquorum patrum fide longe disjuncta sunt, tunc tanto propheta prædicante, et Deo convertente eorum fidei socientur : et juxta Apostolum (*Rom.* XI, 24), rami propter incredu- litatem fracti, per bonitatem Dei inserantur suæ olivæ. Sed et in Osee propheta : Post multos istos dies, quibus (sicut prædictum est) sedent filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine teraphim; sola eis in- quisitio et inventio Dei, et Christi ejus promittitur ad salutem, dicente Domino per eumdem prophe- tam : « Et post hæc revertentur filii Israel, et quæ- « rent Dominum Deum suum, et David regem suum : « et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in « novissimo dierum (*Ose.* III, 5). » Unde et Paulus in Epistola ad Romanos, ubi de novissima eorum salvatione loquitur; ablationem impietatis, et in- dulgentiam peccatorum tantummodo per gratiam Salvatoris eis promittit, dicens : « Cum intraverit « plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet, « sicut scriptum est : Veniet ex Sion qui eripiat, « et avertat impietatem a Jacob : et hoc illis a me « testamentum, cum abstulero peccata eorum « (*Rom* XI, 25, 26, 27). »

XVII. Quid ergo prodest miseris quod Christum suum jam venisse, et in illa vastatione Hierosoly- morum natum esse, et apud urbem Romam in er- gastulo retrusum, et usque hodie pro eorum libera- tione multis pœnis affectum esse confingunt; ut per hæc adventum veri Christi, tam manifeste in omni- bus gentibus declaratum, apud suos auditores eva- cuent; et se ab ejus passione et morte velut inno- centes ostendant? Dum ille, quem suum Christum putant, non ab ipsis sed a Romanis tanta et tam longa mala patiatur : cum juxta veritatem Scriptu- rarum, nullus alius Christus recipiendus sit, nisi quem ipsi crucis patibulo affixerunt : ipso per Mala- chiam prophetam testante, atque dicente (*Malach.* III, 8) : « Si configit homo Deum, quia vos configitis « me, et me vos configitis gens tota. » De quo et in Zacharia scriptum est : « Et dicitur ei : Quid sunt « plagæ istæ in medio manuum tuarum? et dicit : « Plagatus sum in domo eorum qui diligebant me « (*Zach.* XIII, 6) : » Aut quomodo per tot sæcula, cum ab eorum vastatione et dispersione jam mille fere anni impleantur, ita ejus obscurare conantur adventum; qui tam clarus mundo illuxit, ut de eo dicat Osee propheta : « Quasi diluculum præparatus « est egressus ejus (*Ose.* VI, 3). » Et Habacuc simi- liter : « Splendor ejus ut lux erit : cornua in mani- « bus ejus ibi abscondita est fortitudo ejus (*Habac.* « III, 4); » quod apertissime de crucis passione dictum est.

XVIII. Sed et Isaias : « Propter Sion, inquit, non « tacebo, et propter Hierusalem non quiescam, donec « egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus « ut lampas accendatur. Et videbunt gentes justum « tuum, et cuncti reges inclytum tuum (*Isa.* LXII, « 1, 2). » Quem non longi temporis spatio tardatu- rum, sed velociter et citissime de diabolo triumpha- turum, et prædam ac spolia ejus sumpturum Do- minus per eumdem prophetam promittit : qui post- quam dixerat : « Parvulus enim natus est nobis, et « filius datus est nobis : et vocabitur nomen ejus « admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater fu- « turi sæculi, princeps pacis (*Isa.* IX, 6). » Et in alio loco : « Et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa.* VII, 14); » adjecit adhuc, dicens : « Et ait Do- « minus ad me, Voca nomen ejus, Accelera spolia « detrahere : Festina prædari (*Isa.* VIII, 3). » Unde et contra istos duricordes, qui præsentem Dei justitiam non recipientes, seipsos elongant a justitia, Deus per eumdem prophetam clamat, dicens : « Audite me, « duro corde, qui longe estis a justitia. Prope feci « justitiam meam : non elongabitur, et salus mea « non morabitur. Dabo in Sion salutem, et in Hieru- « salem gloriam meam (*Isa.* XLVI, 12, 13). » Prope « est justus meus : egressus est Salvator meus, et « brachia mea populos judicabunt (*Isa.* LI, 5). » Quid autem mirum, si hujusmodi homines errantes, et in errorem mittentes, illud de ostensione pseudo- christi eorum apud magnum doctorem suum, quem nominant Josue ben Levi : qui forsitan ipse im- pius magister est, quem (sicut supra ostendimus) septimum post Sammai, et Ellel, scholam eorum usque ad captivitatem tenuisse beatus Hieronymus docet (*in cap.* VIII *Isa.*) : et ipse hanc strophan ad decipiendum infelicem populum excogitavit, ut talem promissionem velut pro consolatione haberent in calamitatibus captivitatis, quæ tunc inchoata est. Quid, inquam, mirum si aut hoc isti finxerunt, aut ad confirmandam eorum infidelitatem, ipse Satanas transfigurans se velut angelum lucis; qui etiam Domino nostro de Scripturis laqueum tentationis objecit, justo Dei judicio eis illusit? et ei qui dignus erat ut deciperetur, et deciperet, sic permissus est apparere, et talia velut ex verbis propheticis pro- ferre, unde a fide veri Salvatoris averterentur; et ad exspectanda falsa et inania, juxta desideria cordis sui, miserabiliter provocarentur? Implente in eis Deo quod in Psalmis terribiliter ante fuerat comminatus, dicens : « Et non audivit populus meus « vocem meam, et Israel non intendit mihi : et di- « misi eos secundum desideria cordis eorum. Ibunt « in adventionibus suis (*Psal.* LXXX, 12, 13). »

XIX. Nam et in historiis ecclesiasticis legimus, (*Rufinus, lib.* x *Histor., cap.* XXXVII), eos aliquoties sive per apostatas homines, sive per ipsum diabolum transfigurantem se in angelum lucis, ad talia esse delusos. Sicut Julianus imperator (*Hist. Trip., lib.* VI, *cap.* XLIII), ex Christiano ad idolorum cultum conversus, et per omnia Antichristus effectus, inter cæteras impietates suas, in odium Christi templum in Hierosolymis eis reparare permisit, ut ibi velut legales victimas immolarent. Cumque ex omnibus provinciis Judæis collectis, nova templi fundamenta jacerent; subito nocte oborto terræ motu, saxa ab imo fundamentorum excussa, longe lateque sparsa sunt. Igneus quoque globus ab interiori æde templi egressus, plurimos eorum suo prostravit incendio. Quo terrore aliqui pavefacti, Christum confitebantur inviti. Et ne istud casu crederent factum, sequenti nocte in vestimentis eorum crucis apparuit signum. Theodosii quoque minoris temporibus (*Hist. Trip., lib.* XII, *cap.* IX), diabolus in specie Moysi Judæis in Creta apparens, dum eos per mare pede sicco ad terram repromissionis promittit perducere, plurimis necatis reliqui qui salvi facti sunt, confestim ad Christi gratiam confugerunt. Scribit etiam beatus Hieronymus in Commentariis Ezechielis, cum illum locum explanaret ubi prophetæ præcipitur ut dormiat super latus suum sinistrum trecentos nonaginta dies, et assumat iniquitates domus Israel : itemque dormiat super latus dextrum quadraginta dies, et assumat iniquitates domus Juda. Qui dies juncti simul, fiunt quadringenti triginta, et pro totidem deputantur annis; dicente Domino ad eumdem prophetam : « Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi (*Ezech.* IV). » Scribit itaque præfatus doctor, et vanissimam spem eorum de absolutione captivitatis, in qua nunc detinentur, his verbis exponit, dicens (*S. Hieron. in c.* IV *Ezech.*) : « Judæi a secundo anno Vespasiani, quando Hierusalem a Romanis capta, templumque subversum est, supputare volunt in tribulatione et angustia et captivitatis jugo populi constituti annos quadringintos triginta, et sic redire populum ad pristinum statum; ut quomodo filii Israel quadringentis triginta annis fuerunt in Ægypto, sic in eodem numero finiatur extrema captivitas : scriptumque esse in Exodo (XL, 112) : « Habitatio autem filiorum « Israel quia habitaverunt in terra Ægypti, anni « quadringenti triginta sunt. » Et iterum (*vers.* XLI) : « Factum est post annos quadringintos triginta egressus est omnis exercitus nocte. Iste annorum numerus ab exordio captivitatis eorum, diebus beati Hieronymi necdum erat expletus : nunc vero non solum jam expletus est, sed etiam fere duplicatus. Nam ab adventu Domini Salvatoris octingenti et quadraginta sex impræsentiarum computantur anni.

XX. Delusi sunt ergo vana exspectatione majores eorum : deluduntur et isti, majori utique cæcitate; qui cum videant præsentem captivitatem et servitutem suam, nec post septuaginta annos sicut ex Babylone, nec post quadringintos triginta, sicut ex Ægypto, sed neque post quingentos, qui jam impleti sunt, relaxari; non intelligunt se gravius quam unquam antea in Deum peccasse, Dei Filium crucifigendo, et clamando : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25); » et idcirco a Deo esse desertos atque oblivioni traditos : donec erubescant infidelitatis suæ, et non temporalem sed æternam libertatem, quæ in Christo est, incipiant desiderare : sicut eis per Moysem ipse omnipotens Deus comminatus est, dicens : « Urbes vestras redi- « gam in solitudinem, et deserta faciam sanctua- « ria vestra, nec recipiam ultra odorem suavissi- « mum : disperdamque terram vestram, et stupe- « bunt super eam inimici vestri, cum habitatores « illius fuerint. Vos autem dispergam in gentes, « et evaginabo post vos gladium : eritque terra « vestra deserta, et civitates dirutæ (*Levit.* « XXVI, 31, 32, 33). » Et iterum : « Peribitis « inter gentes, et hostilis vos terra consumet. « Quod si et de his aliqui remanserint, tabescent in « iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum; « et propter peccata patrum suorum et sua affligen- « tur, donec confiteantur iniquitates suas, et majo « rum suorum, quibus prævaricati sunt in me, et « ambulaverunt ex adverso mihi. Ambulabo igitur « et ego contra eos, et inducam illos in terram « hostilem, donec erubescat incircumcisa mens « eorum. Tunc orabunt pro impietatibus suis, et « recordabor fœderis mei quod pepigi cum Abra- « ham, et Isaac, et Jacob (*vers.* 38, 39, 40, 41, « 42) : » Si veram salutem et libertatem quæ in his Dei verbis promittitur quærerent, jam dudum intelligere potuissent ita deserta facta esse sanctuaria sua, ut (sicut Deus ipse testatur) non recipiat ab eis ultra odorem suavissimum, nec eorum restaurationem, quæ nulla est, exspectarent; sed seipsos restaurandos humiliter Deo subderent, confitendo iniquitates suas et majorum suorum, et orando pro impietatibus suis, ut indulgentiam consequi mererentur. Sed quia necdum erubescit incircumcisa mens eorum, putant pseudochristum suum nunquam mori, aut resurgere, sed in æternum vivere : et ex illa retrusione sua subito in nubibus cœli venientem apparere.

XXI. Sicut etiam quidam infidelium Judæorum prava opinione decepti, quia frequenter in Scripturis de Christo audierant quod regnum ejus esset in æternum, sicut in Isaia legitur : « Multiplicabitur « ejus imperium, et pacis non erit finis : super « solium David, et super regnum ejus sedebit; ut « confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, « amodo, et usque in sempiternum (*Isa.* IX, 7); » « et in Psalmo : « Et thronus ejus sicut dies cœli « (*Psal.* LXXXVIII, 30); » et iterum : « Et thronus « ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna per- « fecta in æternum (*vers.* 37); » putabant eumdem Christum qui ex lege et prophetis est repromissus, nunquam moriturum : et Domino Jesu Christo de

sua passione loquenti (sicut in Evangelio scriptum est) objiciebant, dicentes : « Nos audivimus ex lege, « quia Christus manet in æternum. Quomodo tu « dicis : Oportet exaltari filium hominis? (*Joan.* XII, 34.) » Sed nec isti intelligebant, nec isti intelligunt, quia juxta easdem divinas Scripturas nullus alius Christus credendus est, nisi qui pro peccatis populi Dei vere est mortuus et sepultus : et resurgens, ultra non moritur, ut vere manat in æternum; testante Domino per Isaiam prophetam : « Propter scelus populi mei percussi eum : et « dabit impios pro sepultura, et divites pro morte « sua (*Isa.* LIII, 8, 9). » Et iterum : « Si posuerit pro « peccato animam suam, videbit semen longævum : « et voluntas Domini in manu illius dirigetur (*vers.* « 10). » Et post pauca : « Idcirco dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod dedit « in morte animam suam (*vers.* 12), » et cætera. Ita utrumque prophetatum, et utrumque est verum in Christo, et mors ad tempus; et post mortem, resurrectionis gloria in æternum. De quo autem alio Christo Daniel propheta dicere potuisset : « Aspiciebam in visione mea nocte; et ecce cum nubi- « bus quasi filius hominis veniebat (*Dan.* VII, 13), » et cætera ; nisi de illo qui ab istis est reprobatus? Sicut in alia visione (quod et supra diximus) idem Daniel prænuntiat, dicens : « Et post sexaginta duas « hebdomadas occidetur Christus : et non erit ejus « populus : et civitatem et sanctuarium dissipabit « populus cum duce venturo (*Ibid.* IX, 26). »

XXII. Ubi autem unquam legerunt alterum pseudochristum suum, quem nominant messiam ben Ephraim ? Quis aliquando prophetarum, ex tribu Ephraim Messiam venturum esse prædixit? Nonne et Jacob patriarcha, in benedictionibus filiorum suorum, et omnes deinceps prophetæ, de tribu Juda et de domo David eum venturum testati sunt ? Nonne clarissime apparet, quia hoc nimis contentiosa et cæca impietatis obstinatio excogitavit, ut eo loco ubi apud Zachariam prophetam apertissime de Christo , qui ab eis crucifixus est, legitur : « Et « plangent eum planctu quasi super unigenitum : « et dolebunt super eo, ut doleri solet in morte « primogeniti (*Zach.* XII, 10) ; » ex occasione illorum verborum Domini , quibus in Jeremia dicitur : « Quia factus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus meus est (*Jerem.* XXXI, 9); » non illius qui vere est Christus, sed alterius qui ab istis est confictus, occisio intelligitur, ut quantum in ipsis est, vera Christi passio evacuetur. Legant libros prophetarum, et maxime Osee prophetam : et videant decem tribus populi Israelitici, postquam scissæ sunt a domo David, et regem sibi in Samaria constituerunt Jeroboam filium Nabath, ex tribu Ephraim ; frequentius eas, propter domum regiam, quæ apud eos ex Ephraim cœpit : et majorem partem populi Israel quæ apud ipsos erat, appellari Ephraim, et Israel ; sicut et illa pars populi, quæ remansit cum domo David, propter domum regiam quæ ex tribu Juda electa est, Judas appellatur. Inde est quod sæpius legitur (*Reg.* III *et* IV) de istis : « Ecce hæc scripta sunt in libro Verborum dierum « regum Juda; » de illis : « Ecce scripta sunt in libro « Verborum dierum regum Israel. » De istis namque duabus partibus populi in duo regna divisi, per Osee dicitur : « Quid faciam tibi, Ephraim? Quid « faciam tibi, Juda (*Ose.* VI, 4) ? » Huic ergo populo Israel, et Ephraim, per Jeroboam filium Nabath a domo David separato, et a templo Dei alienato; qui vitulos aureos coluit in Bethel, et in Dan, usque ad diem captivitatis suæ : et sic a regibus Assyriorum ductus est in æternam captivitatem, dicente Domino per Osee : « Quia non addam ultra misereri « domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum « (*Ose.* I, 6). » Huic, inquam, populo in magna, et vere magna consolatione promittitur, quod qui temporalis captivitatis jugo nunquam meretur absolvi, in adventu Domini Salvatoris, si in eum credere voluerit, tantam recipiat felicitatem, ut fiat Deus Israeli pater, et Ephraim primogenitus ejus sit : recuperans videlicet illam gloriam, quam antiquitus ex Ægypto liberatus acceperat ; dicente Domino ad Pharaonem : « Filius primogenitus meus Israel : « dimitte eum, ut serviat mihi (*Exod.* IV, 22, 23). »

XXIII. Cum itaque tam clara sit hujus rei veritas, cur sibi ipsi de luce tenebras faciunt ? Cur audent dicere, ex Ephraim nescio quem Messiam, id est, unctum? Nunquid enim quia primogenitus, ideo etiam unctus ? cum de omni generaliter populo dictum sit : « Filius primogenitus meus Israel : » et tamen unctionis gloriam præter domum sacerdotalem et domum regiam non accepit ? Audiant contra errorem suum, etiam antequam illa divisio populi fieret sub Roboam filio Salomonis, psalmum dicentem, et unde verus Salvator exspectandus esset apertissime protestantem : « Et projecit, inquit, tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit : sed « elegit tribum Juda (*Psal.* LXXVII, 67, 68). » Et post pauca : « Et elegit David servum suum, et tulit eum « de gregibus ovium, sequentem fœtas (*vers.* 70, « 71). » Adduxit eum ut pasceret in Jacob populum ejus, et in Israel hæreditatem ejus. De gentibus autem Gog et Magog, sicut et de cæteris promissionibus, et comminationibus propheticis, quæ nimis obscure positæ sunt, cum istis aliquid disputare velle nimis ineptum est : quandiu hæc tam vera, et tam manifesta, et in quibus tota salus constat contemnunt. Quocunque enim modo illa intelligenda et accipienda sint, nisi primum ista fideliter susceperint, salvi esse non possunt.

XXIV. Et quia de falsis et cæcis Judæorum doctoribus nobis sermo est, de quibus Dominus testatur, dicens: « Omnis plantatio, quam non plantavit « Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos : « cæci sunt duces cæcorum : cæcus autem si cæco « ducatum præstet, ambo in foveam cadunt (*Matth.* XV, 13, 14); » breviter admonendum putamus, ut etiam libri Josephi, et Philonis (qui homines qui-

dem docti, sed Judæi impii exstiterunt) quia eos nonnulli nostrorum nimis admirari solent, et plus etiam quam divinas litteras legere delectantur, non multum sequendi existimentur. Quia homines alieni a veritate, non carent errore: et divinas historias velut latius replicando et exponendo, multa de sua falsa et superflua inserunt: et sanos sensus verborum Dei, juxta fallacem opinionem suam aut depravant, aut enervant. Unde et antiqui doctores Ecclesiæ illa sola ex eis sumunt, quæ in eorum libris, de rebus gestis, consonanter Scripturis nostris referuntur: et hæc ipsa perpauca, et raro, et ea maxime quæ ipsi oculis inspecta scripserunt; sicut de excidio Hierosolymorum, et templo ac sacerdotio Judæorum. Ad hanc cautelam beatus Augustinus in libris contra Faustum manichæum (*lib.* XII, c. 30) instruit nos et admonet, dicens: « Philo quidam vir liberaliter eruditissimus; unus Judæorum qui Christi passionem, quam nos agnovimus, derident; cujus eloquium Græci Platoni æquare non dubitant; conatus est aliqua de Scripturis interpretari; non ad Christum intelligendum, in quem non crediderat; sed ut inde magis appareret quantum intersit utrum ad Christum referas omnia, propter quem vere sic dicta sunt, an præter illum quaslibet conjecturas quolibet mentis acumine persequaris: » quantumque valeat quod Apostolus ait: « Cum transieris ad Do« minum, auferetur velamen (*II Cor.* III, 16) : » Ut enim quiddam ejusdem Philonis commemorem, arcam diluvii secundum rationem humani corporis fabricatam volens intelligi, tanquam membratim omnia pertractabat. Cui subtilissime numerorum etiam regulas consulenti, congruenter occurrebant omnia quæ adhuc intelligendum Christum nihil impedirent; quoniam in corpore humano etiam ille humani generis Salvator apparuit; nec tamen cogerent, quia corpus humanum est utique et hominum cæterorum. At ubi ventum est ad ostium quod in arcæ latere factum est, omnis humani ingenii conjectura defecit. Ut tamen aliquid diceret, inferioris corporis partes qua urina et fimus egeruntur, illo ostio significari ausus est credere, ausus est et dicere, ausus et scribere. Non mirum si ostio non invento sic erravit. Quod si ad Christum transisset, ablato velamine sacramenta Ecclesiæ manantia ex latere hominis illius invenisset. »

XXV. Hæc de duobus pseudochristis Judæorum, et non doctoribus sed deceptoribus eorum diximus, qui verum Christum Dominum et Salvatorem nostrum tanto odio abominantur, tantis maledictis et blasphemiis insequuntur, ut ea aures fidelium ferre non possint. Sed antequam de cæteris venenatis eorum conviciis memoremus, primum necessarium videtur, non solum ad eorum rabiem confutandam, sed etiam ad veritatem nostræ fidei confirmandam, ut illud quod in ignominiam Domini Salvatoris, et omnium fidelium ejus, et majores eorum, et isti ipsi usque hodie insanientes objiciunt proponamus: et quam manifeste ad condemnationem eorum impietatis, et ad mysterium redemptionis nostræ pertineat, quantum Dominus adjuvat demonstremus. Blasphemant enim quod in eum credamus, quem lex Dei in ligno suspensum, et a Deo maledictum dicat: et propterea eodem die quo suspensus est, eum jusserit sepeliri; ne si per noctem remaneret in patibulo, terra eorum per eum pollueretur. Sed neque sciunt, eum in crucis ligno clavis fuisse confixum, et ipsa clavorum confixione suspensum; sed more latronum qui nunc suspenduntur, infamant esse punitum: et conclamante, ac jubente magistro eorum Josue, celeriter de ligno depositum; et in quodam horto caulibus pleno, in sepulcro projectum, ne terra eorum contaminaretur.

XXVI. Hanc autem tam impie blasphemandi occasionem unde sumant, manifestum est: videlicet quia sicut in Deuteronomio legimus, lex Dei per Moysem dicit: « Quando peccaverit homo quod « morte plectendum est, et adjudicatus morti ap« pensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver « ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia « maledictus a Deo est qui pendet in ligno; et ne« quaquam contaminabis terram tuam, quam Domi« nus Deus tuus dederit tibi in possessionem (*Deut.* « XXI, 22, 23). » Quod capitulum nos de passione Christi esse prophetatum negare non possumus: quia et Apostolus hoc confirmat, dicens: « Christus « nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis « maledictum, sicut scriptum est: Maledictus om« nis qui pendet in ligno (*Gal.* III, 13); » et Dominus in Evangelio contestatur, loquens ad Judæos: « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: « de me enim scripsit (*Joan.* V, 46). » Quæ verba Domini, in libris contra Faustum cum exponeret beatus Augustinus (*lib.* XVI, c. 22, 23), « Ego, inquit, et qui mecum aliquanto attentius cogitant evangelicam illam Dominicamque sententiam, qua non ait: Ille enim et de me scripsit, ut et alia quæ ad Christum non pertinent scripsisse crederetur; sed ait: « De me enim ille scripsit; » omnem scripturæ illius intentionem non nisi ad intelligendam Christi gratiam pertinere cognoscimus. » Ut omnia illa nequaquam rectum habeant intellectum, nisi ad ejus dispensationem qua generi humano consulitur, prophetata referantur. Non ergo nobis erubescenda est ignominia crucis Christi, quam contra omnia humana opprobria, in eminentiori corporis parte, id est, in fronte gestamus: sed pie et sollicite, auxiliante Dei gratia investigandum, quomodo hæc juxta auctoritatem Scripturæ sanctæ, et sensum catholicorum Patrum sana intelligentia accipienda sint, qua et illis confusio et nobis ædificatio accrescat.

XXVII. Quod ut diligentius et evidentius fiat, intermissa paululum beati Hieronymi editione, qui hunc locum non ad verbum sed ad sensum interpretatus est: ipsa verba, sicut in Hebræo posita sunt, et ipse ordo verborum, sicut ea in expositione Epistolæ ad Galatas ex translatione Theodotionis expressit, ponenda videntur. Ita namque ibi legitur:

« Et quia erit in viro peccatum judicium mortis, et morietur, et suspendes eum in ligno. Non dormiet morticinum ejus super lignum, quia sepultura sepelies eum in die ipso: quia maledictio Dei est suspensus, et non contaminabit terram tuam, quam Dominus Deus tuus dabit tibi hæreditare. » Ubi autem interpres iste posuit « non dormiet, » alii posuerunt « non pernoctabit, » sive « non commorabitur, » aut « non permanebit. » Et ubi iste posuit, « morticinum ejus, » cæteri transtulerunt « cadaver ejus, » sive « corpus ejus. » Aperte igitur et mirabiliter in his verbis, per similitudinem crucis patibulo damnatorum, Domini Jesu Christi passio, qui pro peccatis nostris cum iniquis sive sceleratis reputatus est, prophetatur: et quod in illo de illo futurum erat, tanquam vere futurum confirmatur, et commendatur, cum dicitur: « Et quia erit in virum peccatum judicium mortis, et morietur: et suspendes eum in ligno, » etc., quod totum non ambigentis sed prophetantis modo ponitur. Cum ergo dicit: « Et quia erit in viro peccatum, » quid est intelligendum? Non utique suum; quia (ut alius propheta testatur) iniquitatem non fecit: neque dolus fuit in ore ejus, sed omnium nostrum; sicut idem propheta dicit: « Omnes nos quasi oves erravimus: « unusquisque in viam declinavit: et Dominus posuit « in eo iniquitatem omnium nostrum (*Isa.* LIII, 6). » Et beatus apostolus Petrus: « Qui peccata (inquit) « nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum « (*I Petr.* II, 24). » Unde et recte sequitur: « Judicium « mortis: » utique nostræ, quæ ab initio peccato debetur, et peccanti homini, Deo judicante inflicta est, cum ait; « Quacunque die comederis ex eo, » id est, ex ligno vetito, « morte morieris (*Gen.* II, 17). » Unde et Apostolus dicit: « Per unum hominem pec- « catum intravit in mundum, et per peccatum « mors: et ita in omnes homines pertransiit « (*Rom.* V, 12). »

XXVIII. Suscepit itaque in se iste vir et peccatum omnium nostrum, et judicium mortis nostræ. Et subjungit de eo Scriptura, dicens: « Et morietur, et suspendes eum in ligno. » Ubi mirandum valde, quomodo prius dictum sit « morietur: » et postea « suspendes eum in ligno; » cum manifeste Dominus noster prius in ligno suspensus sit manibus infidelium: et postmodum consummata omni passione, quando voluit, inclinato capite emiserit spiritum. Sed nimirum hoc nimis divine dictum est, ut postquam ait lex « erit in viro peccatum judicium mortis, » continuo subjungeret « et morietur, » et adderet « et suspendes eum in ligno: » ut videlicet prius demonstraret illius potestatem, deinde eorum ostenderet crudelitatem; dum eum qui nulla humana violentia, nullo supplicio vel cruciatu cogente, sed sua sponte, sua potestate est mortuus, ipsi quantum in illis fuit suspendentes in ligno interemerunt. De hac enim potestate mortis suæ iste vir et Dominus in Evangelio testatur, dicens: « Potestatem habeo ponendi animam meam; « et potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo « tollit eam a me, sed ego pono eam, et iterum « sumo eam (*Joan.* X, 18). » Et in Psalmo ait: « Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos « liber (*Psal.* LXXXVII, 5). » Et iterum: « Ego dormivi « (*Psal.* III, 6); » id est, non mihi insultent, quasi violentia eorum occisus sim. Ego dormivi: ego mea sponte, mea potestate, quando volui mortuus sum. Ita mirabiliter et morientis potestas est commendata, et persequentium sævitia non est excusata. Sequitur Scriptura, dicens: « Non dormiet morticinum ejus super lignum; quia sepultura sepelies eum « in die ipsa. » Qua sententia in verbo dormitionis, somnus evigilaturi, id est resurrecturi exprimitur: sicut ipse de Lazaro ait: « Lazarus amicus noster « dormit; sed vado, ut a somno excitem eum (*Joan.* « XI, 11): » et de filia archisynagogi, quam suscitaturus erat: « Non est mortua puella, sed dormit « (*Luc.* VIII, 52): » et de ipso inimici in Psalmo dicunt: « Qui dormivit, non adjiciet ut resurgat (*Psal.* XL, 9)? » Per morticinum autem vera mors ejus ostenditur; quia utique corpus exanime, a morte morticinum appellatur: sicut et cadaver dicitur a cadendo, eo quod per mortem cadat in terram; non solum quando in terra resolvitur (secundum quod Adæ dictum est: « Pulvis es, et in pulverem « reverteris (*Gen.* III, 19): » et Ecclesiastes ait: « Et « revertatur pulvis in terram suam unde erat (*Eccle.* « XII, 7); » sed etiam quia jam mortuum terra reputatur, et terræ traditur: unde et Dominus de seipso ait: « Nisi granum frumenti cadens in terram mor- « tuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mor- « tuum fuerit, multum fructum affert (*Joan.* XII, 24). »

XXIX. In quo igitur mysterio et in lege præceptum est, et in Evangelio (sicut legimus) divino nutu a persecutoribus expletum, ut hujus viri morticinum, sive cadaver, sive corpus non dormiret, nec pernoctaret, sive commoraretur et permaneret super lignum? Ita enim scriptum est (*Joan.* XIX, 31) quod « Judæi, ut non remanerent in cruce corpora, « rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura; » id est, Domini, et latronum qui crucifixi sunt cum eo, « et tollerentur. » Ubi quidem altitudo secreti nimia est: sive enim ut illis corpus ejus deponere ac sepelire festinantibus, tria magna mysteria quæ adhuc Christi passionibus deerant (id est, apertio lateris ejus per lanceam militis, et ex eadem apertione emanatio aquæ et sanguinis, et ossium ejus, quia jam mortuus inventus est, integra conservatio) implerentur. Hæc enim omnia granditer et magnifice ex occasione accelerandæ sepulturæ ejus impleta, commendat Evangelista, dicens (*vers.* 32, 33, 34, 35, 36, 37): « Venerunt ergo milites: et primi « quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifi- « xus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, « ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt « ejus crura: sed unus militum, lancea latus ejus « aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et « qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est

« testimonium ejus : et ille scit quia vera dicit, ut « et vos credatis. Facta sunt enim hæc ut Scriptura « impleretur : « Os non comminuetis ex eo. » Et rursum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt. » Videlicet ut per lateris apertionem, panderetur nobis ostium quo intraremus ad vitam, et incorporaremur Christo per aquam baptismatis, et sanguinem redemptionis.

XXX. Et quia de agno qui immolabatur in pascha lex præcipit : « Os non comminuetis ex eo « (*Exod.* XII, 46), » agnoscamus hunc esse verum Agnum Dei qui tollit peccata mundi. De quo et beatus Apostolus testatur : « Etenim pascha nostrum « immolatus est Christus (*I Cor.* V, 7). » Sive quia Parasceve, id est, sexta feria passus est Dominus : et oportebat in eo mysterium sabbati, quod ab exordio mundi fuerat commendatum impleri, lex sepulturam ejus vespere ejusdem Parasceve accelerari jussit; ut consummato passionis sacramento, sabbato quiesceret in sepulcro : et prima sabbati lucescente resurgeret, sicut in Psalmo ante prædixerat : « Exsurgam diluculo (*Psal.* LVI, 9 ; CVII, 3.) » Unde et vicesimus primus psalmus, qui de passione et resurrectionis gloria scriptus est, prætitulatur : Pro assumptione matutina : vel (sicut in Hebraico) pro cervo matutino : et ut ita in se omnino impletum esse ostenderet, quod in exordio mundi fuerat præsignatum ; ubi Deus post omnia opera sua quæ fecerat bona valde, mystice in sabbato requievisse narratur : ut Dominum et Regem nostrum ante sæcula, postquam operatus est salutem nostram in medio terræ, et dixit ad Patrem : « Ego te clarificavi super « terram : opus consummavi quod dedisti mihi ut fa« ciam (*Joan.* XVII, 4) ; » eodem die requieturum ostenderet in sepulcro : et sic post laborem passionis, per virtutem resurrectionis intraret in requiem suam, de qua ei Psalmista dicit : « Surge, Domine, « in requiem tuam (*Psal.* CXXXI, 8) : » quatenus sacratissimum triduum passionis, et sepulturæ, et resurrectionis ejus, quod prævidebat, et præordinabat spiritus legislatoris, inviolabile permaneret.

XXXI. Quantum vero ad populum illum infidelem et interfectorem Christi attinet, bene illi lex dicit (*Deut.* XXI, 23) : « Non pernoctabit, sive permanebit, cadaver ejus super lignum, quia sepultura sepelies eum in die ipsa : » ut videlicet ignominiam passionis et mortis Christi, quam significat cadaver suspensum in ligno, non irrideant, non subsannent, tanquam ante oculos suos crucifixum Dei Filium despicientes, et ostentui habentes : sed festinent sepelire, id est, mortem ejus, quam pro omnium salute suscepit, honorare (quia sepultura honor est mortui) ; et hoc cito, et intra ipsam diem implere festinent : id est, in hoc tempore redemptionis et salutis, quo Agnus Dei pro peccatis nostris immolatus est, et in omnibus dicitur : « In tempore placito « exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui « (*Isa.* XLIX, 8). » De quo die adventus Salvatoris, et salutis ac redemptionis, quam sua passione operatus est, etiam et in Psalmo canitur : « Hæc est dies « quam fecit Dominus : exsultemus et lætemur in « ea. O Domine, salvum me fac : o Domine, bene « prosperare. Benedictus qui venit in nomine Do« mini (*Psal.* CXVII, 24, 25, 26). » Et in alio psalmo Spiritus sanctus eisdem Judæis dicit : « Hodie si vo« cem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra « (*Psal.* XCIV, 8), » etc. Donec ergo istud tempus acceptabile est, et dies salutis, quam nobis ille instituit qui pro omnium salute mortuus est, et resurrexit, hortatur eos lex ut sceleris sui pœnitentiam agant ; sive, scelus quod in eo admiserunt tegere non morentur : ut merito et ipsi audiant : « Beati « quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta « sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Domi« nus peccatum (*Psal.* XXXI, 1) : » Et mortem Christi pretiosam, quam ostentui et irrisioni habent, honorare festinent. Quia si tota hac die, id est, toto isto tempore salutari, quandiu præsens vita agitur, hoc implere neglexerint, superveniet eis nox mortis, nox damnationis et tenebrarum æternarum : et ille qui pro omnium salute in ligno suspensus est, pernoctabit, et permanebit apud eos super lignum ; quia irrisionem et subsannationem passionis ejus, quam toto vitæ suæ tempore tenuerunt, post mortem emendare non poterunt, dicente Scriptura : « Mortuo homine impio nulla erit ultra spes (*Prov.* XI, 7). » De hac enim die, et de hac nocte ipse Dominus in Evangelio dicit : « Quandiu in mundo sum, « lux sum mundi. Venit nox quando nemo potest « operari (*Joan.* IX, 5, 4). »

XXXII. Habent etiam nunc Judæi noctem infidelitatis et cæcitatis horrendam, quam eis Dominus per prophetam comminatus est, dicens : « Excæca « cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos « ejus claude : ne forte videat oculis, et auribus audiat, « et corde intelligat, et convertatur, et sanem eum « (*Isa.* VI, 10). » Aderat autem eis adhuc dies, quando Dominus apud eos pro totius mundi salute passus est, et resurrexit : et per quadraginta dies postea discipulorum fidem, quos utique ex ipsis elegerat, confirmavit : et die quadragesimo ipsis videntibus ascendit in cœlum : et misso Spiritu sancto cœperunt primum apud eos prædicare sancti apostoli, ita ut una die ad eorum prædicationem et miracula, crederent tria millia, et alia die quinque millia ; et postmodum innumera millia et in Judæa, et in cæteris regionibus. Cum autem cæteri indurarentur, et non crederent, repellentes verbum Dei, et indignos se judicantes æternæ vitæ, transierunt apostoli ad gentes, ut impleretur quod ante fuerat prophetatum : « Posui te in lucem gentibus, ut sis in salutem « usque ad extremum terræ (*Isa.* XLIX, 6) ; » et illi remanserunt in nocte infelicitatis et cæcitatis suæ. Omnes ergo quicunque ex eis passionem Domini, ad apostolorum prædicationem et magnalia crediderunt, suspensum in ligno (juxta legis vaticinium) eodem sepelierunt die, quia pretiosam mortem Christi, dum adhuc eis luceret Dei gratia, religiosa me-

moria honoraverunt; nam et defunctorum sepulcra memorias appellamus. Cæteris vero horrenda nocte oppressis, et venerabilem Christi passionem usque hodie irridentibus, permanet et pernoctat suspensus in ligno, cui honorificam memoriam exhibere nolunt. Ne ergo hoc tantum malum incurrerent, dum adhuc tempus dabatur, dum occasio salutis aderat, hortabatur eos lex per figuram, dicens: « Non per-« noctabit cadaver ejus super lignum; quia sepul-« tura sepelies eum in die ipsa. » (*Deut.* XXI, 23 :) Unde et Dominus eisdem Judæis dicebat : « Adhuc « modicum lumen in vobis est; ambulate dum lu-« cem habetis, ne tenebræ vos comprehendant. Et « qui ambulat in tenebris, nescit quo eat. Dum lu-« cem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. « (*Joan.* XII, 35, 36). »

XXXIII. Cum autem jussisset lex ut non permaneret suspensus in ligno, sed eadem sepeliretur die, subjunxit causam unde illi ista honorificentia deberetur, dicens : Quia maledictio Dei est suspensus: quod nihil est aliud nisi, « Maledictus a Deo, « (*Deut.* XXI, 23), » sicut et alii interpretes transtulerunt. Propterea ergo hujus viri suspensi passio et mors religiosa memoria honorari debet, quia maledictio Dei est suspensus, id est, non ipsius culpa, non sua violentia, non suis pravis consiliis Judæi in Dominum Jesum Christum hoc efficere potuerunt; sed Dei consilio, et præscientia permissi sunt. Hic enim nostræ maledictioni voluit subjacere, ut nos benedictionis illius possemus esse participes. Maledictio enim nostra duplex est, videlicet in culpa, et in pœna. In culpa, sicut scriptum est : « Maledictus « qui non permanet in verbis legis hujus, ut faciat « ea (*Deut.* XXVII, 26). » In pœna, sicut ab initio primo homini dictum est : « Quacunque enim die « comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II, 17). » Quæ maledictio ex illo homine in humanum genus descendit. Et quoniam ille utramque maledictionem meruit, id est culpæ, quia transgressus est præceptum Domini; et pœnæ, quia addictus est morti: ideo et omnes homines utraque maledictio obligavit. Sed venit verus Salvator, Dominus noster Jesus Christus, solus sine maledictione culpæ; quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Suscepit indebite maledictionem pœnæ nostræ, et maledictionem mortis nostræ, ut nos ab utraque maledictione eriperet : passus pro nobis, non pro se : non habens culpam, et sustinens pœnam, ut et culpam solvat et pœnam. Hoc Deus ante constitutionem mundi misericorditer pro nostra salute disposuit, hoc per prophetas suos ante prædixit, hoc in novissimis diebus, sicut prædictum fuerat, perfecit, testante beato Petro apostolo de Domino nostro Jesu Christo, et dicente ad Judæos : « Hunc definito con-« silio et præscientia Dei traditum, per manus ini-« quorum affligentes interemistis (*Act.* II, 23). » Et rursum apostolis et universa Ecclesia orantibus et dicentibus ad Deum : « Convenerunt enim vere in « hac civitate adversus sanctum puerum tuum Je-« sum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus « cum gentibus et populis Judæorum, facere quæ « manus tua et consilium decreverunt fieri. » (*Act.* IV, v. 2 *et seqq.*) Sic Deus Pater huic viro maledixit, cum eum pro nostra salute, nostræ maledictioni, nostræ morti tradidit, sicut ipse testatur, dicens : « Propter scelus populi mei percussi eum « (*Isa.* LIII, 8), » et in Zacharia propheta ipsam vim passionis frameam appellans, dicit : « Framea « suscitare super pastorem meum, et super virum « cohærentem mihi, dicit Dominus. Percute pa-« storem, » etc. (*Zach.* XIII, 7.) Unde et Isaias ait : « Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate « (*Isa.* LIII, 10). » Et Apostolus tantam Dei bonitatem nobis attentissime commendans : « Qui proprio, « inquit, Filio suo non pepercit, sed pro omnibus « tradidit illum (*Rom.* VIII, 32). »

XXXIV. Quia ergo tanta Dei benignitate vir iste nostræ maledictioni sponte succubuit, et cum sceleratis reputatus est, præcepit lex ejus passionem pia memoria honorari. Neque enim de simplici sepultura illius tam absurde præciperet Spiritus sanctus, ut eam ab ipsis qui eum crucifixerunt juberet præparari, quando ille qui hoc fecit, id est, Joseph ab Arimathia, teste Evangelio, « non consenserat « consilio et actibus eorum (*Luc.* XXIII, 51). » Adjungit lex, quanta pollutio et contaminatio Judæos consecutura esset, qui hunc honorem Domino dare noluerunt et nolunt, dicens : « Et non contaminabis « terram tuam, quam Dominus Deus tuus dabit tibi « in hæreditate (*Deut.* XXI, 23). » Ipsi sunt enim terra, quam aliquando Dominus Deus dederat illis, ut essent ei populus hæreditarius, sicut Moyses ad eos dicit: « Vos elegit Dominus de cunctis gentibus, « ut haberet populum hæreditarium (*Deut.* IV, 20). » Ipsi sunt terra cui clamabat Jeremias : « Terra, « terra, terra, audi sermonem Domini (*Jerem.* XXII, 29), » et de qua in psalmo dicitur : « Et adulte-« rata est terra in sanguinibus, et coinquinati sunt « in operibus suis, » sive (ut nos consuete cantamus): « Interfecta est terra in sanguinibus, et conta-« minata est in operibus eorum (*Psal.* CV, 38, 39). » Debuerant itaque honorem fidei exhibere Domino Salvatori, pro salute mundi in ligno crucis passo et mortuo, ut mererentur audire cum sanctis apostolis et cæteris qui ex eodem populo crediderunt, per Malachiam prophetam : « Et beatos vos dicent « omnes gentes : eritis quippe vos terra desiderabilis (*Malac.* III, 12). » Sed quia contempserunt, et contemnunt, et usque hodie furibundo animo et truculento vultu hæc legunt, detestantes eum de quo scripta sunt, contaminaverunt et polluerunt terram suam, et non possident benedictionem repromissam, sed quotidie eis dicitur per Ezechielem prophetam; « Tu es terra immunda, et non compluta (*Ezech.* XXII, 24); » et per Isaiam : « Manus vestræ sanguine plenæ sunt. » Et iterum : « Manus enim vestræ « pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate « (*Isa.* I, 15 ; LIX, 3). » Videlicet quia clamaverunt,

dicentes : « Sanguis ejus super nos et super filios A « nostros (*Matth.* XXVII, 25). »

XXXV. Hanc contaminationem et pollutionem terræ suæ, id est semetipsis timere debuerant, et non illam quæ nulla est, quasi terra habitationis eorum pollueretur cadaveribus in cruce suspensorum, nisi eadem die sepelirentur. Quod omnino beatus David rex et propheta non timuit, qui ob placandam iram Dei septem viros de domo Saul Gabaonitis tradidit crucifigendos : et ab initio messionis hordei, donec omnes segetes meterentur, et stillaret super eos pluvia de cœlo, sic eos dimisit, nec ullum eorum sepeliri fecit. Ubi si responderint, istos in terra habitationis Gabaonitarum, qui non erant de filiis Israel, fuisse crucifixos, et propterea sic dimissos; legant in eodem libro Samuelis, non in Gabaon, sed in Gabaa Benjamin hoc gestum esse, dicentibus ipsis Gabaonitis ad David : « Et crucifigamus eos in Ga- « baa Saulis, quondam electi Domini (*II Reg.* XXI, 6). » Si autem dixerint timuisse David ne iram Dei incurreret; si semel damnatos et divinæ ultioni deputatos sepelire præsumpsisset, legat quia postmodum, cum ei nuntiatum fuisset quod concubina Saul, substrato sibi super lapidem cilicio, eos per diem et noctem a feris et avibus tam longo tempore custodisset, non solum reprehendit, sed etiam tantæ pietatis imitator et supergressor, attulit ossa Saul et Jonathæ filii ejus de Jabes Galaad : et jussit colligi ossa istorum septem qui crucifixi fuerant : simulque non abominando, sed pie honorando condidit in sepulcro Cis, patris Saul. Nec ob hoc Deum offendit, C sed insuper Scriptura dicit : « Feceruntque omnia « quæ præceperat rex. Et repropitiatus est Dominus « terræ post hæc (*II Reg.* XXI, 14). » Non ergo ista beatus David metuebat, quia in illo legis capitulo non alicujus abominandi hominis supplicium, sed Salvatoris mysterium intelligebat. Aut si isti tam religiose, ut putant, terram suam a pollutione servaverunt, quid causæ est quod per tot sæcula eos tanquam immundos evomuit?

XXXVI. Nullum fere est in Scripturis propheticis tam præclarum testimonium ubi sic evidenter et modus passionis Christi in ligno Crucis, et veritas mortis ejus exprimatur. Unde et sanctus Apostolus, non erubescens testimonium Christi, ad commendandam veritatem et gratiam passionis ejus, D istud potissimum quod in litteris suis poneret elegit. Nam et illud quod juxta beati Hieronymi editionem in hujus capituli exordio legitur : « Quando pecca- « verit homo quod morte plectendum est (*Deut.* XXI, « 22); » ita et ad mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum fideliter referendum est, sicut et illud, ubi ipse ex persona corporis sui loquitur in Psalmo : « Verba delictorum meorum (*Psal.* XXI, 2); » et iterum : « Deus, tu scis insipien- « tiam meam, et delicta mea a te non sunt abscon- « dita (*Psal.* LXVIII, 6) : » quia effectus particeps naturæ nostræ, transfiguravit in se vocem nostram, qui suscepit misericorditer et causam nostram; dum Deus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Recte itaque dicit Scriptura de illo : Quando peccaverit homo quod morte plectendum est; quia ad corpus hujus hominis pertinent omnes qui peccaverunt : et ob hoc juste morte plectendi erant, nisi ejus morte indebita redimerentur, dicentis : « O « mors, ero mors tua (*Ose.* XIII, 14). » Juxta quem sensum in visione Nathan prophetæ, ubi ex semine David ejus promittitur adventus, etiam illud recte intelligitur quod de ipso Deus ait : « Qui si inique « aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et « in plagis filiorum hominum; misericordiam autem « meam non auferam ab eo (*II Reg.* VII, 14) : » quia utique membra sunt ejus, et ad ipsius pertinent unitatem, qui quandiu mortaliter vivunt, sine B peccato esse non possunt; et ideo aliquid inique agunt, beato Joanne apostolo testante, qui ait: « Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit et « peccatum est iniquitas (*I Joan.* III, 4). » Et iterum ex persona omnium: « Si dixerimus quia pec- « catum non habemus, nos ipsos seducimus, et ve- « ritas in nobis non est. » Istos ergo arguit Deus in virga virorum, et in plagis filiorum hominum; temporaliter eos corripiens et emendans, quia, ut scriptum est, « Flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6); » misericordiam autem suam non aufert ab eo, in quo, et per quem illis miseretur: et etiam aliquando ulciscitur, Psalmista dicente de talibus : « Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum (*Psal.* XCVIII, 8). » Nam in illo qui caput ipsorum est, sicut nulla potuit esse iniquitas, ita nulla flagella correptionis aut purgationis suæ, sed tantummodo salutis nostræ.

XXXVII. Docet idem beatus Hieronymus, quod in eo loco, ubi juxta Theodotionem positum est, quia maledictio Dei suspensus, possit in Hebraico legi quia injuria Dei suspensus, aut certe, quia contumeliose Deus suspensus est. Quod utique ad confundendam Judæorum impietatem multum valet, quia per hæc manifeste ostenditur quod hujus viri injusta suspensio, injuria Dei Patris sit, qui in proprio Filio inhonoratur et contemnitur sicut ipse Filius in Evangelio confirmat, dicens : « Qui non honorificat Filium, non honorificat « Patrem qui misit illum (*Joan.* V, 23); » et alio loco : « Qui me odit, et Patrem meum odit (*Joan.* XV, 23); » et iterum : « Qui spernit me, spernit eum « qui misit me (*Luc.* X, 16). » Nec solum ejus suspensio injuria Dei est; sed etiam ipse vir suspensus, evidenter Deus est, qui contumeliose Deus suspensus est. Quod Apostolus eisdem pene verbis confirmat, dicens: « Si enim cognovissent, nunquam Do- « minum gloriæ crucifixissent (*II Cor.* II, 8). » Videlicet quia quem communis tantum naturæ hominem et virum impii crucifixores putabant, idem ipse et Deus et Dominus gloriæ occultus erat. De hoc capitulo, contra Faustum Manichæum tractans beatus Augustinus (*lib.* XIV, c. 6), sic ait inter cætera : « Quod autem additum est, « Omnis, » ut diceretur maledictus omnis qui in ligno pependerit, non sane

Moyses minus prævidit etiam justos in cruce futuros; sed bene prævidit hæreticos veram mortem Domini negaturos; et ideo volentes ab hoc maledicto Christum sejungere, ut a mortis etiam veritate sejungerent. Si enim vera illa mors non erat, nullum maledictum Christo crucifixo pependit in ligno, quia nec vere crucifixus est. Sed contra longe futuros hæreticos, quam de longe clamat Moyses: « Sine causa tergiversamini, o quibus displicet veritas mortis Christi. Maledictus omnis qui pendet in ligno: non ille, ait, aut ille; sed omnis omnino. Tunc enim Christus extra maledictum Adam, si extra illius mortem. Cum vero ex homine et pro homine mortem suscepit, ex illo et pro illo etiam maledictum quod morti comitatur, suscipere non dedignatus est. » Et post aliquanta (*cap.* VII): « Hoc enim, inquit, quod asserit prophetia, quia sciebat Christi mortem in cruce pensuram, et futuros hæreticos qui dicerent: Pependit quidem in ligno, sed specie quadam, non ut vere moreretur. Clamando ergo, maledictus, nihil aliud clamavit, nisi quia vere mortuus est, sciens mortem hominis peccatoris, quam sine peccato ipse suscepit, de illo maledicto venientem, quod dictum est: Si tetigeritis, morte moriemini. Ad hoc pertinet et serpens ille in ligno suspensus, quo significaretur non falsam mortem Christum finxisse, sed illam veram in ligno passionis suæ suspendisse, in quam serpens ille hominem male suadendo dejecit. Quam veram mortem nolunt isti conspicere, et ideo non sanantur a veneno serpentis, sicut in eremo quicunque illam attenderent sanabantur.

XXXVIII. Solent quidam etiam Christiani imperiti dicere aliud esse affigi ligno, aliud in ligno pendere. Sicut enim putant solvendam esse istam quæstionem, ut Judam dicant a Moyse maledictum, qui laqueo se suspendit: quasi primum noverint utrum ex ligno, an ex lapide se ille suspenderit. Sed manifeste Apostolus non sinit aliud intelligere quam de Christo esse prædictum. Quod vero Judæi non putant eum in cruce clavis esse confixum, miranda est eorum cæcitas, cum, ut jam supra memoravimus, ipsum audiant per Zachariam prophetam dicentem: « Et « aspicient ad me, quem confixerunt (*Zach.* XII, 10). » Et per Malachiam: « Si configit homo Deum, quia « vos configitis me? Et me configitis vos gens to- « ta (*Malach.* III, 8, 9). » « Et in Salomone, de eodem qui propter nos pauper factus est, cum dives esset, scriptum est: « Non facias violentiam pau- « peri, quia pauper est; neque conteras egenum in « porta, quia Dominus judicabit causam ejus, et con- « figet eos qui confixerunt animam ejus. » (*Prov.* XXII, 22, 23.) Iste namque est pauper de quo et alius propheta dicit: « Ecce Rex tuus venit tibi, justus « et Salvator, ipse pauper (*Zach.* IX, 9), » etc. Ita ergo suos sibi pseudochristos ipsi finxerunt, ut infelicem populum vana eorum exspectatione delusum a fide veri Christi averterent.

XXXIX. Unde et eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, ut auditoribus suis efficiant irremediabiliter odiosum, nuncupant eum sua lingua Usum Hamizri. Quod dicitur Latine, *Dissipator Ægyptius*. Ita non est satis quod patres eorum, præsenti ei in carne dicebant: « Nonne bene dicimus nos quia « Samaritanus es tu, et dæmonium habes? » (*Joan.* VIII, 48); et ad Pilatum de illo: « Hunc invenimus « subvertentem gentem nostram (*Luc.* XXIII, 2), » nisi eum isti, incrementa et alumni hominum peccatorum, novis conviciis et maledictis infament, affirmantes eum gentis suæ dissipatorem Ægyptium: credo, propter illum Ægyptium magum et pseudoprophetam, qui multos eorum aliquando decepit ut perdidit, de quo et in Actibus apostolorum Tribunus ad Paulum loquitur: « Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies « tumultum concitasti et eduxisti in desertum quatuor « millia virorum sicariorum? » (*Act.* XXI, 38.) Cultum, quem ei in toto mundo fideles exhibent, vocant cultum Baal, et religionem Dei alieni, tanquam ipse sit de quo in psalmo præcipitur: « Non erit in te Deus re- « cens, neque adorabis Deum alienum (*Psal.* LXXX, « 10), » Odorem illum gravem et teterrimum, qui solet sentiri in horis matutinis, in exordio æstivi temporis, affirmant de tormentis infernalibus, quibus ipse apud inferos torqueatur, eo quod gentem eorum turbaverit, et totum mundum deceperit, eructare. Unde et populos nationum, qui ejus susceperunt fidem, interpretantes esse Babyloniam, et Regem hujus Babylonis Christum nostrum intelligentes, quidquid in illa visione Isaiæ, cujus titulus est « Onus Babylonis (*Isa.* XIII, 1), » dicitur de relaxatione populi Dei ex Babylonica captivitate, et de interitu regis et regni illius, totum ad suam de hac novissima captivitate ereptionem et ad Christi, ut ipsi putant, dejectionem, impiissime transferre conantur, tanquam illis propheta promittat, dicens: « Et erit in die illa, cum « requiem dederit tibi Dominus a labore tuo, et a con- « cussione tua, et a servitute dura qua ante servisti, « sumes parabolam istamcontra regem Babylonis, et « dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? « Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam do- « minantium, etc. » Et tunc velut ipsi Christo insultent, dicentes: « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui « mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnera- « bas gentes? Qui dicebas in corde tuo: In cœlum « ascendam, super astra Dei exaltabo solium « meum (*Isa.* XIV, 12, 13), » etc. Et de illo omnino impletum esse confirmant quod sequitur: « Verumta- « men ad infernum detraheris, in profundum laci. Qui « te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient. « Nunquid iste est vir qui conturbavit terram? etc. » Et quod post paululum subjungitur: « Tu autem pro- « jectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis, pollu- « tus, et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, « et descenderunt ad fundamenta laci. Quasi cadaver « putridum, non habebis consortium, neque cum eis « in sepulturam. Tu enim terram tuam disperdidisti, « tu populum occidisti. »

XL. Et dicunt eum a majoribus suis, quando de-

positus est de ligno, et obrutus in sepulcro, ut omnes scirent mortuum, nec resuscitatum, iterum de sepulcro extractum, et retorta per totam civitatem tractum, sicque projectum, et propter hoc usque hodie sepulcrum ejus stare vacuum, et esse squalidum lapidibus, et sordibus, quas ipsi projicere soleant, plenum. Cum hunc locum propheticæ lectionis, impii patres impiorum istorum semper de Nabuchodonosor rege Babylonis, juxta veritatem historiæ intellexerint, sicut beatus Hieronymus in ejusdem prophetæ commentariis scribit, dicens (*in cap.* XIV) : « Narrant Hebræi hujusmodi fabulam. Evilmerodach qui, patre suo Nabuchodonosor vivente per septem annos inter bestias, ante regnaverat, postquam ille restitutus in regnum est, usque ad mortem patris cum Joachim rege Judæ in vinculis fuit. Quo mortuo, cum rursus in regnum succederet, et non susciperetur a principibus, qui metuebant ne viveret qui credebatur exstinctus, ut fidem patris mortui faceret, aperuit sepulcrum, et cadaver ejus unco et funibus traxit. » Sed isti, ut dictum est, immanitate odii in Christum, et rabie blasphemandi, talia excogitaverunt, unde Christum Dominum apud auditores suos facerent exsecrandum. Contra quos idem ipse Isaias propheta clamat, dicens : « In die illa ra-« dix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gen-« tes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus glorio-« sum (*Isa.* XI, 10). » Manifestissime ostendens nullum alium esse Christum nisi istum, qui de radice Jesse processit ; qui stat in signum populorum ; quem ubique gentes hodie deprecantur, cujus sepulcrum non, ut isti blasphemant, contemptibile et ignominiosum, sed omnino est gloriosum ; quia resurrectionis gloria illustratum et, sicut non solum Christianorum, sed etiam Saracenorum populi, et barbaræ nationes noverunt, in omni cultu et veneratione habitum. Nam et ubi nos legimus : Erit sepulcrum ejus gloriosum, in Hebraico proprie dicitur : Erit requies ejus gloria. Quibus verbis evidenter ostenditur quod mors illi non, ut infideles putant, fuerit pœna, sed requies qua cum voluit requievit. Et requies ista mortis non ei fuit ignominia, sed gloria ; quia caro ejus non, ut cæterorum mortalium, est in sepulcro corrupta, sed velocius per resurrectionem glorificata, sicut ipse in Psalmo ante prædixerat, juxta Hebraicam translationem : « Propterea læta-« tum est cor meum, et exsultavit gloria mea, et ca-« ro mea habitabit confidenter. Non enim derelin-« ques animam meam in inferno, nec dabis justum « tuum videre corruptionem (*Psal.* XV, 9, 10). » Sed isti nec tantis ac talibus blasphemiis contenti, in tam profundam infelicitatis voraginem devoluti sunt, ut persuasum sit eis et studiose apud eos observetur, quod nulla eorum oratio apud Deum possit esse accepta, nisi in ea Dominum nostrum Jesum Christum maledicant, confitentes eum esse impium et filium impii, id est, nescio cujus ethnici, quem nominant PANDERA : a quo dicunt matrem Domini adulteratam, et inde eum in quem nos credimus, natum.

XLI. Adversus igitur tales veritatis hostes, et rabidos adversum Christum canes, excitemus in nobis, quantum possumus, zelum Dei, memores illius sententiæ : « Zelus domus tuæ comedit me (*Psal.* « LXVIII, 10) ; » et iterum : « Tabescere me fecit zelus « meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei « (*Psal.* CXVIII, 139) ; » et alio loco : « Nonne qui « oderunt te oderam, et super inimicos tuos tabe-« scebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti « sunt mihi (*Psal.* CXXXVIII, 21, 22). » Demusque operam ut inter cætera innumera et gravia mala, quibus iram Dei meruimus, et assidua ejus flagella juste sustinemus, istud præcipue nequissimum et detestandum blasphemiarum scelus ita coerceatur, aut etiam, si fieri potest, divina cooperante misericordia, per disciplinæ censuram, per sanctæ prædicationis studium corrigatur, ne et clarissimis principibus nostris, et nobis ipsis qui indigni Ecclesiarum gubernaculis præsidemus, in gravissimum reatum deputetur. Quia et beatus Hieronymus docet (*in cap.* I *Naum*) : Sicut ad proprias injurias patientes esse debemus, ita si aliquem viderimus, in injuriam Dei ore sacrilego blasphemantem, illic tenere patientiam non debemus, sed resistere sacrilego, et os blasphemum veritatis responsione damnare. Recordantes Phinees sanctam iracundiam, austeritatem Eliæ, zelum Simonis Chananæi, Petri severitatem Ananiam et Saphiram trucidantis ; Paulique constantiam, qui Elimam magum viis Domini resistentem æterna cæcitate damnavit. Non est enim crudelitas pro Deo pietas. Quod enim multum dolendum est, et per hos inimicos crucis Christi, licentiosa libertate quod volunt loquentes, et sicut volunt agentes, assidua apud nos et in diversis ejus regni civitatibus, quacunque populus ille diffusus est, animarum damna contingunt, dum multi Christianorum contra auctoritatem Scripturarum, et decreta sacrorum canonum ita indifferenter eis adhærent, ut incessanter eorum convictu polluantur, et ipsis serviant tam in domibus, quam in agris. Et cum eis servos Christianos habere non liceat, habent servientes sibi liberos Christianos : in quibus tantum proficit eorum impietas juxta quod Apostolus dicit : « Corrumpunt « mores bonos colloquia mala (*I Cor.* XV, 33), » ut dicant melius eos sibi prædicare quam presbyteros nostros, et plerumque mercenarii et mercenariæ ipsorum cum eis sabbatizent, cum eis die Dominico laborent, cum eis quadragesimæ abstinentiam violent, et, quod est infelicius, ab eis etiam constuprentur, et ex vino eorum multis modis ab eis etiam ex industria polluto, quod indesinenter bibunt et emunt, in plerisque locis parochiarum nostrarum, quod dictu nefas est, divina sacrificia celebrentur.

XLII. Proditum est nobis a quibusdam, qui ex eorum errore ad Christianitatem veniunt, per quos etiam cætera eorum mala nobis fideliter exponuntur ; quod quidam ipsorum, qui in nonnullis civitatibus telonarii illicite constituuntur, soleant in remotioribus locis Christianos pauperes et ignaros, pro

eodem teloneo acriter constringere, deinde ut Christum negent persuadere, et tunc eos quasi remissius agentes dimittere. Nos ipsi veraciter experti sumus, quod illis qui ex eorum perfidia conversi credunt et baptizantur, ita malitiose et callide soleant insidiari, ut dicant : Quid mali est si credis in Christum ? Hoc tantum tene, quia similem sibi et æqualem Deus non habet. In tantum, sicut beatus Leo de diabolo dicit (*serm. 7 in Nativ. Dom.*), non desinunt isti ministri ejus, deceptionum laqueos ubique prætendere : et ut quoquo modo fidem credentium corrumpant, instare. Nam et quosdam eorum dicentes audivimus Deum esse majorem, et Deum minorem, et quia multis prophetarum testimoniis convincuntur Deum fateri Dominum Jesum Christum, asserunt eum minorem esse Patre, unde et vulgata eorum perfidia Christum purum hominem putant. Nonnulli vero ex eis præfata ratione convicti, in tantum eum a Deo dilectum dicunt, ut ei nomen suum habere dederit, non etiam nominis veritatem. Quantum autem eorum nefanda societas, et venenatum colloquium proficiat ad impietatem, dum « sermo eorum, » dicit Apostolus, « sicut cancer serpit (*II Tim.* II, 17), » in uno ab eis miserabiliter et horribiliter decepto omnibus considerare licet. Quod enim nunquam antea gestum meminimus, seductus est ab eis diaconus palatinus, nobiliter natus, nobiliter nutritus et in Ecclesiæ officiis exercitatus, et apud principem bene habitus, ita ut eorum diabolicis persuasionibus abstractus et illectus, desereret palatium, desereret patriam et parentes, desereret penitus Christianorum regnum : et nunc apud Hispaniam inter Saracenos Judæis sociatus, persuasus sit ab impiis Christum Dei Filium negare, baptismi gratiam profanare, circumcisionem carnalem accipere, nomen sibi mutare, ut qui antea Bodo, nunc Eliezer appelletur. Ita ut et superstitione et habitu totus Judæus effectus, quotidie in synagogis Satanæ barbatus et conjugatus, cum cæteris blasphemet Christum et Ecclesiam ejus.

XLIII. Unde et ego anno præsenti, detestans eorum impietatem, et Christianum populum qui nobis in Domino commissus est, ab eorum contagione removere desiderans, annuntiavi publice, et semel, et iterum, et tertio, ut juxta ecclesiastica statuta omnes se ab eorum consortio segregarent, ne Christiani eis servirent, vel in civitate, vel in villis; sed ipsi sibi cum servis suis paganis necessaria agerent et procurarent, neque eorum cibo vel potu aliquis contaminaretur. Et aliqua austerius jussi, ut inveteratum malum funditus eradicarem, cupiens, Domino adjuvante, pii pastoris, et institutoris ac decessoris nostri, [a] viri probati et orthodoxi, bonum imitari exemplum : qui pro hujus mali emendatione, dum adhuc regni hujus aliquantula esset tranquillitas, plurimum laboravit, non solum verbis, sed etiam scriptis. Sed quia opus ab eo cœptum, perturbatione temporum est impeditum; nunc in quantum Deus facultatem tribuit, si hoc negligenter A omitto, timeo divinum judicium, ne illi qui ex hac occasione contaminantur, et depravantur, vel etiam pereunt, meæ incuriæ et reatui ascribantur.

XLIV. Unde collaboret et suffragetur nobis vestræ sanctitatis unanimitas, ut communi conatu, et voto ac supplicatione imploremus, ut obtineamus apud pios principes nostros, ut in regno eorum super hac re sanctorum canonum et antiquarum legum ubique instituta serventur. Quia, quod et nos fideliter annuntiare, et illi Christiana pietate debent accipere, etiam de istis servis, et tributariis suis, quamvis infidelibus, Regi regum et Domino dominorum reddituri sunt rationem; qualiter eos coercuerint ab impietate sua, qualiter eos provocaverint ad salutem, qualiter Christianum populum ab eorum contaminatione et pra- B vitate munierint, et quam gloriose, nec propter annua tributa et exenia sua quæ ab illis persolvuntur, velut pii Ecclesiæ filii atque rectores, ecclesiastica statuta neglexerint. Neque enim, quod cum debita reverentia dicimus, latius imperium, aut eminentiorem obtinent principatum, quam antiqui illi et pii principes, quorum temporibus et illa sinceriter custodiebantur, et ista a Judæis obsequia similiter pendebantur. Nam etsi aliqui ex servis eorum fiscalibus, qui utique Christiani sunt, alicui vicino suo in agro ejus, aut vinea, vel pecore injuriosi et damnosi existerent, vellent eos utique mundanis legibus coerceri; et illi qui læsus esset, quidquid læsionis et damni sustinuerat, reformari. Quanto magis hos in- C fideles servos, agrum Domini Jesu Christi, quem pretioso sanguine comparavit, id est, Ecclesiam fidelium frequenter et graviter lædentes, debent regali vigore et ecclesiastico jure prohibere atque comprimere ? De hoc enim agro, cujus et ipsi custodes et cultores sunt positi, non lædendo, Scriptura præcipit, dicens : « Ne attingas terminos parvulorum « et agrum pupillorum ne introeas. Propinquus « enim illorum fortis est, et ipse judicabit contra te « causam ipsorum (*Prov.* XXIII, 10). »

XLV. Sed quanta in Christianis principibus, non solum Romanis, sed etiam Francis, et aliarum gentium, fuerit contra impugnatores et blasphematores veritatis, in quibus et ipsi Judæi præcipue deputandi sunt, cura, et quantam pro illis vel coercendis, vel corrigendis, propter amorem Christi et tutelam D Ecclesiæ Dei, exercuerint disciplinam, melius suggerimus si de hac re ex sanctorum Patrum dictis, et eorum gestis sive edictis breviter aliqua proponamus. Beatus Augustinus in tractatibus Joannis evangelistæ (*tract.* XI), de talibus sic loquitur : Isti etiam audent dicere, quod persecutionem solent pati a catholicis regibus aut a catholicis principibus. Quam persecutionem tolerant ? utique afflictionem corporis, si tamen aliquando vel ipsam passi sunt. Persecutio quam faciunt, gravior est. Quam patiuntur, secundum corpus est : quam faciunt, secundum illusionem spiritus. Audite et videte in ipsis veteribus factis omnia futurarum rerum signa et indicia. Invenitur

[a] Scilicet Agobardi, qui contra Judæos ad Ludovicum Pium epistolam direxit. EDIT.

Sara afflixisse Agar ancillam. Sara libera est. Postea- quam superbire cœpit ancilla, afflixit eam graviter Sara, et fugit a facie ejus. Ecce libera afflixit ancillam, et non illam vocat persecutionem Apostolus. Ludit servus cum domino, id est, Ismael cum Isaac, et persecutionem vocat. Afflictio ista non vocatur persecutio, et lusio illa vocatur persecutio. Si ergo quando vult Deus concitare potestates adversus hæreticos, adversus schismaticos, adversus dissipatores Ecclesiæ, adversus exsufflatores Christi, adversus blasphematores baptismi, non mirentur quia Deus concitat ut a Sara verberetur Agar. Cognoscat se Agar, ponat cervicem, quia cum discederet a domina sua, occurrit ei angelus, et dixit : Quid est, Agar ancilla Saræ? Quæ cum questa esset de domina, quid audivit ab angelo? « Revertere ad dominam « tuam (*Gen.* XVI, 9). » Ad hoc ergo affligitur ut revertatur. Atque utinam revertatur! Mirantur autem quia commoventur potestates Christianæ adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Non ergo moverentur, et quomodo redderent rationem de imperio suo, Deo? Intendat charitas vestra quid dicam : quia pertinet hoc ad reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, unde spiritaliter nati sunt. Legimus Danielis visiones et gesta prophetica. Tres pueri in igne laudaverunt Deum. Miratus est Nabuchodonosor rex laudantes Deum pueros, et circa eos ignem non nocentem : et cum admiratus esset, quid ait? Non vel Judæus, vel circumcisus ille qui statuam suam erexerat, et ad eam adorandam omnes coegerat; Et ego, inquit, propono decretum omnibus tribubus et linguis in omni terra : « Quicunque dixerint blasphemiam in « Deum Sidrac, Misac, et Abdenago, in interitum « erunt, et domus eorum in perditionem (*Dan.* III, «96). » Ecce quomodo sævit rex alienigena, ne blasphemetur Deus Israel. Si ergo Nabuchodonosor laudavit Deum, et prædicavit, et gloriam dedit, qui liberavit de igne tres pueros, et gloriam dedit, ut tale decretum mitteret per regnum suum : quomodo isti reges moveantur, quomodo sæviant, qui non tres pueros liberatos attendunt de flamma, sed totum mundum et seipsos liberatos de gehenna, quando vident Christum, a quo liberati sunt, exsufflari in Christianis? quando audiunt dici Christiano : Dic non te esse Christianum? Talia facere volunt, et saltem talia pati nolunt. Nam occidunt animas, affliguntur in corpore.

XLVI. In his verbis sancti Augustini, si quis putat tantum contra hæreticos hæc fieri debere, recordetur ex superioribus, Judæos pessimos hæreticorum esse; et si cæteri hæretici bene intelliguntur in Agar ancilla, multo magis infidelis plebs Judaica, de qua Apostolus intelligendum docet : « Ejice ancillam et « filium ejus : non enim erit hæres filius ancillæ cum « filio liberæ (*Gen.* XXI, 10). » Scribit idem beatus Augustinus de hac disciplina Ecclesiæ, erga tales pie exercenda, in quadam epistola ita (*Epist.* 204) : « Nullo modo qui diliguntur, malæ suæ voluntati impune et crudeliter permittendi sunt. Nam si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Israelitæ recusantes et murmurantes, tam duris flagellis a malo prohibebantur et ad terram promissionis compellebantur? Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus uti pessima voluntate, qua persequebatur Ecclesiam? sed prostratus est ut excæcaretur, excæcatus est ut mutaretur, mutatus ut mitteretur, missus ut qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur? Si mala voluntas semper suæ permittenda est libertati, quare corripiuntur negligentes pastores, et dicitur eis : « Errantem non revocastis, « perditum non inquisistis? » (*Ezech.* XXXIV, 4.) Recesserunt quidem a Domino multi ex discipulis, et arbitrio suo malæ atque impiæ discessioni permissi sunt, cæterisque duodecim qui remanserant responsum est : « Nunquid et vos vultis ire? » (*Joan.* VI, 68.) Sed tunc primum Ecclesia novello germine pullulabat, nondumque in ea fuerat completa illa prophetia : « Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes « servient illi (*Psal.* LXXI, 11). » Quod utique quanto magis impletur, tanto majore utitur Ecclesia potestate ut non solum invitet, sed etiam cogat ad bonum. Hoc tunc Dominus significare volebat, qui quamvis haberet magnam potestatem, prius tamen elegit commendare humilitatem. Hoc et in illa convivii similitudine satis evidenter ostendit, ubi misit ad invitatos, et venire noluerunt; et ait sermo : « Exi « in plateas et vicos civitatis; et pauperes, ac de- « biles, et cæcos, et claudos introduc huc (*Luc.* XIV, 21). » Et iterum : « Exi in vias et sepes, et compelle « intrare, ut impleatur domus mea (*Ibid.* 23). » De his ergo qui prius venerunt dictum est : Introduc eos; non dictum est : Compelle. Ita significata sunt Ecclesiæ primordia adhuc crescentis, ut essent vires etiam compellendi : proinde quia oportebat ejus jam viribus et magnitudine roborata, etiam compelli homines ad convivium salutis æternæ, postea quam dictum est : Factum est quod jussisti, et adhuc est locus : Exi, inquit, in vias, et sepes, et compelle intrare. Qui compellitur, quo non vult cogitur : sed cum intraverit, jam volens pascitur. »

XLVII. Hoc zelo religionis accensi, Christianissimi imperatores Theodosius et Valentinianus, hujuscemodi legem sanxerunt (*Append. cod. Theod. lib.* VI) « Quia religiosos populos nullis decet superstitionibus depravari; Manichæos, omnesque hæreticos, vel schismaticos, sive mathematicos, omnemque sectam catholicis inimicam, ab ipso aspectu urbium diversarum exterminari debere præcipimus : ne præsentiæ quidem criminosorum contagione fœdentur. Judæis quoque, vel paganis, causas agendi vel militandi licentiam denegamus. Quibus Christianæ legis nolumus servire personas, ne occasione dominii, sectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur personas erroris infausti jubemus excludi, nisi his emendatio matura subveniat. » Idem Augusti pro defensione Christianæ religionis, et comprimendis

Judæorum, Samaritanorum, hæreticorum et paganorum impietatibus, ad placandam iram Dei, quam istiusmodi hominum exacerbat insania, tale iterum proposuerunt edictum (*Novel. c. Th. de Judæis, l.* 1) : « Præcipuam imperatoriæ majestatis curam esse perspicimus veræ religionis indaginem : cujus si cultum teneamus, iter prosperitatis humanis rebus aperimus. Quod usu longæ ætatis experti, ad posteros usque perennitatis jure fundare decrevimus cæremonias sanctitatis ; quas sensibus excæcatos Judæos, Samaritanos, paganos, et cætera hæreticorum genera portentorum impugnare cognoscimus. Quamobrem, ne ferales sectæ in vitam, in mores nostri sæculi, velut indiscreta confusione licentius evagentur, hæc victura in omne ævum lege sancimus neminem Judæum, neminem Samaritanum ad honores et dignitates accedere ; nulli administrationem patere civilis obsequii, nec defensoris fungi saltem officio. Nefas quippe credidimus, ut supernæ majestati et Romanis legibus inimici, sub specie cujuslibet officii, Christianos vel etiam sacerdotes, sub quacunque occasione injuriis audeant fatigare, vel legibus nostris aliquos aut condemnare, aut adjudicare præsumant. Nec carcerali præsint custodiæ; ne Christiani, ut fieri assolet, nonnunquam obstrusi, custodum odiis, alterum carcerem patiantur. Nullam denuo audeant construere synagogam. Nam si fecerint, noverint hanc fabricam Ecclesiæ catholicæ profuturam, et quinquaginta pondo auri auctores fabricæ esse multandos. Ruinas tantum synagogarum suarum permissa licentia reparandi. Quicunque Judæus servum seu ingenuum, invitum, vel suasione plectenda, ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectam ritumque traduxerit, amissis facultatibus capite puniatur, justissimæ pœnæ sanguinis destinatus, qui fidem alterius expugnavit perversa doctrina. Quicunque ex his ad honores irrepsit, habeatur ut ante conditionis extremæ, ne videamur hominibus exsecrandis contumelioso ambitu immunitatis beneficium præstitisse. Quicunque paganus nefarios sacrificiorum ritus celebrans, quolibet in loco fuerit comprehensus, in facultates ejus et in sanguinem ira nostra consurgat : quo tali hostia propitietur superni numinis veneranda majestas. Quæcunque in Manichæos Deo semper offensos, quæ in Eunomianos hæreticæ pravitatis auctores ; quæ in Montanistas, Phrygas, Photinianos, Priscillianistas, Codrogos [*Forte*, Ascodrogos], Hydrophobas, Borboritas, Ophitas, antiquis legibus constituta sunt ; cessante desidia, celeri exsecutione impleantur. Hæc insatiabili catholicæ religionis honore decrevimus ; quæ cunctis civitatibus atque provinciis, in omnium volumus pervenire notitiam. »

XLVIII. Hæc non ideo ad memoriam reducimus, quasi alicujus hominis sanguinem (quod absit) fundi optemus ; sed quanta in Christianis principibus fuerit religionis cura, quanta in Judæos et cæteros impios severitatis censura, simpliciter adnotamus. Constantinus, magnus et religiosissimus imperator, eodem zelo pietatis Judaicam detestans impietatem, et nefarium judicans, si sacrilegum ritum superstitionis suæ eis esset licitum in ullo genere hominum propagare, hujusmodi legem dedit (*C. Th., Ne Christianum, l.* 1) : « Si quis Judæorum, Christianum servum, vel cujuslibet alterius sectæ emerit, et circumciderit, a Judæi ipsius potestate sublatus, in libertate permaneat. » Nec mirum, hæc et hujusmodi ad coercendam et refugiendam Judaicam superstitionem religiosos principes constituisse, cum etiam Julius Paulus jurisconsultus, in quinto Sententiarum suarum libro, antiquam Romani populi super hac re observantiam diligenter expresserit, his verbis (*Jul. Paulus, lib.* v, *tit.* 22) : « Cives Romani qui se Judaico ritu, vel servos suos circumcidi patiuntur, bonis ademptis, in insulam perpetuo relegentur. Medici capite puniantur. » Item dicit : « Judæi, si alienæ nationis comparatos servos circumciderint, aut deportantur, aut capite puniuntur. » Hic valde necesse est ut vigilet, non solum religiosorum principum nostrorum, sed etiam cunctorum Domini sacerdotum pia providentia atque solertia, quatenus animæ miserorum, id est servorum qui ab eis decepti et laqueo impiæ superstitionis obligati tenentur, beneficio talium ac tantarum legum, et libertati reddantur, et sanctæ Ecclesiæ per baptismi gratiam incorporati, salventur a judicio gehennæ, quod Dominus in Evangelio, istiusmodi non solum deceptoribus, sed etiam deceptis terribiliter comminatur, dicens : « Væ vobis, Scribæ et « Pharisæi, qui circumitis mare et aridam, ut faciatis « unum proselytum, et cum factus fuerit, facitis eum « filium gehennæ duplo quam vos estis (*Matth.* XXIII « 15). » Jovianus, vir fortissimus et religiosissimus, cum post Juliani Apostatæ interfectionem, a Romano exercitu quem ille suis sacrilegiis profanaverat, ad suscipiendum imperium eligeretur, nolens impiorum gerere principatum, publice proclamavit, non se posse imperare eis, quia esset Christianus. Tum omnes pari eadem voce respondisse perhibentur : Et nos Christiani sumus. Nec prius quam hanc vocem audiret, acquiescere ad imperium voluit. Ita uno eodemque tempore et imperator, et confessor, et male illati exstitit depulsor erroris (*Rufinus, Eccl. hist., l.* XI, *cap.* 1).

XLIX. Childebertus, piissimus et Christianissimus rex Francorum, edictum dedit, « ut Judæis a cœna Domini usque in primum Pascha, per plateas aut forum quasi insultationis causa deambulandi licentia denegetur. » (*Conc. Aurel.* III, c. 30; *Matisc.* I, *c.* 14.) Reccaredus, religiosissimus rex apud Hispaniam, totam Gothorum gentem cui præerat, ab Arianæ hæresis pravitate ad veram perduxit fidem, ita ut nullum suo regno militare permitteret, qui in regno Dei hostis existere per hæreticam perfidiam non timeret. Hujus successor Sisebutus rex cunctos Judæos suo regno subditos ad fidem Christi convertit. Ad quorum priorem beatus papa Gregorius gratulationis et exhortationis epistolam scri-

bens, ita loquitur (*S. Greg. lib.* VII *Reg.*, *ep.* 128) : « Explere verbis, excellentissime fili, non valeo, quantum tuo opere, tua vita delector. Audivimus quippe diebus nostris novi virtutem miraculi, quod per excellentiam tuam cuncta Gothorum gens ab errore hæreseos Arianæ, in fidei rectæ soliditatem translata est. Exclamare cum propheta libet : « Hæc « est immutatio dexteræ Excelsi (*Psal.* LXXVI, 11). » Cujus enim vel saxeum pectus, tanto hoc opere cognito, non statim in omnipotentis Dei laudibus atque in tuæ excellentiæ amore mollescat? Hæc me (fateor) quæ per vos acta sunt, sæpe convenientibus filiis meis dicere, sæpe cum eis pariter admirari delectat. Hæc me plerumque etiam contra me excitant, quod piger ego et inutilis tunc inertia torpeo, quando pro animarum congregationibus, pro lucro cœlestis patriæ reges elaborant. In vestro igitur opere et nostra exsultatione, libet cum angelis exclamare : « Gloria in excelsis Deo, et in terra « pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Et quia jam idem rex, pro corrigenda etiam Judæorum perfidia, in regno suo cœperat laborare, subjungit post pauca beatus Gregorius : « Præterea indico, quia crevit de vestro opere in laudibus Dei, quod cum vestra excellentia constitutionem quamdam contra Judæorum perfidiam dedisset, et hi de quibus prolata fuerat, rectitudinem vestræ mentis inflectere pecuniarum summam offerendo molirentur, excellentia vestra contempsit, et omnipotentis Dei placere judicio requirens, auro innocentiam prætulit. Qua in re mihi David regis factum ad memoriam venit, cui dum concupita aqua de cisterna Bethleemitica, quæ inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset allata, protinus dixit : « Absit « a me ut sanguinem hominum justorum bibam « (*II Reg.* XXIII, 16, 17). » Quam quia effudit, et bibere noluit, scriptum est : « Libavit eam Domino. » Si ergo ab armato rege, in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contempsit. Itaque, fili excellentissime, fidenter dicam : Libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti.

L. Idem beatus papa Gregorius, Theoderico et Theodeberto, regibus Francorum, et Brunichildæ reginæ scribens, ne Christiani Judæis deserviant, his verbis admonet, dicens (*lib.* VII *Reg.*, *ep.* 115) : « Mirati sumus quod in regno vestro Judæos Christiana mancipia possidere permittitis. Quid enim sunt Christiani omnes nisi membra Christi? quorum videlicet membrorum caput cuncti novimus quia fideliter honoratis. Sed quam diversum sit, excellentia vestra perpendat, caput honorare, et membra ipsius hostibus calcanda permittere. Atque ideo petimus, ut excellentiæ vestræ constitutio de regno suo hujus pravitatis mala removeat, ut in hoc vos amplius dignos cultores omnipotenti Domino demonstretis, quod fideles illius ab inimicis ejus absolvitis. » Similiter idem papa ad Fortunatum epiA scopum Neapolitanum scribens docet (*lib.* VII *Reg.*, *ep.* 35) nihil eis a Christianis neque ab ipsis filiis suis, si Christiani effecti fuerint nisi quod decet, et propter Deum convenit exhibendum, neque in domibus eorum manendum, ita dicens : « Nuntiatum nobis est Basilium Hebræum filiis suis Deo propitio Christianis quædam mancipia ad hoc velle tantum donationis jure concedere, ut ei hujus occasionis obtentu, dominii solummodo nomine ablato deserviant : et post hoc, si ad Ecclesiam confugiendum forte crediderunt, ut fiant Christiana, non in libertate, sed eorum dominio quibus ante donata sunt, vindicentur. In qua re fraternitatem vestram decenter convenit vigilare, et si qua filiis suis mancipia donare voluerit, ut cuncta fraudis tollatur occasio, B fiant modis omnibus Christiana, et in domo ejus non remaneant. Sed cum res exegerit ut eorum debeat uti solatiis, hoc illi jubeantur impedire : quod etiam a suis ei filiis decet, et propter Deum convenit exhiberi. »

LI. Juxta hæc exempla et constituta priorum principum, et beatissimi patris atque pontificis monita, fideliter et vigilanter, auxiliante Domino, instare debemus; ne fidelium populi impiorum consortiis et contagiis maculentur et depraventur. Quia ut talia fideles imperatores et sancti rectores Ecclesiæ constituerent, auctoritatem omnino divinæ legis secuti sunt, et nobis sequendam commendaverunt : quæ hunc populum Judaicum, merito infidelitatis et impietatis suæ, in omnibus maledictum et detestandum ostendit, dicens illi per Moysen : « Si audire C « nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et fa« cias omnia mandata ejus, venient super te omnes « maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus « eris in civitate, maledictus in agro : maledictum hor« reum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ; maledictus « fructus ventris tui; maledictus eris ingrediens, et « maledictus egrediens. Mittet Dominus famem super « te (*Deut.* XXVIII, 15-20), » etc. Quæ omnia nunc in isto infelici populo manifeste videmus impleta; cum propter iniquitatem suam qua Dei Filium denegavit, maledictus exstitit in civitate Jerusalem ante captivitatem, et maledictus in agro totius mundi post D captivitatem, et non solum maledictum est horreum ejus, et reliquiæ, sed etiam maledictus fructus ventris ejus, id est filii : sicut ipsi pessimi patres, et se et illos maledixerunt, dicentes : « Sanguis ejus « super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25). » Maledictus est hic populus ingrediens nascendo in hanc vitam, et maledictus egrediens moriendo ex ea. Misit Dominus super eum famem, quam per Amos prophetam comminatus est, dicens : « Ecce dies « venient, et mittam famem in terram : non famem « panis, neć sitim aquæ, sed audiendi verbum Do« mini. Et circuibunt a mari usque ad mare, et ab « aquilone usque ad orientem, quærentes verbum Do« mini, et non invenient (*Amos.* VIII, 11, 12). » Vere enim nunc quærentes, et meditantes in lege et prophetis, et in toto mundo dispersi, non inveniunt Ver-

bum Domini, id est Dei Filium, Dominum Jesum Christum. Et cum ejus notitia in universo orbe, velut sol meridianus de cœlestibus refulgeat, illi tanquam cæci in tenebris palpant, sicut eis in ipsis maledictionibus legis dictum est : « Percutiat te « Dominus amentia, et cæcitate, ac furore mentis : « et palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in « tenebris : et non dirigas vias tuas (*Deut.* XXVIII, « 28, 29). » Per hanc enim cæcitatem, etiam illam maledictionem incurrunt quæ istarum omnium causa est, et inter cæteras, ut in Hebraico proprie scriptum est, sic ponitur : « Et erit vita tua suspensa « ante te; timebis nocte et die, et non credes vitæ « tuæ (*Deut.* XXVIII, 66). » Quæ est enim hæc vita populi Dei, nisi ille qui in Evangelio loquitur : « Ego « sum resurrectio et vita (*Joan.* XI, 25)? » et de quo ex omnium persona electorum Jeremias ait : « Spi- « ritus oris nostri Christus Dominus captus est in « peccatis nostris : cui diximus : In umbra tua vi- « vemus in gentibus? » (*Thren.* IV, 20.) Hanc vitam suam viderunt Judæi in ligno crucis suspensam ante se, et in ejus præsentia dubitantes credere, timuerunt nocte et die, id est, et quando eis illius majestas passionibus occultabatur, et quando miraculis declarabatur. Ita dum in istis hæsitarent, in illis contemnerent, non crediderunt vitæ suæ. Quæ maledictio utique usque hodie in eis permanet; quia vitam suam, quæ illis primum fuerat destinata (dicente Domino : « Non sum missus nisi ad oves quæ « perierunt domus Israel [*Matth.* XV, 24]) », dum nolunt credere a mortuis resuscitatam (ut ex hac fide vivificentur et possint dicere cum propheta : « Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscita- « bit nos [*Ose.* VI, 3]), » usque hodie quasi in patibulo suspensam irrident. Unde et in nostra editione recte translatum est : Et erit vita tua quasi suspendens ante te, videlicet quia ignominia crucis, quæ in Christo a mortuis resurgente jam præteriit; apud istorum impietatem et cæcitatem, quasi adhuc permaneat irridetur. Et quia isti, tanquam rami naturales, degeneraverunt et fracti sunt a radice patriarcharum, et oleaster gentium insertus est in bonam olivam, audiunt adhuc in ipsis maledictionibus : « Advena qui tecum versatur in terra, ascendet « supra te, eritque sublimior : tu autem descendes « et eris inferior (*Deut.* XXVIII, 43, 44). » Ipse fenerabit tibi, et tu non fenerabis ei. Ipse erit in caput, et tu eris in caudam. Sicut manifeste videmus, quia Ecclesia ex gentibus fenerat illi populo pecuniam verbi Dei; illi vero unde fenerent non habent. Et populus gentium est in caput, habens Dominum Jesum Christum; illi vero in caudam, quia a capite ceciderunt. Quod utique semper erunt, donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel fiat salvus : omnis videlicet salvandus. Nam istorum qui nunc sunt, infidelium, juxta quod in illis maledictionibus scriptum est, augebit Dominus plagas, plagas magnas et perseverantes, infirmitates pessimas et perpetuas, quod alia translatio dicit, plagas A verissimas et infirmitates veras. Loquitur Dominus ad Aggæum prophetam : « Interroga sacerdotes legis, « dicens : Si tetigerit immundus in anima ex omni- « bus his, id est panem, aut vinum, aut oleum, aut « pulmentum, aut omnem cibum, nunquid conta- « minabitur? Et responderunt sacerdotes : Contami- « nabitur. Et ait Dominus : Sic gens ista, et sic po- « pulus iste ante faciem meam (*Agg.* II, 12-15). » Unde et Apostolus confirmat, dicens : « Omnia « munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus « nihil est mundum; sed inquinata sunt eorum et « mens et conscientia (*Tit.* I, 15); » ut videlicet immundorum immundas esse noverimus mensas. Quomodo enim immundæ non erunt mensæ, quorum maledicta sunt horrea et apothecæ?

B LII. Ad istius igitur maledicti et immundi populi consortium atque convictum penitus vitandum, juxta auctoritatem Scripturarum Veteris ac Novi Testamenti, instituunt nos atque constringunt sanctissimi et beatissimi patres, et rectores Ecclesiarum Dei, suis exemplis et synodalibus decretis; quæ jam breviter adnotanda et sacerdotali studio in omnium notitiam credimus perducenda. Beatus confessor Hilarius, quam attente Judæorum semper et hæreticorum devitaverit profana consortia, vita ejus scripta demonstrat : quod ita scilicet hujusmodi hostes Ecclesiæ fuerit exsecratus, ut non solum convivium, sed ne salutatio quidem ei exstiterit cum his prætereunti communis. Quo facto vir sanctus

C illud utique apostolicum observabat : « Et ne dixe- « ritis illi ave : qui enim dicit ei ave, communicat « operibus suis malignis (*II Joan.* I, 11). »

LIII. De sancto Ambrosio, eximio confessore, et tam doctrina quam miraculis insigni, in gestis ejus ita scriptum est (*Paulinus in Vita S. Ambr.*) : « In partibus Orientis, in quodam castello a Christianis viris synagoga Judæorum incendio concremata est; propterea quod Judæi insultarent monachis Christianis. Sed de hujusmodi facto comes Orientis ad imperatorem Theodosium relationem direxit. Qua accepta, imperator præceperat ut synagoga ab episcopo reædificaretur. Sed hujus præcepti tenor cum ad aures pervenisset venerabilis viri Ambrosii episcopi, direxit ad imperatorem epistolam (*lib.* II, D *epist.* 17), quia ipse in tempore excurrere non poterat : qua illum convenit, ut id quod ab eo statutum fuerat invocaretur, servarique sibi debere ab eo audientiam. Qui si dignus non esset qui ab eo audiretur, dignus etiam non esset qui pro illo audiretur, vel cui preces suas aut cui sua vota committeret. Paratum etiam se esse pro tali negotio mortem subire, ne dissimulatione sui prævaricatorem faceret imperatorem, qui tam injusta contra Ecclesiam præcepisset. Postea vero cum Mediolanum revertitur, posito imperatore in ecclesia, de eadem causa tractavit in populo. In quo tractatu introduxit Domini personam loquentis imperatori : Ego te ex ultimo imperatorem feci; ego tibi exercitum inimici tui tradidi; ego tibi copias quas ille adversum

te exercitui suo præparaverat, dedi; ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi; ego de semine tuo super solium regni constitui; ego te triumphare sine labore feci. Et tu de me inimicis meis donas triumphos? Cui descendenti de exedra imperator ait : Contra nos proposuisti hodie, episcope. At ille respondens ait, non se contra ipsum, sed pro ipso fuisse locutum. Tunc imperator : Revera, inquit, dura præceperam contra episcopum de synagoga reparanda; in monachis vero vindicandum esse a comitibus qui in tempore aderant dicebatur. Quibus episcopus : Ego quidem cum imperatore nunc ago; vobiscum vero mihi aliter agendum est. Atque ita obtinuit, ut illa quæ statuta fuerant, revocarentur : nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua imperator illum agere debere testaretur. Cui episcopus : Ergo ago fide tua. Respondit imperator : Age fide mea. Qua sponsione iterata, securus peregit sacerdos divina mysteria. »

LIV. In quo facto tanti viri, qui nullatenus ferre potuit ut synagoga Judæorum, licet a Christianis concremata, ab episcopo et ab eisdem Christianis instauraretur, ita ut pro tali re mortem subire paratus esset, ne imperatorem faceret prævaricatorem, quid aliud principibus nostris, quid nobis considerandum, et pro viribus imitandum est nisi primo, ut caveant illi ne inimicis Christi, contra Christum qui eos sublimiter honoravit, honorem tribuant. Deinde omnes pariter intelligamus, quia synagoga eorum, synagoga utique Satanæ, domus sacrilega est, contra ecclesiam Dei erecta, et non domus orationis, sed spelunca latronum. Unde omnino indignum erat, ut domum sacrilegii et blasphemiæ eorum adversus Christum, Christiani erigerent. Et si hoc, cogente imperatore, fuisset factum, fieret sine dubio imperator Christianæ religionis prævaricator. Quia ita istis in forensibus causis negotia sua civilia agere concessum est, ut tamen sacrilegia ipsorum semper abominanda, nunquam communicanda sint. Quibus ne Christianus imperator et Christianus populus prævaricando communicarent, vir sanctus martyrium se credidit accipere, si pro tali re mortem subiret.

LV. Alchimus Avitus, Ecclesiæ Viennensis episcopus, eximius et orthodoxus doctor; et sanctus Apollinaris, episcopus Ecclesiæ Valentinæ; cujus merita crebra ejus miracula usque hodie sublimiter testantur; et sanctus Gregorius, Lingonicæ Ecclesiæ episcopus cujus etiam reverenda memoria in Ecclesia floret; et beatus Viventiolus, Ecclesiæ Lugdunensis episcopus, cujus doctrinam etiam aliorum de eo scripta testantur, cum aliis viginti reverentissimis episcopis, in nomine Domini congregati pro defensione et statu Ecclesiæ, de re jam dicta ita inter cætera statuerunt (*Conc. Epaon.*, *can.* 15) : « Si superioris loci clericus hæretici cujuscunque convivio interfuerit, anni spatio pacem Ecclesiæ non habebit. Quod juniores clerici, si præsumpserint, vapulabunt. A Judæorum vero conviviis etiam laicos constitutio nostra prohibuit. Nec cum ullo clerico nostro panem comedat, quisquis Judæorum convivio fuerit inquinatus. » Et in conclusione statutorum suorum, confisi de præsentia Domini sicut ipse ait : « Ubi duo vel tres congregati fuerint in « nomine meo, ibi sum ego in medio eorum « (*Matth.* XVIII, 20), » ita sanxerunt : « Quocirca hæc quæ superna inspiratione, communi consensu placuerunt, si quis sanctorum antistitum, qui statuta præsentia subscriptionibus propriis firmaverunt, necnon et quos eorum Deus esse voluerit successores, relicta integritate observationis excesserit, reum se divinitatis pariter et fraternitatis judicio futurum esse cognoscat. »

LVI. Sanctus Cæsarius, Ecclesiæ Arelatensis episcopus, cujus meritum et doctrinam vita ejus et miracula scripta et multa ac præclara ejus monumenta testantur, et cum eo alii triginta quinque episcopi vel vicarii episcoporum, congregati in unum in nomine Domini pro defensione et confirmatione catholicæ veritatis, inter cætera statuerunt ita (*Conc. Agath. can.* 40) : « Omnes deinceps clerici, sive laici Judæorum convivia evitent, et nec eos ad convivium quis excipiat. Quia cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos a Christianis sumi, cum ea quæ, Apostolo permittente, nos sumimus, ab illis judicentur immunda. Ac sic incipiant inferiores esse catholici quam Judæi; si nos his quæ ab illis apponuntur utamur, illi vero a nobis oblata contemnant. »

LVII. Priscus, Ecclesiæ Lugdunensis episcopus, Arthemius Senonicæ, Remedius Biturigæ, et sanctus Syagrius Heduorum episcopus, cum cæteris pluribus, statuta ecclesiastica renovantes, ita definierunt (*Conc. Matisc.* I, *can.* 13) : « Ne Judæi Christianis populis judices deputentur, aut telonearii esse permittantur : per quod illis (quod Deus avertat) Christiani videantur esse subjecti. » (*Can.* 14.) « Ut Judæis, a cœna Domini usque in prima Pascha (secundum edictum bonæ recordationis domni Childeberti regis) per plateas aut forum, quasi insultandi causa, deambulandi licentia denegetur : et ut reverentiam cunctis sacerdotibus Domini, vel clericis impendant : nec ante sacerdotes consessum nisi ordinati habere præsumant. Quod si fortasse facere præsumpserint, a judicibus locorum (prout persona fuerit) distringantur. » (*Can.* 15.) « Et ut nullus Christianus Judæorum conviviis participare præsumat. Quod si facere quicunque (quod nefas est dici) clericus, aut sæcularis præsumpserit ab omnium Christianorum consortio se noverit coercendum quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus. » (*Can.* 16.) « Et licet quid de Christianis, qui aut captivitatis incursu, aut quibuscunque fraudibus, Judæorum servitio implicantur debeat custodiri, non solum canonicis, sed et legum beneficiis jam pridem fuerit constitutum : tamen quia nunc ita quorumdam querela exorta est, quosdam Judæos per civitates aut municipia consistentes, in tantam insolentiam et proterviam prorupisse, ut

nec reclamantes Christianos liceat vel ad pretium de eorum posse servitute absolvi. Idcirco præsenti concilio, Deo auctore, sancimus, ut nullus Christianus Judæo deinceps debeat deservire; sed datis pro quolibet bono mancipio duodecim solidis, ipsum mancipium quicunque Christianus, seu ad ingenuitatem, sive ad servitium licentiam habeat redimendi. Quia nefas est ut quos Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, persecutorum vinculis permaneant irretiti. Quod si acquiescere his quæ statuimus quicunque Judæus noluerit, quandiu ad pecuniam constitutam venire distulerit, liceat mancipio ipsi cum Christianis ubicunque voluerit, habitare. Illud etiam specialiter sancientes, quod si quis Judæus Christianum mancipium ad errorem Judaicum convictus fuerit persuasisse, et ipso mancipio careat, et legali damnatione plectatur. »

LVIII. Sanctus Lupus Trecassenorum episcopus, et cum eo alii viginti quatuor episcopi, vel vicarii episcoporum, similiter in nomine Domini nostri Jesu Christi congregati, pro causis corporis ejus quod est Ecclesia, inter multa hæc etiam statuerunt (*Conc. Aurel.* III, *can.* 30) : « Quia Deo propitio sub catholicorum regum dominatione consistimus; Judæi a die cœnæ Domini usque in secunda sabbati in Pascha, hoc est, in ipso quatriduo, procedere inter Christianos, neque catholicis populis se ullo loco, vel quacunque occasione miscere præsumant. » In concilio Laodiceno (*can.* 37 *et* 38) statutum est : « Quod non oporteat a Judæis vel hæreticis, ea quæ mittuntur munera festiva suscipere, nec cum eis festa celebrare. Et quod non oporteat a Judæis azyma accipere, et communicare impietatibus eorum. » Et in alio concilio (*Conc. Arvern.* I, *can.* 6) : « Ut si quis Judaicæ pravitati, jugali societate conjungitur; id est, seu Christiano Judæa, sive Judæo Christiana mulier carnali consortio misceatur : quique horum tantum nefas admisisse noscuntur, a Christiano cœtu atque convivio, et a communione Ecclesiæ protinus segregentur. »

LIX. Ecce sanctissimi et reverentissimi patres Ecclesiarum Dei, et nostri in Domino prædecessores, evidentissime in his omnibus, etiam sub divini judicii protestatione definiunt, et nobis sine præjudicio custodiendum tradunt, Judæorum sacrilegam societatem (sicut et cæterorum hæreticorum) penitus detestandam, et eorum profanum atque sacrilegum judicant esse convivium, et quicunque in hujuscemodi illis communicat, ipsorum impietatibus asserunt inquinatum. Quid ergo nobis ad hæc conandum est, et agendum, nisi ut in nullo eorum vitæ et saluti, aut quieti vel divitiis invidentes, imo eorum veram salutem (pro qua Ecclesia solemniter orare consuevit) veraciter inquirentes, servemus erga eos ecclesiasticam sinceritatem ac disciplinam et commissos nobis fidelium populos, nullo modo eorum contagiis et sacrilegiis involvi patiamur?

LX. Homines namque perditos, et perditionem suam non videntes (id est ipsos Judæos) non debemus nostris blanditiis et adulationibus, vel (quod absit) defensionibus reddere male securos. Ne quorum debemus esse correctores, efficiamur deceptores. Qualibus Dominus per prophetam comminatur, dicens : « Et erunt qui beatificant populum istum, « et qui beatificantur, præcipitati (*Isa.* IX, 16). » Sed vigilanter eorum reprimere blasphemias, et illud eis sæpius anuntiare quod ipsis Dominus terribiliter comminatur, dicens : « Si enim non credideritis « quia ego sum, moriemini in peccatis vestris (*Joan.* « VIII, 24). » Compassionem et benignitatem Apostoli, quantum, Deo largiente, possumus, studentes imitari, quæ de illis ait : « Veritatem dico in Christo, non « mentior, testimonium mihi perhibente conscien- « tia mea in Spiritu sancto; quoniam tristitia est « mihi magna, et continuus dolor cordi meo, pro « fratribus meis qui sunt cognati mei secundum car- « nem, qui sunt Israelitæ (*Rom.* IX, 1). » Et iterum : « Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio « ad Deum fit pro illis in salutem (*Rom.* X, 1), » et alio loco : « Quandiu ego sum gentium apostolus, minis- « terium meum honorificabo : si quo modo ad æmu- « landum provocem carnem meam, et salvos faciam « aliquos ex illis. Si enim amissio eorum, reconci- « liatio est mundi, quæ assumptio nisi vita ex mor- « tuis? (*Rom.* XI, 13, 14, 15.) » Postremo omnibus timendum, omnibus cavendum, fideliter inculcare debemus; ne sicut tempore passionis suæ Dominus noster Jesus Christus, pacificaturus omnia per sanguinem crucis suæ, venditus est a falso discipulo et comparatus a falsis persecutoribus, ad illudendum et crucifigendum, ita nunc comparetur ab impiis Judæis quodammodo ad vituperandum licentius et blasphemandum.

ANNO DOMINI DCCCLIII.

HAYMO

HALBERSTATENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA ET BIBLIOGRAPHICA.

(Fabric., Bibliotheca med. et inf. Lat.)

HAYMO, Alcuini discipulus, una cum Rabano Mauro, qui eum amicum coluit, et libros XXII de Universo illi dedicavit : Henrici Antisiodorensis præceptor : Bedæ imitatus studia et industriam : ex monacho Fuldensi ord. Bened. monachus magister (*a*) an. 839 Hersfeldensis, et ab anno 841 ad 853 (*b*) episcopus Halberstadiensis. Interfuit synodo Moguntinæ an. 848, in qua damnari Gothescalcum contigit : et a Joanne a Winnigstedt in Chronico ms. (*c*) traditur templum cathedrale Halberstadiense insigni bibliotheca, non parvis collecta sumptibus, locupletasse, sed quæ incendio ferali periit anno 1179. Melchior Neofanius in Catalogo episcoporum Halberstadiensium de Haymone :

Exemplum pietatis erat, studioque dicatus
Assidue, sacro sacros longo ordine libros
Edidit et scholiis divina volumina doctis
Liquit adaucta.....

Etiam Winnigstadio teste (*pag.* 12) idem Haymo

Explicat ingenio Biblia tota suo.

Quæ tamen ex ejus commentariis exstant hactenus edita, hæc sunt :

In Psalmos explanatio, *quam ille, veluti spiritualis apicula, ex omnium veterum hortis ac pratis florentissimis* (Augustini, Cassiodori, etc.) decerpsit : edita Friburgi, Antw. Coloniæ, Paris., 1533, 8°, vulgante Erasmo, cujus vide lib. XXVIII, epist. 11. Huic explanationi subjiciuntur scholia in canticum Isaiæ XII; Ezechiæ regis, Is. XXXVIII; Annæ, matris Samuelis, I Reg. II; Mosis, Exod. XV; Abacuci prophetæ, c. III, et Mosis, Deut. XXXII.

In Isaiam libri III, a Nicolao Herborn, ordinis Minorum, vulgati Colon. 1531, 8°.

In XII prophetas et *in Cantica canticorum* enarratio. Colon. 1533, 8°. Miror Oseam excipi a Guilelmo Crovæo, p. 165 Elenchi scriptorum in Scripturam, et Jacobo Longo, p. 766 Biblioth. sacræ : primus enim in hoc volumine se offert Commentarius in Oseam : in quo, sicut in aliis quoque, Hieronymum libenter Haymo sequitur. Levi porro conjectura nituntur qui enarrationem in Cantica vel Cassiodoro tribuunt vel Thomæ Aquinati. Certe inter Haymonis scripta commentarium in Cantica canticorum omnes referunt, etiam Anonymus Mellicensis, cap. 76.

Homiliarum sive *Concionum popularium* in Evangelia diebus Dominicis, feriarum et de Sanctis, pars æstivalis et hiemalis. Colon. 1534, 8°, 2 volum., edente Godfrido Hittorpio, et emendatius 1540, 8°.

Etiam in Homiliario Pauli Diaconi in Evangelia annua, nonnullæ homiliæ Haymonis leguntur. Vide infra *Homiliarius*. Inde etiam in Combefisii Bibliotheca Concionatoria.

Commentarii in Epistolas Pauli omnes, ex Hilario diacono, qui illi est Ambrosius, Augustino, Origene, etc., 1528, 8°, sine loci nota : et Colon. 1539, 8°.

Hos sub falso (*d*) *Remigii* Rhemensis nomine, edidit Joan. Baptista Villalpandus Rom. 1598, fol., recusos Moguntiæ 1614, fol.

Alii Remigio Lugdunensi (*e*), alii verisimilius Remigio Antissiodorensi (*f*) tribuere voluere : vide Richardum Simonem libr. III Hist. critic. Novi Testam., cap. 26. Ex commentario in priorem Epistolam ad Corinthios petitum esse breve scriptum Haymonis *de corpore et sanguine Domini*, quod sermonibus ejus subjectum in Codice San-Germanensi reperit ediditque Dacherius, tom. XII Spicilegii, pag. 27, notatur ab curatoribus editionis novæ Spicilegii, tom. I, p. 42. Sed in commentario Haymonis ad I Corinth. XI, nihil tale invenio : quod si scriptum ab Haymone est, nullum facile antiquiorem testem aut apertiorem μετουσιώσεως suffragatorem dabitur citare, cujus tam expressa sit confessio : « Credimus et fideliter confitemur et tenemus, quod substantia panis et vini per operationem divinæ virtutis substantialiter convertatur in aliam substantiam, id est in carnem et sanguinem. » Etiam Pauli Diaconi locus, quem Haymoniano præmittit Mabillonius tom. I Analect., pag. 215 (edit. novæ p. 497), multum abest ut pro tam diserto testimonio haberi possit.

In Apocalypsin libri VII, Paris. 1535, 8°, ex Ansberto, Primasio, Beda, etc.

Plura non vidi, quanquam apud Trithemium atque inde apud Baleum, XIII, 8; Pitseum, pag. 147, aliosque memorantur Haymonis *in quinque libros Mosis*, *in Josuam*, *Judicum*, *Ruth*, in *quatuor libros Regum* et *Paralipomenon duos*, *Esdram*, *Nehemiam*, *Esther*, *Tobiam*, *Judith*, *Jobum*, *Jeremiam*, *Ezechielem*, *Danielem*, *in Actus apostolorum* et in *Epistolas canonicas* libros VII, nec non *librum de S. Trinitate*. Honorius IV, 7, de S. E., etiam librum Haymonis *de Voluptate mundi* celebrat. Sed qui *brevem expositionem canonum* laudaverit, cujus in diss. de Vita et doctrina Haymonis, pag. 14, fit mentio, non reperi : neque qui *quatuor libros* Commentariorum *in IV evangelistas*, quos memorat Pitseus pag. 147.

De Christianarum rerum memoria (*g*) a Christo

(*a*) Abbatem fuisse scripsit Trithemius, c. 257, quem alii sequuntur : negat Christoph. Browerus *Antiquitat. Fuldens.* lib. I, cap. 13, et D. Paulus Antonius ὁ Μακαρίτης in diss. de Vita et doctrina Haymonis, Halæ Sax. 1700, p. 5 seq.

(*b*) Non 834, ut Trithem.; nec 858, ut Combefisius in Bibl. Concionatoria.

(*c*) Apud D. Antonium, p. 8.

(*d*) Rivetus, Critici Sacri lib. IV, cap. 27.

(*e*) Blondellus, pag. 87 sq. de Episcopis.

(*f*) Albertinus, de S. Eucharistia, pag. 937.

(*g*) Hic genuinus titulus in mss. obvius et apud Vincentium Bellov., XII, 9, Speculi Hist., Trithemium aliosque. Apud Turrianum, pag. 37 Apologiæ pro Canonibus apostolorum citatur Haymo de *Rerum Christianarum memorabilibus*.

nato usque ad tempora Theodosii Magni, *libri decem* : compendium succinctum ex Euschii et Rufini Historia Ecclesiastica. Prodiit, edente Alex. Brassicano, Haganoæ 1531, 8°, Colon. 1531, 8°, et 1573; 1600, 12; et curante Marco Zuerio Boxhornio, cum rudimentis primis religionis Christianæ, scriptis vetusta lingua Alemannorum Saxonumque, Lugd. Bat. 1650, 12; et ex recensione Joannis Joachimi Maderi Helmst. 1671, 4°, et cum Petri Galesinii notis Rom. 1564, fol., subjunctum Salviano, Maximo Taurinensi, Paciano, Sulpicio Severo et Dorotheo Tyrio. Et Gallice, Claudio Espencæo interprete, Paris. 1573, 8°. Latini Latinii castigationes quædam obviæ in ejus Bibliotheca sacro-profana, p. 166.

De varietate librorum, sive *de amore cœlestis Patriæ*, lib. III, Colon. 1531, 8°, et Paris. * Qui commentariorum Haymonis in Isaiam editionem Coloniensem anni 1531 curavit et dedit, Eucharius Cervicornus, in sua ad opus istud præfatione admonuit eo ipso tempore quo typi libro huic edendo sudabant, prodiisse alicubi librum commentariorum Haymonis, qui esset hujus, quem ipse premebat, veluti recensio (recognitio) ab ipso eodem Haymone adornata. Sibi vero ait id nequaquam persuaderi ut Haymo in idem opus bis incubuerit, cum nec ejus rei unquam ille meminerit, nec Germanica archiva commentariorum Haymonis in Isaiam nisi unicum offerant. Censet igitur postremum istum sive alterius Haymonis fetum esse, ejusque forte Haymonis Franciscanæ familiæ alumni, in classe scriptorum ecclesiasticorum a Trithemio relati, sive personati alicujus auctoris commentum. Novus iste Haymonis commentarius in Isaiam, ille forte est quem eodem anno 1531 Parisienses vulgarunt. Cum vero codicem quemdam bibliothecæ Canonicorum majoris Ecclesiæ Lucensis evolverem, inter excerpta multa Patrum ab anonymo quodam collecta in expositionem mysterii SS. Trinitatis, nonnulla etiam offendi ex Haymonis commentariis in Isaiam, ut titulus ipse ferebat, descripta. Hæc dum confero cum commentariis Haymonianis Coloniæ vulgatis, reperi omnino ab istis discrepare, et, nisi quibusdam pauculis exceptis, in quibus conveniunt, in reliquis abire in diversa. Suspicor igitur fragmenta hæc codicis Lucensis illorum Haymonis commentariorum lacinias esse, easque, cum excusum Parisiense opus rari viderint, descripsi, quarum unam ad specimen hic exhibeo. De auctore vero nihil habeo quod promam; maluissem tamen Haymoni illi tribuere Cantuariensi archidiacono, sæculi XI scriptori, cui inter cætera scripta et in Isaiam commentarios assignari ab Anglis scriptoribus Fabricius testatur.

Proferam modo speciminis gratia ex fragmentis mss. unicum, cui et subjiciam simile aliud quod in editis Coloniensibus legitur.

« Seraphim stabant super illud; sex alæ uni, et « sex alæ alteri, duabus velabant faciem, et duabus « velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et cla- « mabat alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, « Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est om- « nis terra gloria ejus. Seraphim interpretantur *in- « cendentes*, juxta quod alibi legimus : « Qui facit « angelos suos spiritum, et ministros suos ignem « urentem. » Dominus in seraphim ex parte ostendi- « tur, ex parte celatur. Faciem enim ejus et pedes « operiunt. Quia et præterita ante mundum, et fu- « tura post mundum scire non possumus, sed media « tantum, quæ in sex diebus facta sunt, contem- « plantur. Nec mirum hoc de seraphim credere, « cum et apostoli Salvatorem credentibus aperiant, « infidelibus abscondant. Et velum ante arcam fue- « rit testamenti. Alas quoque habere dicuntur pro- « pter velocitatem, et in cuncta discursum, sive quia « semper in altioribus commorantur. Neque enim « illud quod de ventis dicitur, « qui ambulat super « pennas ventorum, » vere ventos juxta fabulas poe- « tarum, pictorum licentiam pennas habere testatur. « Sed celerem in cuncta discursum, et singulis se- « nas alas qui de fabricatione tantum mundi etiam « præsentis sæculi novimus. Quod autem « clamat « alter ad alterum » vel juxta Hebræos « iste ad is- « tum » id est unum ad unum invicem, se ad laudes « Domini cohortantur, et dicunt « Sanctus, Sanctus, « Sanctus Dominus exercituum, » ut mysterium Trini- « tatis in una divinitate demonstrent. Et nequaquam « templum Judæorum sicut prius, sed omnem terram « illius gloria plenam esse testantur, qui pro nostra « salute dignatus est humanum corpus assumere, « ad terrasque descendere. Quidam Latinorum duo « seraphim Vetus et Novum Instrumentum intelli- « gunt : quod tantum de præsenti sæculo loquitur. « Unde et sex alas habere dicatur, et faciem Dei « pedesque velare, et certatim proferre testimonium « veritatis, et omne quod clamat Trinitatis sacra- « menta monstrare, et mirari ad invicem quod Do- « minus Sabaoth in forma Dei Patris potius servi « formam acceperit, et humiliaverit se usque ad « mortem, et mortem crucis, et nequaquam ut pa- « trem cœlestia eum tantum, sed et terra cogno- « scant. »

Editus Coloniæ 1531 sic habet : « Seraphim sta- « bant super illud. Seraphim duo Testamenta No- « vum et Vetus, intelliguntur. Seraphim enim *in- « cendens* sive *incendium* interpretatur. Et si quæ- « rimus ubi sit hoc incendium salutare, nulli du- « bium est quin in sacris voluminibus, e quorum « lectione universa hominum vitia purgantur, et « cordis intima in Dei ac proximi dilectione succen- « duntur. » Reliqua cum ms. nihil omnino cohæ- « rent. »

Homiliarum opus nunquam satis, ut credo, discussum est a scriptoribus rei litterariæ. Sapientissimi scriptores Historiæ Litterariæ Gallicanæ, tom. V, pag. 118, animadverterunt duas esse Homiliarum Haymonis editiones inter se valde discretas; alteram sub hoc titulo : *D. Haymonis episcopi*, etc., *Homiliarum, seu mavis, sermonum ad plebem opus præclarum super Evangelia totius anni; pars hiemalis*. Coloniæ 1531, 8°, cura Gotfridi Hittorpii. Alteram, cujus est inscriptio : *Homiliæ D. Haymonis episcopi*, etc., *in Evangelia Dominicalia*. Prius illud opus sincerum esse Haymonis fetum pronuntiant, alterum tribuunt Haymoni priori in abbatia Hirsaugiensi, qui munus illud cœpit an. 1091. Opus Haymonis excusum primum Coloniæ per Cervicornium dicunt an. 1531, 8°. Manu verso Homiliarum Haymonis partem hiemalem absque impressoris nomine excusam Coloniæ an. 1537 impensis M. Gotfridi Hittorpii. In cujus epistola dedicatoria, ab Hittorpio data, lego expressam esse hanc editionem ad exemplar codicis accepti a Petro Drolshagio, abbate Heysterbacensi. Monet autem Hittorpius prodiisse parum ante illud tempus (*nuper*) Homiliarum Haymonis opus « boni fortasse auctoris, aut proprio nomine defraudati, aut si fuerit illi nomen Haymo, certe non is fuit quem nos nunc damus, nempe Halberstadensis episcopus. » Signatur epistola illa an. 1532, pridie Nonas Augusti. Ex hoc vero colligo Coloniensem sinceram an. 1432 prodiisse. Quomodo ergo asseruerint Gallici illi scriptores Coloniensem ab Hittorpio curatam editionem an. 1531 paruisse? Nec ibi pariter Eucharii Cervicornii impressoris nomen ullum legitur. Si quæ igitur fuit Coloniensis anni 1531 editio, altera plane est a sincera per Hittorpium curata. Demum Coloniensis hæc anni 1537 editio a nemine quem legerim, indicata est. Æstivalis pars earumdem homiliarum est pariter apud me signata anno 1537, per Cervicornium, cujus nomen ibi legitur, impressa. Titulus vero est hujusmodi : *D. Haymonis*, etc. *Homiliarum nunc quarto diligenter excusarum pars æstivalis. Aucta pars hæc est appendice Homiliarum Haymonis trium et viginti super Epistolas Dominicarum post festum Pentecostes, quæ hactenus desideratæ nunc primum exceptis quatuor*

antea semel impressis recens typis sunt excusæ. Accesserunt præter has et aliæ duæ homiliæ in duas ex Apocalypsi lectiones, quarum prior ante hac semel tantum impressa; posterior ante hunc diem typis excusa fuit nusquam. Nulla præfatione instruitur postremum istud volumen. Titulus autem iste sic diligenter relatus plane demonstrat non satis accurate editiones hujus operis relatas hucusque et discussas fuisse a scriptoribus rei litterariæ, ut conferenti ea quæ dicunt, patebit. Iidem quoque scriptores Gallici A non satis se capere dicunt quid velit Croweius, in suo Elencho scriptorum in sacram Scripturam scribens annexam esse huic operi in omnes Epistolas canonicas enarrationem. Ego vero unde hoc acceperit Anglicus ille scriptor, deprehendisse me blandior; ita enim lego in titulo Homiliarum hiemalium editionis ejusdem antea indicatæ : *Additi sunt sermones aliquot pulcherrimi ejusdem Haymonis in Epistolas canonicas.* Sed evolventi diligenter volumen illud nuspiam eos reperire datum est.

VITA D. HAYMONIS

AUCTORE JOANNE TRITHEMIO ABBATE SPANHEIMENSI.

Haymo tertius episcopus Halberstatensis Ecclesiæ in Saxonia, ex abbate Hirsfeldensis cœnobii, ordinis sancti Benedicti, natione Teutonicus, Alcuini monachi quondam auditor, ad quem Rabanus, Fuldensis tunc abbas, XXII libros de Universo composuit; vir certe undecunque doctissimus, divinarum Scripturarum sagacissimus interpres, in declamandis homiliis ad populum excellentis ingenii fuit. Hic primo fuit monachus Fuldensis cœnobii cum Rabano, postea factus est tertius abbas Hirsfeldensis, postremo tertius episcopus Halberstatensis consecratus. Eamdèm Ecclesiam verbo et exemplo strenue gubernavit annis tredecim. Scripsit autem pene infinita opuscula, de quibus ista quæ subjecimus, feruntur. B

In quinque libros Moysi	lib. 5.
In Judicum	lib. 1.
In Regum	lib. 1.
In Tobiam	lib. 1.
In Judith	lib. 1.
In Job	lib. 1.
In Esaiam proph.	lib. 3.
In Hieremiam	lib. 1.
In Ezechielem	lib. 1.
In Danielem	lib. 1.
In 12 proph. minor.	lib. 12.
In psalmos quoque	lib. 1.
In Evangel. homilia.	lib. 2.
In omnes Epist. Pauli.	lib. 1.
In Epist. canonicas	lib. 7.
In Apocalypsim	lib. 1.
De varietate librorum	lib. 3.
De sancta Trinitate	lib. 1.
De Christ. rerum me.	lib. 1.
In Josue	lib. 1.
In Ruth	lib. 1.
In Paralipom.	lib. 1.
In Esdram et Neem.	lib. 1.
In Hester	lib. 1.
In Cantica cant.	lib. 1.
Esaias propheta nobil.	
Et factum, etc., dicit beatus.	
Verbum quod factum est.	
Hymni vocantur, etc.	
Consulens dominus hum.	
A Corintho metropo.	
In Actus apostol.	lib. 1.
Legimus in Ecclesiast.	
Cum sis unicum et sanctissi.	

C

Alia quoque multa scripsisse dicitur epistolas, sermones et diversos tractatus, qui ad notitiam meam non venerunt. Moritur sub Ludovico imperatore filio Caroli Magni, anno Domini DCCCXXXIIII, indictione 12. Sepultus in ecclesia sancti Stephani Halberstatensi.

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

OPERUM PARS PRIMA. — COMMENTARIA BIBLICA.

IN OMNES PSALMOS

PIA, BREVIS AC DILUCIDA EXPLANATIO,

Quam ille, veluti spiritualis apicula, ex omnium veterum hortis ac pratis florentissimis decerpsit, quo simplicibus et occupatis esset parata saluberrimi mellis copia.

(Ex editione data Coloniæ anno 1561, curante Erasmo, apud hæredes Joannis Quentel.)

Desiderius Erasmus

ROTERODAMUS

INSIGNI PIETATE VIRO JOANNI EMSTEDIO, CARTHUSIANO LOVANII, S. D.

Quanquam haud ignoro, charissime frater, non deesse tibi confabulones, qui et solitudinem tuam exhilarent, et silentium istud non sinant esse mutum, tamen visum est unum addere, qui pia loquitur verius quam diserta : tametsi non video, quo pacto negari possit diserte dici, quod pie dicitur : Is est Haymo N. monachus, abbas et episcopus, mira brevitate, miraque simplicitate ac perspicuitate enarrans psalmos Davidicos. Fuit hoc studium sæculis aliquot monachis eruditis, ut quæ a veteribus vel subtilius essent scripta doctis, vel fusius dicta apud populum, in compendium redigerent, adeo perspicua brevitate, ut et ab occupatis, et a tenuiter litteratis facile valeant percipi. Hujus ordinis præcipue sunt Anselmus, Beda, Claudius, et hic qui nunc venit in tuos complexus, Haymo : quorum industria non mediocrem utilitatem attulit Ecclesiæ : præsertim si quis spectet tum tempora, tum regiones, in quibus illi vixerunt. Decet autem, ut qui rejectis omnibus remoris properant ad illam cœlestem vitam, quam maxime sint expediti, nec ullis minus necessariis sarcinis graventur. Quo magis mirandum est, quod quidam, qui victu cultuque simplicitatem apostolicam profitentur, doctrinam amplectantur omnium minime simplicem, sed argutiis supervacaneis, et Averroicis dogmatibus, ac novis insuper somniis spinosissimam. Cum igitur tales essent monachi, nomen erat apud omnes gratiosum, et honorificum erat appellari monachum. Nunc quorumdam mali mores in causa sunt, ut boni quoque communis invidiæ molestiam ferant. Aristippus cum unguento quodam vehementer esset delectatus, Male sit, inquit, istis cinædis, qui rem tam bellam infamarunt. Similibus verbis non absurde quis stomachetur in eos, qui suo vitio, monachi nomen in invidiam vocarint, cum revera non conveniat ullum esse plausibilius. Quis enim non amet eos homines, qui vere mundo mortui, sese totos Deo dedicarunt? Quorum talis est vita, talis oratio, ut nemo ab illorum conspectu, nemo a colloquio non melior discedat : a quibus nemo quidquam metuat incommodi, non fraudem ab his qui pecunias habent pro ruderibus, et hoc quod habent dilargiuntur egenis : non vindictam, qui juxta doctrinam evangelicam, orant pro persequentibus, amore prosequuntur eos quibus sunt invisi, benefacta reponunt pro malefactis : nec est ulli pudicitiæ periculum ab his, qui et corde et corpore sunt incorrupti. Qui propter singularem animi modestiam nulli se præponunt, nulli invident, nullum fastidiunt, sed quo magis ad perfectionis culmen accedunt, hoc magis ducunt sese omnium infimos : et cum revera gemmæ sint et flores Ecclesiæ, tamen ipsi sese fæcem appellant. Aliorum lapsus aut elevant, aut commode interpretantur, in proprios austeri censores : aliena benefacta candide amplificant, sua modeste extenuant : nemini adulantur, neminem procacibus verbis percellunt præsentem, nemini obtrectant absenti : nihil auditur ex ore illorum, nisi quod est in corde, verba charitatis, verba consolationis, verba amicæ admonitionis et gratiarum actionis. Adest in his comitas non fucata, sed ex bona conscientia

proficiscens. In summa, cœlestis illius civitatis imaginem quamdam nobis referunt, et angelicos choros quodammodo repræsentant, vel quod jugiter decantant laudes Dei, vel quod transformati in spiritus nihil habeant commercii cum carnis affectibus, vel quod in summa vivunt concordia, vel quod angelorum ritu inter homines ac Deum velut internuntii, et populorum vota illi commendant, et plurima bona ab illo precibus assiduis impetrant, non sibi tantum, sed in commune. Quid porro si ad has virtutes accedat donum prophetiæ? ut gratis, ut pure, ut incorrupte doceant populum, sive voce, sive scriptis libris, sive utroque? Quid quod jejuniis, vigiliis, laboribus crucifigentes carnem suam quantum licet, supplent ea quæ desunt passionibus Christi, ac seipsos quodammodo immolant pro salute populi? Et tu, laice, potes male velle illis, qui dum crapula gravatus altum stertis, propter te vigilant, propter te jejunant: dum tu Deum alea, scortis aliisque sceleribus ad iram provocas, illi pro te deprecantur: dum tu apud homines male de illis loqueris, illi de te bene loquuntur apud Deum? Quis tales viros, non ut semideos quosdam veneretur, non amet, tanquam ad publicam utilitatem quasi divinitus datos, etiamsi ipse sit vir improbus? Nam eximia virtus etiam inimicos suos rapit in admirationem sui. Et qui de nullo bene merentur, tamen instinctu naturæ reverentur eos, qui benefaciunt malis pariter ac bonis. Quænam igitur est quorumdam perversitas, qui hoc ipso contemnunt aliquem quod monachus est? Qui monachum dicit, omnium heroicarum virtutum summam dicit, quæ benevolentiam ac favorem a bonis promerentur, a malis extorquent. Quod si nihil aliud displicet quam vocabulum, appellent pro monacho, si videtur, simplicem ac solitarium. Solitudo autem ea non æstimatur numero convictorum, sed separatione malorum affectuum: alioqui nec Carthusiani soli sunt. Ubicunque adest hæc solitudo, ibi adest frequentissima sodalitas. Ille feliciter solus est, qui nullius improbi convictu corrumpitur, qui nullos habet in animo tumultus affectuum inter se pugnantium, nec tamen cum Deo consentientium. Hoc pacto licet et in principum aulis, et in publicis magistratibus, et in mediis hominum commerciis esse monachum. Quænam igitur est animi perversitas, odisse monachum, ob hoc ipsum quod monachus est? Profiteris te Christianum, et aversaris eos qui Christo simillimi sunt? Hic protinus occinent, scio, plerosque plurimum abesse ab hac imagine. Nullum igitur vitæ genus probabimus, si propter malos oderimus et bonos. Quid igitur superest? Quid, nisi ut amemus homines, incerta in meliorem interpretemur partem, ad vitia leviora conniveamus, gravioribus mederi studeamus potius quam exasperare, ordinem ipsum et institutum veneremur etiam. Quod si ad hominum vulgarium civilitatem accedat monachorum, sese ad ea quæ veræ sunt religionis, toto pectore referentium, industria: facile revigescet pristinus orbis favor, facile obmutescent ora maledicorum. Itaque fiet, ut non solum vivant grati Deo, gratiosi apud homines, verum etiam feliciter hic vivant et hilariter. Nulli enim vivunt quietius aut suavius iis qui vere monachi sunt: nulli miserius, quam qui non ex animo monachi sunt. Illis monasterium paradisus est, his pistrinum. Sed cuique magna ex parte in manu est, ut sibi pistrinum vertat in paradisum. Ad Haymonem redeo, qui Davidicam citharam pulsans, angelicum cœtum vestrum ad spirituales excitabit choreas, ut in hymnis et canticis Domino psallatis in cordibus vestris. Nemo fastidiat dictionis simplicitatem, sed amplectatur sententiarum pietatem. Hoc eo admoneo, quod suspicer multos esse tales, qualis ego fui olim, qui nauseant ad omnia, quæ carent rhetorum condimentis et ornamentis. Sed cum essem parvulus in Christo, sapiebam ut parvulus: atque utinam nunc prorsus evacuassem ea quæ sunt parvuli! Hoc meum officium si quam apud te gratiam promeretur, oro, ut hunc ἁμαρτωλὸν aliquando precibus tuis Christo commendes. Exemplar exhibuit venerabile monasterium canonicorum regularium, vulgo dictum *Marpach* in Elsatia, reliquias inauspicatissimi tumultus agricolarum. Dominus illis pro malis reponat bona. Friburgi Brisgoiæ, anno a Christo nato millesimo quingentesimo trigesimo tertio, pridie Kalendas Martias.

INCIPIT

COMMENTARIUS IN PSALMOS.

IN PRIMUM PSALMUM

Hymni vocantur singuli psalmi: hymnus enim est laus Dei cum cantico. In singulis psalmis Dei invenitur laus: sive enim agatur de potentia divinitatis, sive de perfectione humanitatis Christi, sive de sanctitate membrorum, sive de conversione pœnitentium, laudabilis Deus ostenditur. Cum cantico ideo, quia et cum exsultatione sunt facti a propheta, et in animum recte intelligentium exsultationem generant. Cognito namque interitu totius humani generis propter inobedientiam primi hominis, prospiciensque per Spiritum sanctum reparationem futuram per obedientiam secundi, cum magna exsultatione cum propheta annuntiat. Soliloquium unusquisque psalmus dicitur, quoniam in ipsis solus Spiritus sanctus sine omni auxilio humani ingenii loquitur. Vel

soliloquium, non quia soli psalmi de Christo loquuntur, sed quia dignius et manifestius cæteris prophetiis, scilicet frequentius et apertius in paucioribus verbis. Ex qua dignitate hujus prophetiæ hanc prophetiam in frequentiori usu habet Ecclesia. Cum dicit Prophetæ simpliciter, David nobis determinate insinuat : sicut per Apostolum, Paulum determinamus. Prophetia idem est quod et visio : unde in libro Regum prophetam Samuelem Saul videntem appellat dicens : « Ubi est domus videntis? » Non tamen quælibet visio prophetia dicitur, sed ea tantum quæ a solo spiritu ministratur ; ea fit de præterito, ut Moyses : « In principio creavit Deus cœlum et terram ; » vel de præsenti, ut si quis per spiritum ea in præsentia videat quæ per naturam videre non posset, ut Ezechielis spiritus transferebatur in Jerusalem, ut videret ea quæ ibi fiebant; de futuro, ut hæc eadem prophetia. Inspiratur autem prophetia vel per somnium, ut Joseph; vel per angelum, ut Zachariæ; vel per internam inspirationem, ut hæc eadem, id est psalterium; vel per figuras, ut Noe per archam quam rexit in fluctu diluvii, figuravit Ecclesiam a Christo per mundi pericula regendam. Hæc vero prophetia Psalterium vocatur, quod nomen a quodam musico instrumento tractum est, quo instrumento David et alii præcentores psalmos modulabantur. Diffinitur autem prophetia sic : Prophetia est divina inspiratio, quæ rerum eventus, aut per visiones, aut per facta, aut per quorumdam dicta immutabili veritate demonstrat. Per visiones, ut Ezechieli, et beato Joanni in exstasi positis. Per facta, ut Abrahæ, per immolationem arietis; et Jacob, qui, transpositis manibus, Manassen et Ephraim filios Joseph benedixit. Per dicta, ut in Moyse de Christo legitur : « Suscitabo de fratribus vestris prophetam, ipsum tanquam me audite (*Deut.* XVIII) ; » vel in Psalterio. Fit autem prophetia per dicta duobus modis, scilicet aut gratia, aut permissione. Gratia, ut in Moyse et cæteris bonis. Permissione, ut in Sibylla vate, et in infidelibus philosophis, qui multa divino instinctu de Christo prædixerunt. Volens enim David cultum Dei amplificare, cum homines per sensum psalmorum ad cultum Dei, quia bestiales erant, non posset adducere, eos et per symphoniam instrumentorum, et per cantum hominum ad colendum Deum studuit incitare. Constituit ergo cùm archam de Sylo reduceret, tria millia virorum omni musico instrumento cantantium, et illis centum quinquaginta præfecit : quibus omnibus quatuor alios, Ethan, Eman, Asaph et Iditum præfectos adhibuit : ipse quoque cum psalterio modulans in tabernaculo, ad divinum cultum cæteros invitabat. Hoc autem opus ab illo instrumento hac significatione Psalterium vocatum est, quia sicut illud instrumentum decem chordas habens, et superius concavum unde resonat : ita hæc prophetia resonat, semper loquendo de superioribus. Loquitur enim de spiritualibus, non causa humani favoris, sicut mundani philosophi, sed appetitu vitæ æternæ. Decem vero chordæ illius psalterii, decem legis præcepta significant. Quæ omnia præcepta bene implet, qui ea quæ in Psalterio leguntur exsequitur. Sicut enim psalterium quia desuper sonat, vivificationem spiritus significat, ita cithara quia desubtus sonat, carnis mortificationem designat. Ideo autem Psalterium vivificationem spiritus significat, quia semper nos monet ea facere, in quibus spiritus vivificatur. Melodia vero, quæ ex illo musico instrumento chordis manu tactis fiebat, psalmus proprie appellatur, a cujus similitudine istius prophetiæ partes distinctæ, psalmi vocantur, quia in ipsis ad quamdam operationem manuum, sive affectionum, sive carnalium manuum invitamur, ut in hoc primo psalmo ad conformitatem secundi parentis invitemur. Sicut autem illa melodia, ubi solæ chordæ sine voce sonabant, psalmus vocabatur : sic illa, ubi sola voce sine chordis cantabatur, canticum dicebatur. Ubi vero melodia præcedebat in chordis, et viva vox sequebatur, canticum psalmi vocabatur : ubi autem viva vox præcedebat, et melodia sequebatur, psalmus cantici dicebatur; secundum quas diversitates quidam psalmi intitulati inveniuntur. Sciendum est autem, quod non eo ordine David psalmos composuit, quo hic sunt ordinati. Cum enim in uxore Uriæ peccasset, « Miserere mei, Deus, » fecit : post hæc vero pro persecutione Absalon, « Domine, quid multiplicati sunt, » edidit. Item cum in regem a Samuele inungeretur, « Dominus illuminatio mea. » Mortuo quoque Saul, « Diligam te, » etc. Esdras vero divino admonitus instinctu, in hunc ordinem compesuit. Ordinis vero rationem (quem tamen eum habuisse credimus) in pluribus ignoramus. Communis materia totius hujus operis, Christus est tripliciter acceptus, scilicet, secundum deitatem, secundum humanitatem, secundum corpus. Quod vero de contrariis, id est, dæmonibus impiis interseritur, non ideo fit, quod sit de principali materia : sed ut principali materiei subserviat, per quasdam commoditates admiscetur : ut in primo psalmo de impiis adducit, ut per eorum pœnam homines ab eorum conformitate deterreat, et ad Christi conformitatem reducat. De hac vero materia hoc modo tractat, ostendit potentiam deitatis, perfectionem humanitatis Christi, universitatem sanctitatis membrorum, conversionem peccatorum. Item communis intentio est, ut nos Christo conformes efficiat, ut « sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis. » Esdras autem cum cæteris psalmis titulum ascripsisset, ideo huic psalmo non ascripsit, quia iste psalmus omnium aliorum titulus est; quia sicut titulus totam materiam sequentem prælibat : ita psalmus iste materiam sequentis operis tangit. De humanitate enim Christi tangit, ubi eum immunem esse ab omni peccato ostendit; de deitate, ubi eum secus decursus aquarum plantatum esse dicit : de corpore Christi, ubi ostendit quod nobis utilis fuit, cum dicit : « quod fructum suum dabit in tempore suo. » Vel ideo etiam huic psalmo titulum non apposuit, quia in quodam loco legerat Christum ipsum hunc psalmum appellantem caput libri, ubi dicitur : « In capite libri scriptum est de me, » etc. Et

ideo Esdras non fuit ausus apponere titulum, cum Christus per David vocaverit hunc psalmum caput libri (*Psal.* XXXIX). Habet autem hic psalmus materiam Christum, sicut prædictum est. Hoc modo agit de Christo, removet omnia mala ab eo, ponit in eo omnem perfectionem virtutum, ostendit eum utilem esse nobis. Sciendum vero quod illas perfectiones, quas hic de Christo ponit communiter, in psalmis sequentibus per partes singulas exsequitur. In alio enim psalmo de humilitate Christi, in alio de patientia, in alio de resurrectione Christi agit, et in cæteris similiter. Habet et psalmus iste communem intentionem, scilicet, ut conformemur novo homini. Et quia intendit nos conformes reddere Christo, ipsius dignitatem proponit, sic nos propheta invitans : Vos qui lugetis, compressi miseria primi parentis, deserentes illum veterem, ad istum accedite, quia iste est beatus vir, primo contrarius. A similitudine exsulantis loquitur, qui a naturali loco abiit, et invento loco sibi complacito, cœpit immorari, et jam non tam cito potest revocari, sicut prius quando abire incœpit. Hic si deinde in cathedra, id est, in magisterio sublimetur, tanto minus facile retrahitur : ita Adam in beatitudine positus, abiit non localiter ab eo qui ubique præsens est, ut per psalmistam dicitur : « Si ascendero in cœlum, tu illic es ; si descendero ad infernum, ades (*Psal.* VIII) : » sed recessit a Deo per dissimilitudinem, ad quem acceditur per similitudinem. Per dissimilitudinem abiit, cum ratione postposita, in qua Deo similis erat creatus, Evæ et consilio serpentis paruit. In via peccatorum stetit, quando actualiter pomum comedit. In cathedra pestilentiæ sedit, cum se occultando et excusando de peccato, posteros suos suo exemplo excusationem docuit : et sic factus est infirmus, cum a Deo factus esset firmus. Posset enim immortalis et impassibilis permanere, si Domini præceptis constanter vellet obedire : Deus enim in paradiso amœnitatis locaverat eum, in quo erant fructus, quorum alius famem, alius sitim exstingueret, alii alias passibilitates exstinguerent vel depellerent. Erat ibidem præterea lignum vitæ, cujus fructu si convenientibus temporibus uteretur, mortem vitaret et senium. Contra vero hujus fragilitatem, Christus vir a viribus dicitur : qui cum esset natus in fragili carne, nec tentationibus cessit, nec aliqua tribulatione defecit : contra vero illius infelicitatem Christus beatus dicitur : « Qui non abiit, » id est, non recessit a Deo : voluntate scilicet vel cogitatione vel consensu, et ut majus meritum ejus ostendat, notat eum habuisse persuasorem discessionis, cum subdit : « In concilio impiorum : » persuasit enim ei diabolus, ut adoraret eum, et daret ei regna mundi. Impios vocat, contra cultum Dei scilicet infideles : peccatores autem sunt, qui in turpi vita sunt. Et ipse idem Christus non stetit in via peccatorum, id est, in malis operibus. Per stare ideo actum accipimus, quia sicut ille qui jam stat in aliena terra, non potest ita retrahi, sicut ille qui abire cœpit : sic ille qui in actu peccati est, non tam leviter retrahitur, sicut ille qui in sola voluntate est. Mala opera viam peccatorum dicit, per quæ peccatores ad æternam damnationem incedunt. « In cathedra pestilentiæ, » id est, nec verbo nec opere studuit mala facere, nec docuit. In cathedra quidem sedit, quia doctor egregius fuit : cathedra enim sedes magistri est, solium regum, tribunal judicis. Ex ejus vero doctrina nulla pestis successit, ex ipso enim nulla in alios infirmitas transit. Pestilentia quidem infirmitas est, quæ ab uno animali ad plura, sive ad omnia transit. Per hoc quod dicit, non abiit, non stetit, non sedit, Christum ab omni peccato immunem ostendit. Omne enim peccatum est, vel voluntate, sive cogitatione, vel consensu : quæ voluntas per abire designatur. Vel in actu, qui per stare intelligitur, vel in doctrina, quæ per sedere in cathedra pestilentiæ intelligitur. Quæritur quare remota voluntate peccandi a Christo « per non abiit, » actum et doctrinam removeat, cum voluntate remota, hæc alia removeantur? Quod ideo factum dicimus, ut ostenderet peccata eo ordine quo crescunt in aliis, eo ordine a Christo removenda. Prius enim homo voluntate, id est, consensu et cogitatione peccat, deinde actu, tandem doctrina, scilicet exemplo et verbo, quæ eædem tres mortes animæ, per tres mortuos a Domino resuscitatos figurantur. Per filiam archisynagogi quam in domo resuscitavit, peccandi voluntas, id est, prima mors animæ designatur, qui enim tantum voluntate peccat, adhuc in domo est : nundum enim ad operationem processit. Per eum enim mortuum, quem extra portam resuscitavit, alia mors animæ, id est, actus peccati designatur, quia perficiendo peccata, extra portas sensuum eximus, non remanentes in sola cogitatione. Per mortuum jam fetentem et auras corrumpentem, peccati doctrina signatur, cujus fetore et alii corrumpuntur.

« Sed in lege Domini. » Remotis a Christo omnibus peccatis atque malis, eum omni genere virtutum repletum ostendit. Continuatio : Christus quidem non abiit, sed voluntas ejus fuit in lege Domini, id est voluntatem habuit implendi legem Domini. Lex enim Dei est, in devitandis peccatis, bonisque perpetrandis sancta præceptio. In lege, et non sub lege, ideo bene dicit, quia subnotat coactionem. Christus voluntate spontanea legem adimplevit, et non solum adimplere voluit, sed etiam per omnia adimplevit : et hoc est, et in lege ejus adimplenda meditabitur, id est, in ejus impletione studiosus erit quomodo melius impleatur. Non dicit meditabitur, quod ipse meditaretur : sed ideo, quia sicuti aliquis meditans melius implet aliquid non meditante, ita Christus adimplevit legem melius omnibus aliis. Cum futurum ponit, id est meditabitur, secundum hominem loquitur : est enim hominum, ut de futuris per futura loquantur. Quando vero ea quæ futura sunt, ut jam præterita narrat, non loquitur secundum hominem, sed quia spiritus illius rapiebatur usque ad consilia Dei, in cujus providentia jam omnia præterita sunt : et sicut in libro illo legebat jam præterita, sic refe-

rebat hominibus jam illa præsentia. « Die ac nocte, » A id est, continue : vel in prosperitate et adversitate. Prosperitas dicitur, quando post miraculum de quinque panibus factum, eum Judæi sibi regem constituere voluerunt : adversitas, in passione.

« Et erit. » Ostenso Christo immuni ab omni peccato, pleno omni bono, quia hæc possent esse et nihil prodessent nobis, utilitatem apponit, quam nobis contulit cum dicit : « Et erit tanquam lignum. » Hic propheta persimile de Christo loquitur, quia sicut aliqua arbor in humido loco plantata, in apto tempore et florescit et fructificat, similiter Christus. Ipse namque plantatus, id est in conceptione sine motu libidinis per Spiritum sanctum sanctificatus, stabilis contra omnem impetum diabolicæ tentationis permansit. « Secus decursus aquarum, » id est, secus B decurrentes aquas. Per aquas Spiritum sanctum intelligimus. Unde et alibi dicitur : « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, » hoc autem dixit : « De se, scilicet, quem accepturi essent credentes in eum (*Joan.* VII). » Ideo autem Spiritus sanctus per aquam significatur, quia sicut per aquam terra solidatur et facit fructum, sic per Spiritum sanctum dissoluti colli consolidantur vinculo dilectionis et fidei, et faciunt fructum bonæ operationis : et sicut aqua exstinguit sitim, sic Spiritus sanctus ardorem peccati. Decurrentes dicit, quia nullum obstaculum Spiritui sancto resistere potest. Unde dicitur : « Nemo poterat resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur (*Act.* VI). » « Secus, dicit, quia natura humanitatis non fuit versa in natu- C ram divinitatis, sed juxta, id est, conjuncta fuit : vel per decurrentes aquas, populos defluentes ; unde Joannis in Apocalypsi dicit : « Aquæ multæ sunt populi multi. » Secus populos Christum fuisse dicit, quia non peccatricem carnem, sed peccati similem habuit. « Quod lignum dabit fructum suum, » id est, fructificabit in tempore suo, sic et Christus dedit fructum suum, scilicet reparationem humani generis. « In tempore suo, » id est, in convenienti : quia in passione redimendo animas de potestate diaboli, in resurrectione spem dedit nobis resurgendi, in ascensione cœlestes nobis aditus patefecit, et ita Christus in lignum vitæ nobis datus fuit. Aufert enim Christus a nobis per sui corporis usum, et imitationem justitiæ, mortem æternam et senium, quod li- D gnum vitæ faciebat, ut supra diximus.

« Et folium ejus, » id est, sermo ipsius, nullo casu a veritate defluet, id est decidet. Sic etenim Dominus ait : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transient (*Matth.* XXIV). » Sermo significatur per folium, quia sicut folium protegit et decorat fructum, sic verba Christi dona decorant et protegunt. In nullo enim gratia data in baptismate servari posset, nisi doctrina Evangelii postmodum conservaret. Hæc promissa nobis erunt ad utilitatem. « Et omnia quæcunque faciet » ipse Christus, etiam ignominiæ quas sustinuit « prosperabuntur, » id est, nobis prospera inveniuntur, ut flagella quæ sunt nobis exemplum humilitatis et patientiæ.

« Non sic impii, non sic. » Postquam nos ad conformitatem Christi per ejus bonitatem invitavit, ad eamdem per ejus adversariorum terrorem advocat. Continuatio : Christus talis fuit, impii autem non sic immunes a peccato, non sic pleni justitia, non sic utiles, et sic usque in infinitum, quod nobis per geminatum adverbium significatur. « Non sic dico, sed tanquam pulvis, » id est infructuosi, et nullo charitatis vinculo colligati « quem projicit ventus, » id est diabolica tentatio, « a facie terræ » a soliditate Ecclesiæ. Ecclesia vocatur terra propter soliditatem et fructificationem, quia facies terræ non dicitur ubi pulvis, sed ubi terra solida est.

« Ideo » scilicet quia pulvis sunt, remoti a facie terræ « impii ideo non resurgunt, » id est, non habent resurgere : et quia omnes non resurgunt tam boni quam mali, determinat « in judicio, » id est, non ita resurgent ut judicentur, vel ut judicent. Impii enim, id est infideles, ut Judæi et gentiles, et etiam illi qui ab hac vita divelluntur, ab Ecclesia expulsi, non in secunda resurrectione judicabuntur, quia hic jam judicati sunt, ut Apostolus ait : « Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt (*Rom.* II). » Illi vero qui in Ecclesia existentes a præsenti vita recedunt, de quorum operibus an bona an mala sint, incertum est, judicabuntur, quidam ad vitam, quidam ad mortem. Illi vero de quorum sanctitate in Ecclesia certum est, non judicabuntur : quia jam in hac vita ad vitam ab Ecclesia ducti, judicati sunt : se judicabunt, non tamen omnes, sed illi qui apostolorum vicem obtinent, ut episcopi et hujusmodi. Judicabunt autem, quia comparatione sui ostendunt alios damnabiles esse : quia cum ejusdem naturæ sint justi et impii, non impii vitam Christi sunt imitati, sicut justi. Impii quidem non resurgent, neque peccatores, id est Christiani occulte peccantes, resurgent, ita quod sint in consilio justorum, id est in judicio cum justis, a quibus quidquid fit, cum consilio et ratione fit. Vel quia in Hebræo in congregatione habetur, in concilio a quibusdam legitur, scilicet non erunt peccatores in consortio justorum. Vel potest idem versus legi de prima resurrectione animæ per pœnitentiam, ut dicamus : Impii non resurgent in judicio, id est in discretione boni et mali, sic scilicet ut bono devitato bonum faciant : neque peccatores, ita ut sint in numero justorum. Hoc quidem dictum est de induratis.

« Quoniam novit Dominus. » Ideo impii et peccatores non resurgent, quoniam non novit Dominus iter eorum, et hujus antecedentis consequens ponit : « Et iter impiorum peribit » iter, id est mala opera eorum ducent eos in damnationem, et hujus rei præmissa est probatio per contrarium, ubi dicitur, « quoniam novit Dominus, » id est, approbat justos et viam justorum.

IN PSALMUM II.

TITULUS : *Psalmus David* (etsi apud Hebræos huic psalmo nullus præfigatur titulus).

« Quare fremuerunt gentes. » Psalmus David, id

est, tractatus iste qui vocatur psalmus, quia sicut ex operatione manuum motis chordis, in psalterio redditur dulcis melodia, quæ vocatur psalmus, ita iste tractatus movet nos ad operationes, in quibus Deo fit dulcis melodia. « Attribuitur David, » id est, agit de Christo, qui Christus significatur per David, quia David interpretatur visu desiderabilis, sive manu-fortis. Quis enim fortior est Christo, qui aerias potestates devicit? Ipsum etiam videre omnes priores patres desideraverunt, ut Simeon : dicebat enim in orationibus suis. Quando veniet? quando videbo? Cujus visum desiderant adhuc etiam omnes sancti. In hoc psalmo Christus rex, est materia, de quo tractat hoc modo : ostendit omnes qui contra regnum ipsius aliquid machinati sunt nihil proficere, sed potius sibi ipsis nocere. Deinde ostendit eum potentem regem Judæorum et gentium. Intentio vero est, admonere, ut Christo regi cum timore et tremore serviamus. Quæ notat in fine psalmi, ubi dicit : Servite Domino in timore.

« Quare fremuerunt gentes. » Petrus loquens in Actibus apostolorum, hunc psalmum dicit primum esse. Domine, reges congregati sunt contra filium tuum, sicut David dicit in priori psalmo. De illis incipit qui contra Christum machinati sunt. Hic Dominus interrogatione loquitur, non propter inquisitionem, sed propter redargutionem, dicens : Quare, id est, qua causa fremuerunt gentes? Per fremuerunt notat eos bestiales esse, quia fremere bestiarum est. Fremitus fuit, ubi dictum est : Tolle, tolle, crucifige eum. Per gentes, milites Romanos intelligit, qui ideo gentes dicuntur, quia sicut sunt geniti, ita remanent, scilicet, sine lege, et sine omni constitutione justitiæ, « et populi, » scilicet Judæi, qui ideo vocantur populi, quia sunt congregati ad jure vivendum per legem. « Meditati sunt inania, » scilicet, Christum non esse Messiam, vel se eum retinere posse in sepulcro.

« Astiterunt reges. » Non tantum meditati sunt populi contra Dominum, sed et reges astiterunt, id est, contra Christum steterunt, id est, perseveraverunt male operando contra eum. Reges accipit, primum Herodem, qui pueros occidendo Christum persequebatur; et secundum Herodem nepotem primi, cujus assensu Dominus occisus est. « Reges » dico « terræ, » id est terreni. « Et principes, » id est Pilatus, Annas et Caiphas, et alii principes convenerunt in unum, et si non omnes, tamen omnes voluntate, « adversus Dominum » Patrem, quia adversus Christum ejus. Quicunque enim missum persequitur, et mittentem. Hic vero Christus de seipso quasi de tertia loquitur.

« Disrumpamus. » Convenerunt dico, dicentes : « disrumpamus vincula eorum, » id est, Dei Patris et Christi, vel Christi et discipulorum. Vincula, prædicationem Christi nominat, et miracula et promissiones, quibus ad fidem Christianam homines vinciuntur, et sic spretis vinculis illis « projiciamus a nobis jugum ipsorum, » id est, Dominum ipsorum.

« Qui habitat in cœlis. » Confremuerunt, astiterunt, sed ille qui habitat in cœlis, scilicet; vel in cœlis materialiter, vel in sanctis, in quibus ideo Deus habitare dicitur, quia nullam in eis habet offensionem « irridebit eos, » id est, irrisione dignos reddet eos, quia apparebunt contra regnum Dei nihil potentes facere. « Et Dominus subsannabit eos, » id est, ignominiosos reddet : unde etiam in universo orbe hodie opprobrio sunt. Sanna est irrisio facta per nasum.

« Tunc. » Hæc irrisio et subsannatio fuit in hoc sæculo : sed tunc, id est, præterea, vel in alia vita « loquetur » vel per vocem ministri, vel per propriam, non placabilis, sed « in ira » non quod in Deo ira vel mutatio aliqua possit esse, sed a similitudine alicujus irati qui pœnam infert hoc dicitur. Erit enim hæc vox in judicio : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* xxv). » Vel, si etiam nulla vox esset in judicio, tamen ipsa rei evidentia quasi iratus Dominus loqui videtur. Per iram vindictam accipit : sed quia per iram brevis vindicta intelligitur, subdit : « Et conturbabit eos in furore « suo, » id est, continua vindicta.

Hactenus ostendit eos inefficaces et ignominiosos, qui contra regnum Christi laboraverunt, modo vero ostendit eum potentem regem Judæorum et Gentium, et loquitur in sua propria persona sic : illi conturbantur, « ego autem constitutus sum rex, » id est, ab eo Deo firmiter stabilitus. Regem vocat eum, quia perfecte regit suos super Sion. Sion interpretatur speculatio, per quam universa ecclesia potest accipi, quia semper est in speculatione vitæ æternæ, et providentia, præcavendo ab hostibus. Sed tamen hic per Sion, ecclesiam tantum Judæorum accipimus : quia Sion caput erat regni Judæorum, quam ecclesiam propter stabilitatem et virtutum eminentiam montem sanctum appellat. « Ejus, » scilicet Dei. « Prædicans » in illa ecclesia « præceptum, » id est legem ejus.

Et non tantum constituit me regem super Judæos, sed et super gentes : quod habemus ubi dicit : « dabo tibi gentes; » et ad hoc confirmandum, præmittit auctoritatem ipsius Domini promittentis, cum dicit : « Dominus Deus dixit. » Quod dicere appareret in ipsa rei expletione, « ad me » præmissa probatione regni, ex auctoritate ipsius promittentis, ostendit causam, quare Deus ei gentes subjiceret, scilicet, quia filius ejus est. Et hoc dicit : « Filius meus es tu, ego hodie, » id est æternaliter « genui te. » Ideo per hodie æternitatem intelligi voluit, quia nullam vocem convenientem habuit, per quam præsentiam designaret, quæ nunquam ab æternitate discedit. Melius genui dicit quam gigno, ne illa ineffabilis generatio noviter incepta videretur. Ideo conjungit præteritum, ut per hoc innuat nobis illam generationem et esse, et fuisse. Unde dicitur : « Generationem ejus quis enarrabit? » (*Isa.* LIII.)

Et quia filius meus es tu, ideo « postula a me, » id est assume humanitatem, in qua valeas postulare

Secundum divinitatem non poterat postulare, secundum quam æqualis Patri erat. « Postula » dico, « et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, » id est, quibus domineris, et quas excolas. Ille enim qui alicujus reí hæres est, ei magis quam alii dominatur, et eam excolit. Et non quaslibet gentes dabo tibi, ut Græcos vel alios, sed etiam « terminos terræ, » id est, gentes quæ in extremis mundi partibus habitant, dabo tibi « possessionem, » id est, ita ut in æternum possideas.

Juste debeo tibi gentes subjicere, quia tu « reges eos in virga ferrea, » id est, inflexibili disciplina, et eos qui non recipient disciplinam, « confringes, » id est punies, quosdam ad correctionem, quosdam ad damnationem. « Tanquam vas figuli » leviter confringuntur : per hoc simile notat eos esse luteos quos confringet Dominus.

Verba patris adhuc. Etiam talem regem constitui. « Et nunc, » id est, ostenso eo tali. « Et vos reges, » id est, terrenitatem vestram bene regentes « intelligite » quantus sit « et vos qui judicatis terram, » id est, prælati Ecclesiæ qui judicium habetis super alios « erudimini, » id est extra rudes sitis, ut prudenter sciatis judicare de subditis.

« Et servite Domino in timore, » et ne videretur austerum regnum ejus, de quo legitur : « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* 11), » ideo subdit : « et exsultate ei. » Et ne exsultatio et suavitas ejus regni negligentiam generaret, addit « cum tremore » subde corporis. Et in hoc versu in quo admonemur de servitio Dei, aperte notatur intentio psalmi. Et ut possitis servire « apprehendite, » id est, etiam si Dominus non daret, appetite « disciplinam, » id est, quamcunque Domini correctionem, quia Apostolus dicit : « Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri et non filii estis (*Hebr.* XII). » Apprehendite dico « ne quando » id est, in die judicii, licet modo parcat « irascatur Dominus, » id est, effectum irati ostendat in vobis, et sic « pereatis » remoti « de via justa, » id est, de operibus justorum.

« Apprehendite » dico, « ne pereatis, » et etiam ut beati sitis. Beati enim omnes erunt qui confidunt, id est, qui spem habent ex pura conscientia in eo. Tunc quidem beati erunt, « cum ira, » id est, vindicta ejus « exarserit, » scilicet, sicut ignis durante materia non deficit, ita vindicta Christi illis durantibus non deficiet, quantum est « in brevi, » tempus enim breve est. Vel « in brevi » quoniam imminente te judicio, subita pœna impiis infertur. Potest etiam in voce prophetiæ legi, et inducens Christum ubi dicit : « Ego autem constitutus sum : » sic junge : « Convenerunt adversus Christum ejus, » sic dicentem : Illi conturbabuntur, « ego autem constitutus sum, » etc. Loquitur etiam propheta ubi dicit : « Et nunc reges intelligite. » Et sic junge : Christus talis rex est, « et nunc vos reges intelligite. »

IN PSALMUM III.

TITULUS. *Psalmus David cum fugeret a facie Absalon filii sui.*

« Domine, quid multiplicati sunt. » Tangit historiam quam David ab Absalon sustinuit. Dubitavit enim Absalon patre vivente, cui filiorum regnum vellet dimittere, regnumque sibi immoderate cupiens, multos de populo callida pollicitatione corrupit et tandem per occupationem in regem constitui fecit. David vero sciens illam occupationem non esse factam per Dei voluntatem, et sciens hoc flagellum a deo sibi datum pro peccato adulterii et homicidii, pro quo peccato divinitus ei dictum erat : « Non deficiet gladius a domo David (*II Reg.* XII) : » patienter filii persecutionem sustinens, nudisque pedibus cum quibusdam suorum civitatem deferens, filii præsentiam aufugit. Cumque illi abeunti quidam maledicerent, et jactu lapidum insultarent, illum virum sanguinum appellantes, suos vicem reddere non permisit, sed patienter persecutionem sustinuit, dicens : Flagellis Dei non debere nec posse resisti. Joab vero contra, patientiam David non attendens, cum Absalon cum exercitu persequeretur, eum ab arbore pendentem per capillos, occidit. Fugiens enim Absalon super mulam involutis capillis circa ramum (intonsus enim erat) suspensus respondit. Per istam vero persecutionem David istum psalmum composuit, in quo Spiritu sancto imbutus, per suam Christi patientiam respondit, Pœnam luit; per filii vero Judæ nequitiam præmonstravit. Per David namque Christus significatur, cum in hoc psalmo patientia demonstratur : per Absalon vero Judas intelligitur, qui filius Christi, quia discipulus ejus, dicitur. Absalon quippe pax patris interpretatur : non quia cum patre pacem haberet, sed quia cum eo pacem habuit pater. Sic et Judas pacem cum Christo non habuit, quamvis Christus et cum omnibus aliis et cum eo pacem teneret. Sicut autem Absalon per seipsum suspensus est, ita et Judas. Titulus autem sic exponitur : Psalmus iste attribuitur David, id est, Christo, agens de quodam negotio ipsius, habito cum fugeret a facie Absalon, id est, ab interiori facie Judæ, non localiter, sed cognitione. Antequam enim Judas voluntatem traditionis haberet, licet simulate, Domino quamdam obedientiam exhibebat, et etiam miracula faciebat : sed postquam in cor ejus, ut Dominum traderet, diabolus intravit, Dominus ab ejus corde recessit, a corde Judæ dico prius filii sui. Materia vero in hoc psalmo est Christus, de quo agit hoc modo : Tangit de passione et glorificatione : et non exponit per partes passionem, sicut in quibusdam aliis psalmis facit. Intentio vero est, nos ad patientiam per ipsius Christi exemplum invitare, ut non quascunque injurias timeamus : unde et Apostolus : « Si compatimur, et conregnabimus (*Rom.* VIII). » Hæc intentio notatur in hoc psalmo, ubi dicit : Non timebo millia populi, vox Christi. Et incipit a passione, sic dicens patri sub quadam admiratione.

« Domine Deus » quid, id est, propter « quid multiplicati sunt? » ita etiam ut filius meus, scilicet Judas, sit cum his « qui tribulant me. » Non ideo admirando loquitur, quod ipse admiretur, sed ut nobis admirandum esse ostendat, quod illi medicum salutis eorum innocentem in omnibus quasi nocentem persequebantur. « Multi insurgunt adversum me, » id est potestatem sumunt contra me. Possent enim tribulare, nec tamen potestatem super eum curarent insumere.

« Multi insurgunt, et multi dicunt » sive cogitatione, sive voce, sive opere « animæ meæ, » id est vitæ meæ « non est salus, » id est non est liberatio corporalis « ipsi » id est Christo, qui se jactabat filium Dei, « in Deo ejus. » Non quod ipsi putarent eum habere Deum, sed in eo quem sibi faciebant Deum. Unde dicebant ei insultantes : « Si Filius Dei est, liberet eum nunc si vult (*Matth.* xxvi). » Vel multi dicunt insultantes « animæ meæ. »

« Tu autem domine susceptor meus est » id est, suscepisti meam humanitatem in patrocinio, te illi uniens conceptione. Hic per hoc simile loquitur : quod sicut aliquis potens tutator et actor suscipit aliquem pupillum, vel quemcunque debilem ad tutandum, sic deitas suscepit humanitatem, quam ab omni peccato custodivit immunem « tu » dico « gloria mea, » id est causa gloriosæ resurrectionis meæ. « Et exaltans caput meum » id est altitudinem meam, scilicet me altum, id est, immunem prius ab omni peccato super omnem creaturam. Iste versus agit de glorificatione. Ponit quoddam meritum ipsius, per quod cum tanta exaltatione dignum ostendit. Continuatio : Merito exaltasti me, quia « clamavi ad Dominum » aliquando clamore exteriori. Unde Apostolus offerens Deo preces et supplicationes cum clamore valido et lacrymis, interiori clamore ad Dominum semper clamavit. Clamor enim est in remissa devotionis intentione ad Deum intendere. « Clamavi » propria « voce mea » qui multoties per prophetarum voces clamaveram. Clamavi quidem « de monte sancto suo, » id est de mea imminentia virtutum, sanctificata ab ipso : et quia in sanctitate clamavi, juste « exaudivit ». Exauditio est, petitionis impetratio. Vel potest « de monte sancto suo » referri ad exauditorem, sic « : Exaudivit me » Deus « de monte sancto suo, » id est de eminenti potentia suæ divinitatis, ita ut me participem ejus potentiæ faceret : sicut aliquis diceret : Rex de thesauris suis exaudivit me, id est participem fecit.

« Exaudivit, » et necesse fuit, quia « ego dormivi, » id est, omnes injurias in tempore passionis meæ quasi dormiens sustinui. Sicut enim dormiens, licet habeat rationem, potentiam, fortitudinem, et cætera, ea non exercet, et a somno cito excitatur, ita Christus in tempore passionis suæ, nullam potentiam ostendit, quam tamen prius miracula faciendo monstraverat, ut in Lazaro et cæteris, et cito excitatus est cum resurgeret, « et soporatus sum, » id est requievi jacens in sepulcro ab omni tumultu. Inter dormitionem et soporem hoc interest, quod in sopore A maxima dulcedo et tranquillitas est. Ostensa necessitate exauditionis, ponit ipsam exauditionem. Continuatio : « Ego dormivi et exsurrexi, » id est extra legem omnium mortuorum surrexi, principes regum terræ. Ideo « exsurrexi, quia Dominus suscepit me, » id est, junctus est meæ humanitati. Nisi enim deitas humanitati conjuncta esset, humanitas more aliorum hominum mortua remaneret.

Quia « exsurrexi, » jam « non timebo » in meis : quia licet sui timeant, tamen in hoc non sunt sui. Unde dicitur : « Charitas foras mittit timorem (*Rom.* xiii). » « Millia populi » scilicet, quotcunque etiam sint, qui tamen timendi viderentur, quia circumdant me in meis, et hoc est circumdantis me. Christus enim impassibilis et immortalis factus, jam in se timere B non poterat : qui autem persequuntur fideles, non ipsos, sed Christum in ipsis persequuntur. Ubi dicit « non timebo, » notat intentionem, scilicet ut patienter omnia sustineamus, et ut non timeamus.

« Tu, Domine, exsurge, » id est confer gratiam auxiliatricem. Dominus enim tunc dicitur jacere, quando subtracta gratia, suos alicui tentationi permittit cedere : tunc vero dicitur exsurgere, quando suos omnem tentationem facit exsuperare quod inde intelligitur, quod Christo in navi dormiente, sui periclitabantur : eo surgente, cessavit quassatio. « Exsurge » dico, et « salvum me fac » et meos, « Deus meus. » Et constat quod facies, et hoc ostendit in contrario dicens :

C « Quoniam tu percussisti omnes » scilicet interiori et exteriori damnatione « adversantes mihi » quia « sine causa » adversabantur : et non tantum adversantes in factis, sed et « dentes peccatorum, » id est corrosiones et detractiones eorum « contrivisti, » id est conteres ostendendo inutiles et damnabiles. Unde alibi : « Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo inter filios Dei reputantur (*Sap.* v). » Quod autem per præteritum rem futuram annuntiat, non secundum se loquitur, sed ut raptus ad consilium Dei, in quo omnia futura sunt ita certa, sicut nobis ea quæ sunt præterita. Insultat hic impiis, quia peccatores « contrivisti. » Inde patiens est quia solius « Domini est salus, » id est dare omnimodam salutem in hac vita. « Et super populum tuum » erit « benedictio tua, » D id est beatitudo sempiterna. « Super, » ideo dicit, quia supra meritum exaltabuntur, juxta Apostolum : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* viii).

IN PSALMUM IV.

TITULUS. *In finem psalmus cantici David.*

« Cum invocarem exaudivit me. » Tractatus iste agit de bona operatione, ubi dicit : « Sacrificate sacrificium justitiæ » : juxta quam partem vocatur psalmus. Agit etiam de cantico, id est de exsultatione, scilicet de æterna beatitudine, ubi dicit : « Quis ostendet nobis bona? » etc. Et hic determinatius quam in aliquo præcedentium psalmorum : quia hic proposita

quorumdam dubitatione, ostendit nobis certitudinem vitæ æternæ, ubi dicit : « Signatum est super nos : » et, « in pace in idipsum. » Et quia de illo bono nobis exsultandum est, unde hic psalmus dignius agit, ideo canticum vocatur : et quia illa exsultatio, scilicet æternæ vitæ, est nobis causa bonæ operationis, ideo vocatur psalmus cantici. Quod autem sic dicitur, psalmus cantici, tractum est ex modulatione, ubi viva vox præcedebat, et harmonia sequebatur. Psalmus iste attribuitur David, quia hic loquitur David propheta, vel quæcunque fidelis anima, quæ significatur per David, id est ecclesia, quia ecclesia ipsa manufortis in devincendas diabolicas tentationes : et visu desiderabilis, propter pulchritudinem sanctitatis, ad cujus perfectionem multi de pectore compuncti pervenire desiderant : juxta quod dicitur : Deprecabuntur omnes divites plebis. Psalmus dico tendens in finem, id est in Christum, scilicet proponens nobis exemplum. Cum vero finis duobus dicatur modis, scilicet consumptio, sicut consumptio ligni est per ignem : et consummatio, id est cujuslibet rei completio : Christus nunquam dicitur consumptio, sed consummatio : in eo enim omnia quæ Deus per prophetas promiserat completa sunt. Unde Apostolus : « Christus finis est legis ad justitiam omni credenti (*Rom.* x). » Vel per finem, tempus gratiæ potest accipi, quod ideo finis temporum dicitur, quod in eo omnia promissa Dei completa sunt, unde Apostolus : « Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x). » Materia vero in hoc psalmo est justitia, de hac autem materia agit hoc modo, increpando idololatras et dilectores mundi, ubi dicit : « Usquequo gravi corde ? » Admonendo etiam ad justitiam, ubi dicit : « Sacrificate sacrificium justitiæ, » etc. Faciendo egregias promissiones, promittens Christum vocando eum sanctum sanctorum, ubi dicit : sanctum suum, quo mediante exaudientur orationes sanctorum, ostendit etiam certitudinem æterni boni, quæ est finis cæterarum promissionum. Intentio vero est nos admonere, propter quam habendam fiunt et increpationes et promissiones. Hæc intentio notatur ubi dicit : « Sacrificate sacrificium justitiæ. » Increpationes et admonitiones separatim ponit, promissiones vero commixtim. Et a promissione sic incipit : Nolite idola colere, et mundana diligere, sed adhærete justitiæ, et preces vestræ exaudientur, quod Deus vobis in exemplo mei promittit : quia « cum invocarem, » id est, cum Deum ut in me inhabitaret invocarem, « exaudivit me Deus » dator justitiæ : non quidem perfecte, sed « meæ, » id est, qualem potest habere mea fragilitas. Dicendo, « cum invocarem exaudivit, » notat simul esse vocationem et exauditionem : cum dicit, « exaudivit me Deus justitiæ; » ostendit a Deo nullum exaudiri, nisi aliquam justitiam habeat. Ponit in quo exaudierit, dicens : « in tribulatione dilatasti mihi, » id est multiplicasti. Cum enim tribulatio soleat afferre angustias, ut dolere de tribulatione, odio tribulantem habere, veritatem etiam tacere, etc., amplificasti cor meum, ut etiam inimicum diligerem, et de tribulatione gauderem, etc. Cum prius de tertia persona diceret, exaudivit, ex nimia familiaritate convertit se ad secundam, cum dicit, dilatasti mihi.

« Dilatasti, » et adhuc « miserere mei, » id est remove a me miserias hujus mundi, ut nullis subjaceam tentationibus « et exaudi orationem meam, » id est pone in me augmentum virtutum, confirmationem eorum bonorum quæ in me sunt. Postquam dixit « exaudivit, » superfluo videtur apponere, « miserere et exaudi : » sed conveniens fuit apponere, quia post exauditionem restant miseriæ, et ideo necessaria conservatio et bonorum augmentatio.

Post exauditionem ponit increpationem. Continuatio : « Me, » quia justus eram « exaudivit Dominus : » et ideo vos « filii hominum usquequo, » id est quandiu eritis « gravi corde, » id est quandiu gravabit vos voluntas idololatriæ vel appetitionis terrenorum ? Homo duobus modis in divina pagina accipitur, vel secundum carnalitatem, vel secundum terrenitatem, utroque modo sic legitur, « filii hominum, » id est, filii carnalium, quandiu similes illis eritis ? vel « filii hominum, » id est rationabilium, quare non imitamini rationem ? Ostendit eos peccare voluntate : ostendit etiam peccare delectatione, cum dicit : « Ut quid diligitis vanitatem ? » Et etiam in actu, cum dicit : « Et quæritis mendacium, » id est idola : vana sunt, quia dii non sunt : mendacia sunt, quia per ea homines exspectant vitam, quam dare non possunt. Item mundana vana sunt, quia cum bona ab appetitoribus putentur, bona non sunt. Item multum laborant, ut obtineant ea quæ diligunt, scilicet mundana, quæ tamen mendacia sunt : quia sufficientiam et beatitudinem promittunt, quam dare non possunt.

« Scitote » quoniam hæc mendacia sunt : et hæc « scitote, quoniam Dominus mirificavit, » id est mirabilem fecit « sanctum suum, » id est Christum, qui dicitur sanctus sanctorum, quo mediante « exaudiet me Dominus cum clamavero ad eum » habendum.

Et item in hoc versu ponit promissionem nobis ? Nolite quærere mendacium, sed potius « irascimini » peccatis vestris præteritis, « et » postmodum « nolite peccare. » Vel ita : Nolite mendacium quærere, sed « irascimini. » Quod quia naturale est, non possum prohibere vobis, patior, « et » tamen « nolite peccare, » id est illam iram ad actum perducere. Et de his « quæ dicitis, » id est cogitatis, « in cordibus vestris, » id est in cogitationibus vestris « compungimini » et de his « quæ dicitis in cubilibus vestris, » id est in quibus alicui delectationi carnis consentitis. Cubile est lectus ferarum ubi feræ volutantur. Eodem modo corpus nostrum dicitur cubile animæ, secundum hoc quod stulta anima nostra delectationibus consentit : et in hoc versu notamus admonitionem : « Nolite peccare. »

Et quia non sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est, addidit : sed potius « sacrificate sacrificium justitiæ, » id est justitiam quæ dicitur sacrificium, id est, placens Deo tanquam sacrificium.

Hanc non facite ad favorem hominum sicut hypocritæ, sed sacrificate eam, scilicet ut placeat Deo. « Et » ita « sperate in Domino, » id est certi sitis de futuro bono, de quo multi dubitantes, et adhuc carnaliter sapientes dicunt nobis : Vos prædicatis nobis illa bona, sed quis ostendit nobis ea bona ? scilicet, quis inde veniens renuntiavit nobis, quæ essent illa bona.

Ipsi dubitant, sed nos certitudinem inde scimus, quia « signatum est super nos, » id est in superiore nostra parte, id est in ratione, scilicet in anima est impressum signum hoc, scilicet « lumen vultus tui, » id est crux, quæ ideo lux dicitur, quia est causa per quam irradiat vultus Dei, id est voluntas Dei in anima nostra. In ea anima est signum crucis, quæ omni desiderio carnali mortua est. Unde Paulus : « Per quem mihi mundus crucifixus, et ego mundo (*Gal.* VI). » Quanto magis autem homo se retrahit a desideriis carnis, tanto proficit magis in cognitionem Dei. Per hoc sumus certi quod « signatum est, » et etiam per hoc, quia tu « Domine dedisti lætitiam » de illo futuro bono, per puram conscientiam « in corde meo, » id est diverso a cordibus impiorum, de quibus dicitur : « Impiis non est gaudere dicit Dominus. » Vel aliter : « Lumen vultus tui, » id est illuminosus vultus tuus, scilicet sapientia tua, quæ est viva imago totius tuæ voluntatis : illud lumen « signatum est super nos, » id est, in anima nostra, ut per sapientiam, id est, per filium tuum inhabitantem in nobis ratio nostra illuminata, certos nos faciat de æterno bono : quiaillud « lumen est super nos, » ideo « dedisti lætitiam in corde meo. »

« In corde meo » est lætitia, at illi « sunt multiplicati, » id est multipliciter divisi, secundum appetitum bonorum temporalium : et hoc est « a fructu frumenti vini et olei sui. » « Sui, » dicit ad differentiam nostri : frumentum enim nostrum, est panis qui de cœlo descendit : vinum nostrum, calix inebrians : oleum nostrum, gratia sancti Spiritus, de qua dicitur : « Impinguasti in oleo caput meum (*Psal.* XXII). » Fructus hic improprie dicitur, quia illum solum fructum dicimus, quo per se solo fruimur.

Ipsi « multiplicati sunt, sed ego « dormiam in pace » in hac vita : tendente « in idipsum, » id est in identitatem : id est, ad veram pacem, de qua dicitur : « Pacem meam do vobis : » et tandem in illa vera pace « requiescam. » « Dormiam » dicit per simile : quia sicut dormiens non sentit aliqua exteriora, ita aliquis fidelis non excitatur a tranquillitate mentis per curas mundanas.

« Requiescam in pace, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me, » id est, in singulari spe, scilicet habita de te solo, quia nihil nisi te solum desidero. Vel singulariter, id est, diverso modo, « a multiplicatis, » id est amatoribus terrenorum.

IN PSALMUM V.

TITULUS : *In finem pro ea quæ hæreditatem consequitur.*

« Verba mea. » Iste psalmus agit pro ea, scilicet ad honorem illius Ecclesiæ, quæ consequitur jam in præsenti, et amplius in futuro hæreditatem, id est, Deum qui pascit et sustentat nos. Hic tangit historiam de libera et ancilla, scilicet de Sara, quæ hæreditatem obtinuit cum filio : et Agar quæ cum filio ejecta est (*Gen.* XVI). Libera namque novam legem significat : filius vero ejus Isaac, populum Christianum designat. Ancilla veterem legem : filius ejus Ismael infidelium gregem. Psalmus dico tendens in finem, id est, dirigens unumquemque fidelem in Christum. Materia est Ecclesia, et hæc loquitur. De hac autem sic agit : Describit eam petentem hæreditatem, affirmat habituram : ostendit æmulam excludendam, petit et liberari ab æmula : ostendit etiam quod æmula, scilicet ancilla, persequitur liberam, modum quoque beatitudinis ponit. Intentio est, dare nobis certitudinem æterni boni, et per hæc omnia ad Christum nos admonet, et a petitione hæreditatis sic incipit : « Verba mea, » id est vocales orationes « percipe, » id est comple quod peto « Domine : » quod dicit « auribus, » per simile loquitur : aures enim in Deo nihil aliud est, quam clementia et potentia. Per potentiam perficit, per clementiam Deus audit. « Clamorem meum, » id est, affectum cordis intellige : quod clamor in corde esse intelligitur. Apostolus testatur dicens : « Misit Deus spiritum filii sui in corda nostra clamantia, abba Pater (*Gal.* IV). » Et quia peto, voce et affectu intende, id est, intentum te præbe, scilicet magis solito intende « voci orationis meæ, » id est voci procedenti ex affectione cordis. Hæc trina petitio ad idem tendit, scilicet ut Deus illam orationem exaudiat. Sicut trinam petitionem facit, ita ad exauditus rem [Exauditorem] trinitatem ponit, percipe, intellige, intende. « Rex meus, » id est, Christe, qui ideo rex diceris, quia tuos in justitia regis « et Deus meus, » id est creator, et hoc ad Patrem refertur. Ideo autem Christus primus ponitur, quia eo mediante ad Patrem venitur « et tu, Domine » scilicet spiritus sanctus, « percipe, » etc.

« Quoniam orabo ad te, Domine. » Hæc est causa quare debeat intendere, quia perseverat in oratione, quod est « orabo. » Tribus personis positis, non dicit intendite, sed intende, quia sancta Ecclesia unitatem intelligit in trinitate. « Mane. » Ego sic clamabo, et tu « exaudies vocem meam, » et interiorem et exteriorem : « mane, » id est, in principio meæ conversionis : dum enim homo in peccatis est, in nocte est, cum vero a peccatis surgit, in mane est, id est in principio lucis est. Mane a græco sumptum est, et nihil aliud sonat, nisi lux : unde dicitur septimana, id est, septem luces : et per hoc quod dicit « mane, » id est, in principio conversionis exaudiri, notat propitiationem exauditoris. Et ideo exaudies quia « mane astabo tibi, » id est, talia opera faciam, per quæ sim dignus stare in conspectu tuo, « et videbo » sci-

licet Deum : ostendit quod talis videat Deum : ponendo oppositum, sic dicens « quia tu es Deus, » et ideo « non volens iniquitatem. » Ita « astabo et videbo, » hoc scilicet, « quoniam tu es Deus, » etc. Et quia non vis « iniquitatem, » ideo « malignus » scilicet ille qui malevolus est erga proximum, « non habitabit juxta te : » licet enim ubique sit Deus, non tamen malignus dicitur esse juxta eum. Juxta Deum enim esse, est bonis ipsius perfrui : longe vero esse, non frui. « Neque injusti, » id est actualiter peccantes « permanebunt ante oculos tuos » quia licet omnis caro videat Deum in judicio, tamen non omnes, sed soli justi permanebunt, in contemplatione Dei.

« Quoniam orabo ad te » solum habendum. Non « permanebunt, » quia tu « odisti omnes qui operantur iniquitatem. » Per hoc quod dicit, « qui operantur, » et non operati sunt, ostendit eos qui peccaverunt non esse damnandos, nisi eos qui in voluntate peccante permanebunt. « Perdes omnes qui loquuntur mendacium, » scilicet qui perseverant in mendacio. « Perdes omnes qui loquuntur mendacium » quia hoc est veritati contrarium. Veritas est de eo quod est : mendacium non est substantia vel natura, sed de eo quod non est : et merito perditur qui declinat ab eo quod est ad id quod non est. Mentiri, est contra hoc quod quis animo sentit loqui. Augustinus : Sunt mendacia quædam pro salute vel pro commodo alicujus non malitia, sed benignitate : ut obstetrices quæ dixerunt pro filiis Hebræorum falsum Pharaoni. Hæc autem mendacia non re, sed in dolo laudantur : quia qui sic mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari. Est etiam mendacium joco, quod non fallit : scit enim cui dicitur, causa joci dici : et hæc duo genera non sunt sine culpa, sed, non cum magna. Perfectis autem non convenit mentiri, nec pro temporali vita, cujus morte sua vel alterius non occiditur anima : licet autem eis si non falsum dicere, verum tacere : ut si quis hominem non vult ad mortem perdere, verum taceat, sed non falsum dicat, nec pro corpore alterius animam suam occidat, non est culpa verum tacere, ut Dominus : « Multa habeo vobis dicere (*Joan.* XVI). » Illud autem ubi non est duplex cor, non debet dici mendacium, ut si quis commodet gladium, et promittat se poscenti redditurum : si furens poscit, non debeo reddere, ut se vel alium occidat. Ideo hic non est duplex cor : quia cum promisi reddere non cognovi furentem postea repetiturum. Vel accipiamus mendacium de hæresi, ut est negare Christum esse Deum, negare partum virginis : et pro hujusmodi mendaciis aggravat dicens, « perdes. »

Quod dixit « odisti operantes iniquitatem » ostendit per partes, dicens : Vere « odisti operantes iniquitatem, » quia « virum sanguinum, » id est, homicidam « et dolosum, » id est qui dolo viventem occidit scilicet vel mala persuasione, vel suorum bonorum ablatione, « abominabitur, » id est, ab omni bono omine removet : vel « abominabitur, » id est, a consortio rationalium removebit Dominus.

Ex quo dixit, « non Deus volens iniquitatem tu es, » notavit exclusionem æmulæ, dehinc notabit se habituram hæreditatem. Isti excludentur « ego autem, » id est, Ecclesia « introibo in domum tuam, » id est, in cœlestem Hieru salem. Per hoc quod dicit « domum, » notat stabilem mansionem. « Introibo, » et hoc non secundum merita mea, sed « in multitudine misericordiæ tuæ, » id est, secundum multitudinem misericordiæ tuæ « et adorabo ad templum, » id est ad Christum, per quem intratur in domum cœlestem : qui ideo templum dicitur, quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, de quo ipse dicit : Solvite templum hoc, « sanctum, » id est, ex conceptione sanctificatum, « tuum, » id est, a te : « adorabo » dico « in timore tuo, » id est, in convenienti tibi, scilicet non servili, sed filiali.

Et ut possim introire, tu « Domine deduc me, » id est, in præsenti sis mihi dux, dando vires « in justitia tua, » id est, non peto ex sola misericordia, sed justitia tua hoc exigit, ut sicut damnas impios, ita remuneres justos : « deduc » dico « propter inimicos meos : qui me volunt impedire : et in futuro « dirige, » ostendendo quomodo caveam ab inimicis, « viam meam, » id est, opera mea, ita ut sint opera illa « in conspectu tuo, » id est, in beneplacito tuo, ut intelligam illam. Hic petit liberari ab æmula, notat etiam persecutionem, dicens : « propter inimicos. »

Ideo dico « dirige, deduc propter inimicos quoniam non est in ore eorum veritas. » Nec miror quia cor eorum vanum est; » unde dicitur . « Ex abundantia cordis os loquitur (*Matth.* XII).

« Guttur etiam eorum, » id est, os eorum, quia in gutture formantur voces « est sepulcrum patens, » id est, simile patenti sepulcro : quia sicut patens sepulcrum fetorem emittit, et cadaver aliquod exspectat, sic illi emittunt fetida verba, scilicet hæreses, et incorporant sibi alios, scilicet a corpore Ecclesiæ separando, et sibi conformes faciendo. Hic notat apertam hæresis prædicationem, et innuit latentem verborum seductionem. « Linguis suis dolose agebant, » id est blanda adulatione in audientium corda mortifera suadebant venena. Ideo dixit « agebant, » ut malitiam non solum in linguis, sed etiam in actu eorum esse probaret. Occultam seductionem dicit, ubi veritati falsitas admiscetur : apertam, ubi sola falsitas est. Et quia tales sunt tu, « Deus, judica illos, » id est, ostende eos damnabiles. Non dicit hoc voto malevolentiæ, sed non potest non consentire divinæ sententiæ.

Ostendit quomodo velit eos judicari, dicens : « Decidant a cogitationibus suis, » id est inanes inveniantur cogitationes eorum, quibus sperant se obtinere regnum quod non promerentur. Vel « decidant, » id est non valeant implere quæ cogitant. « Et expelle eos » de regno tuo : puniendo eos « secundum multitudinem impietatum eorum, » id est, ut secundum quantitatem delictorum sit quantitas supplicio:um. « Expelle » dico « quoniam irritaverunt te, Domine, » id est ad iram provocaverunt.

Et isti expellantur, sed « omnes qui sperant in te lætentur » in anima, et etiam « exsultabunt » in corpore « in æternum, » id est, in æterna exsultatione, et hoc ideo quia tu « habitabis in eis. » Hic ponit modum beatitudinis, cum dicit eam esse æternam, ex hoc etiam, quod ipse habitabit in eis. Etiam per hoc dabit certitudinem illius beatitudinis, scilicet quod dicit « lætentur, exsultabunt, » quia « habitabis in eis. »

« Et » etiam « gloriabuntur, » id est gloriosos se esse gaudebunt pro corona meritorum. « Omnes in te » habiti « qui diligunt nomen tuum, » id est, famam ipsius. gloriam, quia divinæ substantiæ cognitionem habere non possumus. Dicendo « omnes, » notat quod etiam illi qui minus habent de participatione illius beatitudinis, gloriosi sunt. « Gloriabuntur, quoniam tu benedices, » id est dabis incrementum virtutum « justo » scilicet in hac vita, pro quibus gloriabitur in alia. « Gloriabuntur » et « benedices, » et hæc omnia provenient ex tua bona voluntate, qua « coronasti » eos, et hoc est quod dicit : « Coronasti nos » in tua bona voluntate, quæ non tantum nobis erit corona et remuneratio in alia vita ; sed est etiam nobis in præsenti vita ut scutum, id est protectio. Et hoc ponit intransitive cum dicit : « Scuto bonæ voluntatis, » id est bona voluntate existente ut scuto : et hoc per simile dicitur : sicut enim scutum rotundum positum ante pectus, est protectio, corona superest : ita in hac vita bona voluntas est protectio quia facit promereri : et in alia vita remuneratio et corona est.

IN PSALMUM VI.

TITULUS : *In finem pro Octava Psalmus David.*

« Domine, ne in furore. » Augustinus : Octavam quidam dicunt adventum Domini, quia venturus est post septem millia annorum, ut aiunt. Sed nulli hoc tempus notum est, potius octavus dies, quia omnia tempora septem dierum revolutione volvuntur, ille nullam habeat varietatem. Vel duæ vitæ sunt una pertinet ad corpus, qui est vetus homo, cui et vetus datum est Testamentum, qua regnavit mors : altera ad animam, qui est novus homo, regeneratus per Christum. Ad corpus autem quaternarius, ad animam ternarius pertinet. Peracta igitur utraque quasi septenario numero, veniet octavus dies judicii, ubi unicuique pro meritis reddetur : unde timens Ecclesia sic orat : In finem pro octava psalmus David, id est psalmus iste attribuitur David pœnitenti, vel cuilibet pœnitenti : qui pœnitens figuratur per David, quia et manufortis est cum peccata devincit, et visu desiderabilis, quia et alii peccatores ad ejus conformitatem venire desiderant. Psalmus dico habitus pro octava die, id est pro die judicii, id est timore futuri, quæ veniet post septimanam hujus sæculi, quod volvitur per septem dies. Psalmus dico dirigens in finem, id est in Christum. Materia est quilibet vere pœnitens, et hic etiam loquitur pœnitens. De hac vero materia hoc modo agit, facit deprecationem, satisfactionem ostendit, id est emendationem, pro inimicis orationem. Intentio est nos ad pœnitentiam, et per hæc omnia nos ad Christum dirigere : et a deprecatione sic incipit : Conscius propheta peccatorum, vel quilibet pœnitens, et territus timore pœnarum, quas peccatoribus in octava die futuras intelligit, deprecationem sciens apud ipsum judicem potius valere quam excusationem, deprecatur eum per ipsius judicis potentiam, dicens : « Domine, » in hac vita argue, id est convince me peccasse, faciens me tamen pœnitere « ne arguas me in furore tuo, » id est in tua graviori vindicta, id est futuro judicio : et hic corripe me « ne corripias me, » id est ne retrahas me ibi a malo incepto in quo ieram « in ira tua, » id est in leviori pœna, id est dando mihi etiam leviorem pœnam quam furor sit : vel « in ira tua, » id est in aliqua pœna data post mortem ante judicium, id est in purgatorio. Qui tam timendum ostendit Deum, ejus notat potentiam.

« Ne arguas, ne corripias, » sed potius « miserere mei, Domine, » et hoc necesse est « quia » ego « sum infirmus » mole peccatorum. « Infirmus sum, » ergo « sana me, Domine, » id est pias affectiones, quas habes de meis miseriis, sanando ostende, id est removendo peccata mea. « Quoniam ossa mea, » id est superior vis animæ meæ, scilicet mens, est turbata multitudine peccatorum. Per ossa, quæ pars corporis est robustior pars animæ robustior merito designatur. Quod pluraliter ossa dicit, ipsius mentis robora, id est castitatem, temperantiam, et alia hujusmodi intelligit infirmari.

Superior vis animæ conturbata est « et anima mea » ipsa, scilicet, tota, non tantum secundum superiorem vim, sed etiam secundum inferiorem, scilicet, secundum omnes sensus, ut peccet in auditu et visu, et cætera, « turbata est valde, » id est, multis et gravibus peccatis. Cum dicit infirmum esse, et animam turbatam esse secundum superiorem et inferiorem vim, notat omne genus pœnitentiæ. Valde sum turbatus « et tu, Domine, usquequo, » differs sanare ?

Noli differre, sed tu qui hactenus adversus fuisti dum essem impœnitens, « convertere » ad me conversum ad te qui dixisti : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (*Zach.* I). » Convertere, et esto propitius, et eripe animam meam a vinculis peccatorum a quibus tenetur. « Salvum me fac, » scilicet dando virtutes. Ubi ponit suas infirmitates, deprecatus est eum per suas miserias : nunc autem dicendo, « convertere, » per ipsius judicis misericordiam deprecatur, ubi dicit, propter misericordiam tuam?

Ideo precor ut sanes, eripias, salvum facias, cito « quia non est in morte qui memor sit tui, » id est nullius positi in transitu vitæ erit mortui fructuosa memoria, si tui tantum memor sit, et maxime in inferno. Per infernum accipe desperationem. « Quis confitebitur tibi? » Non negat quamcunque confessionem : legitur enim de divite : « Pater Abraham, miserere mei (*Luc.* XVI), » etc., sed salubrem negat

confessionem. De utroque Isaias sic ait : « Non enim qui in inferno sunt laudabunt te, neque qui mortui sunt benedicent te (*Isa.* xxxviii). » In hoc versu deprecatur per confessionem judicis : Dei enim est consuetudo, in hac vita tantum confessionem recipere.

Confessio in morte inutilis est, et in inferno : et ideo illa attendens « laboravi » vigilando, jejunando, et cæteros fructus pœnitentiæ reddendo « in gemitu « meo, » id est in compunctione cordis, procedente a memoria peccatorum, et timore suppliciorum. Gemitus enim quasi geminus luctus dicitur, eo quod geminatur de peccato, et de pœna peccati, de quo dicitur : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v). » Laboravi et laborabo, scilicet « lavabo, » id est mundabo « lectum meum, » id est carnem meam, eundo « per singulas noctes, » id est per singula peccata, quæ noctes dicuntur, quia excæcant mentem per ignorantiam. Caro dicitur lectus, quia anima quiescit in ea consentiendo delectationibus ejus. Non tantum lavabo, sed etiam « rigabo, » id est ad fructificandum parabo « lacrymis meis » interioribus et exterioribus. Interior lacryma est compunctio « stratum meum, » id est carnem meam, quæ stratum dicitur, secundum quod nostræ dominationi substernitur. Per rigationem enim lacrymarum ipsum corpus aptum fit ad fructificationem, sicut terra per rigationem aquæ ad fructificandum præparatur. Et in hoc versu ostendit satisfactionem.

« Laboravi » et « lavabo, » quia « oculus meus » interior, id est ratio « turbatus est, » id est perterritus est « a furore, » id est a causa furoris quem exercebit Dominus in die judicii. Et merito turbatus est « quia « inveteravi, » id est cum deberem esse membrum novi hominis, fui membrum veteris, ita quod sim dignus abjici, sicut Vetus Testamentum : habitans « inter omnes inimicos meos, » id est operans cum omni genere peccati, scilicet adulterii, fornicationis, etc.

Ego inveteravi inter omnes inimicos meos; sed jam vos « omnes qui operamini iniquitatem, » quicunque estis, « discedite a me » spiritualiter, quia deinceps nolo malum operari vobiscum, « quoniam « exaudivit Dominus vocem fletus mei, » id est compunctionis meæ, quoniam exaudivit condonando peccata.

« Exaudivit Dominus deprecationem meam, » scilicet, ne deinceps peccarem, « et ipse Dominus orationem meam suscepit » dando virtutes. Bis ponit « Dominus, » et semel « Deus, » et ita exprimit Trinitatem. Ex quo dixit, « discedite a me, » notavit emendationem quod ulterius non peccaret.

Hic orat pro inimicis. Justum enim erat, ut sicut veniam consecutus fuerat, ita et aliis condonaret. Continuatio : « Dominus exaudivit me, » ideo « inimici mei » considerantes me « erubescant » de malis operibus suis « et conturbentur » timore futuri judicii « vehementer, » id est, ita ut pœniteant et convertantur ad bona opera, et post conversionem erubescant de præteritis peccatis. Illa erubescentia valet ut caveamus a peccatis : et hoc « valde velociter, » id est, ut non exspectent mortem vel infernum.

IN PSALMUM VII.

Titulus. *In finem psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Gemini.*

« Domine Deus meus. » Legitur (*II Reg.* xvi) quod David Chus filium Gemini, familiarem sibi, cum Absalone misit, ut esset cum eo in persecutione, et sibi Absalonis secreta remandaret, quibus secretis auditis, David sperans liberari, psalmum istum composuit, non historiam quidem, sed significatum historiæ considerans. Sicut enim per occulta illa spem liberationis habuit, sic quilibet justus per incarnationem Christi sperat a potestate diaboli liberari. Psalmus iste convenit David, id est ipso Dominico homini, et omnibus justis, quia hic quilibet justus loquitur : quem psalmum cantavit Domino, id est cum exsultatione, pro his quæ in hoc psalmo sunt, laudavit Dominum. Omnis enim justus pro his quæ in hoc psalmo continentur, cum exsultatione laudat Dominum. Pro verbis Chusi, id est pro manifestatione silentii, id est incarnationis Christi, quæ hic manifestatur. Iste psalmus agit de silentio, id est de incarnatione Dei : quod silentium, id est occultum erat in tempore illo. Agit etiam de occulto silentio, scilicet judicii, quod modo exercet, scilicet quod malos permittit prævalere bonis, et eos diverso genere pœnarum affligit. Chusi namque silentium interpretatur, silentii dico filii Gemini, id est generati a propitiatione Dei. Geminus vero dextera interpretatur : per dexteram vero propitiatio intelligitur. Psalmus dico, dirigens auditores in finem, id est in Christum per spem. Materia est mysterium Christi, id est divinitas juncta humanitati : de qua sic agit : ostendit exaltationem divinitatis, quam habuit in vindicando de inimicis, possidendo fines eorum : et ostendit quod faciat judicium de omni justo, tam de Dominico homine, quam de aliis, et de omni impio. Judicat enim Deus semper in hac vita justos esse puniendos ab impiis ad eorum perfectionem : quod judicium Dei ostendit eos patienter sustinere, et ideo orare. Deinde ponit admonitionem impiorum, et sic intendit nos in spe, constituere. Sicut diximus (*Supra psalm.* iii) : « Domine quid multiplicati sunt, » tertio loco positum, quia agit de resurrectione, quæ tertia die facta est : ita et istum possumus dicere septimum, quia agit de spe in qua quiescimus, sicut Dominus die septimo quievit. Justus vel Christus hic loquens, patiens persecutores cum patientia, præmittit orationem ut liberetur ab inimicis, dicens : « Domine, » qui dominium habes « Deus, » id est creator omnium, qui « meus » es per familiaritatem « in te speravi. » Et hic notamus intentionem, « et ideo salvum me fac, » ne cedam tentationibus inimicorum « me, » dico, per hoc exemptum « ex omnibus persequentibus me, » tam exterioribus quam interioribus, « et libera me, » scilicet ne ultra insurgant adversum me.

Ideo dico, « salvum me fac, nequando rapiat inimicus meus animam meam, » agens ut leo. De hoc inimico, ait Apostolus : « Adversarius noster diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret (*I Petr.* v), » « dum non est, » id est, quia non est alius « qui redimat » dando pretium ; « neque qui salvum faciat » eripiendo ne redempti cedant insidiis inimici, nisi tu.

Ideo debes salvum facere, quia non est alius qui faciat : ideo etiam, quia non commisi quare me persequantur. Et « Si ego, Domine Deus, feci istud, » scilicet, si hanc persecutionem illorum merui, id est hæc mala quæ ipsi mihi ingerunt, hæc mala quæ jam dicam mihi contingant. Et quo dixit : « Si feci istud, » determinat cum subdit : « Si est iniquitas in manibus meis, » id est in operibus meis. De Christo patet quod nullam habuit iniquitatem : cæteri justi, et si peccatis vacui non sint, tamen in persecutores nihil committunt. In hoc non commerui quod eis prius mala intulissem : nec in hoc quod eis mala pro malis reddidissem, et hoc est quod subdit : « si reddidi retribuentibus mihi mala. » Cum dicit retribuentibus, notat se ab illis mala recipere, quibus pietatis officium impenderat. Per hæc omnia, et hic maxime suam commendat patientiam. « Si » hæc « feci, decidam merito, » id est vincar « ab inimicis meis inanis, » id est nullum recipiens fructum patientiæ, quod merito mihi eveniet. Vel inanis ab inimicis, id est frustratus, nullum acquirens de inimicis.

Præter hoc malum, hoc etiam mihi aliud eveniat, scilicet « persequatur » id est, impugnet « inimicus animam meam » scilicet, diabolus et membra ejus, « et comprehendat » id est, sibi succumbere faciat « vitam meam » id est, animam per quam vivere debeo « et conculcet » id est, multis turpitudinibus me contemptibilem reddat, in tantum ut sit in terra prorsus, id est dedita terrenis, per quod erit cibus diaboli « et gloriam meam » id est, rationem meam : quæ ideo dicitur mihi gloria, quia per eam sum similis Deo « deducat in pulverem » id est, similem faciat pulveri, scilicet, quod sicut pulvis non resistit vento, ita nec ratio mea resistat diabolo.

« Si feci istud, » hæc prædicta mala mihi eveniant : sed quia non feci « exsurge, Domine, in ira tua » id est, in vindicta tua, ut homines eripias a diabolo « et exaltare in finibus, » id est, in possessionibus « inimicorum tuorum » id est, dæmonum, scilicet, possidendo eos, quos modo possidet diabolus. Tunc exaltatur Dominus in pectoribus, quando illi a conversis confessio laudis offertur. Ab hoc versu incipit ostendere exaltationem divinitatis.

« Exsurge » dico, ut fines inimicorum possideas « et exsurge in præcepto quod mandasti » id est, pone et imple leges tuas in omnibus possessis, et sic synagoga populorum circumdabit te, impugnando et Christum et alios justos.

« Et propter hanc » sic obstinatam contra te « regredere in altum » id est, subtrahe te ab eorum A cognitione, ita ut sis in alto, scilicet, sicut te humiliasti ut te cognoscerent assumendo carnem, sic te retrahe in altitudinem in qua fuisti. Vel « Exsurge in præcepto quod mandasti » id est, in lege præcepisti, ut in iniquos, animadvertamus, propterea et tu juxta eam legem contra eos insurge : « et » sic « synagoga » quæ a te propter mortem et ignominiam tibi illatas declinavit « circumdabit te » id est, adhærendo tibi circumdabit te : et propter illam confirmandam regredere in altum id est, per ascensionem te potentem ostende : ut qui tibi humiliato adhæserant, sic glorificatum remuneratorem attendant.

Ex quo dixit, « exsurge Domine, » ostendit exaltationem divinitatis, dehinc ostendit judicium et convertit se ad nos : ac si diceret : Dominus sic exaltatus B est, et ipse Dominus judicat populos : et tu « Domine, judica me secundum innocentiam meam, » id est, secundum bona opera mea « et secundum innocentiam, » scilicet, quod aliis non nocui, « super me, » id est, a supernis mihi data.

« Judica me » dico, et « consumetur, » id est, perficietur in me justo, ut me secundum voluntatem nequitiæ suæ crucient « nequitia peccatorum » et per hoc « diriges justum » ad te. In hoc versu notatur judicium justi et impii. Quod enim dicit, ut peccatores consumant nequitiam suam, in eo judicium peccatorum ostenditur. Justum enim est, ut « qui in sordibus est, sordescat adhuc. (*Apoc.* XXII). » Cum dicit post nequitiam peccatorum consummatam in justis, ipsos justos dirigi, ponit judicium justorum. Judicat C enim Deus suos, probando persecutione. In Christo fuit consummata nequitia Judæorum, quando crucifixus est : directus est ipse justus quando a mortuis surrexit. Decii nequitia consummata fuit in Laurentio, cum eum per ignem occidit. Similiter de aliis justis atquæ impiis judica secundum justitiam : tu dico « scrutans corda, » id est, perfecte videns cogitationes, « et renes, » id est carnales delectationes : in renibus enim sedes est libidinis. Vel per renes accipiamus firmiores cogitationes : solus enim Deus secreta cordis cognoscit.

Dixi « consumetur nequitia peccatorum, » et contra illam nequitiam sit mihi « adjutorium a Domino » ne ipsa mihi prævaleat, quod justum est secundum D patientiam et justitiam meam « quod salvos facit rectos corde, » quia superant omnem inimici tentationem.

Et quia Dominus talis est, ideo vos impii convertimini ad eum, quia « nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit » super vos, quoniam ipse Deus est judex, id est, retribuet unicuique pro memerito. Per hoc ostendit potestatem habere puniendi : et ne excusent se per ipsius judicis impotentiam, subdit « fortis, » id est, cujus voluntati nemo possit resistere. Et ne illi dicerent : Si potens esset, jam punisset, subdit « patiens, » id est, non statim puniens, sed exspectans peccatorum pœnitentiam : et hoc probat quod patiens sit, quia non statim punit peccata : et hoc est, « nunquid irascitur, » id

est, punit « per singulos dies? Non. » Et quia judex est, et potens est, ideo « nisi conversi fueritis ad eum, gladium suum vibrabit; » ideo mittendo ad judicium, justis ostendet coruscum, impiis tenebrosum. Gladius enim vibratus modo tenebras, modo splendorem ostendit. In judicio, quod vibrabit gladium : et jam « arcum suum tetendit, » id est, cum divina Scriptura nobis minas incutit. Per lignum arcus, Vetus Testamentum accipitur : quia sicut lignum, per se erat inutile et inflexibile : per chordam Novum Testamentum, quo vetus intenditur, et ad utilitatem intellectus reducitur « et paravit illum, » id est nobis per quosdam doctores intelligibilem reddidit.

« Et in eo » arcu, scilicet divina Scriptura, « paravit vasa mortis, » id est, apostolos cæterosque doctores, ex quibus mors propinatur. Quibus? non recipientibus doctrinam eorum, « ardentibus » vero, id est, desiderantibus Deum, « sagittas suas, » id est prædicatores ipsos, vel divinas sententias quæ corda vulnerant « effecit, » id est habiles ut reciperentur et intelligerentur paravit. Unde Apostolus : « Sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam (*II Cor.* II). »

Licet Deus sic vibret gladium, sic paret arcum, tamen impii non desistunt, sed ecce impius « parturiit, » id est conatur emittere « injustitiam, » non alio cogente eum ad hoc, sed quia ipse « concepit » cogitatione et voluntate « dolorem » id est peccatum, pro quo ei maxime est dolendum, « et peperit » id est opere complevit « iniquitatem. »

Hæc autem faciendo « lacum sibi aperuit, » id est præcipitium sibi peccati paravit « et effodit illum, » id est amplificavit periculum, « et incidit in foveam quam fecit, » id est per quod aliis necem paravit, seipsum potius impedivit. Unde Augustinus : Nemo non prius peccat in se, quam in alium : sicut alios volens decipere, aperit terram prius, deinde effodit amplificando foveam, tandem nisi sibi bene providens, incidit in eamdem. Lacus dicitur cujus latet fundus : peccatum vero dicitur lacus, secundum hoc quod finem imminentis ex peccato ruinæ ignoramus.

In hac vita cadit peccator in foveam peccati, sed tandem in die judicii « convertetur dolor ejus, » id est peccatum cum jucunditate hic perpetratum, ibi dolorem incutiet « in caput ejus, » id est animam ejus. Punietur enim ibi anima pro omnibus in quibus hic peccavit, « et in verticem ejus, » id est in superiorem partem, scilicet rationem, « iniquitas ipsius descendet, » id est peccatis quibus hic consensit ratio, ibi absque omni obcæcatione destruetur. Ex quo dixit « Deus judex justus, posuit admonitionem impiorum. »

Et quoniam ipse talis est, ideo « confitebor Domino » id est laudabo Dominum. Accipitur enim confessio vel de peccatis, vel in laude, « secundum, » id est propter « justitiam ejus, » et psallam bene operando « nomini Domini, » id est ad amplificandum honorem Domini « altissimi » cujus nomini est psallendum, quoniam ipse altissimus est. Psallere vero est, Domini mandata, et operibus peragere, et hymnos et psalmos et cantica voce et corde cantare.

IN PSALMUM VIII.

TITULUS : *In finem psalmus David pro torcularibus.*

« Domine dominus noster, » psalmus iste convenit David prophetæ, et omnibus de Ecclesia quæ fuit ante adventum Christi. Psalmus dico, pro torcularibus agens, id est, pro Ecclesia, quæ ideo torcular intelligitur, quia in ea sunt et rejiciendi et recipiendi : sicut in torculari vinum exprimitur, quod retinetur : et acinus remanet, qui ejicitur : cujus universa pressura fit Christi permissione. Psalmus nos in Christum dirigit : et hoc est quod dicit, in finem, id est, admonet nos infideles ut voluntarie Deo subjiciamur. Materia est Christus. De eo sic agit : ostendit excellentem potentiam divinitatis per magnifica sua opera : ostendit etiam humanitatem ejus humilem, deinde exaltatam super omnem creaturam. Intentio vero est, admonere infideles, ut tali Domino subjiciantur. Loquitur hic propheta vel quilibet de Ecclesia quæ fuit ante adventum Christi, et a magnificatione divinitatis incipit : et hic quamdam exsultationem attendens secundum Christi dignitatem, præmittit dicens : « Domine, » qui cum omnibus domineris « Dominus noster » specialiter es, quia tuorum bonorum participes facti sumus, « quam, » id est quantum, « nomen tuum, » honorificentia tua, fama, gloria, « est admirabile » non tantum in Africa, sicut dicebant quidam hæretici, sed « in universa terra. »

Ideo dico mirabile « quoniam magnificentia tua, » id est magnificus Filius tuus, « est elevata super omnes cœlos, » id est super omnem angelicam creaturam : vel super omnes cœlos materialiter : quod fieri non posset, nisi ille, homo esset et Deus.

Propter hoc est admirabile nomen tuum, et etiam propter hoc quod tu « perfecisti, » id est perfectam fecisti « laudem ex ore infantium et lactentium, » infantium quantum ad ætatem, lactentium, id est simplicium, qui indigebant pasci simplici doctrina. Laudem puerorum perfectam dicit, quia non fit ex humano ingenio, sed ex sola operatione divinitatis. Perfecisti dico « propter inimicos tuos, » scilicet pharisæos. Hæc prophetia in Evangelio ore Domini docetur exposita, cum a Judæis prohiberentur infantes, ne laudem Domini resonarent, respondit : « Nonne legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? (*Matth.* XXI.) » Propter inimicos dico « ut destruas inimicum, » scilicet malevolum, « et ultorem, » id est defensorem suæ legis, veritatem Evangelii impugnantem.

Ideo dicit destrues « quoniam ego videbo » in successoribus meis « cœlos tuos, » id est sanctos apostolos, qui dicuntur cœli, quia continent secreta

Dei, compluunt etiam rorem cœlestis doctrinæ fidelibus. Inde per cœlos evangelicos libros, qui secreta Dei continent, possumus accipere. Cœlos dico « opera digitorum tuorum, » id est quos ipsa deitas operata est : per digitos pluraliter personarum pluralitatem in deitate significat : unde alibi manifeste trinitatem nobis notat cum dicit : « Quis appendit molem terræ tribus digitis? » Videbo « et lunam, et stellas; » per lunam inferiorem Ecclesiam sub apostolis, vel generalem Ecclesiam, quæ pro defectu et incremento luna dicitur : per stellas intelligit eos, qui in Ecclesia in seipsis lucent « quas » stellas vel « quæ » scilicet cœlum et lunam « tu fundasti » id est firmiter statuisti, ut quibuslibet tentationibus nequeant dimoveri.

Quando quidem hæc omnia fecisti, ergo « quid est homo? » id est magnum quid video hominem esse, per hoc quod tu es memor ejus? Præparas enim per Filii tui transmissionem, humani generis reparationem : « aut quid est filius hominis? » id est humanitas Christi, « quoniam visitas eum » uniendo tibi Filium tuum. Quod dicit, filius hominis, notat eum verum hominem esse : quod dicit hominis et non hominum, eum non ex homine patre, sed ex sola matre humanitatem traxisse innuit.

Visitasti filium hominis, et eum filium cum visitante deitate, id est Christum integrum « minuisti » secundum deitatem. Humiliata enim fuit divinitas, quando sibi passa est humanitatem uniri. Unde Apostolus : « Exinanivit semetipsum formam servi accipiens (*Philip.* II). » Minuisti dico, ita, ut ipse Christus secundum humanitatem minus haberet ab angelis, quia passibilis et mortalis fuit, « sed paulo, » quia etiam ipsi sic fragili, prout Domino, angeli ministrabant : et eum prius sic minutum « coronasti gloria » in resurrectione « et honore » : id est multitudine servorum per exaltationem ad cœlum. Cum dicit coronasti, notat de corona totius mundi resurrectionis et ascensionis gloria aliquos confiteri : et sic honoratum « constituisti super opera manuum tuarum, » etiam super angelicam creaturam.

Et quoniam potuisset eum constituisse digniorem omnibus creaturis, nec tamen omnia subjecta essent ei (ut aliquis episcopus dignior est omnibus aliis, nec tamen omnes subjecti sunt ei), subdit : « sub pedibus ejus, » id est plenarie subjecisti « omnia, » id est omnes creaturas. Sicut enim quod sub pedibus alicujus est, plenum ei subjectum est, ita Christo omnia : licet enim adhuc quidam recalcitrent, nihil tamen faciunt nisi ejus permissione. Vel « sub pedibus ejus, » id est sub humanitate, quæ ideo pedes dicitur) quia per eam divinitas ad nos descendit. Ostendit per partes quæ omnia subjecerit « oves, » id est simplices in Ecclesia, de quibus ait Dominus Petro : « Pasce oves meas (*Joan.* XXI), » « et boves, » id est prædicatores sanctos, qui triturant Ecclesiam. Unde Moyses : « Non alligabis os bovi trituranti (*Deut.* XXV). » « Universas » propter hoc ponit feminium, ut significet illos quosdam A fetus in Ecclesia; « insuper et pecora campi » per pecora campi illos qui sub nullius custodia tenentur intelligit, qui late vagantur. Per hoc quod dicit, « insuper, » notat discretionem illorum a bonis.

Et etiam volucres cœli, id est elatos in superbia, « et pisces maris, » id est qui curiose victum quærunt, sic mundana quærunt sollicite : sicut enim pisces qui victum sollicite inquirunt, sic quidam ut possideant, ut mercatores : quidam naturas rerum inquirendo, ut philosophi, qui perambulant semitas maris. Per mare accipimus mundum, qui semper in motu est, sicut mare. Cum superius dixit, « minuisti, » humilitatem humanam ostendit : post hæc usque de humanitatis exaltatione.

Ostensa igitur tanta dignitate ipsius, quasi con- B cludens in eadem admonitione, in qua inceperat, desinit. « Domine Dominus noster. » Et notatur ibi mysterium, ut sicut a bono incipimus sic finiamus.

IN PSALMUM IX.

TITULUS : *In finem psalmus David pro occultis filii.*

« Confitebor, » iste psalmus convenit David, qui et hic loquitur pro occultis filii, id est, Christi. In hoc enim psalmo agitur de occultis Christi, et jungit nos in finem, id est in Christum. Intendit enim in hoc psalmo invitare nos ad timorem Christi. Materia est gesta Christi in primo et secundo adventu, de quo sic agit. Ostendit Christum in secundo adventu damnaturum diabolum cum membris suis. In primo C vero ostendit quid faciat suis, et quid persecutoribus Ecclesiæ, sive capiti Antichristo, sive suis. Postea ponit imprecationem Ecclesiæ persecutoribus. Deinde attendens mala quæ Antichristus faciet Ecclesiæ, cum questione ipsa mala enumerat. Ultimo precatur finem mundi.

Prævidens propheta destructionem inimicorum in secundo adventu, in quamdam exsultationem prorumpit, dicens : « Confitebor tibi, Domine, » confessione laudis « in corde » dicit, quia nulla confessio valet quæ ex corde non procedit, « meo » dicit, cui dominatur, « toto » dicit, quia nulla mala cogitatione impeditur et aliis. « Narrabo omnia mirabilia tua, » non ideo dicit, quod omnia ejus mirabilia narret, sed quæcunque dicit de eo mirabilia D sunt.

« Lætabor » etiam in animo, « et exsultabo » in corpore, non in mundanis, sed « in te » « psallam, » etiam bene operando « nomini tuo » ampliando, « o Altissime, » scilicet, quia altissimus es.

Lætabor dico et exsultabo. « In convertendo inimicum meum retrorsum, » id est in consideratione conversionis inimici. Licet enim hic nobis quodammodo dominetur, tamen in die judicii prorsus ejus dominium destruetur. Conversio vero, id est destructio illius dominii per mortem Christi incœpit, in die quidem judicii plene consummabitur. Ille convertetur, suique sequaces « infirmabuntur, » id est amittent potestatem nocendi : quæ iterum infirmatio in

hac vita incipit per mortem Christi : et « peribunt » æterna damnatione, remoti « a facie, » id est a cognitione tua juxta quod dicitur : « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI). »

Ideo peribunt et infirmabuntur « quoniam tu fecisti meam causam, » id est mihi utilem. Ibi enim patientiæ et humilitatis nobis exemplum reliquit : et « judicium, » id est sententiam mortis, datam ab ipsis Judæis, « fecisti meum, » id est mihi utile. Per mortem enim tuam redempti sumus : et potes destruere adversarios, quia « tu sedes, » id est quiescis « super thronum, » id est in regali sede ; « qui judicas justitiam, » id est juste, et per hoc notat quod Deus eos velit destruere.

« Judicas justitiam » hanc, scilicet : « Increpasti gentes, » id est gentiliter viventes damnabis, increpando eos de malefactis ; « et impius, » id est diabolus, « peribit » in æternum, scilicet, « nomen eorum, » id est omnem potestatem « eorum, » id est gentiliter viventium, delebis in æternum. Et ne acciperemus in æternum usque ad finem mundi, sicut Moyses ait : « Regnabit Dominus in æternum et ultra (*Exod.* XV); » subdit, « et in sæculum, » subsecutivum hujus sæculi.

Peribit impius, quia « frameæ, » id est tentationes « inimici, » id est diaboli, « deficient in finem, » id est postquam devenient in ultimum finem, « et destrues civitates eorum, » id est collectiones subditorum, munitas sententiis falsorum ad suos errores defendendos. Et tunc « peribit memoria eorum, » illa scilicet affectio quam habent sancti pro eis in hac vita existentibus. Unde in Evangelio : « Inter nos et vos chaos magnum firmatum est (*Luc.* XVI) » « cum sonitu, » id est magno dolore pereuntium. Sicut enim aliqua civitate pereunte, magnus dolor et magnus sonitus est, ita erit in illis pereuntibus.

« Ipsi ita peribunt, Dominus autem permanet in æternum, » vere permanet in æternum, quia « paravit thronum suum in judicio, » id est, dum judicaretur : vel in judicio, ut judicet; « et ipse judicabit « orbem terræ, » id est omnes bonos viventes in circuitu terræ, « in æquitate, » scilicet pro meritis ; « judicabit etiam populos, » scilicet peccatores, « in justitia, » id est pro meritis singulorum.

Hactenus egit de secundo adventu, nunc de primo ingreditur : et primo ostendit quid Christus faciat suis; in secundo adventu judicabit, et ipse idem Dominus in hac vita factus est refugium pauperum. « Factus est » bene dicit, quia cum Deus nihil deberet, homini (homo enim per suam culpam ab eo recesserat) fecit tamen mediatorem, per quem redimeret, « refugium, » dicit per simile : sicut enim puguantes eum stare nequeunt, ad aliquam munitionem fugiunt, sic fideles cum per vires proprias stare nequeant, ad Christum refugiunt, qui vel ministrat tolerantiam, vel mitigat passiones. Pauperem vocat, qui licet habeat, tamen terrena cupiditate vacuatus, cœlesti desiderat largitate ditescere : ipse est etiam adjutor ad cooperandum, ut si aliquis incipiat jejunare, Deus ei manum apponat : adjutor dico in tribulatione. Illud enim dulcissimum est adjutorium, quod in necessitate præstatur, sicut in alio psalmo dicit : « Invoca me in die tribulationis, et eruam te, et honorificabis me (*Psal.* XLIX) ; » et non quocunque modo adjutor in tribulatione, sed in opportunitatibus, id est secundum quod opportunum est. Si enim tribulatus roget removeri tribulationes, non est dignus exaudiri : si vero tolerantiam deprecatur, dignus est exaudiri.

Adjuvas in tribulatione, et etiam non delinques, id est non pateris eos devinci. Licet relinquas, id est ad horam patiaris tribulari, vel etiam aliquando cadere : sunt enim aliqui casus utiles, ut impetus, « quærentes te, Domine, » id est illos qui omnibus modis voluntati tuæ obtemperare nituntur.

Et quoniam non dereliquisti, ideo « sperent in te omnes qui noverunt nomen tuum. » Noscere accipit, non ex interiori cognitione, sed in sola fide et bona operatione. Unde Joannes : « Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*I Joan.* I). »

Non derelinquit suos, sed requiret sanguinem eorum : et ideo « psallite illi Domino, » et determinat cui Domino, scilicet qui corporaliter « habitat in Sion, » id est in Judæa. Sion namque Judææ caput est, in qua Christus præsentia corporis habitavit. Unde et ipse ait : « Non sum missus præsentia corporis, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* XV). » Vel per Sion Ecclesiam, quæ speculatio est, possumus accipere : « Annuntiate inter gentes, » id est gentiliter viventes, « studia ejus, » hoc scilicet, « quoniam ipse est requirens sanguinem eorum, » id est quærentium Dominum, « recordatus est, » scilicet tribulatorum et tribulantium. Deus suorum videtur oblitus, cum eos tribulari permittit : recordari, quando eis subvenit. Studia dicit, quia Deus non tantum judicat, sed studiose vindicat. « Recordatus est tribulatorum, et non est oblitus clamorem pauperum, » id est supplicium, qui non possunt tribulationes sustinere, miseretur statim Deus, et liberat a tribulatione.

« Clamorem pauperum » dicentium : « Miserere mei, Domine, » scilicet hoc modo, « vide humilitatem meam, » id est afflictionem meam : vide, dico, « de inimicis meis, » id est de superbia inimicorum. Si enim consideras modum superbe inferentium, poteris cognoscere quanta sit afflictio patientium. Quod dicit Domino, « Vide humilitatem meam, » per simile loquitur. Sicut enim aliquis, si eum Dominus suus videat, melius pugnat, ita fideles Christi, si Deus eos videat, melius tolerant. Videre enim Domini, juvare est.

« Vide humilitatem meam. » Et sic « exsultabo in salutari tuo, » id est in salutatione tua.

Et ideo debeo exsultare, quia tu es ille « qui exaltas me, » id est removendo « de portis mortis, » id est de malis operibus, per quæ intratur in infernum, ita ut ego sic exaltatus positus « in portis filiæ Sion, »

id est in virtutibus quæ sunt introitus ad Ecclesiam, quæ dicitur filia Sion, quia generata fuit in Sion, id est in Judæa, in passione Christi. Vel etiam dicitur filia Sion, id est filia speculationis, quia non esset Ecclesia, nisi Deum specularetur, « annuntiem » omnibus aliis « laudationes tuas omnes, » non quod omnia quæ possunt de eo cum laude dici dicat, sed quidquid dicet, laus ejus erit.

Et quia sic exaltas, « exsultabo in salutari tuo. » Hic incipit dicere quid faciat persecutoribus Ecclesiæ in primo adventu. Continuatio : Suis ita subvenit Deus, « sed gentes, » id est gentiliter viventes, « infixæ sunt in interitu quem fecerunt. » Cum enim alios corporaliter interimunt, seipsos spiritualiter interficiunt. « Infixæ, » per simile dicitur. Sicut enim clavus infixus vel in luto, per se non potest resurgere, ita ipsi homicidæ a nequitia sua per se non possunt resurgere. Et etiam « pes eorum, » id est affectio eorum, est comprehensus « in laqueo, » id est in dolositate, « isto quem absconderunt, » id est aliis occulte tetenderunt.

Ipsi ignorant hoc judicium Domini esse datum super eos in hac vita, sed « Dominus cognoscetur faciens judicia, » ideo quia « peccator est comprehensus, » in hac vita « in operibus manuum suarum, » id est in delectationibus suarum operationum.

Quia peccatores sic persequuntur Ecclesiam Dei, ideo « convertantur » a proposito persequendi, et præcipitentur « in infernum, » materialem : peccatores dico, scilicet « omnes gentes quæ obliviscuntur Deum, » id est qui vel fidem non habent : vel, si habent, opera Dei non faciunt.

Vere convertentur, quia pauperes remunerabuntur, et hoc est « quoniam oblivio pauperis non erit in finem, » id est in æternum : quia licet Deus in hac vita videatur pauperum oblivisci, tamen veniendo in fine sæculi, non obliviscetur Dominus eorum : et si pauperum simpliciter recordatur Dominus, tunc multo potius patientiæ pauperum recordabitur : et hoc est « patientia pauperum, » id est merces patientiæ pauperum, « non peribit. » Hic imprecatur contra persecutores.

Et ut patientia ipsorum non pereat, « tu Domine, exsurge, non confortetur, » id est non prosperetur diu in persecutione sanctorum, « homo, » id est Antichristus, qui cum dicat se esse Deum, tamen simpliciter homo est. Ipse non confortetur, et etiam « gentes, » scilicet sequaces et complices ejus « judicentur in conspectu tuo, id est, » licet alii nesciant eos judicatos, tamen apud te sunt judicati.

Hoc modo judicentur. « Constitue super eos legislatorem, » id est Antichristum, qui constituat super eos legem contrariam legi Christi, et etiam hoc modo judicentur, ut « ipsæ gentes sciant » aliquando « quoniam ipsi sunt homines, » id est carnales. Propheta prospiciens tantam persecutionem futuram ab ipso Antichristo, conqueritur quasi Deus recessisset a suis, ipsius malefacta enumerando. Continuatio : Ideo precor ut non confortetur homo ille, quia video tantam tribulationem inferri tuis ab illo, quod videris recessisse a tuis.

Et ideo « ut quid, Domine, recessisti longe, » id est permittis tuos tantum tribulari, et « despicis, » etiam, id est sicut videris recessisse, ita etiam videris despicere « in oportunitatibus in tribulatione? » id est cum in tantis tribulationibus opportunum videretur ut Deus confortaret suos per miracula, videbitur suos despicere, cum nec miracula, nec aliquam talem ministret confortationem. Hic vult enumerare mala quæ Antichristus inferet fidelibus, et enumerando ostendit ipsa mala nocere inferentibus, prodesse patientibus. Continuatio :

Recessisse videris, quia « superbit impius, » et ex superbia sanctos affligit singularis ille, id est Antichristus : et dum sic superbit « incenditur pauper. » Per incenditur notat et quod tribuletur et quod purgetur. « Superbit impius, » et castigant ipse et sui mala consilia adversus sanctos, in quibus « comprehenduntur. » Per comprehenduntur notat eos nocentes suis ipsis laqueis impediri.

Superbit impius, pauper incenditur, laudatur etiam peccator, secundum acta, laudatur dico « in desideriis animæ suæ, » quia succedunt ei omnia quæ desiderat, et sic laudantes dicunt : Non posset hæc facere nisi Deus esset cum eo « et ipse iniquus, » quia voluntate habet nequitiam « benedicitur, » id est exaltatur, quia etiam in malis operibus bene agere dicitur.

Et quoniam sic laudatur et benedicitur, ideo « exacerbavit Dominum peccator, » ille singularis, id est iram provocavit, et ideo etiam quia ipse « non quæret, » sibi Deum adjutorem : agens « secundum multitudinem iræ suæ, » id est in multo furore.

« Non est etiam Deus in conspectu ejus, » id est non attendit Deum aliquid posse : et præter hæc omnia « viæ, » id est opera ipsius, « sunt inquinatæ « in omni tempore, » id est nunquam fecit aliquod bonum.

Et ideo exacerbavit, quia « auferuntur judicia tua « a facie ejus, » id est a consideratione ejus, quia nec te attendit rectorem rerum, nec futurum judicem, et hoc ideo, quia « dominabitur omnium inimicorum suorum, » quia realiter subjiciet omnes reges terræ.

Vere dominabitur, quia « ipse dixit in corde suo, » id est tibi competenti, « movebor a generatione, » una mihi subdita « in aliam generationem, » mihi subjiciendam, sed « non sine malo, » id est quin eis mala inferam. Hic notat nimiam malitiam nequitiæ illius.

Ipse etiam talis est « cujus os est plenum malitia, » id est blasphemia in Deum « et amaritudine, » quia amara verba et turpia dicit hominibus « et dolo, » quia seducit homines per latentes seductiones, id est per promissiones, etc. « Sub lingua ejus labor et dolor, id est in corde ejus, quia nihil aliud cogitat, nisi ut fidelibus laborem et dolorem inferat. Vel

« sub lingua ejus, » quia audientes plus timent linguam ejus, quam laborem et dolorem.

« Sedet, » id est immoratur « in insidiis cum divitibus, » id est potentibus, per quorum auxilium homines decipiet, « in insidiis, » dico, positis « in occultis » locis. Occulte enim fallet homines, ad se prophetarum scripturas convertens, sic dicens : Ego sum promissus Messias. In me etiam completur prophetia quæ dicit : « Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei. » (*Psal.* LXXI.) Ad hoc sedet « ut interficiat innocentem, » spiritualiter.

« Oculi etiam ejus in pauperem respiciunt, » per affectum misericordiæ. Dicet enim · Movebor erga te, quia ita tribularis desine stultitiam illam, et converte ad me : exterius ostendit se habere affectum erga illos, sed interius « insidiatur, » hoc est quod dicit « in abscondito, quasi leo in spelunca « sua, » scilicet, cum comparat eum leoni, homines eum per violentiam sibi adhærere coacturum ostendit. Cum vero dicit, « in spelunca, » dolose eum agere insinuat.

Et ad hoc scilicet « insidiatur, ut rapiat pauperem, » et ne rapinam semper violentam intelligamus, subdit « rapere pauperem, » dico, etiam « cum attrahit eum, » id est dum aliquibus blanditiis seducit eum. Per hoc quod repetit, « insidiatur, » ostendit eum valde studiosum ad insidias.

Insidiatur pauperi ut rapiat, et rapiet, quia « humiliabit eum, » id est inclinabit eum sub suis legibus. « In laqueo suo, » id est ipsius Antichristi, quandiu aliis parat laqueum ipse in eo illaqueatur. « Inclinabit se, » id est paulatim descendet ad ruinam : quanto enim magis alios tribulat, tanto propior ipse est ruinæ, « et cadet, » quia Dominus interficiet eum spiritu oris sui, sed tum tandem cadet « cum dominatus fuerit pauperum, » quos sibi subjiciet.

Et merito cadet. « Dixit enim in corde suo, » id est tractavit in corde : quia sicut dixit, verum esse putavit : « Oblitus est Deus » suorum, et « avertit faciem suam, » id est præsentiam suam « ne videat, » opera quæ ego facio, puniendo eos, nec etiam « in finem, » id est nec in hac vita nec in futura. Videns Propheta homines futuros in tempore Antichristi, præ nimia tribulatione mortem expetere, inducens personam eorum precatur finem, et secundum adventum Christi, sicut etiam superius in persona eorum conquestionem facit. Continuatio :

Ipse dicit quod Deus oblitus est, sed tu « Domine Deus, exsurge, et exaltetur manus tua, » id est vindicta tua « ne obliviscaris pauperum, » sicut ille æstimat.

Et bene debes te vindicare de eo, quia « ipse impius irritavit Deum, » et propter quid irritavit? Id est quæ fuit principalis causa illius irritationis? Hæc scilicet « dixit enim in corde suo, » sic habens : Dominus « non requiret, » id est vindictam non accipiet : et ideo hæc irritatio maxima fuit, quia contra ipsum Deum sermo dirigitur, et hoc est ponere os in cœlum. Interrogando loquens, ad inquisitionem nos admonet : cum respondet inquirentibus satisfacit

Ipse dicit « non requiret » sed tu, Domine, vides, ut, qualiter « tradas in manus tuas, » id est vindictas tuas. Vere vides istud, quia nec profunditas cogitationum latet visum tuum : et hoc est quod dicit « quoniam tu consideras laborem et dolorem, » id est cogitationem de dolore et labore inferendo aliis. Unde superius dictum est : Sub lingua ejus labor et dolor.

Bene debes eos tradere in manus tuas, quia « tibi, » id est tuæ custodiæ « pauper derelictus est, » id est in nullo alio confidit, nisi in te solo, et pauper derelictus tibi non frustrabitur, quia « tu eris adjutor, » id est cui mortuus est diabolus, id est pater et mater, scilicet voluptas carnis. Diabolus ideo dicitur pater, quia omnes homines animales in peccato et generantur et nascuntur. Voluptas ideo mater : quia sicut mater gignit puerum, ita carnis voluptas nutrit stultum.

Quia tibi est pauper derelictus, ideo « contere, » id est annihila « brachium » id est fortitudinem et potentiam « peccatoris » in actu « et maligni » in voluntate, et jam tempus est ut destruatur ejus potentia : quia et illius nequitia est consummata, et Ecclesia illius persecutione purgata ; et hoc est quod subdit : « quæretur peccatum » ponamus ut quæratur quem locum habeat in Ecclesia peccatum illius « et non invenietur » locus ipsius peccati. Ubi enim nihil restat purgandum, ibi impius non habet locum.

Brachium illius conteretur « Dominus autem regnabit in æternum » et sic dico in æternum ut intelligatur « in sæculum sæculi » et ne gentes dicerent, et nos cum eo, subdit « vos, gentes, peribitis de terra illius » remoti scilicet, de terra viventium.

« Vere, gentes, peribitis, quia Dominus exaudivit desiderium pauperum » quia etiam « præparationem cordis eorum, » id est, ex quo habent voluntatem paratam sive a Deo, sive a seipsis « audit auris tua. » Alia translatio habet concupiscentiam ubi nos habemus præparationem, et ideo sic legamus, ut idem valeat cum concupiscentia : sic « desiderium exaudivit et præparationem, » id est id ad quod ipsi omni conatu virium nitebantur orando assequi.

Desiderium exaudivit, hoc scilicet, « judicare pupillo et humili, » id est ad honorem pupilli et humili ita judicare « ut homo non apponat, » id est non præsumat « magnificare ultra se super terram » scilicet, viventium, quæ terra dicitur propter soliditatem.

IN PSALMUM X.

TITULUS : *In finem psalmus David.*

« In Domino. » Iste scilicet psalmus convenit David prophetæ, qui et hic loquitur, dirigens auditores in finem, id est in Christum. Intendit enim in hoc psalmo nos admonere ut resistamus hæreticis. Materia est Christus, de qua sic agit. Ostendit eum in isto judicio suo quosdam excæcare, ut sunt hæretici. Ostendit

etiam quod adjuvet suos et protegat, ne succumbant illorum hæresibus. Ostendit etiam quod puniat illos impios, et sic incipit contra hæreticos, ac si diceret: Resistite hæreticis exemplo mei, qui « confido in Domino, » et ideo « quomodo, » id est qua audacia « dicitis, » id est audetis dicere? ad detrimentum animæ meæ « Transmigra, » id est transi de vilitate intelligentiæ scripturarum in qua es, ad altitudinem intellectus nostri: et hoc est quod dicit « in montem, » et tunc erit sicut passer. Quoddam genus est passerum, qui, relictis locis humilibus, nidificant in montibus, ut sibi caveant a laqueis. Istis passeribus putant hæretici illos esse similes, quos sibi adjungunt. Alia autem translatio habet, sicut avis, et secundum hoc dicit Propheta: Si ego transmigrarem ad vos, essem sicut avis, id est instabilis.

« Dixi confido in Domino, » et hoc necesse est « quoniam ecce » scilicet in manifesto est « peccatores intenderunt, » id est, sui parti applicuerunt « arcum, » id est divinam Scripturam. Dicendo peccatores, ostendit quod propter peccata sua excæcati sunt, « sagittas, » id est sententias suas « paraverunt, » id est, rationes et auctoritates ad eas verisimiles ostendendas inquisierunt, « in pharetra, » id est in venenato corde suo: ad hoc scilicet, « ut sagittent, » id est occidant ipsi « rectos corde » existentes « in obscuro, » sagittent in obscuritate, id est in simplicitate: ipsi hæretici sagittent, scilicet non illuminatos et sapientes viros, sed idiotas et eos qui Scripturas ignorant, aggrediuntur sagittare. Vel existentes « in obscuro, » id est in ambiguitate, scilicet quod admistione veritatis, suam falsitatem conantur tegere: « Sagittent (dico) rectos corde in obscuro, » id est in simplicitate, quia per Scripturas nesciunt se defendere.

Intenderunt (dico) arcum « quem destruxerunt » malis interpretationibus ea « quæ tu perfecisti, » id est, perfecta fecisti, divinam scilicet Scripturam: licet enim prophetæ et alii dicantur scripsisse, tamen ipsi nihil, sed Deus per eos scripsit. Vel « quem perfecisti, » id est Christum quem dicuntur destruere, aliquid de ipsius veritate negando, ut si ominbus aliis concessis, negarent virginem peperisse. Ipsi destruxerunt: « justus autem quid fecit? » id est Deus: per hoc quod dicit eum justum, innuit quod suos debet adjuvare, et adversarios reprobare.

Quid fecit? ecce quid fecit « Dominus » omnium est « in templo sancto suo » « Dominus, » id est qui dominatur omnibus suis quadam familiari dominatione; « in cœlo, » id est in suis secretariis: est ibi « sedes ejus, » quia ibi sine offensa requiescit et judicat.

Habitat in templo, sedet in cœlo, nec etiam minores derelinquit: et hoc quod dicit « oculi ejus, » id est affectus misericordiarum « respiciunt in pauperem » adjuvando, sustinendo: et « palpebræ ejus, » id est divinæ Scripturæ « interrogant, » id est comprobant: « filios hominum, » id est probant bonos et malos. Palpebræ ideo dicuntur Scripturæ, quia palpebræ clauduntur et aperiuntur, ita et divinæ Scripturæ. Divina Scriptura clausa bono, comprobat eum: quia licet bonus ignoret eam, non negligit, nec eam corrumpendo suum sensum apponit. Aperta comprobat malum: quia non gratiæ Dei, sed suo ingenio reputat et superbit.

« Interrogant filios hominum » quia ipse « Dominus interrogat justum et impium, » et bonus convenienter respondet, sed « qui diligit iniquitatem, » id est malus, ita respondet, ut in ipsa responsione appareat quod « odit animam suam. » Ex quo dixit, Dominus in templo sancto suo, ostendit quod Dominus suos protegat, nunc vero ostendit quomodo adversarios puniet. Continuatio:

Iniquus odit animam suam, et Dominus « pluit laqueos, » id est errores, quibus illaqueantur « super peccatores, » id est ad detrimentum peccatorum. Pluit dicit, quia sancta Scriptura, quæ aliis pluvia fructificans, ipsis vertitur in laqueos et errores: « ignis, » id est ardor concupiscentiæ « et sulphur, » id est fetida opera « et spiritus procellarum, » id est tempestuosi actus: est « pars eorum » pars dico « calicis, » id est judicii Dei. In hac vita judicium Dei vocat calicem: quia quibusdam vitam, quibusdam mortem propinat, vel calicem, id est æterni judicii est pars « ignis » infernalis « et sulphur, » id est fetor inferni « et spiritus procellarum, » id est impetus æternæ damnationis.

Ideo Dominus adjuvat suos « quoniam justus Dominus dilexit justitiam » et hæc est justitia, ut suos adjuvet. Pluit laqueos et cætera mala, quia « vultus ejus, » id est ira ejus quæ per vultum intelligitur « videt æquitatem, » id est malis remunerat quod justum est. Unde dicitur: Qui in sordibus est, sordescat adhuc.

IN PSALMUM XI.

TITULUS: *In finem psalmus David, pro Octava*

« Salvum me fac. » Qui enim et ipse hic loquitur, pro octava, non pro timore solius judicii, sicut superius in, « Domine, ne in furore, » sed pro habenda octava, id est æterna gloria, quæ dabitur in die illa, ad quam per istum Salvatorem quem inducit, feliciter putat pervenire: et dirigit nos in finem. Hortatur enim nos et suos contemporaneos et omnes alios, ut Christum finem suæ exspectationis ponant. Materia est Christus, de qua sic agit: ostendit salvationem humani generis per Christum esse promissam, et eum idoneum qui facere possit, per hoc quod ostendit eum esse contrarium vanitati, per quam vanitatem salvatio illa amittitur. A qua vanitate petens liberari, sic incipit:

« Salvum me fac, Domine, » ne istius sæculi vanitas mihi prævaleat, et opus est « quoniam defecit sanctus, » id est sanctitas abbreviata est. Dicens defecit, notat hominem in sanctitate fuisse creatum, et inter priores Patres plures fuisse sanctos. Vere defecit, « quoniam diminutæ sunt veritates, » id est abbreviatæ sunt « a filiis hominum, » id est ratio-

lium, quorum rationem debuerant imitari. Per hoc quod dicit veritates pluraliter, notat in multis hominibus veritatem quamcunque fuisse diminutam. Cum dicit diminutæ, notat depravata Dei munera culpis hominum evidenter.

Veritas est diminuta, et subintravit vanitas : et hoc est « vana, » id est ad veram salutem non pertinentia « sunt locuti, » et non pauci, sed « unusquisque ad proximum, » id est ad proximum decipiendum : ipsi dico, existentes « labia, » id est garruli, loquaces « dolosa, » id est occulte decipientes : et hi tales sunt locuti in corde, « in corde, » id est in multiplicitate, quia ad singulos decipiendos, diversa ingenia secundum modum personæ agunt. Hic imprecatur.

Ipsi loquuntur vana, sed « Dominus disperdat labia « dolosa » et inter labia dolosa ei maxime imprecatur, quod maxime nocivum erat cum dicit « linguam « magniloquam, » scilicet mundanorum philosophorum. Disperdat dicit, ut passim pereant, qui se in una pravitate collegerant.

« Qui » scilicet philosophi « dixerunt : Magnificabimus labia nostra, » id est magna dicemus de nobis : et hoc possumus, quia « labia nostra, » id est loquela nostra, « sunt a nobis, » id est ex nostro ingenio, de quibus Apostolus : Evanuerunt in cogitationibus suis (*Rom.* I) : « labia nostra sunt a nobis, » quia « quis est noster Dominus? » id est quis nobis dominatur? scilicet, in scientia.

Ipsi dicunt hoc, sed Dominus hoc dicit : Nunc quasi usque modo dormivi, sed nunc in tempore gratiæ « surgam, » scilicet propter removendam « miseriam inopum, » id est gentilium, qui ideo inopes dicuntur, quia neque per leges, neque per prophetas divitias cognitionis habebant, « et propter gemitum « pauperum, » id est Judæorum : qui ideo pauperes dicuntur, quia licet legem et prophetas habebant, non tamen ad salvationem sufficiunt. Per gemitum notat aliquos de adventu Christi maximam affectionem habere. Et hic incipit ostendere promissionem salvationis.

« Ego exsurgam, » et hoc quod facturus sum « ponam in salutari, » id est in Jesu, quia per eum salvabo humanum genus : et « in eo agam fiducia« liter, » non timide, sicut per servos, sed potestative : sicut completum est, quando ipse ejecit homines de templo (*Matth.* XXI).

« Fiducialiter agam in eo » et bene hoc potero facere, quia « eloquia illius Domini » sunt « eloquia, » id est magni ponderis, sicut dicitur : Hic vir est, id est maximus : et sunt « casta, » id est sine aliqua admixtione falsitatis : et sunt « argentum, » id est similia argento. Sicut enim argentum elegantius et clarius cæteris metallis tinnit, sic eloquia Domini dulcius omnibus aliis in auribus fidelium resonant; argentum dico « igne examinatum. » Sicut enim argentum comprobatur per ignem; sic Christus comprobavit sua eloquia esse vera per suam passionem : « probatum terræ, » id est purgatum a terra : sicut eloquia Christi sine omni terrenitate sunt, quia in nullo loco movent hominem ad appetitum terrenorum. « Purgatum septuplum. » Nam sicut argentum quod septies est purgatum purissimum est, sic eloquia Christi sunt sine omni labe, per septiformem Spiritum, qui Spiritus septiformis dicitur propter septem dona. Dicitur enim (*Isa.* II) Spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris Domini : et quod præcedit ultimum ponit. Per septem, universa dona sancti Spiritus accipi possunt.

« Tu, Domine, » qui talis es « servabis nos » in æterna beatitudine, quam per octavam intelligit « et « custodies » in hac vita « ab hac » pessima « generatione » quæ loquitur vana, ne eorum impugnationes me a tua veritate dimoveant, et sic ducendo me « in æternum. »

Nos servabis, custodies « impii autem ambulant, » id est laborant « in circuitu, » id est in appetitu terrenorum, in quibus nunquam ad verum finem pervenient : sicut ille qui vadit in circuitu, nunquam metam invenit. « Filios autem hominum, » id est rationalium, qui patrum ratione utuntur, « multiplicasti, » hic virtutibus tandem æterna retributione, non secundum eorum merita, sed « secundum altitudinem « tuam, » id est misericordiam. Cum dicit multiplicasti, respicit ad promissionem factam Abrahæ (*Gen.* XVI et XVII). Et in hoc ultimo versu brevem conclusionem utriusque partis ponit, bonorum scilicet et malorum.

IN PSALMUM XII.

TITULUS : *In finem psalmus David.*

« Usquequo, Domine. » Psalmus iste convenit David prophetæ qui hic loquitur : Psalmus dico, ducens in finem, id est in Christum. Intendit enim in hoc psalmo nos ad Christi charitatem invitare suo exemplo. Materia est ipse David, et alii sibi similes, de qua hoc modo agit : ponit se conquerentem de dilatione adventus Christi : ponit etiam petitionem ut cito veniat. In ultimo ponit se patienter ferre, si in tempore suo non veniat : et a questione sic incipit :

« Domine, tu oblivisceris me. » Oblitus Deus hominum ante adventum Christi fuisse dicitur, quia ante eum nullus in paradisum deducebatur, sed etiam justi, quamvis sine pœna, in inferno tenebantur : « et usquequo, Domine, » erit hæc oblivio? erit usque in finem temporum, id est ad tempus gratiæ. Bene sentio quia usque tunc erit, et « usquequo, « Domine, avertis faciem tuam, » id est Filium tuum : qui dicitur facies et imago Patris : id est, quare tardas mittere quem missurus es?

« Quandiu ponam ego et consilia » de adventu ejus « in anima mea? » et ponam ego « dolorem » de dilatione sui adventus « in corde meo per diem, » id est de die in diem. Per hoc quod dicit se dolere de adventu Christi, notat se erga Christum magnam charitatem habere, per quod nos quoque ad eamdem charitatem invitat.

« Et usquequo exaltabitur, » id est, dominabitur? Ante adventum enim Christi exaltatus de humana captivitate gaudebat: quia etiam justos retinebat « inimicus meus, » id est diabolus; exaltabitur dico « super me » et alios bonos. Hic ponit petitionem, ut mittat quem missurus est. Continuatio: Inimicus exaltatus est, sed tu, Domine, « respice » nobis mittendo Filium tuum: respice dicit contra hoc quod superius dixerat, avertis faciem, « exaudi me, Domine, Deus meus » liberando a diabolo, et in paradisum reducendo.

Respice mittendo Filium: et si non vis tam cito mittere, saltem « illumina oculos meos » scilicet interiores, ut habeam de eo verum intellectum « ne « unquam obdormiam in mortem » per negligentiam humanæ infirmitatis, et sic eundo in mortem animæ. Et etiam illumina, ne instinctu diaboli seduci possim: et hoc est quod dicit « ne quando dicat inimicus « meus, » id est diabolus, « prævalui adversus eum. »

Ne dicat « prævalui, » quia « si motus fuero, » scilicet a proposito boni operis, « exsultabunt qui tribulant me, » quorum exsultationem nunquam debes pati, quia ipsi sunt inimici tui, et exsultabunt si motus fuero, sed ego non movebor, quia « speravi in misericordia tua, » et in hoc de præcedenti incipit de patientia.

« Et speravi in misericordia tua: » et ideo etiam si oculis non videam ipsum Christum, tamen « cor meum exsultabit in Salutari tuo, » id est in Jesu tuo; et illi tali « Domino cantabo » mente, « et psallam » bona operatione « nomini Domini, » id est ad amplificandum nomen illius Domini « altissimi » et merito, quia ipse est « qui bona tribuit mihi. » Per « cantabo » theoricam, id est contemplativam vitam, notat: per « psallam » practicam, id est activam.

IN PSALMUM XIII.

TITULUS. *In finem psalmus David.*

« Dixit insipiens. » Psalmus iste convenit David prophetæ, vel cuivis justo. Apponunt quidam ipsi David, et tunc convenit soli Christo: dirigens nos in finem, id est in Christum. Materia est Christus visitator in hoc psalmo non receptus a Judæis, de qua sic agit: Increpat Judæos quod eum non receperunt, describit Judæorum malitiam, comminatur eis in fine: intentio est nos hortari ad fidem. Per hoc quod increpat eos de incredulitate et comminatur eis, monet ut non simus increduli sed fideles. Vox David prophetæ: et incipit ab increpatione sic dicens:

« Insipiens, » id est populus ille Judaicus, non attendens legem et prophetas, in quibus Christus eis promissus fuerat, nec attendens vitam ejus immunem a peccato, nec miracula quæ Christus faciebat « dixit » ore, et ut magis nequitiam eorum aggravet, et hoc habebat « in corde suo scilicet, » quod fecerat, non habens hoc a lege et prophetis: et hoc scilicet, iste homo qui est passibilis et mortalis, famelicus, etc., « non est Deus, » nec Filius Dei: unde A dicebant illudentes ei: « Si Filius Dei est, descendat de cruce et credimus ei (*Matth.* XXVII). » Et ponit causam quare hoc dicerent, quia excæcati erant propter peccata. Continuatio:

« Hoc dixit insipiens, » et hoc ideo quia « corrupti sunt, » id est a ratione veritatis decedentes, « et abominabiles, » id est detestabiles per malos actus, « facti sunt in studiis suis, » id est omni studio se in actus turpissimos demerserunt, intantum, quod jam « non est » aliquis inter eos « qui faciat bonum, » et quia quædam faciebant quæ bona videbantur, ostendit ea non esse bona, quia « non est » aliquis, « qui faciat bonum » donec veniat « usque ad unum, » id est usque ad Christum. Solus enim Christus est sine quo aliquod bonum humana fragi- B litas facere non potest ad quem postquam per fidem pervenimus, bonum facere possumus. Unde Apostolus: « Omne quod non est ex fide, peccatum est (*Rom.* XIV). »

Ipsi dicunt quod homo ille non est Deus, sed male dicunt, quia Deus est: et hoc est « Dominus Deus « prospexit, » id est misertus est « de cœlo, » id est de humanitate: quæ ideo cœlum dicitur, quia secreta divina ei commissa sunt. Vel quia sicut cœli a terra exaltati sunt, sic illa humanitas supra omnem creaturam exaltata est. Respexit dico « super filios hominum, » et ad hoc scilicet « ut videat, » non quod aliquid eum lateat, sed ut alios faciat patenter videre: hoc scilicet « si est » aliquis « intelligens » eum sese Deum; aut postquam intellexerit, sit C « requirens, » bona operatione.

Ipse prospexit, sed « omnes declinaverunt, » id est non curaverunt: et « simul, » id est ex quo declinare cœperunt « facti sunt inutiles, » id est intantum, quod « nullus est » eorum « qui facit bonum usque ad unum » ut supra. Quod dicit « omnes declinaverunt, » non de omnibus dicit, sed de illis qui dixerunt « non est Deus. » Hactenus eos increpavit, quod visitatorem suum non receperunt: nunc autem eorum describit nequitiam. Sciendum autem quod propheta istos tres sequentes versus in hoc psalmo non posuit, sed quia Apostolus Judæorum fidem increpans in epistola ad Romanos (*Cap.* III) ita contexuit, Ecclesia autem ejus tanquam et David auctoritatem attendens, ejus contextionem non per- D mutavit.

« Non est qui faciat bonum, » sed potius « guttur est sepulcrum patens, linguis suis dolose agebant, » sicut supra expositum est: et « sub labiis eorum, » id est in corde ipsorum est « venenum, » id est odium veneno comparabile: quia sicut venenum serpit per omnes venas, unde et venenum dicitur, ita illud odium totum hominem occupat, ut omnes hominis virtutes obstruat. Cum dicit « aspidum, » notat quod illud odium sit incurabile, et quod ipsi Judæi naturam aspidis habeant. Aspidis enim natura est, ut dum incantatur, alligat unam aurem terræ, et alteram cauda obstruat, ne incantationes audiat: sic et Judæi appetitu terrenorum et consuetudine

antiquam obstruunt aurem, ne audiant prædicationem Christi. Vel aliter « venenum aspidum est sub labiis eorum, » id est inferius quam verba eorum, quia magis sunt nociva verba eorum, quam venenum aspidum.

« Quorum os plenum est maledictione, » id est blasphemia in Deum, « et amaritudine, » quia amara verba dicebant ei : ut cum dicerent : « Crucifige eum, etc. (*Luc.* XXIII). » « Pedes, » id est affectiones eorum. Affectus ideo pedes dicuntur, quia sicut corpus per pedes portatur, ita mens per affectus in diversa rapitur, « sunt veloces ade ffundendum sanguinem » Salvatoris.

« Hæc omnia sunt viæ eorum, et in illis « viis eorum, » id est operibus eorum, est contritio, id est opera eorum merentur eis contritionem, id est æternam damnationem. Vel contritio, sicut fuit eis a Tito et Vespasiano in destructione Hierusalem, « et infelicitas in viis, » quando per totum mundum captivi ducti sunt. In viis eorum dicitur contritio esse, sicut dicitur latroni : In via tua crux est : et etiam sic afflicti « non cognoverunt viam pacis, » id est Christum, qui vere via pacis est. Unde et ipse ait : « Ego sum via, et veritas, et vita (*Joan.* XIV). » « Non cognoverunt. » Unde Apostolus : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II). » Cætera etiam mala fecerunt, quæ prædicta in eis fuerunt, ideo quia « timor Dei non est ante oculos eorum, » scilicet, cordis, quia eum non attendunt. Quod Christum non cognovissent, testatur auctoritas, dicens : « Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Dehinc ponit commimationem. Ipsi non cognoverunt, sed certe cognoscent : et hoc est. « Nonne cognoscent » tandem Dominum « omnes qui operantur » illam egregiam « iniquitatem, » scilicet mortem Domini, « qui etiam devorant plebem meam, » id est apostolos vel alios justos. Si loquatur Christus, bene dicit plebem meam, sibi subditam. Si loquatur Propheta vel alius justus, bene dicit plebem suam, de qua unus est : ipsi devorant dico « sicut escam panis, » quia sicut famelicus aliquis pane reficitur, sic illi tribulatione justorum reficiuntur.

Qui etiam Deum « non invocaverunt, » quia nisi per Christum orationes exaudiri non possunt, « illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor, » id est illum timorem quem interius habuerunt, quia tamen non esset habendus, exterius in corpore ostenderunt ; dicebant enim : Si credimus in eum, venient Romani et tollant nostrum locum et gentem. Ubi timendum esset, non timuerunt, cum justum non attendentes occiderunt. Sicut opportuno tempore timere prudentia est, sic timere quando timendum non esset stultitia est.

« Nonne cognoscent, » scilicet hoc « quoniam » id est, quod « Dominus est in generatione justa » et quoniam ipse in justis habitat, ideo timendum est illis qui eos persequuntur. Deum non invocastis, sed potius confudistis, id est, confusibilem ostendistis quantum ad vos « consilium » ejus, scilicet consilium reparandi humanum genus : ideo scilicet, quia illud consilium erat « inopis, et quoniam Deus est spes ejus » quia non confidebat, nisi in Domino, propter quod consilium ejus potius esset recipiendum quam rejiciendum. Christum testatur Apostolus fuisse inopem, dicens : « Cum dives esset, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* II). »

Vos « consilium eis confudistis » sed hoc stultum fuit, quia « quis veniet ex Sion, » id est, Judæa, « dabit salutare, » id est, salutationem « Israel, » id est, Israelitico populo : nisi iste ? nullus utique, et non tantum dabit salutare, sed « cum averterit » in futuro « captivitatem, » id est, passibilitatem et mortalitatem : et cujus ? « plebis suæ, » et cum averterit, exsultabit Jacob, id est, luctator contra peccata, scilicet active viventes « et lætabitur Israel, » id est, vir videns Deum, per quod contemplativos intelligimus.

IN PSALMUM XIV.

TITULUS. *Psalmus David. Vox David prophetæ.*

« Domine, quis habitabit. » In hoc psalmo materia est justus et spiritualiter Christus, de qua sic agit : Facit interrogationem et responsionem : in qua responsione describit justum, attribuens ei decem virtutes, quæ spiritualiter conveniunt Christo soli ; aliis autem justis quoquomodo possunt adaptari. Intentio est nos admonere ne præsumamus de regno Dei, sicut plerique cum injusti sint, tamen filios Dei se esse præsumunt. Et sicut aliquis sacerdos quærit responsa a Deo, et audita profert populo, ita Propheta quærit a Deo, qui sint habitantes in suo tabernaculo, cum dicit :

« Domine, » multos video qui se dicunt esse in tuo tabernaculo, sed « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo ? » id est in præsenti Ecclesia tua, ubi est locus militiæ. Tabernacula enim sunt domus expeditionales. Cum dicit « habitabit, » intelligit non solum intrantes, sed etiam perseverantes ; « aut quis tandem requiescet in monte, » id est, in securitate æterni regni, ubi nulla pugna, sed quies summa. Sicut enim qui in monte sunt, securi sunt ab hostibus, ita qui ibi erunt : monte dico « sancto tuo » quem tu sanctificasti. Postquam posuit interrogationem, ponit et responsionem, quasi ipse Dominus responderet.

Quæsivi quis habitaret, ecce quis, ille scilicet « qui ingreditur » in Ecclesiam Dei « sine macula, » Christus quidem sine omni macula, cæteri vero justi sine criminali peccato : et in hoc notatur una de decem virtutibus « et qui operatur justitiam » aliquam. Si enim sine macula ingreditur, et non facit justitiam, non est justus.

Ille etiam ingreditur « qui loquitur veritatem in corde suo, » id est, qui semper veritatem retinens, tacet eam auditoribus illis qui verbum Dei vellent conculcare. Bonum est aliquando verbum Dei reticere : unde in Evangelio præcipitur : « Nolite san-

etum dare canibus, et margaritas spargere ante porcos (*Matth.* VII). » Operari justitiam, secunda virtus, hæc autem tertia : Et ille « ingreditur qui non egit dolum in lingua sua, » id est qui veritatem prædicando nullum decepit, quia neque propter pecuniam, neque simili modo : et hæc est quarta virtus.

Et ille intrabit, qui « non fecit proximo suo malum » verberando eum, sua auferendo : et hæc est quinta virtus; « et opprobrium non accepit adversus proximos suos, » id est non fuit acceptabile sibi, dicere proximis aliquid causa opprobrii, et si aliqua turpia dixit causa correctionis, nec si alius dixit sibi gratum fuit : hæc est sexta virtus.

Et ille intrabit qui talis est, quia « in conspectu ejus malignus, » id est diabolus « ad nihilum deductus est, » id est nullius pretii habitus est : sicut Christus cum a diabolo tentaretur, dixit ei : « Vade retro, Satanas (*Matth.* IV). » Malignum nullius pretii facit, sed « timentes Dominum glorificat, » id est, justos honorat : et hoc versu notatur septima virtus.

Et ille « qui jurat proximo suo, et non decipit, » id est, firmiter dicit et non fallit : sicut Christus quidquid apostolis dixit, completum est : et hæc est virtus octava. Et ille « qui pecuniam suam, » scilicet terrenam, « non dedit ad usuram, » sed pecuniam suam Judæ tradidit pauperibus erogandam. Spiritualiter autem pecunia bene ad usuram præcipitur commodanda : et hæc virtus nona est. Et ille qui « munera super innocentes non accepit. » Munera quidem accepit Christus, sed non ut innocentes opprimeret : hæc virtus decima invenitur. Hæc autem omnia spiritualiter in Christo inveniuntur.

« Qui » vero alius secundum quod humana fragilitas non tantum loquitur, sed « facit hæc, non movebitur, » id est non separabitur a Deo « in æternum » sed ingredietur in tabernaculum Dei, et requiescet in monte sancto Dei.

IN PSALMUM XV.

TITULUS. *Inscriptio tituli ipsi David.*

« Conserva. » Propheta Esdras intelligens David scripsisse hunc psalmum de restauratione regni Christi, et providens etiam quod in passione ipsius Christi iste titulus scriberetur : « Jesus Nazarenus rex Judæorum; » et quod etiam illi titulo contradicerent, dicentes Pilato : « Noli scribere, rex Judæorum, sed quia ipse dixit, rex sum Judæorum (*Joan.* XIX), » ad confirmationem istius tituli, sic intitulavit psalmum istum. Ubi enim dicit psalmum esse inscriptum, ostendit etiam titulum esse inscriptum, quia de eodem agit, et titulus et psalmus, scilicet de regno Christi. Titulus autem sic exponitur : Ista inscriptio tituli, id est iste psalmus qui et titulus, quia de obtentu ipsius regni, sicut titulus in passione. Inscriptus est, id est immutabiliter scriptus : quia quicunque contradicant, ipse semper est rex Judæorum, id est vere Deum confitentium : et hæc inscriptio tituli convenit ipsi David, id est Christo, quia nusquam legitur David de se aliquem titulum scripsisse, neque etiam de eo alius scripsit titulum. Vel sic exponitur titulus : Tituli inscriptio ipsi David, id est operatio unde loquitur psalmus, est attribuenda David, id est Christo agente hoc pro sua victoria. Titulus enim apud veteres ad designationem victoriæ in triumphali arcu ascribebatur. Materia est regnum restitutum, id est fideles, de qua sic agit : Ponit infirmitatem humanitatis, et gloriam hæreditatis, id est suorum. Postea sub gratiarum actione agit de passione, resurrectione, ascensione, per quæ omnia facta est restitutio regni. Intentio vero est nos admonere ut non contradicamus titulo, sed confiteamur Christum esse regem Judæorum.

Vox Christi secundum humanitatem, et incipit ab infirmitate humanitatis, quasi positus inter pericula sic diceret :

« Domine Deus, conserva me » ne mihi istæ tribulationes prævaleant. Hic innuit ex se nihil habere : sed ex Deo « conserva me » et debes facere « quoniam speravi in te » spem meam posui te, et propter hoc etiam quod dixit tibi « Domine, Deus meus es tu, » id est multum mihi familiaris : ideo dico Deus, « quoniam tu bonorum meorum non « eges, » id est nihil boni ex me habeo, sed potius ex te : quia si aliquid ex me haberem, illo tu egeres, et non esses sufficiens. Cum Christus dicat ex se nihil boni habere, manifestat illos valde præsumere, qui ex se aliquid boni existimant habere. Hic incipit ostendere gloriam hæreditatis. Continuatio :

« Dixi Domino, Deus meus es, » hic autem Dominus « mirificavit, » id est mirabiles ostendit « omnes voluntates meas. » Voluntas Christi est, ut omnes impleant mandata ejus. Hanc voluntatem mirabilem ostendit Deus « sanctis » quando cognoscere facit, quod si hanc voluntatem impleant, impassibiles et immortales fiant. Sanctis dico « qui sunt in terra, » qui ideo dicuntur sancti, quia sunt in terra, id est, in stabilitate, non in fluctibus hujus mundi : terra, dico « ejus » scilicet benedictionis, non maledictionis, ut terra Adæ (*Gen.* III). Et quia aliqui possent cognoscere voluntatem, et tamen non posita esset in eis, addit « in eis » ita scilicet « mirificavit, » ut essent positæ in eis; « mirificavit » prius erant infirmi, et cum essent infirmi, sub naturali lege « infirmitates eorum, » id est peccata « multiplicata » per legem scriptam. Unde Apostolus : Lex subintravit ut abundaret delictum (*Rom.* V), « postea, » id est, postquam se cognoverunt non posse salvari per legem, sed potius multiplicari peccata : per eam « acceleraverunt, » scilicet ad Christum.

« Acceleraverunt » et ideo jam « non congregabo conventicula eorum, » id est conventus, instituta de sanguinibus » effundendis, sicut in alia lege. Sed jam non recipiam sanguinem, id est sacrificium de effusione sanguinis, vel agni vel hirci. Hic promittebat aperte liberationem ab onere legis Dominus;

« nec memor ero nominum eorum, » id est infamiæ eorum. Prius nominabantur fures alii, alii idololatræ, et cæteri similibus nominibus. Hic notatur remissio peccatorum, « non ero memor, » et hoc dico « per labia « mea, » id est per Vetus et Novum Testamentum, quæ Testamenta ideo dicuntur labia, quia sicut labia conveniunt ad aliquod verbum formandum, ita duo Testamenta in promissione remissionis peccatorum conveniunt. In Testamento Veteri, ut in Ezechiele : « Filius non portabit iniquitatem patris (*Ezech.* XVIII). » In Novo ubi Christus dixit apostolis : « Quorum remiseritis peccata (*Joan.* XX). » Vel per labia accipiamus apostolos, quia per eos loquitur Deus.

« Non ero memor nominum eorum, » sed « Dominus » erit « pars hæreditatis meæ, » quia cum alii sibi eligant vestes, aurum, etc., mea hæreditas solum Dominum facit suam partem, « et Dominus est pars calicis mei. » Per hæreditatem fidelium, Dei possessio : per calicem vero, ipsorum meritorum distributio intelligitur ; per calicem idem significamus quod per hæreditatem, sed secundum hoc quod Deus eis diversa dona distribuit ; vel per calicem intelligimus spiritualiter imitatores passionis Christi. « Dominus est pars, et tu, Domine, restitues hæreditatem meam mihi » quam ego primi parentis prævaricatione amiseram.

Et illa hæreditas est de præclaris, et hoc est « funes, » id est divitiæ vel electiones, vel divisiones « ceciderunt, » id est contigerunt. Invenitur cadere alibi in bono, ubi dicitur : « Sors cecidit super Mathiam (*Act.* 1) : » ceciderunt dico « in præclaris. » Ideo per funes intelligimus electiones : quia sicut per funes hæreditas dividitur, sic justi a reprobis electione, id est divina inspiratione sejunguntur. Hæ autem electiones ideo cadere, id est casu evenire dicuntur, quia quare Deus hos eligat, illosque reprobet ignoramus : dico « in præclaris mihi, » est enim præclara illa hæreditas mea, licet alii contemnant, quia pannosos et afflictos aspiciant. Hic incipit de gratiarum actione. Continuatio :

Dominus restituet mihi præclaram hæreditatem, et ideo « benedicam Dominum, » id est laudabo. Benedicere Dominum, est eum annuntiare et cognoscere de ipso, quæ de ipso sunt naturaliter : quem benedicere debeo, quia ipse est « qui tribuit mihi intellectum, » id est veram intelligentiam de omnibus rebus, et « insuper » benedicam de passione : et hoc est « renes mei, » id est carnales cognati. Per renes accipiuntur illi qui sunt de una generatione, quia in renibus est seminarium generationis ; « increpuerunt me » verbis et verberibus, etiam « usque ad noctem, » id est ad mortem.

Ipsi increpuerunt me, sed ego « semper providebam, » scilicet me resurrecturum « Dominum in conspectu » scilicet interiori « meo, » id est ita certus eram de resurrectione mea, ac si jam viderem : ideo providebam « quoniam » in ipsa passione « est » ipse « mihi a dextris, » id est in adjutorio « ne commovear » in aliqua tribulatione.

Quia ipse « mihi est a dextris propter, hoc lætatum est cor meum » de spe resurrectionis, « et exsultavit lingua : » ipsa enim perfecta est lætitia, quæ et hilari corde concipitur, et alacri sermone profertur. Unde ipse Dominus dixit : « Solvite templum, et in triduo illud reædificabo (*Joan.* II). » « Insuper, » id est, propter hoc « caro mea » etiam, id est corpus in sepulcro « requiescet in spe » quam ipse Christus habuit de futura resurrectione : unde Propheta dicit : « Dormiam et requiescam (*Psal.* IV). »

Hac spe scilicet « quoniam non derelinquam animam meam in inferno » sicut antea animæ sanctorum retentæ fuerant in inferno. Anima autem Christi in inferno non remansit, sed alias secum abduxit « nec dabis » me « sanctum tuum, » id est, corpus meum sanctificatum, « videre, » id est habere « corruptionem, » id est putredinem. Quod autem alibi dicitur eum fuisse corruptibilem, non est contrarium huic sententiæ, quia propter hoc tantum dicitur corruptibilis, quod ipse potuit vulnerari. Istud quod hic dicitur : « nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, » non posset David prophetæ convenire, de cujus corruptione certum est, testante Petro in Actibus apostolorum (*Cap.* II). Per hoc enim ipse idem ostendit prophetam annuntiasse de resurrectione Christi.

Non dabis videre corruptionem, sed potius « notas facies mihi vias vitæ » scilicet, facultates introeundi ad vitam veram, quas ante Christum nemo habuerat : « adimplebis me lætitia » in assumptione : me dico positum « cum vultu tuo, » id est in præsentia tua : et ibi mihi posito « in dextera tua, » id est in potioribus bonis tuis « delectationes, » id est, ineffabiles beatitudines « usque in finem, » id est Christum.

IN PSALMUM XVI.

TITULUS. *Oratio David.*

« Exaudi, Domine. » Cum in cæteris psalmis orationes contineantur, iste et quidam sequentium oratio appellantur, quia per totam suam contextionem continent orationes, et nos ad orandum informant. Oratio, id est psalmus qui vocatur oratio, attribuitur David, id est ipsi Christo. Oratio vero duobus nominibus accipitur : vel pro supplicatione, vel pro quacunque sermocinatione ; hic autem accipitur pro supplicatione. Materia est Christus orans, de qua sic agit : Orat restitui sibi secundum justitiam ante tempus passionis, scilicet, ut Deus dirigat gressus suos in semitis suis. Petit etiam liberari a Judæis in imminentia passionis : postulat etiam retribui sibi secundum sua merita, scilicet gloriam resurrectionis, et illis pœnam secundum merita sua mala. Intentio sua est, nos ad orandum instruere : in hoc primo versu et secundo, continentur illæ tres orationes quas diximus, quas postea singulariter exsequitur. Vox Christi ita dicentis secundum humanitatem :

« Domine Deus, exaudi justitiam meam, » id est adimple illud quod justitia mea petit. Expressius dicit justitiam meam quam verba, quia ipsa justitia clamat, scilicet, ut ante passionem dirigantur gressus

sui: « intende deprecationi meæ » de remotione miseriarum, ut nullatenus moveatur propter insidias Judæorum.

« Auribus percipe obsecrationem meam » de obtinendis bonis, scilicet de resurrectione. Oratio enim proprie dicitur de obtinendis bonis : deprecatio autem de remotione malorum proprie habetur. Quamvis exauditio, deprecatio, oratio, in Deo idem sint, tamen diversa ponit secundum similitudinem hominum. « Percipe orationem » quod debes facere, quia « non » est facta « in labiis dolosis, » quia neque fuit malum in ore neque in corde.

Priorem partem orationis exsequitur : hanc scilicet, « exaudi, Domine, justitiam meam, » hoc modo scilicet « judicium meum prodeat, » id est, judica me « de vultu tuo, » id est de affectu tuo, secundum illa B scilicet quæ in me aspicis atque cognoscis, et qua fiducia peto in me judicari secundum cognitionem, quia scio in me esse æquitates, et « has æquitates videant in me oculi tui, » id est cognitio tua.

Exsequitur illas æquitates, dicens: « Probasti, » id est, probatum ostendisti « cor meum, » id est voluntatem meam, quia nihil volui nisi æquitatem: et probando « visitasti, » id est, adjuvisti, quia sine tuo auxilio non posset subsistere « noete, » id est tempore adversitatis; « probasti cor meum » sic scilicet, quia « examinasti, » id est, examinatum ostendisti me « igne, » id est in ferventi tribulatione, ut scilicet, cum ejecerunt eum extra civitatem ut lapidarent (*Act.* VII); et in tanta examinatione C « non est inventa in me iniquitas. »

Hoc intantum verum est, quod « non est inventa in me iniquitas. Ut non loquatur os meum » scilicet quod non oportet os meum inde loqui, quia satis patet. Et quasi aliquis diceret: Quandoquidem in te non est inventa iniquitas, quare tu tribularis? Respondit « propter verba » scilicet implenda « labiorum, » id est prophetarum « tuorum custodivi ego » perseveranter sustinui « vias duras, » id est tribulationes. Alia translatio habet, vias latronis, et idem est. Vias dico « opera hominum » quas promerentur opera hominum, id est carnalium. Vel aliter: Intantum non est inventa in me, iniquitas, ut os meum « non loquatur opera hominum, » id est mendacium : et hic ostendit maximam ejus perfectionem. Perfectissimus enim est, qui nec lingua peccat. Mendacia D vocat hominum, quia homines a seipsis, non a Deo habent mentiri. Vel sic dico, quod « in me non est inventa iniquitas » intantum, « ut non loquatur os meum opera hominum, » id est ut ego loquar inde jactantiam sicut mos est hominum.

Et quia tam perfectus sum « perfice, » id est, usque ad finem conserva, ubi est meritorum perfectio tota « gressus meos, » id est opera mea, per quæ gradior « in semitis tuis, » id est, in arctioribus præceptis tuis ut in nullo deviem a præcepto tuo. Sic dirige gressus meos, ut etiam « vestigia mea, » id est apostoli et alii sequaces mei « non moveantur » a semitis tuis. Vestigia sunt signa pedum, et propter A hoc dicuntur apostoli vestigia, quia in ipsis apparent signa justitiæ Christi. Et quia sunt vestigia, non possunt esse perfecti, nisi ille quem imitarentur esset perfectissimus. Hinc incipit exsequi secundam orationem, scilicet, ut intendat deprecationem ejus. Continuatio :

« Perfice gressus » et etiam « inclina aurem tuam mihi, » id est, condescende mihi. Noscens enim suam infirmitatem non posset tantam dignitatem promereri, rogat ipsam deitatem ut se humiliet ad subveniendum ei, quasi infirmus aliquis qui non posset se erigere, et rogare medicum, ut se humiliet ad subveniendum ei « exaudi verbam ea. » Dico « inclina » et « exaudi verba, » et securus sum, quia « ego clamavi quoniam exaudisti me. » Hoc autem, scilicet clamare, B quoniam exaudiuntur, tantummodo sanctorum est, qui ex puritate suæ conscientiæ secure clamant, et exaudiri non metuunt: alii vero exaudiuntur quia clamant, quos sua conscientia in aliquibus accusat.

« Exaudi verba mea » et mihi abundantius facias quam aliis : et hoc est « mirifica misericordias tuas, » id est, mirabiles fac. In hoc enim misericordiæ Dei in Christo sunt mirificatæ, quia et immunis a peccato fuit, et omnes persecutiones patientius omnibus aliis tulit. Et bene debes mirificare « qui salvos facis sperantes in te » ne cedant tribulationibus.

Dico mirifica, ita scilicet « custodi me, » scilicet non me rapiant ad peccatum « a resistentibus, » id est a Judæis contradicentibus « dexteræ tuæ, » id est mihi Filio tuo. Ideo Filius Dei dextera dicitur, quia C per ipsum operatur Deus omnia; custodi dico « ut pupillam oculi » sicut oportet custodire pupillam. Bene se Christus pupillæ oculi comparat. Sicut enim pupilla est dignior pars oculi et totum corpus illuminat, sic et Christus est dignior pars Ecclesiæ, et totam Ecclesiam illuminat.

« Custodi me et protege » ut non sentiam æstum, scilicet, ut non invitus patiar « a facie, » id est a præsentia « impiorum. » Per faciem notat præsentem impugnationem : quare necesse erat ut protegeretur, « quia me afflixerunt; » protege dico « sub umbra alarum tuarum, » id est sub refrigerio misericordiæ et charitatis. Hic per simile loquitur. Sicut enim avis protegit pullos suos, ne æstum sentiant: sic Deus D Christum misericordiæ et charitatis refrigerio protexit.

Et necesse erat ut tu protegeres, quia « inimici, » id est Judæi, « circumdederunt animam meam, » scilicet, volentes tollere animam meam, id est vitam meam. Hoc modo quando cum gladiis et fustibus eum circumdederunt: concluserunt etiam « adipem suum. » Sicut enim aliqui pingues concludunt suam pinguedinem cum alia pinguedine, ita ut jam nihil possit in eos intrare: sic Judæi pingues, id est multis malitiis suas malitias concluserunt, ita quod jam nihil veritatis in eos intrare posset, propter peccatum Dominicæ passionis: et ideo « os eorum loeutum est superbiam » dicentium: « Nolumus hunc regnare

super nos: non habemus regem, nisi Cæsarem (*Luc.* A XIX; *Joan.* XIX). »

Circumdederunt cum gladiis et fustibus: et etiam circumdederunt me in cruce, quasi ad spectaculum crucifixionis « projicientes » extra civitatem « me nunc, » id est cum prius servos, nunc etiam meipsum hæredem missum ad vineam (*Matth.* XXI); « oculos, » id est intentiones suas « statuerunt declinare in terram, » id est, solam terrenitatem consideraverunt, scilicet timuerunt perdere legem et gentem. Vel declinaverunt oculos in terram, quia eum non Deum esse, sed purum hominem putaverunt. Circumdederunt me fustibus et gladiis, circumdederunt ad spectaculum crucifixionis: et hoc ideo, quia « susceperunt, » id est cum gaudio quasi munus maximum receperunt a Pilato, vel a Juda tradente, vel a Deo B promittente « me » ita parati ad mortem meam « sicut leo et catulus leonis paratus ad prædam. » Per leones illos majores persecutores Domini debemus accipere: per catulos inferiores, plebem scilicet. Quod dicit « habitans in abditis » occultum judicium Judæorum notat, occulte mortem Domini machinantium. Hic incipit de remuneratione et sua in bono, et persecutorum in malo orare. Continuatio:

Ipsi hæc mala mihi machinantur, sed tu qui hucusque videris dormisse « exsurge, præveni eum, » id est, Judaicum populum. « Præveni » per simile loquitur: sicut enim cum duo currunt, ille qui prævenit aufert præmium, et efficit voluntatem suam: ita Deus et Judæi, cum ad mortem Christi currerent, prævenit illos Deus, illum resuscitans, quem illi in morte C tenere volebant « et supplanta eum, » id est, subverte a similitudine luctatorum. Hoc dicit « preveni » ita scilicet « eripe animam meam ab impio, » id est diabolo, faciendo me resurgere: et bene debes facere, quia ipsa est, « framea, » id est, gladius, per quem debes inimicos devincere: eripe dico hanc « frameam ab inimicis, » id est a Judæis, qui sunt inimici « manus tuæ, » id est operationis tuæ. Operatio Dei erat humanum genus redimere.

Supplanta hoc modo « divide eos, Domine, de terra sua in vita sua, » id est, in vita eorum. Hæc divisio facta est in destructione Hierusalem per Titum et Vespasianum, quæ viventibus Judæis evenit. « Divide illos » dico, remotos « a paucis, » id est, apostolis. Vel paucos intelligamus eos qui angeli admonitione D annuntiantis destructionem Hierusalem, in regnum Agrippæ secesserunt. Et merito divides, quia « venter eorum, » id est carnalitas eorum, « est adimpletus de absconditis tuis, » id est de peccatis, quæ tibi abscondita sunt, non in cognitione, sed in perpetratione.

Et propter hoc etiam debes eos dividere, quia « sunt saturati, » id est, nequitia repleti in more Domini: saturati dico « filiis, » id est ad incommodum filiorum: et hoc modo « diviserunt reliquias parvulis, » id est, superabundantiam maledictionis suæ « parvulis suis, » id est, filiis suis. Cum enim dicerent: « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII): » non tantum sibi, sed etiam filiis suis maxime nocuerunt: quia usque ad hodiernum diem excæcati sunt. Vel « saturati sunt filiis, » id est, ad incommodum filiorum, quia « reliquias suas, » id est, quas debuissent facere suas, de quibus propheta dixerat: « Reliquiæ salvæ fient (*Isa.* X; *Rom.* IX): non fecerunt se illas reliquias, scilicet humiles et subditos, sed « diviserunt parvulis suis » qui per humilitatem et abjectionem sunt facti illæ reliquiæ. Alia translatio habet porcina, id est, immunditia. Quia Christus per totum psalmum suam infirmitatem ostenderat, ne ideo purus homo videretur, altitudinem ostendit. Continuatio:

Tu divides eos « ego autem apparebo conspectui, » id est, præsentiæ tuæ; et hoc completum fuit in B assumptione. « Apparebo » dico « in justitia, » id est, secundum hoc quod justitia mea exigit « et gloria tua tandem apparebit, » scilicet quod Filius est in Patre, et Pater in Filio: et hæc apparitio erit in judicio, et « cum apparuerit gloria, tunc ego satiabor » completo corpore meo. Tunc enim corpus Christi completum erit, cum Deo et Patri regnum tradiderit.

IN PSALMUM XVII.

TITULUS. *In finem puero domini David verba cantici hujus, quæ locutus est Domino, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul, et dixit:*

« Diligam te. » Hunc psalmum fecit David post mortem Saul (*II Reg.* II), exsultans quod ab inimicis C liberatus esset: non tamen quod de exsultatione sua scriberet, sed quia videbat Christum esse liberandum ab inimicis: unde maxime exsultandum putabat; non solum enim personam Christi, sed Christum cum toto corpore, et ante ipsum adventum, et post. Verba cantici hujus, id est verba hujus psalmi quæ agunt de spiritualibus, de quibus exsultandum est. Attribuitur David, id est, Christo puero, id est, servo Domini, quem bene per puerum significat, quia in puritate et simplicitate servivit Domino. Sunt enim quidam servi qui non dicuntur pueri, illi scilicet, qui pro timore pœnæ, vel spe temporalis mercedis Dominis serviunt. Si dixisset simpliciter puero David, posset intelligi de historiali David, sed Esdras per Spiritum sanctum intelligens hoc esse D dictum de spirituali David, apponendo cantici, removet historiam. Tantus enim ille propheta de temporalibus esse exsultandum non diceret: quæ verba locutus est complendo domino, id est ad honorem Domini « in die, » id est in tempore gratiæ « qua eripuit eum, » id est, Christum totum, « Dominus Deus de manu, » id est de potestate « omnium inimicorum suorum » tam visibilium quam invisibilium, « et de manu Saul, » id est de manu mortis. Per Saul ideo mortem accipimus, quia Saul petitio interpretatur. Petiit enim eum Israeliticus populus sibi in regem (*I Reg.* VIII), contra Domini voluntatem. Similiter homo quem Deus fecerat immortalem sub conditione obedientiæ, mortem quam Deus non

fecerat, ipse sibi manibus ac pedibus appetivit. Dico hæc verba attribuuntur Christo cum omnibus membris : verba dico, dirigentia nos in finem, id est, in Christum : intendit enim nos invitare ad dilectionem Dei per exemplum sui. Materia sunt munera vel misericordiæ Dei, salvatio, populorum subjectio, vindicatio de inimicis. De hac autem materia sic agit : Præmittit exsultationem de datore, ostendit calamitatem humani generis ante adventum Christi, et contra : remedia per adventum Christi tertiam partem de potestate ipsius Christi, quartam partem de commendatione ipsorum munerum. Vox Christi, et secundum suam personam et secundum membra. Continuatio :

Christus est locutus verba cantici hujus, et dixit : O Domine, dilexi, et diligo, et « diligam te. » Diligam dicendo, notat perseverantiam ipsius dilectionis : quia tu es « fortitudo mea, » quia in me sum imbecillis, in te fortis ad pugnandum contra malignos : quasi diceret : Vultis cognoscere illum ad quem loquor, ipse est, « firmamentum meum, » id est, faciens me firmum ne deficiam, « et refugium meum, » scilicet ad quem ego refugiam quasi ad turrim. Si enim ignorant fideles quid agendum sit, consilio divino instruuntur quid sit agendum : et quia posset esse fortis, firmus, et sciens etiam quod agendum esset, et posset deficere : quemadmodum quidam hæretici, qui putabant postquam essent instructi a Deo, per suas vires sufficere : subdit « et liberator meus, » id est, qui me liberat ab inimicis : quia si Deus manum subtraheret, statim deficeret.

« Deus, » id est, Creator meus, « adjutor meus » ad cooperandum, quia sine eo nihil boni possum facere, et ideo « sperabo in eum, » id est spem meam totam ponam in eum. Ipse etiam est protector meus. » Sicut enim aliquis protegit aliquem in bello ne vulneretur aliqua sagitta, sic Deus Christum protegit, ne eum etiam parva tentatio tangeret : et hic Christum cum omnibus membris accipimus. Quando enim vulnerantur, sicut David in adulterio (*II Reg.* XI), tunc membra Christi non sunt. « Et cornu salutis meæ. » Propter hoc dicit cornu, quia sicut animalia per cornu fugant inimicos, ita Deus inimicos Christi dissipat, et ipsum salvum facit. Hoc enim quod est cornu est causa salutis meæ. Hæc autem prædicta non fecit mihi ex mea dignitate, sed me quasi pupillum suscepit, et hoc est « et susceptor meus. »

Et quia hæc omnia fecit mihi bona, ideo « laudans invocabo Dominum, » id est, de habitis beneficiis laudans, invocabo de habendis, et per ipsum invocatum « ero salvus ab inimicis meis. » Totus Christus hucusque locutus est de exsultatione datoris, nunc in persona antiquorum patrum loquitur de calamitate in qua erant ante adventum Christi. Continuatio :

Et necesse erat ut salvarer ab inimicis, quia « dolores mortis, » id est, dolores de potestate diaboli, circumdederunt me, « et torrentes iniquitatis, » id est, iniquitates hominum quæ sunt sicuti torrens : quia sicuti torrens per pluviam crescit et impetuosus fit, sic iniquitates hominum tumultu crescunt, et in sanctos impetuose fiunt, « turbaverunt me, » id est, anxium fecerunt me.

Præterea etiam « dolores inferni circumdederunt « me, » id est pagani, qui pro merito malæ vitæ in inferno torquendi sunt. Vel :

« Dolores inferni, » id est, pœnæ infernales « circumdederunt me, » id est, ita certus sum quasi jam circumdedissent me, nisi adventus Christi redimat me. Item ponit alteram partem suæ calamitatis, cum dicit « laquei mortis, » id est, originale peccatum « præoccupaverunt me » etiam nescientem, quia ab ipsa etiam conceptione est homo illo peccato illaqueatus.

Et « in tanta tribulatione mea invocavi Dominum » et ab ipsa invocatione prorupi in clamorem, et hoc est « et ad Deum meum clamavi, » id est, omni conatu virium petii.

Contra hoc quod dixerat invocavi, ponit « et exaudivit vocem meam de templo sancto suo, » hoc sive de cœlo, sive de corpore Domini, quod est templum sanctum ejus, quia secreta Dei continet, competenter accipimus : contra hoc quod dixit « clamavi, et clamor « meus in conspectu ejus, » id est, in beneplacito ejus existens « introivit in aures ejus, » id est, exauditus fuit. Ostensis calamitatibus humani generis ante adventum Christi, ostendit remedia per ejus adventum humano generi a Deo facta, et ipsum adventum indicat nobis per quædam mysteria. Continuatio :

Exaudivit clamorem meum, quia misit Filium suum, in cujus adventu « terra, » id est terreni, « commota est » a securitate in qua erat, audita nova prædicatione, incerti quod tenerent ; « et contremuit » quia timuit eum futurum judicem, et suæ nequitiæ punitorem « et fundamenta montium, » id est, montes fundati « conturbati sunt. » Per montes divites vel claros hujus sæculi intelligamus, quorum fundamentum sunt divitiæ et honores in quibus sperant : quæ fundamenta conturbata sunt, cum, Christo veniente, cognoverunt in terrenis divitiis sperandum non esse. « Et commota est, » id est, commoti sunt ipsi divites ad pœnitentiam : ideo terra commota et conturbata, est « quoniam Dominus iratus est eis, « id est, quoniam Dominum sibi iratum propter peccata cognoverunt. « Iratus est eis, et in ira ejus, » id est, in consideratione iræ illius « ascendit fumus, » id est, pœnitentia. Ideo per fumum pœnitentiam intelligimus, quia sicuti fumus est primum indicium ignis, et movet lacrymas, ita pœnitentia est primum indicium charitatis, et lacrymas fructuosissimas exerit. Dicendo « ascendit » notat quod pœnitentia illa ad Deum ipsum erigatur, « et ignis, » id est charitas illa quæ pœnitentiam movebat « exarsit a facie ejus » id est, ab illuminatione ejus ferventior est facta. Per exarsit, apparitionem notat charitatis : « carbones » etiam succensi sunt, id est, homines,

in quibus ardor charitatis exstinctus est per culpam primi parentis « succensi sunt ab eo, » id est Deo dante ignem charitatis. Sicut enim proprie vocantur carbones in quibus ignis exstinctus est : ita homines proprie vocantur carbones, in quibus est exstincta charitas. Cum ostendisset remedia quæ fecit Deus humano generi, nondum ostendit per quem fecisset, sed modo ostendit per quem omnia illa facta sunt. Continuatio :

« Terra commota est » et cætera facta sunt, quia Deus « inclinavit cœlos, » id est, humiliavit cœlos, id est cœlestia, scilicet ipsam deitatem, et ipsos angelos inclinavit, per frequentem visitationem hominum. Vel ipsos angelos inclinavit, per commiserationem quam habuit per reparationem humani generis : et ipse Deus « descendit » uniendo humanam naturam. Inclinati sunt etiam angeli, cum accedentes ad Dominum ministraverunt ei (*Matth.* IV). « Inclinavit, descendit, » et licet ita sit humiliatus, tamen non perdidit potestatem, sed « caligo, » id est, diabolus, est « sub pedibus ejus, » id est, plenarie subditus est ei, sicut res quæ sub pedibus est. Per caliginem ideo diabolum accipimus, quia sicut caligo obtenebrat oculos, sic diabolus peccatores obcæcat, et caliginosos reddit ne valeant lumen veritatis agnoscere. Descendit dico, et ascendit ipse idem super omnem angelicam creaturam in ascensione exaltatus est. Per illum ordinem omnes alios accipimus « et volavit super pennas ventorum, » id est, ocior fuit sua fama quam venti : quia cum natus fuit agnitus fuit in Chaldæa per stellas (*Matth.* II) : dum crucifigeretur cognitus fuit Athenis, per obscurationem solis. Ventos describit pennatos propter agilitatem : cum bis dicit volavit, maximam ejus celeritatem notat.

Vel ita :

« Ascendit super cherubim, » id est, super omnem plenitudinem scientiæ : quia nullus tam plenæ scientiæ est, qui possit cognoscere illud secretum, quod penetravit in ascensione « et volavit super pennas, » id est, superavit agilitatem intellectus sanctorum. Per ventos sanctos accipimus, propter agilitatem : per pennas, velocem eorum intellectum, et si ipsi aliquid cognoverunt in eo : volavit, quia quoddam aliud erat quod cognoscere non potuerunt, et si illud aliquo labore cognoverunt, iterum volavit et iterum volavit. Per hæc prædicta nondum dixerat eum assumpsisse humanitatem, quod modo in sequenti manifeste ostendit. Continuatio : Illum qui ascendit et descendit non tantum credatis esse Deum, sed etiam hominem : et hoc est « et posuit tenebras, » id est, carnem humanam « latibulum suum, » scilicet, in qua carne divinitas latuit. Hic tenebræ accipiuntur in bono. Sicuti tenebrosum sermonem vocamus ubi magna profunditas est, « et in circuitu ejus tabernaculum ejus, » id est, militantes ei sunt in circuitu, id est proximi ejus, id est aliquam habent cognitionem et familiaritatem de eo : ex quibus ? scilicet ex illis qui sunt in tabernaculo, quidam sunt tenebrosi, quidam præfulgidi : « tenebrosa vero aqua, » id est obscura doctrina est « in nubibus aeris, » id est in superioribus nubibus, scilicet in prophetis. Hi enim prophetæ per mundum non sunt missi, propter obscuritatem prædicationis.

« Præ fulgore vero nubes, » id est, sancti apostoli : qui ideo « nubes » dicuntur, quia compluunt terram Dei, et fructificare eam faciunt spirituali doctrina, quæ « nubes præ fulgore, » quia manifeste prædicant et omnibus intelligibiles sunt « in conspectu ejus » quæ ideo præ fulgore dicuntur, quia præsentem illuminationem recipiunt a cognitione ipsius, et hujusmodi « nubes transierunt » in diversas partes mundi, annuntiare verbum Dei. Et ecce ex illis nubibus exit « grando, » id est objurgatio de peccatis « et carbones ignis, » id est, quidam qui mortui erant, fervore charitatis fiunt igniti.

« Nubes, » id est, apostoli transierunt, et « Dominus intonuit de cœlo, » id est de illis nubibus qui dicuntur cœlum, quia secreta cœlestia continent : « Dominus intonuit, » id est, per minas judicii increpuit, et ipse « Altissimus dedit vocem suam. » id est evangelicam doctrinam : et ecce « grando et carbones ignis. »

Et ipse Dominus « misit sagittas suas », id est, discipulos discipulorum, qui dicuntur sagittæ, quia vulnerant corda hominum verbo Dei : et eos ad quos sunt missi dissipant, quia alios assumpsit, alios rejecit ; misit sagittas, et per eas « sagittas multiplicavit fulgura », id est, multiplicia fecit miracula. Per fulgura miracula accipimus, quia sicut per fulgura homines terrentur, sic per miracula et per illa miracula « conturbavit eos » de peccatis ad conversionem.

Et per illas sagittas habuit mundus cognitionem veritatis, et hoc est « et apparuerunt », id est, omnibus cogniti sunt « fontes », id est sapientes : fontes dico « aquarum », id est, ex quibus fluunt multæ aquæ, id est multæ doctrinæ, quæ sapientia cum prius lateret, in eis modo cognita fuit : et per eosdem « fundamenta », id est, prophetæ per quos fundata est Ecclesia : fundamenta dico « orbis terrarum », id est, Ecclesiæ, quæ ex orbe terrarum, id est ex omni parte terræ collecta est « sunt revelata », id est manifestata : quia sancti apostoli et alii prædicatores etiam prophetarum Scripturam intelligibilem reddiderunt.

« Fontes apparuerunt » et hoc fuit « ab increpatione » prædicantium : qui cum alios increparent, per ipsam increpationem ab aliis esse sapientes cogniti sunt, « et ab inspiratione spiritus iræ tuæ », id est, per spiritum spirantem eis iram tuam. Ostensis sacramentis adventus, vult ostendere quid illa sacramenta faciant, scilicet Ecclesiam. Continuatio :

« Misit sagittas, » misit etiam Spiritum sanctum, « de summo », id est, de Patre. Dicendo misit, notat donum : dicendo de summo, æqualitatem. Cum dicit misit, non dicit eo quod minorem mittente missum intelligat, sed tota Trinitas mittit Spiritum sanctum :

« et accepit me. » Hoc loquitur Christus in persona totius corporis : « accepit », id est, quasi fugitivum collegit, et hæc acceptio est per inspirationem, « et assumpsit me » in dignitatem per fidem, per baptismum, per cæteras virtutes « de aquis multis », id est, de populis multis. Unde Joannes : Aquæ multæ sunt populi multi. Vel de aquis, id est, de multis baptismatibus : quia licet baptismus sit unus, tamen in multis populis fit.

Et me sic assumptum « eripuit de inimicis meis fortissimis, » id est dæmonibus, « et ab his qui oderunt me, » id est malis hominibus, et necesse erat ut eriperet « quia confortati sunt super me. » Quanto enim fideles magis tribulantur, tanto magis in fide accenduntur, et firmiores sunt, et alios ad fidem convertunt.

« Et prævenerunt me, » id est prævaluerunt secundum existimationem suam « in die afflictionis meæ, » id est in vita ista in qua sancti affliguntur. In alia enim vita non affliguntur, sed coronabuntur : et quod ipsi putaverunt me prævenire contra hoc « Dominus est factus protector meus, » id est clypeus, ne ulla persecutione vulnerer.

Protexit me Ecclesia, et per tantas tribulationes quæ aliquando in infirmioribus generare solent angustiam « eduxit me in latitudine » charitatis et in numero membrorum. Et quid bona ejus enumeremus « salvum me fecit » per hæc omnia, et hoc non meis meritis, sed sua magna gratia; et hoc est « quoniam voluit me » habere. Hæc omnia fecit per suam gratiam, secundum primordia salvationis, retributionem autem fecit secundum merita sua. Retributiones autem duæ sunt, et justis, et impiis: una in hac vita, una in alia vita. Justus in hac vita pro sua justitia accipit retributionem, quia justitiæ accipit incrementum, in futuro vero coronam. Impius in hac vita ut magis sordescat, æternum vero incendium in futura. Continuatio : Salvum me fecit pro sua voluntate, « et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, » id est secundum bona opera mea « et secundum puritatem manuum mearum, » id est secundum innocentiam mearum operationum, quod a malo abstinui, nulli nocui « retribuet mihi. »

« Secundum justitiam meam » dico « quia custodivi, » id est implevi « vias Domini, » id est præcepta Domini, per quæ ad Deum gradimur per bona opera « secundum puritatem manuum » quia non « gessi impie, » id est, non gessi illud unde vocarer impius, id est, non feci malum recedendo « a Deo meo. »

« Custodivi vias, nec impie gessi » quia « omnia judicia ejus » sunt in consideratione mea : et hoc est « in conspectu meo » omnia tam bonorum quam malorum, tam in hac vita, quam in alia : et ideo nec fessus humana fragilitate « repuli justitias ejus a me » sed perseveranter sustinui.

« Non repuli, » et ita « ero immaculatus cum eo » scilicet Deo. Oportet enim ut qui immaculato Domino vult adhærere immaculatus, sit ideo immaculatus, quia « observabo me ab iniquitate mea » quasi mihi naturali. Unde Apostolus : « Nati sumus filii iræ (*Ephes.* II). » Dicendo « observabo » notat cautelam esse adhibendam ad custodiam virtutum. Nunc agit de retributione justorum in futura vita. Continuatio :

In hac vita ero immaculatus, et in futura « retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum » habitam « in conspectu oculorum ejus, » id est in beneplacito misericordiæ ejus. Sicut enim aliquis potens rem quam diligit in conspectu habet, quam non diligit non vult in conspectu habere : sic Deus quod sibi placet dicitur aspicere, quod non placet negligere. Quia superius dixerat, justitiam meam, ne videatur justitia esse ab homine, ostendit quod sine Deo nulla justitia esse potest. Continuatio :

Dixi « justitiam meam, » et tamen « cum sancto, » id est ad hoc ut homo sanctus sit « eris » tu Deus, qui tu es « sanctus, » id est sanctificans, « et cum viro inocente, » id est ad hoc ut sit innocens « eris » tu « innocens, » id est faciens innocentem.

« Et cum electo, » id est ad hoc ut aliquis sit electus, id est separatus a perditis « electus. » Non dicit ideo electus, quod Deus esset in societate cum malis, sed « electus, » id est remotus æternaliter a malis : « et cum perverso, » id est cum illo qui se pervertit a te « perverteris » subtrahendo gratiam, perversum ad majorem adjuvabis : et hanc sententiam testatur alia translatio, quæ habet, perversum pervertes, et hæc est retributio quam Deus dat malis in hac vita.

Ideo dico quod in hac vita ita facies et bonis et malis « quoniam » in alia vita, « salvum facies populum humilem, » id est bonos, « et oculos superborum humiliabis, » id est affliges. Per oculos ideo superbiam accipimus, quia in oculis notatur superbia. Vel hoc modo litteram legamus. Continuatio eadem. Dixi « justitiam meam, » sed tu homo non eris per te sanctus, sed « sanctus eris cum sancto, » id est cum Christo suo adjutore faciens opera ejus, et « cum eo innocente, » id est per eum innocentem « innocens eris » et cum eo Christo « electo electus eris : et cum perverso, » id est diabolo, « perverteris. » Continuatio :

Ideo dico quod in hac vita justus et impius accipiunt retributionem pro meritis « quia tu » Deus, in alia vita « salvum facies populum humilem, et oculos superborum humiliabis. » Per hæc omnia supradicta intelligimus, quod Deus illuminat Ecclesiam. Quæ Ecclesia se videns esse illuminatam, orat Deum, ut per ipsam illuminet cæteros convertendo, et hoc est.

« Quoniam tu illuminas lucernam meam, » id est quosdam de Ecclesia ad hoc ut illuminent alios : qui dicuntur lucerna, quia in eis lumen sancti Spiritus resplendet. Meam dicit quia de sua societate sunt : et « tu, Domine Deus meus, illumina tenebras meas, » id est infideles et idiotas, qui sunt in tenebris, quia de

Deo cognitionem non habent : « meas, » id est prædestinati ut sint mei.

Rogo ut illumines tenebras, et hoc secure « quoniam eripiar, » id est eripientur illi mei qui adhuc sunt tenebræ « a tentatione » diaboli « in te, id est per te « et in Deo meo, » id est in auxilio Dei, in eo « transgrediar murum, » id est obstaculum peccatorum. Murus autem ille non est prorsus destructus, sed justi Dei auxilio illum transcendunt.

Bene dico, « in Deo meo, » quia ipse est « Deus meus » et « via ejus, » id est præcepta « est impolluta, » quia nihil immundum præcipit facere : « et eloquia Domini, » id est ipsa doctrina evangelica, est, « examinata igni, » id est cum diligenti examinatione sunt ædita, id est Spiritu sancto. Qui Spiritus sanctus ideo ignis dicitur, quia ardorem charitatis ponit in quibus est : et quamvis ita sit altus, tamen non deserit suos, sed « protector est omnium sperantium in se. »

Nullus est alius Deus, nisi iste tantus Dominus « quoniam quis est Deus præter Dominum, » id est præter eum qui ita dominatur? Aut, o vos, gentiles, « quis est Deus præter Deum nostrum? » Quasi si vos Dominum nostrum non habetis, nullum Dominum habetis. Hic incipit de potentia Christi.

Nullus est « Deus præter Deum nostrum, » et iste « Deus est, qui præcinxit me, » id est, præparavit me dominicum hominem divina « virtute » ad pugnandum contra diabolum : et istud præcingere fuit ab ipsa conceptione. Præcinxit dicit, contra hoc quod superius dixerat : « Præoccupaverunt me laquei mortis. » Sicut enim originale peccatum præoccupaverat humanum genus in conceptione, ita Spiritus sanctus significabat Christum ab ipsa conceptione, et per hoc « posuit viam meam immaculatam, » id est omnia opera totius vitæ meæ.

Qui etiam Deus « perfecit, » id est perfectos fecit « pedes meos, id est affectus meos « tanquam cervorum, » id est similes cervis. Sicut enim cervus vitat spinas, et transilit fossas, et lutosa loca, et ascendit in montem, ita Christus spinosa et periculosa delicta sæculi, et peccatorum foveas sancto voluntatis affectu transilit, et ad celsa cœlorum pervenit, et hoc est, ipse Deus « statuens me super excelsa. »

Hic etiam Deus « docet meas manus, » id est operationes meas « ad prælium » contra diabolum : et tu, Domine, « posuisti, » tu dico qui talem fecisti personam meam propriam « brachia mea, » id est illos per quos operor ego « ut arcum æreum. » Sicut si arcus æreus esset qui mitteret sagittas, quia æreus, infatigabilis esset : sic brachia Christi et sagittas mittunt quibus vulnerant corda hominum, et infatigabilia sunt.

Posuisti et « dedisti mihi protectionem, » id est defensionem, quæ est causa « salutis tuæ » id est a tedatæ, « et dextera tua, » id est Filius tuus, « suscepit me » dominicum hominem. Quia dicturus erat quod Christus per suos vinceret alios, præmittit A quamdam aptitudinem, per quam ostendit illos esse aptos ad hoc faciendum. Continuatio :

« Dextera tua suscepit me, et disciplina tua, » id est justitia qua tuos examinas, « correxit me, » id est meos de præteritis, usque « in finem, » id est usque ad consummationem : quia incorrectum remansit « et ipsa tua disciplina docebit me, » id est meos, ne ulterius peccent.

Et per illos « dilatasti gressus meos, » id est operationes meas per totum mundum notificasti « et vestigia mea, » id est illi in quibus signa justitiæ meæ apparent, « non sunt infirmata, » id est non sunt superati ad hostibus. Necesse enim erat, ut illi qui erant missi, ut alios docerent, irreprehensibiles essent in omnibus.

B Vel ita « disciplina tua correxit » meos et docuit, et sic « dilatasti » in virtutibus « gressus meos, » id est discipulos meos qui dicuntur gressus. Vel de Christo dicitur secundum Apostolum dicentem : « Ex his quæ passus est, didicit obedientiam (*Hebr.* v). » Discipuli dicuntur « gressus, » quia per eos Deus mundum ingreditur, et licet ita dilatati essent, non tamen superbierunt, sed sunt « subtus me, » id est mihi plenarie subditi, et ipsi idem qui præter aliud sunt « vestigia mea non sunt » infirmati.

Et per istos tales « persequar » ego ratiocinando « inimicos meos, » id est qui mihi contradicunt « et comprehendam illos » in ratione, quia non habebunt intus quomodo possint resistere « et non convertar » ab increpatione eorum « donec deficiant » C a secta sua, id est convertantur.

Quosdam persequar ratione sicut dictum est, alios « confringam » in tribulatione « nec poterunt stare » contra me, sed potius « subtus pedes meos cadent, » id est plenarie subjicientur mihi. Ostendit quod Christus quosdam sibi resistentes, suo dominio subjiciet, nunc de inimicis, id est, dæmonibus, et specialiter de Judæis ingreditur. Continuatio :

« Persequar inimicos, » et tu, Domine, « insurgentes in me, » id est diabolos qui volebant me opprimere, et regnum obtinere « supplantasti, » id est, inscientes dejecisti « subtus me, » id est sub potestate mea, quia nihil faciunt nisi permissione Christi : et præmittit causam per quam ostendit Christum esse dignum, cui subjicerentur illi dæmones, cum D dicit :

« Præcinxisti me virtute » deitatis « ad bellandum » contra dæmones et « inimicos meos » Judæos scilicet, qui dicuntur spiritales inimici Christi, partim « dedisti mihi dorsum, » id est sequaces meos fecisti. Sicut enim famuli dicuntur dorsum domini, quia sequuntur eum a dorso, sic sequaces Christi dicuntur dorsum : et partim « disperdidisti » sed « odientes me, » id est illos qui indurati sunt in odio mei.

« Disperdidisti, » et in ill adispersione « clamaverunt » ut liberarentur « nec erat » inter eos « qui salvos faceret, » quia dux eorum erat diabolus, qui eos liberare non poterat; « clamaverunt etiam ad Domi-

num, nec exaudivit » quia non quærebant exaudiri per Filium.

Tu dispersisti, et ego « comminuam eos, » id est, conteram eorum vires ne possint colligi in robur « ut pulverem, » scilicet per subtractionem gratiæ faciam eos et dissolutos et instabiles, nec illos ita redactos in pulverem dimittam in quiete, sed illos ponam « ante faciem venti, » id est, tales faciam qui deficiant, non exspectantes faciem venti, id est soliditatem tentationis, in prima tentatione deficiunt, « et eos delebo, » id est destruam « ut lutum plateārum. » Ut lutum platearum et in seipso inquinatum est, et alios coinquinat transeuntes per plateam, sic Judæi et in se inquinati sunt, et alios per plateas ambulantes, id est per terrena desideria, coinquinant exemplo vitæ suæ malæ. Desideria carnalia plateam appellat, quia per ea sine omni refrenatione ad diabolum transitur. Et ne aliquis putaret, istis Judæis deletis, Christum regnum suum amittere, ostendit se ab illis subtractum etiam obtinere regnum. Continuatio:

Illi delebuntur « me autem » o Deus « eripies, » id est, subtrahes « de contradictionibus populi, » id est de contradicente populo Judaico, qui semper mihi contradicit, et ereptum me ab illis « constitues me in caput gentium, » id est, ut sim rex gentium.

Ideo facies me regem gentium, quoniam « populus » gentium scilicet « quem non cognovi » corporali habitatione, nec prophetas misi, nec legem dedi « servivit mihi, » id est, credidit mihi: quia quicunque credit, servit, et ita quod « in auditu auris, » id est, ex quo audivit « obedivit mihi. » Laus ista gentium, est vituperatio Judæorum. *

Ideo eripies, quia illi qui debuerant esse « filii » mei, facti « alieni mentiti sunt mihi » mendacia dixerunt de me, negantes me esse Filium Dei, et multa alia, et ipsi idem « filii » facti « alieni » cum deberent innovari novo homine veniente « inveterati sunt, » id est, cum ante essent veteres, id est peccatores, magis peccatores facti sunt, et ipsi tales « claudicaverunt, » id est, erraverunt « a semitis suis, » id est pro semitis suis a se inventis. Ipsi autem invenerunt quasdam traditiones, scilicet ut lavarent manus antequam comederent, et ne immundum tangerent. Unde et Dominus in Evangelio: « Quare et vos transgredimini mandata patrum propter traditiones vestras? » (*Matth.* xv.) Vel ita: « Claudicaverunt, » id est, erraverunt « a semitis suis, » id est, quas debuerunt facere suas, quia in Scripturis litteralem tantum intelligentiam et non spiritualem habent. Quæ Scripturæ ideo dicuntur semitæ, quia bene intellectæ ducunt ad vitam. Claudicaverunt dicit per simile: sicut enim claudus uno pede firmus est, alioque infirmus, sic Judæi in litterali sensu sunt firmi, et spiritali infirmi: quia male et raro allegoria utuntur. Quorum claudicare claudus Jacob figuravit (*Gen.* xii).

Ipsi claudicaverunt, mentiti sunt, sed « Dominus vivit, » id est, viget in suis et regnat: et ipse « Deus meus sit benedictus, » id est, laudatur et ipse Deus « exaltetur » in multitudine credentium, dator « salutis meæ. »

Bene dico, sit benedictus, quia tu « das vindictas « mihi, » id est, vindicas de inimicis. Et incipit hic commendatio munerum « et subdis populos » ita quod « sub me, » id est, quod mihi obedientes fiunt: tu dico liberator meus de inimicis meis » etiam « iracundis, » id est ferventissimis.

Et etiam « exaltabis me ab insurgentibus in me, » quia quanto magis insurrexerunt, tanto magis Christus exaltatus est; et etiam surgentes diabolo sunt pressi, « et eripies me a viro iniquo, » id est populo Judaico, vel a quocunque impio.

« Propterea » omnia « confitebor tibi, » id est laudabo te, Domine, « in nationibus, » id est in diversis gentibus: « et psalmum dicam, » id est, bonam operationem faciam « nomini tuo, » id est, ad honorem tuum. Dum dicit, psalmum dicam, dat intelligere, quod non tantum bene operabitur, sed etiam aliis exemplum bonæ operationis erit.

Confitebor hoc dicens, Dominus iste est « magnificans, » id est magnificos faciens « salutes regis « ejus, » id est salvatos a rege suo, scilicet Christo: et hoc etiam dico, quod ipse facit omnia ex misericordia, et hoc est, et « ipse est faciens misericordiam David » scilicet significativo « Christo suo, » id est regi suo « et semini, » id est sequacibus suis: et hoc non ad horam, sed « usque in sæculum, » id est quandiu sæculum erit. Vel « David Christo suo, » id est uncto suo, et « semini ejus, » id est, Christo et sequacibus ejus.

IN PSALMUM XVIII.

Titulus. *In finem, alias victori, psalmus David.*

« Cœli enarrant. » Psalmus iste convenit David prophetæ qui hic loquitur: dirigens auditores in finem, id est, in Christum. Intendit enim auditores et maxime Judæos monere, ut relicta sua vetustate ad Christi transeant novitatem. Materia est incarnatio Christi de qua sic agit: commendat eam per commendatam prædicationem, propriam commendationem, per bonam etiam legem, per bonam institutionem, quam mundo attulit. Commendat eam etiam orando se mundari a peccatis, ut digne possit laudare eam, et sic a prædicatione incipit: Vos dimittite a vetustate mentem, et audite novam prædicationem, quæ maxime etiam ex dignitate ipsorum prædicatorum ostenditur audienda, quia « cœli », id est, apostoli « enarrant » ut rem non fictitiam, sed veram « gloriam », id est deitatem « Dei », id est Christi, « et firmamentum », id est apostoli firmi qui sunt in hac prædicatione Christi, « annuntiant » tanquam rem gestam « opera », id est miracula « manuum », id est operum ejus, id est operatricis deitatis. Bene apostolos firmamentum vocat in prædicatione Christi miraculorum, quia multi contradicebant, et multi eum passum vel mortuum prædicare erubescebant. Vel ita, ut opera sit nominativus singularis « opera manuum ejus », id est homo « annun-

tiat « firmamentum », id est, Ecclesiam esse firmatam, quæ Ecclesia firmata est, id est, stabilis facta est ab ipso Christo in inquietis fluctibus hujus mundi. Quod significatum fuit per firmamentum quod fuit factum inter aquas. Vel potest dici cœlos materialiter enarrare gloriam Dei, per stellam quæ mundo Deum factum hominem nuntiavit (*Matth.* II). Hic commendat ipsam incarnationem, per discretionem ipsius prædicationis. Continuatio :

Cœli prædicabunt, et ita « dies, » id est sapiens, « eructat verbum », id est, Filium Dei, « diei », id est sapienti. Eructat dicit ad similitudinem saturi : sicut enim aliquis satur ex interiori plenitudine eructat aliquid, sic sapiens ex abundantia loquitur, « et nox », id est humilis, « indicat nocti, » hoc est alii humili, « scientiam », id est temporalia de Christo, scilicet passionem, nativitatem, etc. Idem secundum hoc quod humilibus humilia, sapientibus alta prædicat, dies et nox appellari potest. Unde Apostolus Corinthiis : « Inter perfectos loquimur sapientiam, vobis autem lac potum dedi, non escam (*I Cor.* I). » Postquam ostendit discretionem prædicationis, ostendit magnificentiam ejus prædicationis. Continuatio :

« Cœli enarrant gloriam, » et omnibus linguis enarrant, et hoc est « non sunt loquelæ », id est linguæ, « neque sermones » modi locutionum : alio enim modo in eadem lingua loquimur sapientibus, alio modo mediocribus, alio modo inferioribus « quorum » sermonum « non audiantur voces eorum. » Rursus commendat eamdem prædicationem per latitudinem scilicet, quia per omnes terras divulgata. Continuatio :

Omnibus linguis sunt locuti, et non in una terra tantum, « sed sonus eorum », id est fama eorum, « exivit in omnem terram, » et non tantum modo sonus, sed etiam « verba » ipsa « eorum, » scilicet quod dicebant Christum incarnatum, natum, et cætera. Exierunt « in fines terræ », id est, in ultimas partes terræ, et non in una parte terræ tantum, sed in omnes : et hoc est quod dicit : « orbis terræ, » scilicet in circuitu. Hic commendat ipsam incarnationem per seipsam, ostendendo dignitatem ipsius. Continuatio : « Cœli enarrant, » et hæc omnia fiunt. Et quare hoc ? quia Filius Dei venit in mundum, et hoc est.

« Posuit tabernaculum », id est, carnem suam in qua militavit Deo « in sole », id est, in manifesto, vel in æstu tribulationis, vel in virgine, in qua humanitati conjunctus est, « et ipse tanquam sponsus », id est, similis sponso, scilicet, bene ornatus virtutibus, ita ut amica sua, id est Ecclesia, libenter eum reciperet, sicut aliqua sponsa sponsum « procedens de thalamo », id est, de utero virginis, ubi fuit facta sponsio, quia quando deitas univit se humanitati, cæteræ humanæ naturæ se liberatorem promisit : « thalamo dico suo », id est sibi convenienti : quia nullus a Deo potens rex tam bonum thalamum habuit.

Et ipse ita procedens « exsultavit ad currendam A « viam, » scilicet exsultanter cucurrit viam, scilicet omnia opera quæ fecit « ut gigas », id est comparabilis giganti. Sicut enim gigas non timet minas, non curat mollitiem, infatigabilis est : sic et Christus. Quia dixerat « posuit, et exsultavit, » et non determinavit quis ille esset, quasi aliquis quæreret, quis est ille ? per quædam indicia ostendit esse Filium Dei, dicens : « Egressus illius » qui hoc fecit, est « a summo cœlo », id est a Deo Patre, quo nihil altius est. Egressio Filii fuit manifestatio, quia cum prius esset occultus, per carnem se manifestavit. Per hoc quod dicit egressio, personarum distinctionem insinuat : per hoc quod dicit a summo, notat quod in summo, et sic eum Deo Patri æqualem.

Egressio fuit a Patre, et ipse qui egressus est, in B ascensione occurrit, id est, Patrem sibi invenit « et ille occursus ejus fuit usque ad summum ejus, » id est ad Patrem, quia nullum præter Patrem invenit, sibi æqualem. Unde dicitur : Egressus ejus a Patre, regressus ejus ad Patrem : « nec est qui se abscondat », id est, excuset « a calore ejus », id est a Spiritu sancto : quia ille omnia quæ in homine sunt novit. Unde dicitur : « Cum venerit Paracletus, ille arguet mundum de peccato et de judicio (*Joan.* XVI). » Per calorem Spiritum sanctum accipimus, quia ipse vere igne fidelium corda succendit. Unde Dominus ait : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat ? » (*Luc.* XII.) Et hic per calorem tertiam personam notat. Hic per legem et institutionem ipsius, ipsam incarnationem incipit commendare. C Sub nomine legis continentur ista sex : lex, testimonium, justitia, præceptum, timor, judicia. Continuatio :

Ipse egressus est, et illius « Domini lex », id est prohibitio, est « immaculata », id est immaculatos faciens, quia prohibet mala, et nihil prohibet quod faciendum sit. Et est etiam « convertens » non tantum manus a malis operibus, sed « animas », id est voluntates, quod nullatenus optent mala, et hoc facit per terrorem pœnæ : et est etiam « testimonium Domini, » id est, promissio æterni boni facta a Domino. Ideo promissio Christi testimonium dicitur, quia sicut testimonium nos certos reddit de re incerta, sic Christi promissio nos certos reddidit de vita æterna, quæ erat incerta nobis. Testimonium D dico « fidele », id est, credibile, et istud testimonium « præstans sapientiam », id est cognitionem de Deo, non elatis, sed « parvulis », id est humilibus. Humilis enim, audita promissione æterni boni, sollicite inquirit illius cognitionem.

« Justitiæ » illius etiam « Domini », id est illæ operationes quas ille docet facere, scilicet visitare infirmos, panem dare pauperi, et cætera, sunt « rectæ », id est, naturales : quia ipsa natura hoc exigit, ut nostræ naturæ tribulatæ compatiamur, nostra communia indigentibus faciamus, quia ipsæ justitiæ sunt « lætificantes corda. » Lætatur enim interius qui bene agit : « præceptum etiam Domini, » illud scilicet de charitate, spirituale est « lucidum » quantum ad

se « illuminans oculos » interiores. Quanto enim aliquis charitate accenditur, tanto majore Dei cognitione perlustratur.

« Timor » etiam illius « Domini » est « sanctus, » id est faciens sanctos. Est quidam timor qui non est bonus, scilicet timere tribulationes corporis. Unde Dominus: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* x). » Est quidam alius timor, qui bonus est, qui sic definitur : dilectio et reverentia cum pavore. Diligimus enim Deum propter misericordiam, pavescimus autem propter judicium; et de hoc timore hic agitur, quem Dominus in Evangelio comprobat, dicens : « Potius eum timete, qui potest animam et corpus mittere in gehennam (*Ibid.*); » et ille timor « permanet in sæculum sæculi, » id est quandiu succedit sæculum sæculo, id est per totam vitam hanc : vel « in sæculum » subsecutivum hujus « sæculi, » id est in æternum : quia etiam in alia vita diligemus Deum, nec potest unus non diligere : et propter omnipotentia « judicia » etiam, id est prædicta præcepta « Domini » quibus præcipit aliquid fieri, sunt « vera » et non indigent testimonio exteriori, sicut pleraque humana judicia, sed sunt « justificata in semetipsa » quia per se apparent justa. Ideo præcepta Domini dicuntur judicia, quia cum discretione facit, et judicia fiunt.

Et ista judicia sunt « desiderabilia, » id est digna desiderari, ab his qui non habent « super aurum et lapidem » non quemlibet, sed « multum pretiosum » et per hæc duo quæ in omnibus mundanis chariora sunt, innuit præceptum Domini omnibus mundanis et prætiosius esse et charius.

Desiderabilia sunt his qui non habent, sed qui habent, his sunt « dulciora super mel » quodlibet et sua via, sed mel dico quod est in favo, et hoc est « super mel et favum. »

Et per hoc patet quod sunt dulciora et digniora, quia « servus tuus custodit ea » et in hoc non stulte agit, quia « in custodiendis illis retributio multa, » scilicet pro his dabitur custodienti vita æterna. Hic incipit rogare, ut Deus ipsum mundet a delictis, ut digne laudare possit incarnationem, et de ea cogitare et digne loqui. Continuatio :

Ego laudo illam incarnationem, et ut digne possim laudare « munda me a delictis meis. » Occulta vocat peccata illa quæ ex se sunt, scilicet, quæ nullo suggerente fiunt, quæ secundum naturam suam non cognoscuntur. Ego dico occulta; quia « quis intelligit delicta? » Nemo scilicet; id est, quis est memor omnium delictorum suorum? Unde Paulus : « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus (*II Cor.* IV); « et parce » mihi « servo tuo ab alienis peccatis, » id est ab homine, vel diabolo suadente quæ committuntur. Vel « ab alienis, » id est hominibus vel diabolis : parce, dico, scilicet ne inducant in tentationem.

Et benedico, debes parcere, quia « si » maligni « non fuerint mei dominati » cum sim mundatus a propriis « tunc ero immaculatus » a communibus peccatis « et etiam emundabor a delicto maximo, » id est a superbia, quæ ideo delictum maximum dicitur, quia per illud etiam angeli ceciderunt et homo et maxime regnat etiam in bonis.

Etsi ero hujusmodi, tunc « erunt eloquia oris mei » talia « ut complaceant » tibi « et meditatio cordis mei » unde procedunt eloquia, erit « in conspectu, » id est in beneplacito « tuo semper. »

Tu, dico, « Domine, » qui es « adjutor meus » in bonis « et redemptor » a malis.

IN PSALMUM XIX.

TITULUS. *In finem, seu victori, sive ad victoriam, psalmus David.*

« Exaudiat te. » Loquitur hic Propheta, dirigens nos in finem, id est in Christum. Materia sunt prospera in Ecclesia, quæ videbantur multo tempore post futura. Prævidebat enim Propheta Ecclesiam prosperari in adventu Christi, in acceptione sacrificii, etc. De ea autem sic agit : optat illa evenire Ecclesiæ, et affirmat quoniam evenient. Et cum sic ostendit se optare, præponit nobis se exemplum pietatis, per quod nos ad pietatem invitare contendit : et ab optione sic incipit :

O Ecclesia! « Dominus exaudiat te in die tribulationis, » id est in tua maxima necessitate : et per partes ponit exauditionem, cum dicit « protegat te, » id est sit tibi clypeus « nomen Dei Jacob, » scilicet sicut Deus protegit Jacob, protegat te. Ecclesiam protegat sicut Jacob, qui « sicut Jacob supplantavit primogenito benedictionem (*Gen.* XXVII), sic Ecclesia Synagogæ nomen Dei, id est famam Dei : quia divinam essentiam tantum per famam intelligimus, ipsam autem rem nondum habemus. Unde Apostolus : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII). »

Et etiam « mittat tibi auxilium » ad cooperandum « de sancto, » id est de Christo, vel de cœlo « et tueatur te » contra malum « de Sion, » id est de speculatione, scilicet, de divinitate sua, per quam speculatur omnia.

« Memor sit, » id est memorem se ostendat per aliquam remunerationem « omnis sacrificii tui, » id est illius oblationis, quæ quotidie fit in altari. Omnis ideo dicit, quia licet unum sit, tamen in infinitis locis idem fit : et idem sacrificium quod vocatur « holocaustum, » id est totum incensum, quod totum se obtulit Deo secundum corpus et animam patiendo usque ad ipsam mortem. Hoc tale sacrificium « fiat pingue, » id est acceptabile. Trahitur hoc a sacrificiis antiquorum, quorum pingue sacrificium Deo magis placere dicebatur.

« Tribuat etiam tibi secundum cor tuum, » id est intellectum tuum, ita ut sicut intelligis, Deus confirmet in te, ne pervertaris ad aliquem errorem « et omne consilium tuum confirmet. » Consilium sanctæ Ecclesiæ est, ut neque adversis frangatur, neque prosperis extollatur. Et merito hoc peto, quia ero particeps illius boni. Et hoc est.

« Lætabimur » ego et filii Ecclesiæ, quorum ego sum unus « in salutari tuo, » id est in Jesu tuo « et magnificabimur, » id est, magni efficiemur « in nomine » Domini « Dei nostri, » id est quod in hoc sæculo nomen ejus portabimus, id est Christiani vocabimur.

Quia particeps ero, ideo opto, ut non tantum prædictas petitiones, sed « omnes petitiones tuas impleat « Dominus; » quod toties ponit optationes, affectum suæ pietatis ostendit. Hic incipit confirmare, quia vere ea propria evenient Ecclesiæ, quæ optaverat Ecclesiæ. Opto impleat, et affirmo quod implebit, quia « nunc, » id est, tanto tempore ante adventum Christi « cognovi, quem salvum fecit Dominus » Pater « Christum, » id est regem « suum » in resurrectione. Continuatio :

Salvum faciet in resurrectione et ascensione, et etiam « exaudiet illum » clamantem pro nobis repræsentatione humanitatis « de cœlo, » id est de carne sua, vel de cœlo materiali « sancto suo » quia « salus est dexteræ ejus, » id est Filii ejus. Ipse enim totius salutis dator est, et illa salus non est in infirmitate, sed « in potentatibus, » id est in magnis potentiis, qua nullo modo potest destrui sicut laus humana.

Salus istius Domini est in potentatibus, sed « hi » non attendentes gloriantur, scilicet « in curribus » et hi alii « in equis » et per currus et equos notat maximos honores, scilicet duo genera triumphorum : « nos autem invocabimus » habitatorem nostrum « in nomine Dei nostri, » id est per hoc quod tantum Dei nomen habemus, sed Christiani vocamur : vel famam ipsius habemus sine cognitione essentiæ. Ipsi sunt in curribus et in equis, et nos habemus spem in Domino, et illa superbia illis ad malum evenit, nostra autem humilitas in bonum nobis. Et hoc est.

« Ipsi obligati sunt » in vinculo peccatorum « et ceciderunt » de vitio in vitium; « nos autem surreximus » a peccatis ad virtutes : et non fuit illa resurrectio per æqualitatem, nec fuit qualiscunque, scilicet de uno ad alterum, et hoc est « erecti sumus. » Dicendo surreximus, notat arbitrii libertatem. Dicendo erecti sumus, notat gratiam adjutricem.

Et istum regem qui tales nos facit, ne permittas morte detineri, sed tu, « Domine, salvum fac » illum « regem » resuscitando ipsum : et per illum salvatum « exaudi nos in die qua invocaverimus, » id est, in tempore præsentis vitæ, in quo licet invocare. Vel præcipue in die resurrectionis, ereptis fidelibus à tenebris mortis.

IN PSALMUM XX.

TITULUS. *In finem, seu victori, alias ad victoriam psalmus David.*

« Domine, in virtute » materia est Christus rex, de eo sic agit : Describit virtutem et gloriam ejus, optat ut faciat quod bonus rex debet facere, scilicet parcere subjectis et debellare superbos. Intentio est, Judæorum incredulitatem improbare. Dum enim Christum ita gloriosum et potentem ostendit, admonet Judæos, ut a sua infidelitate discedant : deterret et eos, confirmans quod ipse suos inimicos puniet, cum dicit : « Pones eos ut clibanum ignis. » Et ad virtutis descriptionem sic incipit, et ad Deum Patrem dirigit orationem, sic dicens : « Domine, rex » iste Christus scilicet « lætabitur » non velut alii reges, qui aliquando cedunt hostibus, sed « in virtute tua » in eadem potentia quam tu habes per adjunctam divinitatem : tibi etiam rex ille « exsultabit » corporaliter « super salutari tuo, » id est, de salvatione, quam tu per eum facies humano generi : vel intendens supra salutare tuum « vehementer. » Bene dicit, ut quanta sit copia in beneficio, tanta sit gaudii magnitudo.

Exsultabit et merito, quia tu « tribuisti ei desiderium cordis ejus. » Spirituale Christi desiderium fuit : ut per mortem suam humanum genus redimeret. Cum omne desiderium sit cordis, ideo tamen apponit cordis, ut magis desiderium per expressionem notet, sicut in Evangelio : « Desiderio desideravi : » et etiam a « voluntate » spiritali quidem « labiorum ejus, » id est, quam ipse per labia proferebat « non fraudasti, » id est, nihil remansit inexpletum, quod ipse spiritaliter peteret : vel si habeatur, voluntatem, dicemus « non fraudasti eum » negando voluntatem ei.

Et merito tribuisti ejus desiderium « quoniam » tu « prævenisti eum » ante nativitatem « in benedictionibus, » scilicet dans illi benedictiones, faciens immunem a peccato, perfectum justitia, quæ nostrarum quoque benedictionum causa fuerunt. Benedictionibus dico « dulcedinis » quia ipsæ dulces fuerunt Christo, quia semper puritas suæ conscientiæ placuit. Quod dicit Christum præventum fuisse benedictionibus dulcedinis, dicit ad differentiam illorum qui præventi sunt maledictione amaritudinis, id est, peccato originali. Ponit aliam gloriam Christi, dicens : « posuisti » æternaliter « in capite, » id est, in propria persona Christi quæ est caput totius Christi, scilicet, dignior pars in toto Christo : totus Christus dicitur caput et corpus : « coronam » id est, apostolos, qui ideo corona dicuntur, quia sicut corona reddit personam insignem, et est præmium victoriæ : et illa corona fuit « de lapide pretioso. » Apostoli propter soliditatem et stabilitatem lapides appellantur : pretiosi, propter virtutum fulgorem. Exsequitur gloriam ejusdem regis per alias partes.

« Vitam » etiam æternam scilicet « petiit a te. » Et hic notatur vera humanitas, quæ non putat se sibi esse sufficientem, sed per humilitatem vitam a Domino sempiternam petit : « et tribuisti longitudinem dierum » non solum per centum annos, sed « in sæculum » subsecutivum hujus « sæculi, » id est, usque in finem sæculi, et etiam in sæculum subsecutivum isti sæculo. Non dicit longitudinem dierum esse in futura vita, ideo quod ibi fuit dies, sed propter spatium.

« Impones etiam super eum » ut super fundamentum « gloriam » gloriosos scilicet martyres « et magnum decorem, » id est magnos decores, ut Martinum et Hilarium, et cæteros confessores : ideo « impones super eum, » quia « gloria ejus magna in salutari tuo, » id est in verbo tuo sibi unito, cujus gloriæ decens erat manifestatio, quæ demonstrata est per hoc quod apostoli super eum fundati sunt. Bene dico impones super eum gloriam, et hoc, quoniam ipse est benedictio omnium gentium, et hoc est :

« Quoniam dabis eum in benedictionem » in hac vita dando virtutes, et « in sæculum sæculi, » id est, in alia vita dando coronam. Hic confirmat promissionem, quæ facta est Abrahæ : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXXII; *Galat* III). » Et etiam « lætificabis eum in gaudio » quod sui habebunt « cum vultu tuo, » id est, in præsentia tua, scilicet, quando fruetur perfecta cognitione tui. Tunc enim erit perfecta lætitia, cum tradiderit regnum Deo Patri. Ponit causam omnium prædictorum, ut sic dicamus : Ideo Deus dedit huic regi longam vitam, et alia quæ prædicta sunt, quia « rex » iste « sperat, » id est, omnium spem posuit « in Domino, » et non facit hoc pro confidentia meritorum, sed potius « in misericordia » ipsius Dei; « non commovebitur » a confidentia ipsius misericordiæ : et merito, quia « Altissimi est illa misericordia. Ostensa virtute et gloria ipsius regis, transit ad secundam, scilicet, optat ipsum regem exercere justitiam in bonos et malos. Hucusque direxit ad Patrem verba, modo dirigit ad Filium.

Quandoquidem tu talis es rex, ideo o Domine, « inveniatur manus tua, » id est, operatio tua « ab omnibus inimicis tuis, » id est, omnes qui modo sunt inimici, diligenter inquirentes opera tua, imitentur ea : et si qui nolunt ea ita invenire « dextera tua, » id est, virtus tua « inveniet » ad eorum damnationem « omnes » eos « qui te oderunt. »

Opto ut punias eos, et vere facies, quia tu « pones eos in clibanum ignis » id est, similes clibano ignis : quia sicut clibanus interius continet ardorem ignis, ita isti continent in se ardorem malæ conscientiæ suæ. Pones dico « in tempore vultus tui, » id est, in die judicii in quo tu ostendes vultuositatem tuam, id est iram tuam. Vel « in tempore vultus tui » in quo tu ostendes tuis perfectam cognitionem præsentiæ tuæ. Clibanus est, quicunque furnus, vel proprie vas quod calescit in igne, ut subtus coquatur, vel aliquid tale : et ille idem « Dominus » qui posuit eos ut clibanum « conturbabit eos in ira sua » cum dicet : « Ite, maledicti in ignem æternum (*Matth.* XXV). » Qua data sententia mox « devorabit, » id est, torquebit « eos ignis » materialis. Cum dicit ignis, notat genus tormenti quod interius torquet. « Pones eos ut clibanum, » et etiam « perdes fructum, » id est bona opera « eorum, » remota « a terra » viventium : cum vero desisterent a bono, perdebantur bona opera eorum, quia licet faciant aliquod remedium pœnæ, non tamen valet ad salutem : « et semen, » id est, vota « eorum » quæ dicuntur semen, quia sicut ex semine procedit fructus, ita ex votis opera. Semen dico separatum « a filiis » verorum « hominum. » Vel semen, id est, sequaces.

Ideo quidem perdes eos « quoniam mala, » id est destructionem, quam sibi a Romanis inferri timebant declinaverunt in te, » id est, verterunt in te : cum te morti traderent « consilia cogitaverunt, quæ non potuerunt stabilire. » Cogitaverunt enim per mortem ipsius retinere locum et gentem (*Joan.* XI), per quam potius utrumque perdiderunt.

Perdes eos, et « ideo pones eos dorsum, » id est curvos ad terrena et non intuentes cœlestia, scilicet asinos dæmonum, ideo « vultum, » id est cognitionem tuam, qui deberet esse « eorum præparabis » per introductionem gentium, et per asperationem gloriæ « in reliquiis tuis, » id est, ut ipsæ reliquiæ habeant cognitionem tui. Reliquias accipit illos, qui se faciunt humiles et abjectos.

Tu pones eos dorsum, et ut hoc possis facere « exaltare in virtute, » id est per virtutem deitatis, et « cantabimus voce et corde » « et psallemus » bene operando « virtutes tuas » laudando scilicet et imitando. In cantando contemplativam, in psallendo vero activam vitam intelligimus.

IN PSALMUM XXI.

TITULUS. *In finem pro susceptione matutina, psalmus David.*

« Deus, Deus meus, respice. » Psalmus iste convenit David, id est Christo, habitus pro susceptione matutina. Susceptio matutina hic accipitur Christi resurrectio, facta quando corpus corruptibile suscepit incorruptionem, et mortale immortalitatem (*I Cor.* XV). Per hanc susceptionem Christi habemus certitudinem nostræ susceptionis. Quod autem Dominica susceptio, id est resurrectio, mane fuit facta sacramentum est, quia per hoc datur intelligi, quod ipsa est principium nostræ resurrectionis, et ipsa resurrectio totum mundum illuminavit : sicut sol mane oriens paulatim ascendit, ut totum mundum illuminet. Et hic psalmus pro susceptione matutina agit, quia novam nobis institutionem proponit. Proponit enim hominem justum derelictum et passum, et etiam gloriam Dei Patris quam exhibet ei Christus resuscitatus, in quo etiam commendatur assumptio matutina, quia propter illam assumptionem fit glorificatio illa tota Dei. Habet alia translatio, pro cerva matutina, et tunc intelligimus per cervam humanitatem Christi, quæ naturam cervi habuit, quia in mane ista lutosa deseruit. Institutio nova in Christo fuit, quia ante Christum Deus justis tanquam infirmis temporalia bona remunerare solebat. Christo autem, cum omnibus justior esset, temporalia bona non tribuit, sed adversa hujus mundi, ut sic bona cœlestia obtineret; et per hoc dedit intelligere, quia jam post Christum temporalia bona hominibus non remuneraret, sed æterna. Materia est dominicus

homo : de eo sic agit : Ostendit derelictum, ostendit passum. Vel materia est passio Christi : ostendit postea gloriam Dei, in quo etiam gloriam Christi ostendit. Intendit nos hortari ad sustinenda adversa, ut exemplo ipsius appetamus prosperari in temporalibus, sed sustinendo adversa, cœlestia exspectemus : et per hoc dirigit nos in finem, id est, in Christum. Vox ipsius Christi directa ad Patrem, et incipit a derelictione sic.

« Deus, Deus meus. » Quod bis ponit « Deus, » notat se habere necessitatem orandi. Quod dicit « meus » notat se familiaritatem ad ipsum habere «respice in me » non deficiam in ista derelictione. « Respice in me » non est in Hebræo, sed septuaginta interpretes apposuerunt, secundum quos translatio hæc facta est. « Respice » dico « quia me dereliquisti » et non abundantem in temporalibus, sicut priores justos fecisti, sed potius egentem « quare me » justum sic dereliquisti? Non ponit admirationem quod ipse admiraretur, sed ut ostendat nos debere admirari, quod ipse tam perfectus non habuerit temporalem remunerationem suæ justitiæ, sicut priores justi. Unde dat nobis intelligere, non esse justitiæ exspectandam remunerationem temporalium, sed cœlestium : et non tantum me egenum fecisti, sed es « longe a salute mea, » id est, permittis me tribulari, et hoc ideo, quia « verba delictorum meorum, » scilicet fidelium, id est delicta mea clamantium, sunt « longe a salute mea, » id est, faciunt te longe a salute mea : longe, quia delicta non rogant mihi vitam temporalem, sed mortem per quam deleantur. Delicta dicit sua, non quod ipse fecisset, sed pro eis portavit pœnam, vel « delictorum meorum, » hominum. Exsequitur derelictionem. Non tantum me « dereliquisti, » sed etiam me clamantem non exaudies, et hoc est :

« Deus meus, clamabo per diem, » id est, per tempus aliquod : vel per diem, id est, in prosperitate « et » clamorem istum « non exaudies in nocte, » id est, in adversitate « clamabo nec exaudies. » In nocte clamavit, ut in imminentia passionis cum diceret : « Pater, si fieri potest transfer a me calicem istum : verumtamen non mea voluntas sed tua fiat (*Matth.* xxvi). » In die clamavit, cum eum in regem Judæi constituere voluerunt (*Joan.* vi). Cum dicit Christum se clamantem, et non esse exauditum, intelligendum est eum clamare secundum naturalem voluntatem, non secundum spiritualem. In omni enim justo duplex voluntas, naturalis scilicet, et spiritualis : naturalis est semper de temporali, scilicet, ut homo vitam præsentem diligat, mortem timeat, et similia. Hæc autem voluntas peccatum non est, si spirituali voluntati consentiat : sicut in Christo qui cum peteret secundum naturalem voluntatem, ut calix transferretur a se, consentiens potius spirituali subjunxit : Verumtamem non mea voluntas, sed tua fiat : sic et justi alii. Si vero spirituali naturalem præponat, peccatum est, ut si quis cum necesse sit mori pro fide, vitam custodiat. Et cum in omnibus aliis A justis ex necessitate sit illa naturalis voluntas, in Christo tantum fuit non ex necessitate, sed ex voluntate. Posset enim adjuncta divinitas omnem ejusmodi voluntatem expellere. Voluit autem ideo timere, ut de se aliis exemplum relinqueret : quod si in passione timerent, non ideo desperarent, sed potius tamen voluntati Dei, quam suæ obedirent. Et contra hoc quod aliquis posset dicere : Stulte clamasti, cum scires te non exaudiendum, dicit : hoc « non ad insipientiam mihi » est imputandum : quia quod sic fui derelictus, passus, clamans non exauditus, magna fuit sapientia. Per hoc enim fuit mea glorificatio, et humani generis reparatio.

Tu me dereliquisti, clamantem non exaudisti, sed tamen « tu habitas » in me « sancto » tu dico « laus B Israel, » id est, quem laudabat Israel, propter collationem bonorum temporalium. Vel, qui facis laudabilem Israel conferendo temporalia bona. Per Israel accipimus quemcunque justum de priori populo, quibus Deus dabat remunerationem suæ justitiæ, temporalia bona contrario modo quam huic justo.

Bene dico laus Israel, quia « in te speraverunt patres nostri » de habendis prosperis « speraverunt » etiam de removendis periculis, et tu « liberasti eos » sicut in mari Rubro (*Exod.* xiv). Ad te clamaverunt, veluti in deserto pro aqua, pro cibo, et salvi facti corporaliter recipiendo petita (*Exod.* xv *et* xvi). Quid singula enumerem? « In te speraverunt, et non sunt confusi, » id est, erubes- C centiam non habuerunt quod in nullo quod speraverunt fraudati sunt. Illi patres in omnibus sunt prosperati, « ego autem » qui perfectissimus eram et justus « vermis sum, » id est, conculcatus ut vermis « et non homo, » id est, non considerabant meam humanitatem : et etiam « opprobrium hominum, » id est, in quem projiciebant homines sua opprobria « et abjectio plebis, » id est, de quo dicebatur : Nunquam populus erit mundus, nisi abjiciatur. Vel ita « ego sum vermis » habens verbis naturam, scilicet, quia sicut vermis sine semine patris procreatur de terra, ita Christus de matre tantum, « non homo » tantum, sed et Deus. Vel « non homo, » id est peccator, quia peccatum quod est proprium hominis non habuit.

D Ego tam dignus, opprobrium hominum sum : et cum opprobrium sum, « quia omnes videntes me deriserunt, » scilicet « sunt locuti » de me « labiis. » Loqui labiis, est sine rationabili meditatione loqui : et sic etiam me deriderunt, moverunt, scilicet capita sua (*Mat h.* xxvii ; *Marc.* xv). Movere caput est genus derisionis.

Deridendo dixerunt : « Speravit in Domino » ut ipse dicit, modo « eripiat eum » a manibus nostris, vel saltem « faciat eum salvum » resurgere « quoniam vult eum. » Ipsi dicunt eripiat eum et similia, sed tu, Domine, « ne discesseris a me, » id est, fac me resurgere.

Et præmittit causam, quare non debet discedere

sic : ideo ne discesseris, « quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, » quia tu solus natura nulla adjuvante fecisti me nasci : quia cum in aliis soleat natura operari cum divinitate, in isto solo operata divinitas, non natura : et propter hoc non debes discedere, quoniam tu es « spes mea a juventute mea, » id est cum adhuc sugerem ubera, totam spem meam posui in te. In hoc maxime notat perfectionem Christi : et propter hoc iterum non debes discedere, quia « projectus sum ex utero, » id est ex quo sum natus, vilis habitus sum et egenus, velut quilibet abjectus, scilicet non sum projectus in Adam, scilicet non recepit me peccatum, sed « in te » qui me custodisti immunem ab omni peccato, propter quod non debes discedere a me. Et item propter hoc, quoniam « tu es Deus meus, » id est unitus : non tantum quando patebat per miracula, sed « de ventre, » id est ex illo tempore in quo adhuc eram in ventre. Cum invocat ne discesseris, ponit deprecationem contra derelictionem.

Rogo ne discedas, et opus est, « Quoniam tribulatio proxima est, » id est jam mihi imminet. Vel proxima, quia in mea propria persona est. Quod enim fit in rebus nostris vel amicis, propinquum est; quod autem in nobis ipsis, proximum est. Item propter hoc opus est, « quoniam non est » alius « qui adjuvet. » Hic incipit de passione.

Bene dico, quod tribulatio proxima est, quoniam vituli multi, » id est multitudo populi Judaici qui lasciviebant contra Christum, nullo compressi jugo : contra eum sicut vituli lasciviunt, quos nondum comprimit jugum. Hi tales vituli « circumdederunt me » ex quo incœperunt usque in ipsam mortem « tauri pingues, » id est ipsi principes contra Christum feroces « obsederunt me », id est mora et consilio quæsierunt me morte expugnare, ad modum obsidentium.

Et hi obsidentes et circumdantes « aperuerunt os suum, » id est multa locuti sunt « super me, » id est ad meam depressionem, « sicut leo rapiens et rugiens » rapuerunt, cum ante judicem traxerunt.

Deinde « effusus sum, » id est occisus sum fundendo sanguinem in latere. Et hoc est quod dicit : « sicut aqua. » Et bene comparat mortem Christi effusæ aquæ, quia sicut effusa aqua parat ruinam et etiam lavat, ita mors Christi quibusdam est ad ruinam, quibusdam abolitio : « Et dispersa sunt omnia ossa mea, » id est apostoli, qui robustiores erant in corpore Christi.

Et « cor meum, » id est doctrina mea, in qua exponitur voluntas mea, « est factum tanquam cera liquescens, » id est cum antea esset solida et firma in ipsis apostolis, igne passionis defecit. Cum enim vidissent eum morte teneri, diffidebant de sua doctrina : et in paucis non defecit, sed « in medio, » id est in communi « ventris mei, » id est meæ congregationis. In quibus ideo defecit, quia cum prius fortes fuissent, modo facti erant venter, id est molles.

Et etiam « virtus mea, » quæ prius virebat in eis dum facerem miracula, ipsa « aruit » exsiccata, et nihil valetudinis habere apparuit, reputata fragilis « tanquam testa. » Vel « aruit tanquam testa, » quia sicut testa combustione solidior et fortior fit, ita virtus, Christi igne passionis comprobata, robustior apparuit : « Et lingua mea adhæsit faucibus meis, » id est, qui prius solebam docere, conticui, ut nec Pilato interroganti responderem (*Matth.* XXVII). Potest hoc quidam legi ad allegoriam, quamvis hic locum non habeat; sic « lingua mea, » id est prædicatores mei, per quos ego loquor « adhæsit faucibus, » id est sanctis Scripturis, secundum quas ipsi prædicaverunt. Scripturæ dicuntur fauces Dei, quia per eas incorporat sibi aliquos, sicut per fauces bellua sibi incorporat aliquid. « Et deduxisti me in pulverem mortis, » id est redegisti me in pulverem per mortem, non quod corpus ejus putresceret, sed pulverem accipit quodcunque corpus postquam mortuum est, juxta verba quæ Dominus dicit ad Adam : « Cinis es, et in cinerem reverteris (*Gen.* III), » dans universalem sententiam de omni humana natura. Hæc sententia vera est illis qui vivi invenientur cum Dominus venerit judicare : quia licet non putrefiant, tamen in ipso raptu movebuntur vel in pulverem, secundum opinionem Judæorum. Potest et hoc allegorice legi, sed hic non habet locum : « deduxisti me » per prædicationem meorum « in pulverem mortis, » id est in gentiles, qui pulvis erant, scilicet non colligati vinculo fidei vel charitatis, et mortui in peccatis.

Hæc omnia mala ideo venerunt « quoniam circumdederunt me canes multi, » id est Judæi, qui dicuntur canes, quia, sicut canes, illatrant irrationabiliter : quia si videant insolitum aliquid, etiam si bonum eis afferat, illatrant; si videant solitum, etiam si inutile sit, applaudunt; ita Judæi doctrinam Christi quamvis bonam, tamen quia insolita erat, rejecerunt : si secundum suam legem prædicasset eis, gauderent, quia res solita quamvis inutilis esset. « Concilium malignantium, » id est principum qui mihi male volebant, « obsedit, me, » id est consilio mortem quæsivit.

Etiam « foderunt manus; » licet enim non per seipsos facerent, tamen dicuntur fecisse, quia præcepto ipsorum flebat. Melius dixit « foderunt » quam transfixerunt, quia sicut terra fossa fructificat, ita illa fossio Christi maximum fructum dedit : « et pedes meos » foderunt etiam, « dinumeraverunt omnia ossa mea, » non quod ipsi enumerare curarent, sed sic extenderunt quod enumerare potuerunt.

Per alios foderunt, sed « ipsi » in propria persona consideraverunt » ea quæ de me fiebant « et inspexerunt me » quasi rem beneplacitam, per quod notatur eorum duritia maxima : « Diviserunt sibi vestimenta mea » ad derisionem, « et super quamdam vestem meam, » scilicet inconsutilem tunicam meam, « miserunt sortem (*Matth.* XXVII ; *Joan.* XVIII). » Allegorice legitur sic : « Diviserunt sibi vestimenta mea, » id est Scripturas, de quibus hæretici diversas partes traxerunt, et super vestem meam, id est fidem catholicam, quæ semper manibus integra re-

manet, « miserunt sortem, » quia intelligimus eam per solam dilectionem dari.

Ipsi mihi ita fecerunt, sed « tu, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me, » id est ne differas meam resurrectionem usque in communem omnium, sed potius « ad defensionem meam conspice, » id est te intentum ostende meæ offensioni cito resuscitando.

Dico « conspice, » ita scilicet mihi faciendo « erue a framea animam meam, » id est a morte ne ipsam possit retinere, licet separatam a corpore. Mors ideo dicitur framea, quia, sicut framea, dividit animam a corpore : « et de manu canis, » id est Judaici populi, erue « unicam meam, » id est animam meam, quam dicit unicam, quia ipsa una immunis a peccato fuit : sic quærit erui, ut non sit vera opinio eorum, per quam ipsi existimabant eum in morte detineri.

Similiter « salva me ex ore leonis, » id est, diaboli, qui Christum in ore habuit, dum eum usque ad mortem deduxit. Et salva « humilitatem meam, » id est, me humilem « a cornibus, » id est, a superbis, « unicornium, » id est, superborum Judæorum. Per unicornem ideo Judæos accipimus, quia sicut unicornis uno solo cornu superbit, ita Judæi solo Veteri Testamento. Ostensa igitur Christi derelictione et passione, ne per hoc detineamur ei obedire, ostendit inde magnam glorificationem provenire Deo Patri, et ita ipsi Christo : quæ glorificatio est nobis remedium contra prædictam derelictionem et passionem.

Et bene debes me salvare, quia cum salvus ero narrabo nomen tuum fratribus meis, » id est, famam tuam, « fratribus meis, » id est, apostolis : quæ narratio non tantum verbis, sed maxime in missione sancti Spiritus fuit : et etiam « laudabo te, » id est, laudari faciam te « in medio, » id est, in communione « Ecclesiæ. » Convertit se ad ipsos cum dicit :

« Vos qui timetis Dominum, laudate eum » omnimode : et subdividit in partes, quos admonet laudare, activos scilicet et contemplativos. Activos ponit ubi dicit : « universum semen, » id est, imitatores, « Jacob, glorificate eum. » Contemplativos ponit ubi dicit « timeat eum omne semen Israel » ideo « quoniam non sprevit, » id est, prorsus abjiciet, « neque despexit, » id est, aliquo modo vilem habuit « deprecationem » mei « pauperis. »

« Nec avertit faciem suam a me, » id est, semper in beneplacito ipsius perstiti. « Et exaudivit me cum clamarem, » id est, eo tempore quo petebam exaudiri.

Et quia me clamantem exaudisti, ideo « laus mea est apud te in ecclesia magna, » id est, toto orbe collecta. Vel ita : Quia exauditus sum, ideo laus mea est in ecclesia magna, id est laudor apud te in ecclesia, id est, sicut tu laudaris et ego æqualiter tecum : et ut laus ista in Ecclesia sit perfecta, dabo psi Ecclesiæ corpus et sanguinem meum. Et hoc est « vota mea, » id est corpus meum, quod ego devovi offerre Deo in reparationem humani generis, « reddam, » id est, quod jam dederam in cruce, iterum dabo in altari ; et licet aliqui non intelligant, tamen erit « in conspectu, » id est, in cognitione « timentium eum. » Ideo per hoc sacramentum major laus erit Dei, quia istud est considerátio inter Deum et hominem, quod fœdus attendentes homines, inde Deum maxime laudant.

Hæc autem vota « edent pauperes et saturabuntur » recipiendo quod appetunt, scilicet remissionem peccatorum, incrementum justitiæ in hac vita, in alia coronam, et de hoc « laudabunt Dominum » illi scilicet « qui requirent eum, » et ita « vivent » in justitia « corda eorum, » id est, animæ eorum, « in sæculum sæculi, » id est, quandiu succedet sæculum sæculo, scilicet per totam hanc vitam : vel « in sæculum, » id est in hac vita vivet; « et in sæculum sæculi, » id est in alia vita vivent in gloria.

Dico « pauperes saturabuntur, » et non pauci, sed « universi fines, » id est, aliqui in universis finibus terræ « reminiscentur, » et sic « convertentur ad Dominum. »

Et ne acciperemus unum solum ordinem, scilicet rusticalem, vel aliquem talem per omnes partes terræ, dicit : « Et adorabunt in conspectu ejus, » id est, in beneplacito ipsius, « universæ familiæ, » id est, aliqui de omnibus ordinibus « gentium. »

Bene debent adorare « quoniam Domini est regnum, » id est, Dominus est rex omnium : « et ipse dominabitur gentium, » id est, exercebit dominium supra gentes suas, quia reget eos in justitia.

« Pauperes edent et saturabuntur, » et etiam « pingues terræ, » id est, impinguati in terrenitate, « omnes » de ecclesia « manducaverunt, » id est, Dominicum corpus gustaverunt, « et adoraverunt : » sed licet hoc aliqui non videant esse ad ruinam, tamen « cadent in conspectu ejus, » Dei, quem nihil latere potest. Cadent dico « omnes qui descendunt in terram, » id est, qui declinant ad appetitum terrenorum.

« Laudabunt Dominum qui requirunt eum; » « et anima mea, » id est, ipsi quos ego diligo sicut animam meam, « vivet illi, » id est, ad honorem illius, et non tantum justi præsentes, sed « et semen meum, » id est, imitatores mei, filii istorum, « serviet ipsi. »

Bene dico, « semen, » quia « generatio » est quædam « ventura, » et ipsa « annuntiabitur Domino » ab angelis, sicut angelus Tobiæ : « Ego obtuli orationes vestras ad Deum (*Lib.* III). Vel « annuntiabitur, » id est, prædicabunt, « Domino, » id est, ad honorem Domini generatio ventura, et per cœlos. Et hoc dicit « et annuntiabunt cœli, » id est, sancti prædicatores, « justitiam ejus, » id est Dei, « populo qui nascetur » non naturali nativitate, sed aqua et Spiritu sancto (*Joan.* III) « quem » ita « Dominus fecit » suum. In carnali nativitate operatur Deus et natura, sed in regeneratione solus Deus.

IN PSALMUM XXII.

TITULUS. *In finem psalmus David, sive canticum David.*

« Dominus regit. » Psalmus David, vox prophetæ, et habet hic materiam gratias Dei. De ea sic agit; ordinat decem gratias. Intendit nobis persuadere

non esse desperandum cum tales Deus gratias suas tribuat, et antequam de gratiis agat, præmittit quasi prologum et commendationem ipsarum gratiarum, ut ita dicam.

Nolite desperare, sed considerate quomodo « Dominus regit me » a seductionibus impiorum, sicut bonus pastor regit oves suas, et bene custodit ne lupi dilanient, et eo regente « nihil » necessarium quidem ad justitiam « mihi deerit. » Unde dicitur : Timentibus Deum nihil deest. Per hoc nihil mihi deerit, quia Dominus ponit me « in loco pascuæ » et cæteras quæ sequuntur gratias confert. Continuatio : « Nihil mihi deerit. » Mihi dico posito « in loco pascuæ, » id est, in divina Scriptura, quæ vocatur pascua per simile : quia sicut animalia in pascuis reficiuntur, ita fideles animæ divinis Scripturis impinguantur. Eamdem Scripturam locum nominat, quia in ea sola certitudo sufficientiæ invenitur, quam philosophi licet studiose quærerent in aliis, nunquam tamen invenire potuerunt in aliis scripturis. In nullis enim aliis præter divinam, cognitio Dei reperitur ; et quia se dixerat esse in loco pascuæ, et non dixerat quis eum ibi posuisset, subdit, « ibi me collocavit » Dominus. Ubi dicit se positum in loco pascuæ, notamus primam gratiam.

Ponit secundam gratiam, « collocavit me, » et ipse Dominus « educavit me super aquas refectionis, » id est, aquam baptismi, quæ dicitur aqua refectionis, quia per eam et a peccatis mundamur, et ad bonos fructus ferendos irrigamur, qui sicci ac steriles et quasi pulvis prius fueramus dissoluti. Et ponit tertiam gratiam cum dicit : « animam meam convertit. » Hanc gratiam conversionis ponit Augustinus primam, deinde gratiam baptismi, postea locum pascuæ : sed possunt etiam hoc ordine recte considerari, per prius aliquis per divinam Scripturam pascitur, deinde baptizatur, postea etiam convertitur, quia non tantum ante baptismum fit conversio, ut de infidelitate ad fidem, sed etiam post baptismum conversio est, scilicet, quia, dimissa priori vita, solam novam sequimur.

Quartam ponit gratiam, et ille Dominus qui animam meam convertit, « deduxit me, » id est quasi ignorantem rexit, « super semitas justitiæ, » id est per justa opera, quæ sunt semitæ : quia per ea recte ad vitam inceditur super, dat nobis intelligere, quod non tantum semitas illas cognovit, sed ut magister earum per eas alios incedere docuerit : et hoc non propter meritum meum, sed « propter nomen suum, » id est ut verum appareat nomen suum, scilicet quod Salvator dicitur. Ponit quintam gratiam, et sic jungitur.

Bene dico, « deduxit me super semitas justitiæ, » « nam » et quod majus est fecit mihi, scilicet, quod si persistam inter hæreticos, nunquam mihi nocere poterunt. Et hoc est « et si ambulavero, » id est diu permaneam « in medio umbræ mortis, » id est in medio hæreticorum, qui dicuntur umbra, quia habent corda obscura ad veritatem cognoscendam : et ideo mortis, quia qui intrant sectam eorum, in mortem incurrunt, quia vera vita privantur : sicut autem umbræ mortis, inter quas si quis intret, cito moritur : inter tales « non timebo mala », id est venenatas persuasiones eorum « quoniam tu mecum es » qui tuitione tuæ præsentiæ me defendis.

Et etiam « virga tua, » id est correctio tua « et baculus tuus, » id est adjutorium tuum, quo sustentatur aliquis fidelis, cum per se non possit subsistere, sicut infirmus baculo : « ipsa me consolata sunt » in virga, quamvis non videtur esse solatium, consolantur tamen et in hoc sancti, quia per hoc intelligunt et purgari se a peccatis, et in alia vita suæ patientiæ se magnum fructum consequi. Unde Apostolus : « Omnis disciplina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris, in futuro autem fructum affert pacatissimum (*Hebr.* XII), » et hæc est sexta gratia. Ponit septimam dicens :

« Parasti in conspectu meo, » id est habilem me fecisti qui intelligerem, « mensam, » id est Dominicum corpus, mensam dico, adjutricem mei « adversus » omnes « eos qui tribulant me. » Non solum enim Dominico corpore a vitiis mundamur, virtutibus replemur, sed etiam contra omnem persecutionem sustentamur. Octavam gratiam ponit cum dicit :

« Impinguasti caput meum, » id est mentem meam, « in oleo, » id est in Spiritu sancto qui penetrat animam, et fovet animam sicut oleum carnem. Vel « caput meum, » id est Christum, cui datus est Spiritus sanctus, non ad mensuram, de cujus abundantia cætera membra collætantur. Cum dicit « in oleo, » majorem abundantiam notat, quam si diceret oleo. Ponit nonam gratiam dicens : « Calix meus, » id est potus Dominici sanguinis, « inebrians, » quia terrenorum facit oblivisci, et etiam vitam præsentem contemni, ut in Laurentio patet et similibus : et ille calix « quam præclarus est ! » Multum scilicet, quia confert vitam æternam. Ponit decimam gratiam, per quam cæteræ novem conservantur, ut ita dicatur, ad custodiam aliarum gratiarum.

« Misericordia tua subsequetur me. » Sicut enim præcedit misericordia conferendo gratiam, sic subsequatur ad custodiam : nam si tantum præcederet, nullus collocata servare posset : « omnibus diebus vitæ meæ. » Ad hoc subsequitur, ut per gratias collatas et custoditas inhabitem in domo cœlestis Hierusalem « in longitudine dierum, » id est, in æternum. Si et habeatur, sic legatur : Subsequatur me misericordia Dei ut persistam in hac vita, « et ut inhabitem in domo Domini. » Et hæc est commendatio gratiarum, quod ostendit per has dari cœlestem domum.

IN PSALMUM XXIII.

TITULUS. *Psalmus David in prima sabbati.*

« Domini est terra. » Psalmus iste convenit David prophetæ hic loquenti in consideratione Dominicæ

resurrectionis factæ in prima sabbati, id est, in prima die septimanæ; quæ resurrectio Dominica fuit fundamentum Ecclesiæ, et fuit initium totius nostræ reparationis : quia nostra natura in ipsa Christi persona est jam facta impassibilis, immortalis, et per eum nobis spem dedit immortalitatis et impassibilitatis. Quod autem reparatio humanæ naturæ facienda esset in prima die, significavit creatio mundi, secundum materiam factam in prima die. Sabbatum est nomen totius septimanæ, et trahitur a dignitate diei, in qua quievit Dominus. Juxta quod in Evangelio dicitur : « Jejuno bis in sabbato. » Materia est Christus resuscitatus. Modus talis est : ostendit et ipsum ordinem obtinere, et ipsius regni amplitudinem : deinde ostendit quem honesti habitent in regno illo. Admonet etiam nos removere errores, ampliare virtutes, ut sic possimus recipere triumphatorem Dominum, et hoc idem est intentio. Et sicut aliquis admoneret homines regni alicujus, ut diruerent muros, et ampliarent portas ut cum magna exsultatione reciperent Dominum, ita propheta prævidens Christum in sua resurrectione obtinere regnum per totum mundum, admonet recipere istum triumphatorem.

Quia istius « Domini est terra, » id est, Ecclesia quam fundavit in sua resurrectione : « et plenitudo ejus, » id est, omnis copia virtutum quas habet Ecclesia, sunt Domini, quia Dominus dat Ecclesiæ : et ne intelligerem arctam Ecclesiam, scilicet in sola Judæa, ostendit Ecclesiam Domini esse collectam ex omni parte terrarum, cum dicit : « orbis terrarum, » id est, Ecclesia ex omni circuitu terrarum est Domini : « et universi qui habitant in eo, » id est, omnes filii qui quaque die generantur in Ecclesia. Cum dicit « habitant, » notat non quoscunque accedentes ad Ecclesiam, sed qui in fide Ecclesiæ usque ad obitum perseverant.

Bene dico, «Domini est terra,» «quia fundavit eam,» id est, stabilem fecit eam, « super maria. » Per « maria » accipit communes fructus istius mundi. Cum dicit « super, » ostendit quod Ecclesia non possit superari a fluctibus, sed potius superet fluctus. « Et super flumina. » Per «flumina» accipit sæculares principes, qui defluunt in curas populi, sicut flumina currunt in mare, super quos Deus fecit Ecclesiam, quia etiam principum persecutiones superat Ecclesia. Cum dicit « præparavit orbem, » notat ipsam Ecclesiam habere hæc per internam aspirationem. Ostensa amplitudine regni, ostendit quam digni sint ipsi habitatores regni : et hoc ideo ostendit per interrogationem et responsionem, ut per hoc majorem nobis ostendat certitudinem. Continuatio : « Domini est terra, et ipse fundavit eam, » sic.

« Et quis » ille tam dignus, qui « ascendet in » hunc « montem Domini? » id est in Ecclesiam, quæ dicitur mons propter stabilitatem et eminentiam virtutum. Proprie dicit, « ascendit, » qui magnus ascensus est de injustitia transire ad conformitatem Ecclesiæ : et quia posset ascendere et recedere cito, subdit « aut « quis » est ille qui « stabit, » id est, perseverabit, « in loco sancto ejus? » id est, in Ecclesia quam ipse sanctificavit.

Quæro quis ascendit, talis scilicet « innocens « manibus, » id est operibus, » ille scilicet cujus opera non nocent proximo : et quia propter hoc non esset tamen habitator illius regni, subdit « et mundo corde, » id est, qui nec voluntate proximum lædit : et quia licet in proximum non peccaret, nondum tamen dignus esset, subdit : « qui non accepit animam suam, » id est, voluntatem suam, « in vano, » id est, in istis terrenis quæ vana vocantur, teste Salomone, qui dicit : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (*Eccli.* 1). » Cum dicit vana non esse acceptabilia animæ suæ, innuit seipsum quantum ad se a peccatis mundum esse : et quia nec hoc sufficeret, nisi se bona fecisse ostenderet, supponit « nec juravit in dolo proximo suo. » Juravit quidem, sed non dolose, quia bene complevit quidquid proximo promisit.

Posita dignitate habitatoris, ostendit quam remunerationem talis habitator sit habiturus cum dicit : « Hic » præscriptus habitator « accipiet benedictionem, » id est, in hac vitam incrementa virtutum, in alia retributionem meritorum, a Domino » et hoc non per merita, sed per « misericordiam » datam « a Deo salutari, » id est, a Salvatore « suo, » qui dat benedictionem, quia per eum salus tribuitur : misericordiam, quia per eum peccata laxantur.

Et ne habitatores quos descripserat pauci putarentur, ostendit multos esse, nominando eos generationem. « Hæc est generatio. » Et ostendit duas partes istius generationis, activos et contemplativos cum dicit « quærentium eum, » id est, illorum qui quocunque opere quærunt habere Deum, ut retro ostium sint saltem contemplativos ubi dicit : « quærentium faciem Dei Jacob, » id est, cognitionem deitatis. Deum Jacob ideo dicit, quia laborant ut Deum videant sicut fecit Jacob.

Quandoquidem regnum tale est, et habitatores tam digni, ergo vos « principes, » id est, dæmones, qui dæmones dicuntur principes mundi : « attollite, » id est, removete » portas, » id est, vitia ab hominibus quos in errore tenetis, qui errores portæ dicuntur, quia per eos itur in æternum interitum : et » vos, « portæ æternales, » id est, virtutes quæ ducitis ad vitam æternam, « elevamini, » id est, ampliamini, « et introibit » in eos a quibus removentur errores, et in quibus ampliantur virtutes, « rex gloriæ. »

Ostendit dignitatem ipsius regis, interrogando et respondendo, cum dicit : « quis est iste rex gloriæ? » « Dominus » scilicet « fortis » in se ipso, etiamsi nunquam ostenderent « et potens » in omni creatura : et iste « Dominus » spiritaliter est « potens in prælio, » in quo devicit diabolum.

« Attollite, » idem geminat, per quod ostendit se erga hunc Dominum affectum magnum habere, in

quo intendit nos admonere hunc Dominum magno affectu suscipiendum esse.

« Iste rex gloriæ » est « Dominus virtutum, » id est, angelicorum omnium ordinum : licet virtutes proprium nomen sit unius ordinis, tamen fit commune omnium. Sciendum est quod David in persona sua utitur verbis angelorum. Prævidit enim per Spiritum sanctum, angelos præcursores Christi, ad infernum hæc dicturos : « o principes, » id est dæmones, « attollite portas, » id est, clausuras inferni, quibus tenetis animas sanctorum. Prævidit quoque angelos Christi præcursores, in ascensione hæc dicturos : « Portæ æternales, » id est, aditus in cœlestia, per quos nullus homo usque modo intrare potuit, « elevamini, » id est ampliamini, « et introibit rex gloriæ. » Prævidit quoque propheta hæc respondenda angelis : dixerunt enim dæmones angelis præcedentibus Christum ad infernum. « Quis est iste rex gloriæ, quem huc venientem annuntiatis? Sed hoc idem quæsierunt cœlestes angeli, cum eis ascensio Christi a præsentibus angelis nuntiaretur. Certum est enim quosdam angelos ignorasse ascensionem Christi donec viderunt, et videntes valde admirati sunt. Inquirentibus autem angelis tam infernalibus quam cœlestibus præcurrentes angeli responderunt : « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas, » ingeminant suam præceptionem, quia rem miram et incredibilem annuntiare videntur.

IN PSALMUM XXIV.

TITULUS. *In finem psalmus David.*

« Ad te, Domine. » Loquitur in hoc psalmo Ecclesia, quæ significatur per David : et est materia clamans in angustiis hujus mundi. De ipsa ita agit : petit levatæ animæ suæ vias Domini demonstrari, deinde petit misericordias quas consuevit Deus facere cæteris patribus, deinde describit justum, et ponit præmium justitiæ ejus, et promittit se vovere similem ei, et intendit admonere, ut patienter hujus mundi necessitatem, nec monet ad martyrium, sed ut communes molestias hujus vitæ patienter sustineamus, quas etiam omnes sancti confessores inevitabiliter sustinuerunt.

Et antequam petat demonstrationem viarum, præmittit levatam esse animam cum dicit : « Domine, » ego « levavi animam meam, » id est, animalitatem meam, quæ ejus naturæ erat, quod posset cito deprimi ab appetitu terrenorum, erexi « ad te, » id est, ita ut obediendo superiori vi animæ, tibi deserviet. Vel accipiamus superiorem vim animæ, ipsam animam scilicet mentem, velut si dicat fidelis : Animam meam, id est, mentem meam ad te contuendum levavi, id est, ad terrena hæc non permisi ab animalitate deprimi. Et quia cognoscit se mobilis naturæ, quæ per seipsam non possit erecta consistere, subdit : « Deus meus, confido in te, » id est, in custodia tuæ misericordiæ, et ideo « non erubescam, » id est, non retraham me ab aliquo bono incepto.

Neque alii retrahent me, per quod erubescentiam patiar, et hoc dicit : « Neque inimici mei » spirituales sive corporales « irrideant me, » id est, faciant irrisibilem. Tantum valet hæc optatio, quantum si diceret, non irridebunt, et vere non erubescam neque irridebor, cum levata anima in te confidam, quia ita est in omnibus. Et hoc est quod dicit, « etenim universi qui sustinent te, » id est, qui sub malorum persecutione auxilium tuum fiducialiter exspectant « non confundentur, » id est, non habebunt erubescentiam de aliquo.

Sustinentes non confundentur, sed omnes iniqui confundentur, tum quia inique agunt, tum quia supervacue. Et hoc est : « Confundantur omnes iniqua agentes supervacue. » « Supervacue » dicuntur agi illa sive bona sint, sive mala, in quibus nulla certa exspectatio est, et optatio quam boni tantum valet quantum affirmatio. Cum dicit, sustinentes non confundi, et iniquos confundi, maxime nos admonet ut sustineamus.

« Levavi animam meam; non erubescam, » et ideo « demonstra mihi vias tuas, » id est, communes præceptiones, quibus itur ad te, Domine. Bene dicit, « demonstra, » quia non est multum laborandum in cognoscendis viis Domini : « et semitas tuas, » id est, arctiora præcepta tua, quæ multis occulta sunt, et rectius ad vitam ducunt : sicut semitæ quæ strictæ viæ sunt, et rectius ad civitatem ducunt : « edoce me » illas. Bene dicit, « doce », quia ad eas cognoscendas non tantum demonstratio, sed doctrina maxima est adhibenda.

Et quia posset demonstrare vias, et docere semitas, et tamen parum prodesset, nisi eum Deus recte ire faceret per illas, addit : Domine, me positum in viis tuis et in semitis tuis « dirige, » id est, directum fac incedere « me » scilicet positum « in veritate tua, » id est, in Filio tuo, qui est veritas : vel in lege quam ipse Filius docuit, ubi sola veritas est. Et cum bona fecero, « doce me » ut ego intelligam et quæ feci, et quæ credo. Prius enim credit homo et operatur, quam intelligat quod credit et operatur. Unde dicitur : « Nisi credideris, non intelliges (*Isa.* VII). » Et Psalmista : « Annuntiaverunt opera Dei et facta ejus, et postquam annuntiaverunt, intellexerunt. » (*Psal.* LXIII.) Duas causas ponit quare debeat eum docere et dirigere, quia credit eum salvatorem esse suum, et quia sustinet eum : et hoc est « quia tu es « Deus salutaris meus, et te sustinui tota die, » id est, in omni tempore vitæ meæ.

Posita demonstrationis viarum petitione, transit ad petitionem misericordiarum, ut sic faciat sibi sicut consuevit facere antiquis patribus. Continuatio : Quia credo te salvatorem et sustineo, debes me dirigere : et si non sufficit hoc, sufficiat consuetudo misericordiæ tuæ, et hoc est : « Reminiscere, » id est, fac mihi sicut cæteris patribus facere consuevisti : « miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum. » Miseratio est exhibitio misericordiæ : misericordia est interior pietatis affectus,

ideo post miserationem misericordiam ponit : quia licet Deus non exhibeat quibusdam affectum misericordiæ quem petunt, tamen erga eos misericordia movetur : ut in Paulo (*I Cor.* XII), a quo licet non removeret stimulum quem petebat, tamen misericors ei erat, etiam in hoc quod dabat ei stimulum in custodiam virtutum : « quæ » miserationes « sunt a sæculo, » id est, ex quo mundus incœpit.

Tu petis misericordias, et quid vis tibi fieri? Hoc, Domine, quod « ne memineris, » id est, ne punias in alia vita « delicta juventutis meæ, » id est, levitatis meæ. Non dicit juventutis quantum ad tempus, quia hæc juventus potest etiam esse in senibus, in quibus levitas est, propterea per juventutem accipimus levitatem, quia in juventute levitas est. Delictum est, quando quod præcipitur fieri derelinquitur : B « et ignorantias meas, » id est, ea peccata quæ ignoro, ut originalia, vel ea quæ in pueritia feci.

« Delicta ne memineris, » sed potius « tu, Domine, memento mei, » id est, meæ naturæ fragilis, non secundum altitudinem tuam, sed « secundum misericordiam tuam, » sed nec misericordiam audeo petere secundum meritum, sed « propter bonitatem tuam memento mei, » quia tu solus es bonus.

Bene dico bonum esse Dominum, quia ipse « dulcis » alicui cognoscenti, sicut cibus gustanti : et hæc dulcedo est secundum misericordiam, « et rectus Dominus, » secundum justitiam : « propter hoc, » quia « dulcis et rectus dabit delinquentibus in via, » id est, in hac vita « legem, » id est, correctionem. C Per legem ideo correctionem accipimus, quia sicut lex et timorem incutit, et a malo cessare facit, ita quoque correctio. Vel per viam mandata Domini possumus accipere ; qui autem extra hanc viam sunt, his Deus nullam legem dat. Cum Deus punit peccatores, juste agit : quod punire habemus cum dicit legem dat. Quod facit hoc in via, id est, in hac vita, merito agit : quia in hac vita sola est locus correctionis. Bene ponit simul, « dulcis et rectus, » quia alterum temperat alterum. Dulcedo enim de misericordia Dei non desperare nos admonet, justitia vero negligentiam aufert.

« Dominus dabit legem, » et per hanc legem « diriget mansuetos, » id est, illos qui prius erant indomiti, et nunc facti sunt tractabiles et si percutiuntur D non repercutiunt, si maledicuntur non maledicunt : « in judicio, » id est, in discretione boni et mali. « Vel in judicio, » id est, in correctione ipsa quam Deus fecit ipsis, diriget eos mansuetos ad viam vitæ. Ipsa namque correctio est directio ejus, quia per eam et peccata laxantur, et virtutes conferuntur, « et mites, » id est, illos qui in natura sunt simplices, et qui nunquam feri fuerunt « docebit vias suas. »

« Docebit vias » quæ non sunt contemnendæ, quia « universæ viæ » illius, « Domini, » sunt valde dignæ, scilicet « sunt misericordia et veritas. » Quidquid enim Deus nobis facit, vel per misericordiam facit, vel per veritatem ; vel per quodcunque incedimus ad eum, misericordia vel veritas est. Si enim eamus A per tribulationem, Dei justitia est, quæ juste nos punit. Si autem per aliqua bona opera incedamus, misericordiæ Dei est, quia nihil boni per nos facere possumus. Quæ viæ non sunt notæ omnibus, sed « requirentibus, » id est, cum frequenti diligentia considerantibus « testamentum ejus et testimonia ejus. » Per testamentum sanctum Evangelium accipimus, ideo quia sicut aliquis testamento suo hæreditatem promittit, et præcipit hæredibus quid faciant, et testamentum morte confirmat : ita Christus hæreditatem promittit in Evangelio, et dat suis præcepta vivendi, et morte testamentum suum confirmat. Per testimonia ejus Scripturas prophetarum accipimus : prophetæ enim testes fuerunt promissionum quæ in Christo completæ sunt.

Quia « dulcis et rectus » es, securus sum quod tu « propitiaberis peccato meo » condonando illud, et non propter meritum meum, sed « propter nomen tuum, » quia tu es Jesus, id est, Salvator. Bene dico, « propter nomen tuum, » quia propter peccatum non « multum enim peccatum. »

Hic incipit de tertia parte, describens justum et ejus præmium, et similem ei se futurum asserit. Continuatio : « Propitiaberis » mihi qui sum peccator, sed « quis » justus? Et hoc est, « homo qui timet Do« minum » filiali timore quis est? Hic scilicet « qui elegit sibi viam, » id est, sive activam sive contemplativam vitam. Dicendo elegit, notat duo, et quod ex sola voluntate fecit, et quod eam ab aliis separavit : in qua via « statuit ei » Dominus « legem, » id est, præcepta secundum quæ viveret, scilicet, justus est ille, qui et vitam et in ea secundum legem Domini incedit.

Et ponit justi præmium cum dicit : « Anima ejus, » justi, « demorabitur in bonis » locis ante judicium, « et semen ejus, » id est, bona opera ejus, « hæreditabit, » id est, faciet eum hæreditare « terram » viventium, et hoc erit in communi resurrectione. Contra hoc quod aliquis diceret, neminem posse perseverare in bono propter mobilitatem naturæ, et ideo amittere illud bonum dicit :

« Dominus est firmamentum, » id est, firmans justos in bono in hac vita, non superbis, sed « timentibus Deum, » quia timor Domini contrarius est humano timori. Humanus enim timor diffidentiam tribuit, divinus autem firmamentum spei. Et etiam promisit suis, quod seipsum manifestaret eis, et hoc est « testamentum ipsius, » id est, promissio ipsius est hujusmodi « ut » ipse Dominus « manifestetur illis. » Vel « testamentum, » id est, Evangelium est tale « ut manifestetur illis, » id est, ut habeant intellectum ipsius Evangelii.

Quia justus talis est, et tale præmium est justi, ideo quidquid alii faciant, ego similem me faciam justo, et hoc est, « oculi mei, » id est, intentiones meæ, « semper ad Dominum, » ideo « quoniam ipse evellet pedes meos, » id est, affectiones meas, « de laqueo, » id est, de tentationibus diaboli, id est, ne illis valeam irretiri. Alii si elevatis oculis incedant,

cadunt in laqueos : qui autem ad Dominum elevant oculos, Dominus eos a laqueis eripit.

Respicio in te, et tu « respice in me, » nec dico ut consideres me ut parem, sed ut miserum, et « mei » miseri « miserere » quia misericors es, et « quia unicus et pauper sum ego. » Justus ideo unicus dicitur, quia de omnibus sectis unam solam sectam Dei elegit, et solus Deo servit. Per hoc quod dicit unicus, notat se ita esse diligendum, sicut unicus filius a patre diligitur. Pauperem se dicit justus, quia ab appetitu terrenorum exutus, propter hoc est dignus ut consoletur.

Dico « miserere, » et necesse est, « quia tribulationes cordis mei, » scilicet quæ in cor etiam ascenderunt, « multiplicatæ sunt : » quia ab illis etiam qui filii Ecclesiæ deberent esse justi tribulantur, et tu, B « erue me » ne prævaleant mihi « de necessitatibus, » id est, de tribulationibus quæ sunt mihi necessariæ, quia inevitabiles sunt, quia nemo justus tribulationes potest evitare : « meis » dicit quas ipsi sibi studio charitatis assumpserat.

« Erue me, » et « vide humilitatem meam, » id est, quantum sim humilis, quia nulli me præfero : « et laborem meum » quem sustineo disputando contra manifestos malos, et admonendo eos, et ideo « dimitte universa delicta mea. » Facta oratione pro se, facit orationem pro inimicis. Continuatio :

« Respice in me, » et etiam « respice inimicos meos » oculo misericordiæ, de quibus est grande damnum, « quoniam ipsi multiplicati sunt, » id est, multi sunt, qui etiam filii facti sunt inimici, et ipsi « oderunt me C odio iniquo, » quia pro bonis reddebant mala.

Et talibus « custodi animam meam » ne me sibi conformem reddant : et si ipsi nolunt converti « erue me » etiam a corporali præsentia eorum, scilicet, destrue eos : erue ut « non erubescam » de eo « quoniam speravi in te, » quia nisi tu erueres, tunc de spe mea erubescerem.

Erue me, et tu « Deus, » « libera Israel, » id est, omnes te videntes ; « ex omnibus tribulationibus suis : » et præmittit causam quare pro talibus oret ut liberentur.

Et hoc est, quia « innocentes, » id est, qui aliis mala non inferunt : « et recti » qui bona faciunt « adhæserunt mihi, » scilicet in unione voluntatis D conformes mihi facti sunt : ideo « adhæserunt, quia « sustinui te, » id est, viderunt me exspectantem patienter tuam remunerationem.

IN PSALMUM XXV.

TITULUS. *Psalmus David.*

« Judica me, Domine. » Hic loquitur David, vel quilibet perfectissimus, qui relicto consortio malorum adhæret consortio justorum. Ipse idem justus est hic materia, hoc modo petens duo judicia secundum sua merita, unum in hac vita, aliud in alia vita. Intentio est admonere ut, relictis impiis, adhæreamus justis : quia si hic separati fuerimus a malis, in judicio separabit nos Deus ab eisdem malis.

Et incipit a petitione judicii hujus vitæ sic : O Domine, « judica me, » id est, secerne me ab impiis : et ponit causam quare debeat judicare, dicens : « quoniam ego ingressus sum, » id est, incœpi facere bonum « in innocentia » non dico angelorum, sed « mea, » id est qualem potest habere humana fragilitas, quia non fecit furtum, nec homicidium : et quia posset incœpisse in illa innocentia, nec perseverare, dicit « et non infirmabor » ab illa innocentia : et ne arrogans videretur, subdit : « sperans in Domino, » id est, non ex meritis, sed quia spero in Domino « non infirmabor. »

Judica hoc modo, scilicet « proba me, » id est, ostende me, « Domine, » mihi et aliis probatum. Probatum ostendit Deus Job sibi (*Job* I), quia cognovit se multa posse pati : et aliis, etiam dæmonibus, qui eum Levi tribulatione posse devorari putabant. « Proba » dico hoc modo « tenta me, » id est, per probationes ostende me probatum : et per has tentationes « ure renes meos, » id est, delectationes libidinis : « et cor meum, » id est, cogitationes meas, ut neque in renibus, neque in cogitationibus aliquid mali inveniatur. Vel « ure renes meos » per ignem sancti Spiritus.

« Proba » « et tenta, » et ego hoc sustinebo bene, « quoniam misericordia tua ante oculos meos est, » id est, semper habeo te misericordem præ oculis cordis, et etiam « complacui » tibi « in veritate tua, » id est, in Christo filio tuo, quem ego imitatus sum, qui dixit : « Ego sum via, et veritas, et vita (*Joan.* XIV). » Vel « in veritate tua, » id est, in lege quam Filius docuit, ubi pura veritas fuit. Bene dico, « complacui in veritate tua, » quia mala vitavi, et bona secutus sum, et quod mala dimisisset, ostendit cum dicit :

« Non sedi, » id est, non sum immoratus, neque corporaliter, neque veritate « cum concilio vanitatis. » Per vanitatem accipimus terrena, per concilium eos qui dant rationes de appetitu terrenorum. Dicunt enim quidam hæc esse appetenda, quia propter homines sunt facta : « et non introibo, » id est, non incipiam esse ut vel mala cum illis agam, vel assensum præbeam, cum hominibus « iniqua gerentibus. »

« Non sedi, » sed potius « odivi Ecclesiam, » id est congregationem « malignantium, » id est, qui proximo mala volunt : « et cum impiis, » id est, hæreticis, qui sunt contra divinum cultum et persuadent ; « non sedebo, » id est, non morabor ita ut consentia n.

Ostendit se mala dimisisse, et a malorum consortio separatum fuisse : nunc ostendit se et bonum facere, et ad bonorum consortium transisse? « Non sedebo, » sed potius « lavabo manus meas, » id est, operationes meas lavatas et purgatas ostendam « inter innocentes, » id est, in consortio innocentium. Accenditur enim per consortium sanctorum quicunque etiam tepidus ad bene agendum, et lotis manibus, id est, purgatis operibus « circumdabo, » id est, assidua devotione inquiram « altare « tuum, » id est, cœlestia. Altare enim dicitur quasi alta ara, cœlestia vero sunt alta.

Circumdabo ad hoc « ut audiam, » id est, intelligam « vocem, » id est, manifestationem « laudis tuæ » et postea « enarrem universa mirabilia tua, » non quod omnia enarret, sed quæcunque enarret mirabilia sunt. Quod justus se dicit circumdare altare, et universa mirabilia narrare, per simile dictum est. Sicut pontifex in Veteri Testamento introibat ad altare in Sancta sanctorum, et audito divino responso, populo referebat : sicut Isaias audivit voces : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli et terra gloria tua (*Isa.* VI), » et retulit coram populo. Usque modo tractavit de judicio, quod petit de se fieri justus in hac vita : modo ostendit judicium quod petit de se fieri in alia vita. Continuatio :

« Lavabo inter innocentes manus meas, » et ideo, tu, Domine, « ne perdas animam meam cum malis, » et malorum ponit duas partes, impios et viros sanguinum. Per impios accipimus et hæreticos, et omnes qui contra divinam religionem nituntur : per viros sanguinum, homicidum vel viros sanguinum vocat, qui carnaliter vivunt, de quibus Apostolus ait : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* XV). » Juste rogat, ne anima ipsius pereat in judicio, cum quibus hic non fuit aliqua actionis communio. Dicendo, « ne perdas, » tantum valet, ac si affirmaret ne perdes : et per hoc maxime hortatur ut separemur ab impiis, præmittitque causas, dicens. Per vitam idem accipimus quod per animam.

« Domine, dilexi decorem domus tuæ. » « Domum » vocat quoscunque justos in quibus Deus habitat : « decorem domus » illius accipit virtutes quibus justi ornantur : et dilexi, « locum habitationis gloriæ « tuæ, » id est, divinitatis tuæ : locum in quo habitat divinitas, accipimus perfectissimos justos, qui magnam et egregiam de Deo habent cognitionem.

« Ne perdas, » dixi, « cum impiis animam meam, » qui a me valde dissimiles sunt, quia « in manibus eorum, » id est, in operibus eorum « sunt iniquitates, dextera eorum, » id est, bona opera eorum, si aliquam faciunt justitiam, « repleta est muneribus : » in quo maxime judices intelliguntur, qui pro justitia facienda pecuniam accipiunt.

« In manibus » eorum; sunt iniquitates « ego autem sum ingressus » ad bonum « innocentia » mea, ut supra, et tu, Domine, « redime me » per sanguinem Filii tui : et quia redemptus per suam innocentiam sufficere non valet, petit misericordiam Dei, dicens : « et miserere mei. »

Qui bene sum aptus cujus miserearis, quia « meus pes, » id est, afflictio mea « stetit, » id est, firmiter permansit « in directo, » id est, in alto loco : vel in directo, id est, in Christo. Alia enim translatio in via recta : Christus enim dicit : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV). » Vel « in directo, » id est, in ordine catholico, et « te etiam, Domine, benedicam in « ecclesiis » scilicet, habitans in consortio fidelium.

IN PSALMUM XXVI.

TITULUS. *In finem psalmus David, priusquam liniretur.*

« Dominus illuminatio. » David primam unctionem habuit in designationem regni, secundam in regnum. Sed priusquam veniret ad regnum, multa mala habuit, et hostes : sic et Christus primam unctionem habuit ex utero Virginis, secundam in resurrectione : et inter utramque, mala et hostes. Sic et fidelis anima primam unctionem habet in baptismo, sed ante secundam, quæ erit in resurrectione, mala sustinet et bona. In finem psalmus David, priusquam liniretur, id est, inungeretur in regnum. David fecit hunc psalmum, priusquam liniretur secunda linitione. Ante primam enim linitionem nullum psalmum prorsus composuit. Inunxit autem eum Samuel (*II Reg.* II; V) primo in domo patris sui, in qua linitione intellexit promissionem regni et per quam securus fuit, non posse effici aliquo modo quin regnum et secundam linitionem, sicut in prima linitione intellexerat promissum, obtineret. Cum vero fecisset hunc psalmum, non fecit de corporali linitione, vel de obtentu regni terrestris, sed de linitione spiritali, et de regno cœlesti. Consideravit enim filios Ecclesiæ securitatem posse habere de secunda linitione, id est, de impassibilitate et immortalitate, per primam linitionem quam in hac vita recipiunt, scilicet remissionem peccatorum, et confortationem ad bene operandum in baptismate. Sicut autem David primam linitionem in domo patris sui suscepit, ita unusquisque fidelis in domo patris sui, id est, diaboli, qui ideo pater dicitur, quia per eum omnes nascuntur in peccatis, suscipit primam linitionem. Domus diaboli vocatur mundus iste, in quam venit Christus, et in ea assumpsit quosdam de potestate diaboli. Unde in Evangelio : « Venit Jesus in domum Simonis leprosi (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV), » id est, diaboli. Materia est prima et secunda linitio. De prima sic agit : ponit eam certitudinem secundæ. De secunda sic agit : ponit frequentes petitiones illius, et affirmat se habiturum. Intendit nos certos reddere, quod habita prima linitione, secundam possimus habere. Titulus sic exponitur : Psalmus iste convenit David, prophetæ, vel cuicunque justo de priori populo. Qui justus in hoc loquitur psalmo vel David : psalmus, dico, habitus priusquam liniretur secunda linitione : psalmus, dico, dirigens nos in finem, id est, in Christum. Et a prima linitione incipit ita, et ad secundæ securitatem ita nos admonet.

Confidite et certi sitis de secunda linitione, considerantes me, quia « Dominus illuminatio mea, » id est, illuminans me, ut velim accedere ad fidem, et hoc est ante baptismum « et etiam salus mea, » id est, remissio peccatorum quæ fit in baptismo, et confortatio ad bene operandum, quod fit in confirmatione : et quid hoc est? « quem » deinceps « timebo? » Nullum scilicet, quia neque Saul, id est, diabolus, nec aliquis inimicus poterit me

impedire quin obtineam regnum quod exspectabo. Dominus dat salutem, et ipse « Dominus est protector, » id est, defensor, ne sentiam tela diaboli « vitæ meæ, » id est, salutis meæ, vel virtutum in quibus degit fidelis anima, ergo « a quo trepidabo ? »

Quoniam dum « Dominus protector » est, et non timebo, ideo quia illi qui volunt mihi nocere, cadunt, et hoc est « dum nocentes appropiant mihi » accedunt magis et magis tentando, putantes se facere « super me » appropiant dico ad hoc « ut edant carnes meas, » id est, delectentur in tribulatione mea : sicut illi qui edunt carnes, delectantur in esu carnium.

« Infirmati sunt et ceciderunt, » id est, infirmatur diabolus, cum aliquem tentando non potest perficere : cadit cum justus confirmatus est sic, quod nec etiam audet eum aggredi : et maxime « inimici mei qui me tribulant. » Vel ita : « Dum ipsi appropiant super me » ad hoc ut noceant sicut putant : tamen in veritate ita appropiant, « ut edant carnes meas, » id est consumant carnalitates meas, et illi qui sic edendo « tribulant me inimici mei, infirmati sunt et ceciderunt. »

Et quia tribulantes me cadunt, ideo « si castra, » id est, si molimina multitudinis « consistant, » id est immorentur « adversum me » moliendo, « non timebit cor meum, » qui sum quasi castrum munitum : quia etsi caro aliquantulum formidet, tamen cor, id est interior anima, non timebit.

Et etiam « si prælium, » id est manifesta impugnatio, « exsurgat, » id est excrescat, ita quod fragilitas humana videatur ferre non posse, tendens « adversum me in hoc » prælio, « ego sperabo, » id est istud erit mihi causa spei : vel « in hoc, » id est in Domino « sperabo » victoriam illius prælii.

« Dominus » est « salus mea, » cadent qui me tribulant, et per hos « petii a Domino unam. » Unam est hic fixum, et « hanc » unam « requiram omnibus diebus vitæ meæ, » hanc scilicet unam « ut inhabitem » tendere in alia vita « in domo Domini. » Vel sic : « Hanc requiram ut inhabitem » in hac vita mente « in domo Domini » et non in parvo tempore, sed « in omnibus diebus vitæ meæ. »

Habitem in domo ad hoc « ut videam voluntatem Domini, » id est quid Deus velit me facere, « et visitem templum ejus, » id est frequenter memoriæ reducam humanitatem Christi, ut sim conformis ei : « vel visitem templum, » id est ad Christum per bona opera perveniam.

Dico visitem, et vere inde securus sum « quia » jam fecit mihi hæc, scilicet, « abscondit me » ne impugnarent inimici « in tabernaculo suo, » id est in humanitate Filii sui, cujus membrum me fecit « in die malorum, » id est in hac vita, in qua mali potestatem exercent : « sicut David absconditus est in cavernis, cum eum Saul persequeretur (*I Reg.* XXIV), » et non tantum abscondit, sed etiam « protexit me » ne sentirem vulnera impugnantium « in abscondito tabernaculi sui, » id est in deitate quæ latet, et abscondita est in humanitate Christi. « In abscondito protexit me, » id est in fide. Unde est : « Corde creditur ad justitiam (*Rom.* x). »

Et non tantum protexit et abscondit, sed etiam « exaltavit » dando virtutes, « in petra, » id est in Christo, qui totius justitiæ est fundamentum. « In petra exaltavit, » id est in confessione oris. Unde : « Ore autem confessio fit ad salutem (*Ibid.*). » Similiter David in petra et in montibus ponebat munitiones. Exaltatio quam promisit in petra futura erat illi justo, quia Christo nondum erat : exaltationem vero quæ sequitur jam tunc habebat.

Abscondit in tabernaculo, « exaltavit in petra, et jam tunc exaltavit caput meum, » id est mentem meam, « super inimicos meos, » quod jam non timeam ab eis impediri quin regnum obtineam. Postquam ostendit per primam linitionem se securum esse de vita æterna, ponit inde quamdam exsultationem. Continuatio :

« Exaltavit super inimicos meos caput meum, » et ideo omnia « circuivi » ut laus ideo dicitur hostia immolata, quia sicut hostia immolata placebat Deo cum statum habebat, ita laus ista grata est Deo. « Hostiam, dico, vociferationis, » id est magnæ affectionis. Alia translatio habet jubilationis, et tunc dicitur jubilus, quando tantum gaudium mente concipimus, ad quod exprimendum vox humana non sufficit. Unde etiam consueverunt prædicatores Ecclesiæ ut postquam laudaverint Deum intelligibili, prorumpunt in jubilum, scilicet in intelligibilem vocem, per multiplicitatem notæ, per quod ostendunt nullam vocem intelligibilem ad laudem Dei posse sufficere. Immolavi hostiam, et deinceps laudabo, et hoc est quod dicit « cantabo, » scilicet, voce et corde, quod pertinet ad contemplativos : « et « psalmum dicam Domino » bene operando, quod pertinet ad activos. Vel si habeatur « circuibo, » quod frequentius ponunt auctores, sic dicemus : « Dominus exaltavit caput meum », et ideo « circuibo et immolabo, » scilicet cantabo « et psalmum dicam. » Circuibo, dico, « in tabernaculo ejus, » id est in Christo. Postquam tractavit de prima linitione, ostendit se securum esse de futura, per eam transit ad secundam, et petit eam frequenti oratione. Continuatio :

« Circuibo et immolabo, » cantabo et psallam, ideoque tu, « Domine, exaudi vocem, » id est petitionem meam ; et ponit causam quare illa petitio sit digna exauditione, quia est cum clamore, id est cum magna cordis affectione : et hoc est « quia clamavi ad te, » solum obtinendum, et non tantum dico quod vocem exaudias, sed etiam propriam personam meam, scilicet, considera miserum me, et per misericordiam exaudi, et hoc est quod dicit . « miserere mei, » id est misericordia super me movearis, et per illam misericordiam « exaudi me. » Bis ponit exaudi, et duas causas, quæ clamavi et miserere. Clamor hic meritorum causa est in homine : Misericordia quæ est in Deo, causa est in Deo ut homo exaudiatur.

Dico, « exaudi, » et bene debes exaudire, quia « cor meum, » id est intentio cordis mei, « dixit tibi, » et

per dicere cordis notatur magna intentio : « facies mea, » id est pulchritudo mea, per quam discretus sum ab aliis « exquisivit, » id est extra omnia alia quæsivit, id est, postpositis aliis omnibus terrenis, te solum intueri, præsentiam tuam cognoscere studui. Facies justi, est virtus illa per quam discretus appareret ab omnibus aliis : sicut fuit in Job patientia, in David humilitas, et in aliis similiter : « quæsivi et requiram, Domine, faciem tuam, » id est cognitionem tuam per bona opera.

Et ideo « ne avertas faciem tuam, » id est cognitionem tuam, « a me, » quin quandoque habeam illam cognitionem, quæ cognitio tantum in illa vita habetur : « ne declines a servo tuo, » id est ne permittas incidere servum tuum in peccatum : et si aliquando permittas cadere, hoc non facias « in ira tua. » Tunc in ira declinat a servo, quando permittit eum usque in peccati præcipitium pervenire, gratiam subtrahendo : et hoc dicit per simile : sicut aliquis Dominus declinat a servo iratus, quando non vult hospitari cum eo.

Non declines, sed potius « esto adjutor meus » ad bene operandum : et quia posset juvare in principio et recedere, ideo supponit « non derelinquas me, » quin semper porrigas manum : et quia se esse videbat vilem et despicabilem, quod videretur esse causa quare Deus eum delinqueret, precatur Deum ne in ipso causam illam attendat, dicens : « neque despicias me, » id est non sim tibi vilis, tum quia « Deus » tum quia « salutaris, » quia qualiscunque sim « tu es Deus meus, » id est Creator meus, « et Salutaris meus, » id est Salvator meus : quia per humanitatem Filii debes me salvare.

Et ideo non debes me despicere, quia mea culpa non est quod talis sum, « quoniam pater meus, » id est Adam, « et mater mea, » id est Eva, dereliquerunt me, in periculis quasi puerum expositum : « Dominus autem assumpsit me, » id est meam humanitatem sibi univit, per quod apparet maxime quod homo jam non sit despiciendus.

« Dominus assumpsit me, » et tu, « Domine, pone mihi legem, » id est aliquam correctionem mihi, dico, sito in « via tua, » id est in fide et in bonis operibus, quibus pervenitur ad te : « et dirige me in semita tua, » id est in arctioribus præceptis tuis : et hoc fac propter inimicos meos, id est hæreticos, qui volunt intellectum Scripturarum pervertere.

Ego dico propter inimicos meos, nec tamen precor ut non tradas me in manibus eorum, sed « ne tradideris me in animas » eorum, id est in voluntates tribulantium me, » ut non possint devorare me ut volunt. Nec debes tradere, quoniam et iniqui sunt, et insurgunt et metiuntur : et hoc est « insurrexerunt, » id est erexerunt « in me, » id est contra me, « testes iniqui, » id est testantes iniqua : quia ea quæ alii falsi dixerant, isti confirmabant, dicentes non esse futuram aliam vitam præter hanc, et similia : « et iniquitas est mentita, » id est ipsi iniqui sunt mentiti « sibi, » id est ad damnum suum.

Ipsi hoc dicunt : Quis vidit hoc regnum? Quis deinde venit? Sed quidquid illi dicant : Ego « credo tamen videre bona Domini, » quæ « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II), » « in terra viventium, » id est in cœlo, ubi sancti habitant et vera vita vivunt. Cœlum vocatur terra propter stabilitatem, quia tunc stabile erit.

Quandoquidem vides me certum quod videbo bona Domini, ergo quicunque fidelis « exspecta Dominum » per longanimitatem, et exspectando « viriliter age, » id est insiste virtutibus : et si manus fatigentur, tamen « cor tuum confortetur » et sic « sustine Dominum, » id est licet tribuleris, tamen Dominum cum patientia exspecta.

IN PSALMUM XXVII.

TITULUS. *Psalmus ipsius David.*

« Ad te, Domine, clamavi. » Verbum Dei loquitur hominibus de Deo : ipsum enim est ostensio Dei. Unde : « Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare (*Matth.* XI); » et sicut tota humana natura habens cognitionem de Deo, hoc habet per verbum, ita humana natura Christi : et si alicui homini verbum silet, ut fecit Adæ, descendit in lacum. Cum humana natura unita verbo Dei, non confidit de se, multo minus cæteri. Psalmus huic David. Psalmus iste attribuitur David, id est Christo, qui Christus hic loquitur. Quod dicit huic, vel ad differentiam, vel ad excellentiam potest accipi : quasi diceret : Huic non carnali regi, sed spiritali Regi regum, id est Christo ad excellentiam : quia quædam verba in hoc psalmo, que nulli alii possunt adaptari, nisi Christo soli, ut est : « Refloruit caro mea. » Materia est ipse Christus. De eo sic agit : describit eum petentem et sibi et contra inimicos, agentem etiam gratias de impetratione suæ petitionis, et hæc est secunda pars psalmi. In tertia parte ostendit quod ea quæ facta sunt de Christo, sicuti passio et resurrectio, et similia, suis etiam ad exaltationem profuerunt. Intentio est ut persuadeat non esse confidendum in homine, sed in solo Deo, cum ostendit Christum perfectissimum justum in nullo confidere, nisi in solo Deo. In fine etiam ubi ostendit, quod populus salvatus per Christum non habet salvationem nisi in solo Deo, innuit plane omnem salvationem esse a Deo, et non ab homine : et sicut in præcedentibus quibusdam psalmis breviter tangit passionem et resurrectionem, ita et hic.

Et sic incipit invitatis aliis ad petitionem, ut confidant et clament ad Dominum sic : quasi diceret : Clamate et confidite in Domino, exemplo mei, quia ego clamavi et « clamabo ad te, Domine » Pater, qui solus potes exaudire. Ideo ponit futurum, ut per hoc notet se incessanter clamare ad Deum toto tempore suæ obedientiæ : et tu, « Deus meus, ne sileas, » quin clamori meo respondeas, scilicet exaudias : quia si sileres, tunc esses remotus « a me. » Cum dicit, « clamabo, » et subjungit « ne sileas, » notat affectionem piam inter Deum et hominem, quia ex quo homo

clamare incipit, Deus exaudit. Hebraica veritas non habet hoc : « ne quando taceas a me : » sed septuaginta interpretes addiderunt, nec tamen sine causa, sed per hoc dant nobis intelligere eum clamasse de prima et secunda clarificatione. Prima clarificatio est ante resurrectionem, cum fuit immunis ab omni peccato, et per eum Deus miracula fecit, quæ nemo alius facere potuit. Secunda clarificatio in resurrectione fuit, quia ejus humanitas impassibilitatem et immortalitatem suscepit. Cum dicit, « ne sileas, » intelligimus eum clamare de secunda clarificatione : et quia posset de illa secunda non silere, et tamen de prima non exaudire eum, addit : et etiam « ne taceas, » quin exaudias me de prima clarificatione : quin, id est quod vel una hora permittas me non exauditum : et si sileas remotus a me, tunc « assimilabor descendentibus in lacum, id est in miseriam hujus mundi, quæ ideo lacus dicitur, quia sicut fovea cujus fundus ignoratur, lacus dicitur, sic mundus lacus dicitur, cujus miseriarum profunditatem non videmus. Si enim ille homo Dominicus a præsidio divini verbi sibi uniti desereretur, similis utique hominibus inveniretur. Vel « in lacum, » id est in corruptionem : caro enim Dominica in sepulcro corrumperetur nisi eam divinitas suscitaret. Bene dicit, « descendentibus, » quia maximus descensus est a Deo deviare, et se ad hujus mundi miserias inclinare : ascensus vero, relictis his miseriis, ad bona perpetua festinare.

Dico « ne sileas » Domine, sed potius « exaudi vocem deprecationis meæ » de removendis malis : et subdit causam quare debeat exaudiri qui orat ad eum : quia extollit manus suas ad ipsum : et hoc est : « dum, » id est, quia « oro ad te, et extollo manus meas, » et hæc levatio manuum Christi fuit in cruce : « ad templum sanctum tuum, » id est, Ecclesiam constituendam. Ex passione enim Christi processit Ecclesiæ constitutio. Vel « manus, » id est, operationes meas « extollo ad Ecclesiam » constituendam. Vel « ad templum sanctum tuum, » id est, ad teipsum, in locum quem scio te habitare. Hic mittit nos ad consuetudinem orantium, qui elevant manus suas in cœlum, ubi Deum specialiter credunt habitare : sicut et Judæi faciebant, qui ubicunque terrarum devenirent, versus templum quod erat Hierusalem, in quo Deum spiritualiter habitare credebant, orabant.

Exaudivi vocem deprecationis hujus, scilicet « ne tradas me cum peccatoribus, » id est, cum Abraham et aliis justis præcessoribus Christi : quos ideo peccatores vocat, quia nunquam originale fuit peccatum in eis deletum prorsus, nisi per sanguinem Christi : ita dico, ne tradas quod « simul » sim cum eis retentus in tenebris sicut illi. Cum illis enim Christus fuit, quando eos ab inferis liberavit. Simul non fuit, quia tenebras quas illi patiebantur non sustinuit : « et ne perdas, » id est, ne condemnes me cum malis : et hoc est quod dicit, « cum operantibus » scilicet Judæis « iniquitatem. » Vel aliter : Exaudivi deprecationem, nec deprecor quin tradas me morti, sed ne consentias voto ipsorum : et hoc est, tradas me quidem cum peccatoribus, sed ne tradas ita quod sis similis, id est, in eadem intentatione cum ipsis : ut sicut ipsi malo voto me tradunt, ita tu quoque malo voto me tradas : et ne permittas animam meam teneri in inferno cum operantibus iniquitatem, id est, habens idem votum cum illis qui mihi machinantur exitium.

Qui scilicet, operantes iniquitatem « loquuntur pacem, » id est, pacifica verba : et hic specialiter nequitia Judæorum notatur : pacem dico « cum proximo suo » scilicet me. Christus enim dicitur Judæorum proximus secundum carnem, quia de genimine eorum fuit : et secundum quod eis facere misericordiam venerat. Juxta quod de Samaritano legitur in Evangelio, qui proximus dicitur illi qui in latrones incidit, « quia misericordiam ei fecit. » (*Luc.* x.) Et quamvis pacifice loquerentur cum dicerent : « Magister, scimus quia verax es (*Matth.* xxii), » et similia, tamen « mala erant in cordibus, » id est, in voluntatibus « eorum. »

Ipsi operantur iniquitatem, sed tu, Domine, « da illis secundum opera ipsorum, » id est, secundum malam vitam eorum : « et secundum nequitiam adinventionum ipsorum, » id est, secundum adinventiones suas. Adinventiones ideo dicit, quia licet de eo aliquid mali nesciretur, tamen vocabant eum peccatorem, dicebant eum habere dæmonium (*Joan.* viii, ix).

Et non tantum secundum turpem vitam tribue, sed etiam « secundum opera manuum ipsorum, » id est, secundum excellentiorem illam iniquitatem, quam fecerunt in morte Domini. Cum apponit manuum post opera, ostendit eos magnum studium et affectionem ad illud opus habuisse. Quod dicit, opus manuum, tractum est ab artifice, qui illa vult dici opera manuum suarum, quæ studiose fecit : « tribue illis, » et quia per hæc prædicta non determinavit qualitatem retributionis, sive bonum pro malo, sive malum pro bono redderetur, determinat quod malum precetur retribui eis, cum dicit, « retributionem eorum, » id est, sicut ipsi retribuebant mihi mala « redde ipsis » similiter. Retributionem bene dicit : cum enim Christus eis bona fecisset, ipsi ei malum retribuebant.

Ideo dico redde, « quoniam ipsi » non in opera Domini occulta, scilicet, ad reparationem humani generis eum esse Filium Dei : et talia etiam ne vellent se excusare, quia occulta illa non possent agnoscere, ostendit eos inexcusabiles, dicens eos manifesta opera Christi considerasse, in quibus illa occulta potuissent cognoscere : et hoc est, et « non intellexerunt in opera manuum ejus, » id est, potentiæ ejus. Cum dicit « in opera, » notat quod in manifestis operibus non intellexerunt illa occulta. Si enim considerarent quod immunis erat ab omni peccato, miracula quæ ipse faciebat, eum non solum hominem, sed Dei Filium, mundique Redemptorem cognoscerent. Hebræum habet : non consideraverunt in

opera manuum ejus. Hoc quod non intellexerunt, fuit causa, quare mala de Christo adinvenerunt, quare et damnati sunt juxta quod subdit : et ideo « quia non intellexerunt, tu destrues eos » spiritualiter et corporaliter : sicut fuit in destructione Titi et Vespasiani : et propheta prævidens illam destructionem esse irreparabilem ait : « et non ædificabis eos » ulterius, ut in destructionibus Babyloniæ, et in captivitate Ægypti, et aliis destructionibus reparavit eos Deus. Vel etiam si spiritualiter essent destructi, ut si sub aliquo duce essent idololatræ, per alium ducem Deus ab idololatria eos liberavit. De hac autem novissima excæcatione spirituali, non reparabuntur usque in finem, quando eorum reliquiæ salvabuntur : corporaliter vero nunquam restituentur.

Illi destruentur, sed « Dominus sit benedictus » et supponit causam, quare Dominum benedicat, dicens : « quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ, » scilicet, de removendis miseriis : et ab hoc versu incipit agere gratias de impetratione suæ petitionis.

Non tantum exaudivit de removendis malis, sed etiam « Dominus adjutor meus » ad bonum operandum « et protector meus » ne lædar a telis persequentium : » et cor meum, » id est, intentio mea « speravit in ipso, » scilicet, de resurrectione : et quia speravi, ideo adjutus sum :

Et ostendit in quo adjutus sit, dicens : « Et reflo-
ruit caro mea, » ante floruit Christi caro, cum fuit C immunis ab omni peccato : refloruit, quando impassibilitatem et immortalitatem suscepit in resurrectione. Vel ita : « Floruit caro » humana in Adam, qui constitutus fuit in omni perfectione : defloruit per ejusdem inobedientiam : refloruit, accepta impassibilitate in resurrectione Christi : et ideo « confitebor tibi, » id est, laudabo eum ex voluntate mea, scilicet in membris, et hic incipit de tertia parte, scilicet quod ea quæ facta sunt de Christo, suis ad exaltationem utilia sunt.

Et ille « Dominus, » qui fecit me reflorescere, est « fortitudo plebis suæ, » id est, sibi devotæ. Fortitudo Dei est in eo, quod homines de diaboli jugo eripit, et suos facit : et ipse est « protector salvationum Christi sui, » id est, illorum qui salvati sunt D per Christum : et hic manifeste notat, quod mysteria Christi omnibus prosint ad salutem.

Et quia Dominus est fortitudo plebis, ergo « Domine, fac » quod tuum est, scilicet « salvum fac populum tuum » eripiendo de inimicorum potestate, dirigendo ad fidem : et benedic dando incrementum virtutum ipsi facto « hæreditati tuæ : et rege eos » ne deficiant in virtute : « et extolle eos » ducendo « usque in æternum » id est, in æternitatem.

IN PSALMUM XXVIII.

TITULUS. *Psalmus David in consummatione tabernaculi.*

« Afferte Domino. » Remissa arca Domini a Philisthæis, et reducta Hierusalem, cum prohiberetur a Nathan, ne faceret domum Domini, quia vir sanguinum erat (*II Reg.* VII), qui ita a spiritu prophetans David facturum templum Domino prædixerat. Fecit igitur David tabernaculum de tentoriis, in quo reponeret arcam Domini : quo consummato, invitavit multos ut ad illud templum non vacuis manibus venirent, sed ibi adductas hostias immolarent Domino : et post hanc consummationem scripsit psalmum istum : non quod de historiali consummatione scriberet, sed nobis consummationem Ecclesiæ futuram per Spiritum sanctum prophetaret, cujus consummatio illius tabernaculi figura erat, quod sciens Esdras propheta David intellexisse, sic intitulavit, qui titulus sic legitur : Psalmus iste con-
B venit prophetæ qui hic loquitur, psalmus dico, habitus in consummatione tabernaculi, id est, in consideratione consummationis Ecclesiæ. In hoc psalmo septem dona Spiritus sancti continentur, per quæ tota Ecclesia consummatur. Hæc autem dona non ideo dicuntur dona Spiritus sancti, quod Spiritus sanctus potius ea dat quam Pater et Filius, quia simul tota Trinitas operatur : sed quia hoc nomen Spiritus sanctus impositum est ad hoc, ut significaret amorem et benignitatem Dei, ex qua benignitate Dei omnia nobis donantur bona, ideo Spiritui sancto potius attribuuntur. Ecclesia præsens tabernaculum appellatur, quia in eo Domino militamus, sicut in tabernaculis militatur. Materia in hoc psalmo est Spiritus sanctus, vel Ecclesia Spiritu sancto consummata. Hanc autem hoc modo exsequitur, invitat homines ad honorandum Spiritum sanctum, et hæc est intentio sua. Prævidit enim quosdam errores de Spiritu sancto futuros in Ecclesia, scilicet, quod putaretur esse minor Patre et Filio : et ideo sicut in plerisque aliis psalmis contra alios errores nos munit, sic etiam in isto, ostendens ipsum Spiritum sanctum esse æqualem Patri et Filio, etiam per hoc quod ostendit cooperari eum Patri et Filio. In secunda parte ponit causas, quare Spiritum sanctum honorare debeamus, scilicet, quia ipse Spiritus dat dona per quæ tota Ecclesia consummatur. In tertia parte, quæ est in fine, ostendit Spiritum sanctum cooperari cum Patre et Filio : et ab ipsa admonitione sic incipit.

« Vos filii Dei » qui hactenus fuistis filii diaboli, et modo per Spiritum sanctum facti estis filii Dei, quapropter debetis eum honorare : « afferte » huc « Domino, » id est, Spiritui sancto. Per Dominum hic determinate Spiritum sanctum accipimus propter hoc quod in sequenti dicet : Vox Domini super aquas, quod Spiritui sancto proprie convenit, non determinat quid afferant, sed debemus intelligere seipsos per puram conscientiam, et puram vitam : et non tantum moneo vos ut afferatis filios Dei, sed etiam si opus sit, afferatis vos « filios arietum « Domino, » id est, imitatores apostolorum, præbentes Ecclesiæ Dei, si opus sit, defensionem vel ducatum. Per arietes apostoli designantur : quia sicut

aries præbens ducatum gregi forte, et defendit cornibus, sic apostoli et præbent ducatum Ecclesiæ, et eam cornibus, id est, Veteri et Novo Testamento defendunt.

« Afferte » etiam filii « Domino, » id est, Spiritui sancto « gloriam, » id est, discite et intelligite eum gloriosum, scilicet omnipotentem, æqualem Deo Patri, « et etiam honorem, » id est, vosipsi servite ei, et alios invitate ut serviant, « et afferte gloriam nomini ejus, » id est, per multas gentes dilatate nomen ejus et honorificentiam ipsius. Tunc enim non esset nomen ejus gloriosum, si inter paucas gentes coarctaretur, et sic afferentes gloriam nomini ejus, afferetis gloriam ipsi Domino, et etiam « adorate, » id est, veneramini « Dominum, » id est, Spiritum « in atrio sancto ejus, » id est, in corde vestro : quod propter latitudinem atrium appellatur, et quia nullis arctari debet tribulationibus. Alia translatio habet : in aula sancta ejus ; et tunc similiter per aulam cor fidele accipimus, quia sicut aula regia domus est, sic et fidelium corda Christi aula sunt, in quibus habitat sicut rex in aula sua.

Hic septem dona sancti Spiritus incipit describere, et septies ponendo vox Domini, septem nobis dona Spiritus sancti ponit : et eodem ordine illa dona diversa enumerat, quo etiam Isaias (*cap.* XI). Prius ponit donum sapientiæ, deinde intellectus, postmodum consilii, inde fortitudinis, postea scientiæ, inde pietatis, ad ultimum, timoris Domini. Continuatio : Bene debetis hunc Dominum honorare, quia « vox, » id est, inspiratio istius « Domini » scilicet Spiritus sancti est « super aquas, » id est, super populos : juxta Joannem aquæ multæ sunt populi multi. « Super, » proprie dicit, quia aspiratio divina dominatur homini, et secundum se facit operari hominem. Per vocem aspirationem ideo intelligimus, quia sicut vox docet hominem, et ostendit voluntatem alicujus, sic inspiratio divina voluntatem Dei. Hic determinat cujus Domini sit vox illa, et cujusmodi vox illa sit, cum dicit : « Deus majestatis » magnum eum et potentem ostendit cum dicit : « intonuit, » vocem esse terribilem ostendit. Terribilis est enim illa vox, quæ pœnam minatur judicii. Vult autem Deus suos in terrore nutrire, ut vel sic serviant voluntate : et ille Dominus non tantum intonuit « super aquas, » id est, super Judæos, sed etiam « super aquas multas, » id est, super gentiles, qui multo plures fuerunt quam Judæi : et hoc versu notamus spiritum sapientiæ, quia divina inspiratio nos docet Dei cognitionem.

« Vox etiam Domini, » id est, Spiritus sancti, est « in virtute, » id est, confert nobis virtutem, id est, intellectum de lege et aliarum Scripturarum, per quem franguntur oppositiones hæreticorum, et cui nemo possit resistere. Unde et de beato Stephano legitur : « Nemo poterat resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur (*Act.* VI) : » et hic notamus spiritum intellectus. « Vox » etiam illius « Domini » est « in magnificentia, » id est, faciens magnificos, qui dat nobis rationem quæ facienda sint et non. Qui autem facit bona et dimittit mala, magnificus est : et hic notatur Spiritus consilii.

« Vox » etiam illius « Domini, » id est, Spiritus sancti : « Domini » dico « confringentis, » id est, humiliantis « cedros, » id est, superbos. Per cedrum ideo superbum accipimus, quia cedrus est arbor elata super alias arbores : et ipse « Dominus confringet, » id est, humiliabit « cedros Libani, » id est, majores elatos in superbia mundi, sicut sunt reges et principes. Libanus namque candidatio interpretatur, et ideo per Libanum accipit illos, qui in candore divitiarum plus confidunt. Ideo per cedros Libani accipimus potentiores elatos, quia illæ cedri quæ crescunt in Libano monte, sunt omnibus aliis altiores. Vel « confringentis cedros » gentilium superbos : vel « cedros, » id est, Judæos, quos ideo per cedros Libani accipimus, quia in terra eorum est Libanus : « confringent » quod bene per futurum pronuntiat, quia adhuc etiam hoc futurum est in novissimis temporibus, quando filiorum Israel salvæ fient reliquiæ.

« Et etiam comminuet eos », id est, per illam confractionem ad tantam humilitatem reducet eos : et tunc respicit ad significationem : vel « eas » cedros « tanquam vitulum Libani », id est, ut sint ita placentes Deo, tanquam vitulus Libani immolatus : Judæorum enim consuetudo erat, ut vitulos quos Domino immolaturi erant, in uberrimis pascuis Libani impinguarent : et quo magis eos impinguarent, eo magis Deo acceptabiles fore credebant, et hic notatur spiritus fortitudinis. Magna enim Dei fortitudo est, cum homo superbiam suam potest frangere, et per comminutionem suam seipsum placentem hostiam immolare. Cum illa superiora bona videntur bona, scilicet, quod vox Domini est in virtute et in magnificentia, ne istud, scilicet cedros confringere malum videretur, ostendit etiam unicum Dei Filium comminutum esse, ne alii tali lege comminutionis condoleant. Comminuet cedros, et non debetis mirari, quia « etiam dilectus », id est, unicus Filius Dei comminuetur : et hic ostendit propheta secundum quam naturam hoc fiat, scilicet, secundum humanam : comminuetur dico « quemadmodum qui- « libet filius unicornium », id est, Judæorum, qui ideo unicornes dicuntur, quia uno solo Testamento superbiunt.

« Vox » illius « Domini » est Domini « intercidentis », id est, discernentis, « flammam ignis ». Per ignem illos accipimus, qui fervent amore mali desiderii per flammam, furorem malorum actuum, quos in sanctos exercent. Hanc divina inspiratio intercidit, quando justus ille cui illa flamma infertur, discernit eam non sibi ad damnum esse, sed eamdem sibi in bonum æstimat provenire : et hic notatur spiritus scientiæ. Magna enim scientia Dei datur homini, cum ea quæ aliis mala videntur bona sibi cognoscit.

« Vox » etiam illius « Domini » est vox Domini « concutientis desertum », id est, homines a cultu Dei vacuos, et prius steriles facit fructiferos, sicut aliquis terram prius desertam concutiendo et colendo facit eam fructiferam : « et » concutiendo homines prius desertos « commovebit Dominus desertum Cades », id est, implebit illud quod fuit figuratum per miraculum factum in deserto Cades. Cades est desertum ubi mons Sina est, in quo deserto Dominus per Moysen aquam de petra eduxit (*Exod.* XVII), quæ sequebatur filios Israel per desertum : et quod Deus terram illam prius aridam fecit irriguam, signum fuit quod homines, qui prius aridi erant et steriles, irriguos et fructiferos faceret. Vel « concutientis desertum », id est, gentiles qui prius erant deserti a cultu Dei : et ipse Dominus « commovebit » in futuro « desertum Cades », id est, Judæos qui deserti erant a sancto legis. Cades namque sanctum legis interpretatur : et hæc commotio fiet, quando reliquiæ filiorum Israel salvæ fient : et ab hoc sancto legis, id est, spirituali intellectu sunt remoti Judæi, qui non solummodo spiritalem intellectum sequuntur : et hic notatur spiritus pietatis.

« Vox » illius etiam « Domini » est vox Domini « præparantis cervos », id est, Dominus ille per inspirationem suam præparat cervos, id est, quosdam ut fiant similes cervis, scilicet pavidos bono timore et haurientes venena hujus mundi, ita quidem quod illa hausta non noceant illis. Sustinent enim persecutiones et objectiones hæreticorum, quibus tamen non læduntur. Cervorum namque natura est ut pavidi sint, venena hauriunt, quæ tamen nihil eis nocent, et hic notatur spiritus timoris, et hæc inspiratio timoris « revelabit condensa », id est, occulta Scripturarum. Sicut enim cervus per timorem transcurrit condensa spinarum, sic gratia Dei Deum timentibus aperit occulta Scripturarum : et quia per hæc dona consummat Ecclesiam, ideo « omnes dicent gloriam ei », id est, prædicabunt eum gloriosum « omnes : » dico quicunque habitant « in templo ejus », id est, in sancta Ecclesia, quæ per ipsa dona consummatur. Hic notatur pars tertia, scilicet, de cooperatione Patris et Filii cum Spiritu sancto. Continuatio : Spiritus sanctus confert hæc omnia dona : ipse etiam idem « Dominus facit etiam inhabitare diluvium », id est suos fideles facit habitare baptismum. Vivunt enim justi in baptismate ubi crimina mundi moriuntur, quod significatum fuit in diluvio, in quo Noe propter suam justitiam securus habitavit, et criminosi mortui sunt (*Gen.* VII). Spiritus sanctus purgat eos per diluvium baptismatis; « et Dominus, » Filius scilicet, « sedebit rex » Dominus in eis judicans : et in eis sedebit non tantum usque in finem mundi, sed « in æternum. »

Et illi « populo suo » tam purgato per Spiritum sanctum : et ita gubernato per Filium dabit « Dominus » Pater « virtutem », id est, incrementum bonorum, et etiam omnia bona supradicta quæ a sancto Spiritu specialiter dari dicuntur, in qua re Patris et Spiritus sancti cooperatio cognoscitur : et ipse « Dominus » ter dictus, id est, trinitas tota « populo suo » constituto « in pace », id est, æternitate « benedicet « dando gloriæ incrementum.

IN PSALMUM XXIX.

TITULUS. *Psalmus cantici in dedicatione domus David.*

« Exaltabo te, Domine. » Psalmus iste est cantici, id est, exsultationis, habitæ in dedicatione domus David, id est, in consideratione dedicationis, id est, confirmationis domus David, id est corporis : quod corpus fuit domus Christi, secundum deitatem : vel fuit domus prophetæ David, quia fuit de semine David : et hujus domus fabricatio fuit in conceptione, dedicatio in resurrectione. Sicut enim domus celebris fit in dedicatione, sic Christus celebrior est factus in resurrectione, assumpta impassibilitate et immortalitate. Christus est materia, quam sic disponit. In prima parte psalmi est gratiarum actio de libertate, in qua etiam hortatur sanctos ut pro eadem Domino reddant grates, quæ liberatio illorum est qui per eam liberati sunt. In secunda parte ostenditur meritum, quare fuit dignum ut liberarentur. In tertia parte circa finem manifeste ponit resurrectionem. Intentio est hortari homines ad laudem Dei de sua substantia, quæ et illorum est : quæ notatur ubi dicitur : « Psallite Domino, sancti ejus, » et cætera : et a gratiarum actione de sua liberatione sic incipit :

Vox Christi « Domine Deus, exaltabo te », id est, ampliabo nomen tuum per multas gentes : et ne hoc videretur mirum, quod humilis tam altum deberet ex altare, ostendit quod possit et debeat, dicens : Ideo possum et debeo, « quoniam suscepisti me » uniendo Verbum tuum meæ humanitati : et propter hoc etiam quod « nec delectasti », id est, delectari fecisti « inimicos meos » quoslibet, ita quod essent « super me » se esse in passione, tamen illud gaudium versum est in tristitiam.

Et ideo etiam « exaltabo te » quia « sanasti me » etiam in meis, me faciendo impassibilem et immortalem in meis, liberando eos a peccatis, et faciendo justos : et est præmissa causa, quod dignus salvatione sit, cum dicit : « Domine Deus meus, clamavi ad te. »

Et ideo « exaltabo te, » quia tu, « Domine, eduxisti animam meam ab inferno » et sic « salvasti a descendentibus in lacum », id est, a Judæis salvatus fuit, quando eo facto immortali et impassibili, nulla mala inferre poterant ei.

Et ideo quia sic me Dominus liberavit, vos per meam liberationem facti sancti ejus : « psallite » bene operando huic « Domino » « et confitemini » ore et corde « memoriæ », id est, huic Domino, quia memor vestri : « memoriæ » dico, non procedente ex nostro merito, sed « sanctitatis ejus », id est, ex sua sola sanctitate. Vel « memoriæ sanctitatis », id est, qua sanctificat alios : sanctitatis dico « ejus », id est, quæ ab ipso procedit.

Et bene debemus confiteri, « quoniam ira in indignatione ejus », id est, quando se avertit ab aliquo, est pœna ei a quo se avertit : « et in voluntate ejus », id est, in beneplacito ejus, est « vita » quæ incipit in hac vita per justitiam, et ducit in vitam æternam. Et hic innuit quod non tantum debemus Domino confiteri quia dat bona, sed quia etiam mala removet, in quibus juste tenebamur.

Dixit quod ira est in indignatione, et vita in voluntate : nunc ostendit per quem sit ira, scilicet per Adam : et quibus? scilicet imitatoribus ipsius : et per quem sit vita, scilicet, per Christum : et quibus? scilicet imitatoribus Christi. Continuatio : Vita est in voluntate, sed non omnibus : quia respicientibus « ad vesperum », id est, imitantibus casum Adæ. Rei enim veritas est, quod Adam in vespera, id est, post meridiem declinante sole fregit obedientiam. Dum enim fuit Adam in meridie, id est, in fervore dilectionis, obedientiam viriliter servavit. Postquam vero charitas in eo refrixit, et post meridiem, id est, post charitatem fuit, ab obedientia discessit : cujus imitatores illi esse dicuntur, in quibus non ardet charitas, et illis respicientibus ad vesperum « demorabitur fletus », id est, remanebit fletus : respicientibus vero « ad matutinum », id est, ad resurrectionem Christi factam in mane, id est, imitatoribus ejus « lætitia ».

Hic ostendit et causam et meritum suæ liberationis, et ostendit eum contrarium esse Adæ : quia cum Adam esset perfectus et in abundantia positus, non attendit, imo recessit. Ostendit autem quod cum Christus esset positus in abundantia, nulla tribulatione ab obedientia potuit removeri. Continuatio : Illis respicientibus ad vesperum, erit fletus. « Ego autem » non sum de illis, scilicet, existens « in abundantia mea », id est in perfectione scientiæ et omnium virtutum « dixi », id est, deliberavi : in ipsa rei exhibitione hoc ostendit : « non movebor ab illa abundantia » « in æternum. »

Dixit quod illam abundantiam custodiret, et nunc ostendit quod illam abundantiam non habet ex se, sed ex solo Deo, et hoc est, « Domine, decori meo », id est, abundantiæ illi meæ « præstitisti virtutem, » id est, constantiam, et hoc non ex merito meo, sed ex sola tua voluntate.

« Præstitisti virtutem, » sed tamen aliquando « avertisti faciem tuam a me », id est, permisisti me tribulari : et tunc « ego » homo « factus sum conturbatus » et hic magnum meritum ostendit Christi, qui nec sic probatus, ab obedientia cessavit.

Ego conturbor, sed in ipsa conturbatione « o Domine, clamabo ad te » de obtinendis bonis : « et deprecabor ad te Deum meum » de removendis malis.

« Ad te clamabo, » sic dicens : « dum », id est, « si « descendero in corruptionem », id est, si redigor in pulverem, « quæ utilitas tunc in sanguine meo » ? id est, quid proficiet mihi vel aliis sanguis meus effusus? Si sanguis justi effundatur, debet proficere : si sanguis impii, nulla utilitas debet quæri.

Si redigar in pulverem, nulla utilitas consequetur : quia neque confessio, neque veritatis annuntiatio, ad quæ facienda resurrectio Christi necessaria fuit. Continuatio : Dico, si descendo in infernum, nulla erit utilitas, quia « nunquid pulvis », id est, caro redacta in pulverem « confitebitur tibi ? » id est, erit causa confessionis, id est, laudis tuæ, « aut annuntiabit veritatem tuam » ille pulvis, id est, erit causa quare causa tua annuntietur de reparatione humani generis, quam tu per me facturus es? Non utique, ideo nolo ut permittas me redigi in pulverem, sed cito resuscita.

Ego clamabo, et Dominus exaudiet me, propter meritum clamoris, et etiam propter misericordiam, et hoc est, « misertus est mei » et ipse idem « Dominus est factus adjutor meus » scilicet « planctum meum », id est, dolorem convertit in gaudium, sed ex familiaritate convertit se ad ipsum, cum dicit, « convertisti ». Dolor enim mortis conversus est in gaudium per gloriam resurrectionis, « convertisti » dico « mihi », id est, ad utilitatem mei et meorum conscidisti saccum meum, id est, carnem meam. Carnem Christi ideo saccum vocat, quia sicut saccus vestis pœnitentialis est, sic caro Christi vestis pœnitentialis est, non quod sua peccata portaret, sed aliorum. Unde dicitur : « Peccata nostra ipse portavit (*Isa.* LIII; *I Petr.* II). » Confessio ipsa facta fuit in ipsa passione : et postea ipsa resurrectione « circumdedisti me lætitia », id est, impassibilitate et immortalitate, et ab hoc versu manifeste incipit ostendere de resurrectione.

« Circumdedisti ut ipsa gloria mea », id est resurrectio mea « cantet tibi », id est, ostendat te esse laudabilem. Hoc enim resurrectio Christi efficit, ut Deus per totum mundum laudetur et illa non erit ad horam, sed jam deinceps « non compungar, » id est, nullam pœnam mortis sustineam. Unde Apostolus : Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur : et sicut illa gloria æterna erit, sic confessio quæ ex hoc procedit, erit æterna : et hoc est, « confitebor tibi », id est, laudabo te non tantum in hac vita sed etiam « in æternum » et in me et in meis.

IN PSALMUM XXX.

TITULUS. *In finem psalmus David.*

« In te, Domine. » Psalmus iste convenit Christo, qui loquitur, hic non tantum pro se, sed pro martyribus suis dirigens in finem, id est, in Christum : et hic notatur intentio sicut et in cæteris psalmis. Materiam habet in hoc psalmo duo opposita, auxilium divinæ pietatis, et humanæ fragilitatis miseriam et hoc psalmo tres partes facimus, et in prima parte attendens misericordiam Dei, petit se et suos per divinam misericordiam, a miseriis ne deficiant, liberari. In secunda parte miserias enumerat, quas ipse et sui patiuntur. In tertia vero ponit exsultatio-

nem suæ liberationis, et gratiarum actionem, invitat etiam alios ad Dei dilectionem. Intendit autem homines admonere, ut neque desperent, attendentes suas miserias, neque superbiant stulte de Dei misericordia præsumentes, et sic manifeste, in finem, id est, in Christum nos dirigit.

Et admonens, alios sic dicit : Nolite præsumere de vobis, sed sperate in Domino, sicut et ego nunquam de me præsumpsi, sed « speravi semper in te, Domine » Deus meus, et quia speravi « non confundar in æternum. » Non negat quin patiatur exsultationem inimicorum, sed illa tamen æterna non erit : « non confundar in æternum, » sed potius, Domine, « libera me » et meos, ne frangar miseriis hujus mundi, et hoc « in justitia tua, » quia hoc exigit justitia tua, ut sperantes in te liberes.

Et quia vox mea non posset ascendere ad te, tu, Domine, « inclina aurem tuam, » id est, potentiam tuam « ad me, » id est, ad subveniendum mihi, « inclina, » id est, humilia, ad eripiendum me de miseriis istis. Hæc inclinatio intelligitur esse facta in hoc, quod verbum Dei unitum est humanæ naturæ, et ipsa semper durat. Inclina dico, et « accelera, » id est, cito fac omnia quæcunque pro me facturus es, scilicet, da perfectam formam vivendi per me, secundum humanitatem meam. In morte mea cito redime animas de inferno, ne differas resurrectionem usque in communem. « Accelera » dico, « ut, eruas me, » ut nihil amplius persecutores nocere valeant mihi, nec meis prævalere.

Et interim, id est, dum illa acceleratio erit, « esto mihi in Deum protectorem, » id est, tam fortis protector, quam bonus Deus potes esse, ne vulnerer telis inimicorum, et esto mihi « in domum refugii, » id est, securitatis in qua quiescam finitis laboribus, et quia possent finiri labores ad tempus, et reinciperent, addit « ut salvum me facias, » id est, sic sis mihi refugium, ne ulterius labore aliquo valeam excitari.

Ideo peto ut sis mihi protector et refugium, « quoniam » tu solus es « fortitudo mea, » qua ego et mei possimus contra repugnantes resistere, et etiam « tu es refugium meum, » id est, securitas in qua quiescamus et ego et mei. Deus fuit refugium Christo in resurrectione, suis membris est refugium, cum facit eos securos per sacramenta Ecclesiæ, scilicet per corpus Christi, per orationes, etc. Et non tantum protector eris et refugium, sed etiam « deduces me et enutries me, » id est, in propria persona deductus est Christus, cum ad omnes gentes per prædicationem apostolorum nomen suum extensum est, deducuntur sui per dilatationem famæ, sicut Petrus dilatatus fuit per totum mundum. Christus in propria persona nutritus erat, sui nutriuntur quando de virtute in virtutem redduntur : et hoc « propter nomen tuum » dilatandum.

Bene dico, « deduces me » in cognitionem, quia tu « educes de laqueo, » id est, de morte, quæ dicitur laqueus : quia per mortem putaverunt impedire nomen ejus, « quem absconderunt, » id est, latenter paraverunt « mihi » quem nullum latet secretum (*Hebr.* IV). Suos similiter eripit Deus de laqueis diaboli, ideo scio quia educes, « quoniam tu es protector meus » et non potest illaqueari, qui talem habet protectorem.

Et quia « es protector, » ideo « commendo spiritum meum, » id est, animam meam « in manus tuas, » id est, in potestatem tuam. « Commendo » dicit, sicut illi cui familiaris fuit, et cui bene confidebat quod redderet, et tu, « Domine Deus veritatis, redemisti me. » Redempta est anima Christi et aliorum, per suam tam perfectam obedientiam.

Et ideo quia Deus es veritatis « odisti observantes vanitates, » id est, appetitores mundanorum. Vere istæ res mundanæ sunt vanitates, quia « supervacuæ. » Vacuæ sunt, quæ nihil utilitatis afferunt, supervacuæ, quia etiam damnum afferunt.

Illos odisti, « ego autem speravi in Domino » et ideo « exsultabo » in corpore « et lætabor » in spiritu « in misericordia tua » scilicet, non tantum propter hoc quod speravi. In hoc quod dicit exsultare, quia speravit, notat, veritatem Dei. Non enim Deus veritatis esset, nisi secundum Deum retribueret speranti in se.

Bene dico, quia exsultabo : « quoniam respexisti humilitatem meam, » id est, misertus es meæ fragilitatis et meorum et afflictionis, ne a persequentibus superer « salvasti etiam animam meam de necessitatibus, » id est, de peccatis, de quibus anima Christi immunis fuit, animæ suorum a criminalibus, vel si sui habuerint criminalia, non nocuerunt eis. Necessitates peccata nominat, et quia inevitabiles sunt hominibus, et quia necem portant.

Et quia salvasti, ideo « non conclusisti me in manus inimici, » id est, potestate diaboli. In manus inimici conclusus esset, si nullo modo ab ejus potestate egredi posset, sed potius « statuisti, » id est, firmiter posuisti « pedes meos, » id est, affectiones meas « in spatioso loco » ita ut sine aliqua offensione possim incedere, sicut aliquis in spatioso libere incedit quo vult. Vel per locum spatiosum, charitatem intelligamus, in qua Christus late ambulavit, et sui et cum proximo suo.

Hic incipit secunda pars de enumeratione miseriarum humanæ fragilitatis. Postquam dixit se esse in spatioso loco per misericordiam Dei, timens tamen de sua fragilitate, enumerando miserias suas, postulat misereri, sic dicens : « O Domine miserere mei » et opus est « quoniam tribulor » et ipsam tribulationem aggravat, scilicet, talis est illa tribulatio, quod ex ea « oculus, » id est, intellectus meus « conturbatus est in ira, » id est, in pœna illata ab eis « et anima mea, » id est, animalitas mea : « et venter meus, » id est, memoria mea, quæ ideo venter dicitur, quia sicut in ventre escæ reconduntur, ita in memoria abdita reconduntur et secreta. « Turbatus est » quamvis certus esset de promisssione quæ

dixerat : « Clarificavi et iterum clarificabo (*Joan.* xii) : » non ita debemus intelligere Christi vitam, sive memoriam esse turbatam, ut aliquo modo deficeret, sed sponte conturbari voluit, ut aliis exemplum relinqueret, ne si turbarentur, desperarent.

Ecce præmissæ tribulationis partes exsequitur. Vere tribulor, « quoniam vita mea » hactenus acta « in dolore deficiet, » in morte : et quia vita illa posset esse acta in dolore per unum diem vel per duos, quod non videretur magnum, addit : « et anni mei, » id est, vita mea multis annis acta « in gemitibus » deficiet in morte. De quibusdam membris Christi potest dici, quia vita eorum per multos fuit annos in dolore, sicuti de Paulo et similibus, de quibusdam vero aliis, quia vita eorum defecit in dolore brevi, ut de Hippolyto et similibus.

Vita defecit in dolore, et etiam « virtus mea, » id est anima, « infirmata est in paupertate » et in consideratione meæ parvitatis, quia nihil habeo ex me; « et ossa mea, » id est, corporis mei robora, sunt ita, ut quicunque putent me aliquod robur habere, ego nihil puto ex me habere. Cum Christus dicit se esse infirmum et in corpore et in anima, omnem a se superbiam remotam ostendit, et quod aliquis non debet de se præsumere.

Ponit item alias miserias, dicens : « Factus sum » etiam « opprobrium super inimicos meos, » id est, plus quam inimici mei, cum ipsi digni essent tanto opprobrio, « et factus sum valde timor vicinis meis, » id est, causa timoris, quia videntes eum tradi in mortem, timuerunt. Vicinos vocat illos qui licet non essent discipuli Domini, tamen accedebant ut audirent eum : « et notis meis, » id est, ipsis discipulis meis « factus sum timor. » Sive ita legitur. « Factus sum opprobrium valde vicinis meis super inimicos meos, » id est, plus habuerunt me vicini mei opprobrio quam inimici « et timor factus sum notis meis. » Alia translatio habet, apud inimicos : scilicet, inimici habuerunt me opprobrio. Item alia miseria, et etiam illi « qui videbant me, » id est, qui cognoscebant me Deum esse « fugerunt a me foras, » id est, sola exteriora in me cognoverunt, scilicet, me solum hominem arbitrati sunt. Unde et ei resuscitato duo discipuli dixerunt : « Nos putabamus quia ipse esset redempturus Israel (*Luc.* xxiv). » Vel ita, « illi qui videbant me » ita tractari « fugerunt a me foras » ut supra : et etiam « datus sum oblivioni a corde » illorum « tanquam » quilibet « mortuus. » Hanc sententiam comprobat illa translatio, quæ habet, excidi a corde. Vel « tanquam mortuus a corde, » id est, quilibet peccator, cujus cor, id est ratio, non vivit : et hæc sententia currit per campos.

Item alia miseria : « Factus sum etiam tanquam vas perditum, » quia sicut vas fractum non potest liquorem retinere, sic nec ego meos apostolos : et propter hoc me vilem habuerunt; « quoniam ego audivi, » id est, patienter sustinui « vituperationem commorantium in circuitu, » id est, in exteriori meo, quia non cognoscebant me esse Deum. Vel « commorantium in circuitu, » id est, in appetitu mundanorum, quæ semper sunt in circuitu : quia in eis nullum caput est, nullus finis. Vel « in circuitu, » id est, in aliquo errore.

« In eo » circuitu « dum convenirent » in cœtum « adversum me simul, » id est unanimiter, « consiliati sunt accipere animam meam » id est, tollere. Vel « in eo sunt consiliati, ut tollerent animam meam » et hæc est alia translatio :

Ipsi sunt consiliati. « Ego autem in te speravi, Domine, » quia sciebam hæc omnia fieri tua dispositione, et « dixi » tibi deliberatione cordis : « Sortes meæ, » id est eventus mei, sunt « in manibus tuis, » id est in potestate tua. Per sortes ideo eventus accipimus, quia sine humana dispositione per solam Dei dispositionem eveniunt.

Et ideo « eripe me de manu, » id est, de potestate « inimicorum meorum » illorum, qui habent me odio, « et a persequentibus me, » id est, ab eis qui intulerunt mihi mala.

Eripe me et « illustra » mihi « faciem tuam super me servum tuum » et meos : hoc dicit per simile. Nam sicut cum aliquis dominus ostendit servo suo faciem suam claram, alii habent eum in majore honore : sic Christus fuit in majore honore, cum Dominus ei ostendit faciem suam eum resuscitando : « illustra, » scilicet « salvum me fac » et hoc non merito meo, sed « in misericordia tua, Domine, » ita ut « non confundar, » et cum misericordia ponit meritum, quare eum salvum faciat, subdit : « quoniam invocavi te. »

Ego non confundar, « impii autem erubescant, » id est, confusibiles appareant, et verecundantes de peccatis suis « deducantur in infernum » materialiter, et « labia dolosa, » id est, illi qui modo sunt garruli et dolosi « fiant muti » postquam ad inferos deducuntur.

« Quæ » labia « loquuntur iniquitatem adversum me justum in superbia » contra me justum superbiunt « et in abusione » quia ipsi abutebantur doctrina ejus, negligentes eam. Et alia translatio : in superbia et in contemptu.

Incipit tertia pars, in qua ponitur exsultatio liberationis, et gratiarum actio, et invitatio ad Dei dilectionem. Continuatio : Miserere humanæ fragilitatis quæ tam multa est, sed misericordia tua, Domine, est contra omnia : Domine « quam magna est misericordia dulcedinis tuæ, » id est, beneficiorum, quæ dulcia sunt gustantibus, « quam » dulcedinem « abscondisti » ab appetitoribus mundanorum, reservando eam « timentibus te, » id est, ad opus tuum timentium te.

Et illam dulcedinem « perfecisti, » id est, perficies in « eis qui sperant in te, » et hoc manifesto erit, scilicet « in conspectu filiorum hominum, » id est, carnalium. Videbunt enim mali in communi resur-

rectione gloriam fidelium, scilicet Christum ascendentem cum suis, et tunc tolletur impius, ne videat gloriam Dei. Vel « perficies eis qui sperant in te, » itaque confiteantur te si opus sit « in conspectu filiorum, » id est sæcularium principum. »

Hanc autem dulcedinem incipit Deus dare fidelibus in hac vita, et perficit in alia, et utramque partem exsequitur, meliorem pro dignitate præponens. Continuatio : Perficies illam dulcedinem sanctis, scilicet « abscondes eos, » id est, ita colloeabis, quod nullus poterit eos conturbare. Abscondes dico « in abscondito faciei tuæ, » scilicet inter angelos ubi facies tua, id est, cognitio tua, est abscondita quidem hominibus modo in carne viventibus, et per hoc remotos « a conturbatione hominum. »

Et ne aliquis diceret : Quis tantum exspectare potest? ponit præsentem consolationem. Continuatio : Post resurrectionem abscondes eos in præsentia tua, et interim « proteges eos in tabernaculo tuo, » id est, in præsenti Ecclesia, in qua Dei militiam exercemus, « a conturbatione linguarum, » scilicet, ne linguæ hæreticorum contradicentes veritati, valeant eos sibi incorporare.

Et quia tot bona facit Dominus, ideo sit « benedictus, » id est, exaltatus super omnes gentes : « quoniam mirificavit, » id est, mirabilem ostendit misericordiam suam « confitendo hæc prædicta dona in civitate munita, » id est, in sanctis suis, qui dicuntur civitas, quia sunt multi : et munita, propter multas virtutes quibus roborati sunt. Vel aliter secundum Hieronymum : « Benedictus Deus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita, » id est, in Hierusalem, ubi ipse fecit hæc mirabilia, scilicet, Christum nasci, pati, resurgere, et cætera quæ per eumdem in eadem civitate facta sunt a Deo ; quæ mirabilia Dei ibi facta, fuerunt causa omnium beneficiorum quæ Deus Ecclesiæ contulit. Hieronymus non ponit munitam, sed ponit quiddam unde ipsa civitas in mediis partibus mundi intelligitur collocata, id est, in media civitate : in qua ideo Christus habitare et mori elegit, ut se medium omnibus proponeret.

Deus sic mirificavit misericordiam, et tamen ego habui miserias, et hoc est, « ego » positus « in excessu mentis meæ, » id est, in angustia mentis « dixi » vel corde, vel voce « projectus sum a facie, » id est, ita reputatus sum, ut videar esse projectus « a facie oculorum tuorum, » id est, a præsentia misericordiæ tuæ. Excessus dicitur, sive quando homo rapitur ad contemplationem divinorum, ut Paulus dicit, sive mente excedimus Deo, sive quando aliquis ex tristitia sensum excedit, scilicet non remanere apud se.

Et quia sic me humilem exhibui, « ideo exaudisti vocem deprecationis meæ ; » et meritum quoddam exauditionis supponit cum dicit : « cum clamarem ad te, » id est, quia clamavi.

Et quia Dominus hæc beneficia confert fidelibus, et clamantes exaudit, ideo vos « omnes sancti, diligite » illum « Dominum ; » quoniam licet permittat A modo conculcari veritatem, tamen in suis « requiret veritatem, et retribuet » pœnam « facientibus superbiam, » et hoc non modice, sed « abundanter. »

Hic ponit conclusionem totius psalmi. Continuatio : Quoniam ipse requiret veritatem, ideo « viriliter agite ; et si in corpore est infirmitas vel lassitudo, cor vestrum confortetur. Viriliter agite, dico, « omnes qui speratis in Domino. »

IN PSALMUM XXXI.

Titulus : *Intellectus David.*

« Beati quorum. » Psalmus iste exponit nobis intellectum David vere pœnitentis. Materia est David propheta pœnitens, vel quicunque vero intellectu pœnitens. Agit de ipso sic : qui cum ignorasset B ante peccata sua, jam recognoscit. Ponit ipsius etiam confessionem, deinde illius confessionis commendationem. In quarta parte ponit Christum promittentem plura bona hujusmodi pœnitenti. Intentio est, nos admonere ad intellectum hujusmodi confessionis.

Loquens iste pœnitens, jam in prima parte se ostendit peccata cognoscere, cum dicit : « Beati quorum iniquitates, » id est, carnis naturàles suggestiones « remissæ sunt, » id est, debilitatæ sunt in baptismo, ita quod licet ad peccandum instigent, non tamen ad actum perducunt. Vel « iniquitates, » id est, peccata quæ fuerunt ante baptismum, « sunt remissæ, » id est, penitus in baptismo destructæ : et illi sunt beati « quorum peccata » post baptismum C perpetrata « sunt tecta » per pœnitentiam. Cum dicit tecta, dat intelligere ibi dictum esse de criminalibus quæ indigent tegi, ne appareant in conspectu Domini ad puniendum.

Ille etiam « vir est beatus, cui non imputabit Dominus peccatum, » id est, qui cum fecisset peccatum, tale non fecit quod Dominus respiciat ad puniendum : per quod notatur peccatum, quod sola oratione potest deleri : et cum non fecisset nisi levia, ipse tamen imputat sibi, quod notatur ubi dicit : « nec est in spiritu ejus dolus. » Dolus esset in spiritu ejus, id est, in voluntate, si diceret se sine peccato esse, cum sciat neminem sine peccato vivere. Unde Joannes : « Si dicimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas D in nobis non est (*I Joan.* 1). » Cum dicit beatus quibus hæc trina remissio fit, ostendit se peccata jam recognoscere.

Modo sic renosco peccata, sed ante tacui me habere peccata, et « quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, » id est, ad modum veteris vestis appropiaverunt ruinæ robora mea. Bene dicit, « inveteraverunt, » et non destructa sunt, quia poterant reædificari. Tacui me habere peccatum « cum clamarem » per ipsa opera me habere peccatum « tota, » id est, assidua die. Vel « cum clamarem » meam scilicet justitiam.

Ostendit sibi mala evenisse, quod tacuit. Continuatio : Prius tacui, sed modo « sum conversus, » id

est, ita quod sit « in ærumna mea, » id est, cognoscam me ærumnosum, id est, peccatorem : et præponit causam conversionis, cum dicit « configitur spina » suggestione, consensu, consuetudine. « Quoniam manus tua, » id est vindicta tua, « gravata est, » id est, gravior facta est « super me, » et « hoc die ac nocte, » id est, assidue. Gravata dicit a similitudine magistri, qui ingravat super discipulum, ut faciat eum recognoscere delictum : conversus dico « dum configitur spina, » id est, quia destruitur superbia : quæ ideo per spinam intelligitur, quia in spina est erectio hominis. Bene dico in ærumna « dum, » id est, quia « configitur spina, » id est, punctio peccati.

Hic incipit confiteri. Dico conversus sum, et deinde « cognitum tibi feci, » id est, confessus sum « delictum meum, » id est, quod deliqui nihil faciendo, « et injustitiam meam, » id est, quod contra vetitum feci « non abscondi, » sed tibi manifestavi : non quod aliquando essent ignota, sed ille dicitur nota Deo facere peccata, qui seipsum cognoscit damnabilem, et medicum requirit.

Hic ostendit quid prosit cognoscere peccatum. Delictum tibi feci cognitum, ex quo etiam « dixi, » id est, deliberavi, scilicet apud me ipsum, « Confitebor « Domino injustitiam meam, » id est, mala opera mea, quod facere est adversum me, qui prius peccata mea defendere consueveram, « remisisti tu » non solum peccata, sed mala opera, scilicet « impietatem, » id est, » excusationem « peccati mei. » Licet autem Deus dimittat peccata, ex quo homo in voluntate pœnitet, tamen confitendum est ministris Ecclesiæ, quia, nisi confiterentur, ex sua inobedientia damnarentur. Quod ostensum est Lazaro, qui postquam resuscitatus fuit, indiguit solvi.

Ponit commendationem confessionis, cum dicit sanctos orare pro remissione impietatis, quæ remissio habetur ex confessione. Bona est impietatis remissio, et « pro hac » habenda « orabit omnis sanctus in tempore opportuno, » id est, in hac vita, in qua tantum valet oratio impetrare.

Alia commendatio confessionis. Boni orabunt, « verumtamen » habitantes « in diluvio aquarum multarum, » id est, in submersione multorum peccatorum, « non approximabunt » ad eum per aliquam confessionem.

Et bene debent sancti orare ad te, quia « tu es refugium meum, » id est, facis me securum « a tribulatione » peccatorum præteritorum « quæ circumdedit me : » et tu, Domine « erue me a circumdantibus me, » id est, dæmonibus et præsentibus peccatis : tu, dico, « exsultatio mea, » id est, de quo exsulto, securus quod cito eripias. Ponit hic quartam partem, scilicet per remissionem, quam facit Christus confitentibus. Continuatio : Bene dico te esse refugium, quia tu ipse dicis : « Dabo tibi intellectum » quo confitearis peccata tua, et « in via qua gradieris, » id est, in bonis operibus, quibus ad Deum incedis, « instruam te : » amodo do arma quibus possis pugnare, scilicet, virtutes : et quia sic instructus, sine Dei custodia non possis persistere, dicit : « firmabo super te oculos meos, » id est, per misericordiam custodiam.

Et quia dabo intellectum, « nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. » Similes essent equo, si non attenderent quem portarent, sive Deum, sive inimicum. Similes essent mulo, si non considerarent onera sua, an portarent peccata, sive bona opera. Vel per equum accipiamus gentilem populum, qui indomitur et effrenis legem non curabat : per mulum, Judaicum populum, qui durus et piger erat ad legem implendam.

Dico nolite fieri, sed, o Domine Deus, si tales fuerint « confringe maxillas eorum in chamo, » id est, in minori penuria victus et vestitus, « et in freno, » id est, in majori penuria victus. Chamus est ligatura qua ligantur domita animalia : frenus qua indomita : maxillas dico eorum « qui non approximant ad te » per confessionem.

Per chamum et frenum corrige eos, et præter hæc sunt « multa flagella peccatoris, » id est, quibus debent corrigi peccatores : « sperantes autem in Domino misericordia circumdabit, » quia in nullo deficiet eis misericordia. Hæc verba sunt Christi ad Patrem, ex quo dixit confringe.

Misericordia circumdabit sperantes, ideo vos, justi, qui in Domino speratis, « lætamini » in mente, « et exsultate » in corpore, « et gloriamini » jam securi de gloria « omnes recti corde. »

IN PSALMUM XXXII.

TITULUS : *Psalmus David in finem.*

« Exsultate, justi. » Psalmus iste convenit David prophetæ, qui et hic loquitur, et facit cantilenam de laude Dei, quæ mitigat tentationes diaboli, sicut cantilena David mitigat spiritum Saulis. Materia est laus Dei. Eam ita tractat : admonet ad laudem Dei, ponendo causas quare debeamus Deum laudare. In secunda parte ostendit illos esse beatos qui Deum laudaverunt. Intentio est admonere ad laudem Dei, quod notatur in prima parte, a qua sic exsultanter incipit.

Vos impii non debetis exsultare in Domino, sed vos « justi exsultate in Domino » et non in mundanis. Bene dico, justi exsultate, quia « rectos » illos qui exsultaverint « decet laudatio, » scilicet ut laudent Deum. Unde dicitur : « Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas? (*Psal.* XLIX.) » Et item : « Non est speciosa laus in ore peccatoris. (*Eccli.* XV.) » Vel si habeatur collaudatio, per eam laudantium unanimitas intelligitur.

Hic ponit partes laudationis, quam admonet facere nos dicens : quia decet rectos laudatio, ideo vos recti « confitemini Domino in cithara, » id est, laudate eum in corpore vestro, et in substantiis inferioribus, scilicet, in eleemosynis, quod per citharam ideo intelligimus, quia cithara est instrumentum ab inferiori parte resonans, et nos ab inferioribus, id est, ab istis mundanis resonemus ad laudem Dei bene disponendo ea : et non tantummodo ab infe-

riori parte, sed « psallite illi, » id est, bene operamini « in psalterio, » id est, in spiritu : psalterium dico « decem chordarum, » id est, in spiritu implente decem præcepta legis. Per psalterium accipimus superiorem laudem, quæ est in spiritu, quia psalterium a superiori parte emittit sonum. Hic notamus contemplativam : et ubi dicit, Confitemini in cithara, activam vitam.

Et non solum in cithara et psalterio, sed « cantate ei canticum novum, » id est, laudate de transmissione Filii sui in mundum, quæ laus de incarnatione dicitur novum canticum, quia non fuerat nobis cognitum, et etiam « psallite ei in vociferatione, » id est, laudate eum ita intenta devotione, quod eam humanæ voces non valeant explicare : et quia multi compuncti ita Deum laudant, et tamen postea in peccata incidunt, addit : « bene, » id est, ita psallite, ut ultra non velitis non psallere.

Hic incipit causas reddere, quare sic admoneat nos laudare Deum. Continuatio : « Ideo debetis Deum laudare « quia rectum est verbum, » id est, præceptum « Domini. » Nihil enim nisi rectum præcepit « et omnia opera ejus in fide, » id est, recta et fidelia sunt. Vel « in fide sunt, » id est, ex fide haberi possunt, quia nulli fit remissio vel confessio, nisi priùs in fide. Vel « in fide » quia quæcunque Deus facit, causa confirmandæ fidei vel promovendæ facit.

Ideo quoque laudandus est, quia « diligit misericordiam et judicium : » et non ideo dicit quin ipse quoque diligat, sed quia ipse potius operatur secundum hoc. Secundum misericordiam operatur, cum peccata remittit ; secundum judicium, cum et bonis et malis secundum meritorum qualitatem tribuit, quasi sic diceretur : Unde habemus quod ipse diligat misericordiam ? Reddit causam, quia « misericordia Domini plena est terra, » id est, homines in terra tota. Ostendit quomodo plena est terra misericordia Domini, quia « cœli, » id est, apostoli « sunt firmati verbo Dei, » id est, in doctrina instructi, et exemplo Verbi Dei, id est, Filii, « et omnis virtus eorum, » id est, omnia miracula quæcunque ipsi fecerunt : vel fortitudo eorum contra adversa, sunt firmata « spiritu oris ejus, » id est, Filii, per quem loquitur Pater, Filii dico ejus Patri, et hic notamus totam Trinitatem. Ideo quoque laudandus est, quia ipse est « congregans aquas maris, » id est, mundanos homines, qui fluctuant sicut aquæ maris, ponendo eos in Ecclesia « sicut in utrem » quia sicut aquæ quæ sunt in utre coarctantur ne exeant, sic justi positi in Ecclesia, divinæ paginæ instructione coarctantur, ut non nisi eo permittente qui posuit, egredi valeant. Per utrem qui fit ex corio mortui animalis, intelligimus Ecclesiam, quæ carnales mortificat concupiscentias : ipse, dico, « ponens abyssos, » id est, profundos in sensu « in thesauris suis, » id est, dedit eis partem thesaurorum suorum, conferendo eis cognitionem sapientiæ et scientiæ suæ, sicut fecit beato Paulo, qui cognovit eum profundi sensus. Vel ita : « Ponens abyssos, » id est, profundissime tenebrosos « in thesauris suis, » id est, ut sint pars thesaurorum suorum, ut per eos legitime certantes remuneret. Sicut enim sapientia data est sanctis donum Dei, sic etiam mali donum Dei sunt cum sanctis ad majorem coronam dantur a Deo : ut Decius beato Laurentio datus fuit ad majorem coronam. Et ideo, quia talis est « omnis terra » et si non potest laudare, saltem « timeat Dominum : » sed si ex se non habet quod timeat, « ab eo » Domino « commoveantur » dico per inspirationem ad hoc timeant, commoveantur dico « omnes inhabitantes orbem. »

Et iste bene poterit commovere, quia ipse creavit omnia, et hoc est « quoniam ipse dixit, » id est, voluit « et facta sunt » omnia, id est, informis materia, et in hæc formata redacta, et « ipse » prius « mandavit, » id est, voluit « et creata sunt, » id est, de non esse, ad esse venerunt, scilicet facta est informis materia. Vel ita : « Ipse dixit et facta sunt, » omnia « ipse etiam mandavit » per angelos, et omnia « creata sunt, » disposita, id est, ordinatim facta. Sicut per angelum missum Moysi, lex fuit ordinata et facta.

Dominus fecit omnia, et ipse « dissipat, » id est, destruit « consilia gentium, » scilicet, de cultura idolorum, quando ad se convertit omnia : « reprobat autem cogitationes populorum, » id est, Judæorum, qui dicuntur populi, propter legem in qua vivere debebant. Cogitationes istæ fuerunt de lege et loco retinendo, et cum Dominum in sepulcro retinere putaverunt : et non tantum ipsorum minorum, sed « etiam reprobat consilia principum, » id est, dæmoniorum, regum, ducum, et pontificum.

Consilium eorum dissipatur : « consilium autem Domini » de reparatione humani generis, quam Deus occultavit multis, « manet in æternum, » id est, immutabile est : « et cogitationes ejus, » id est, dispositiones ejus, quæ dicuntur « cordis » quia rationabiliter factæ sunt, extundentur « a generatione usque in aliam generationem » et iterum in aliam generationem. Dispositiones Dei sunt, quidquid in omni tempore est.

Hic incipit secunda pars. Continuatio : Et quia ipse Dominus est talis « beata » est illa « gens, cujus est Dominus, » id est, quæ fecit Dominum suum illum qui est « ejus » velit, nolit : « Deus ejus, » id est, voluntarie constituit sibi illum Dominum, qui est Dominus ejus potestate. Incipit enumerare beatitudines. Bene dico, quod illa gens est beata, quia est populus electus in hæreditatem Dei, et hoc est « populus quem elegit in hæreditatem sibi. » Ideo beata hæreditas illa, quia Dominus excolit doctrina et intellectu divinorum fontium. Elegit dico, non quod det eam possidendam alii, sed sibi.

Beata est iterum illa gens, quia « Dominus respexit » eam, id est, misertus est ejus « de cœlo, » id est, humanitate Filii sui. Magna enim Dei misericordia fuit, quod Verbum suum incarnari pro nostra fecit redemptione. In « respexit » intelligimus, quod homo longe propter peccatum a Deo remotus erat : et

postquam Verbum incarnari fecit « vidit, » id est, jam quasi ex debito revelavit, dando vires « filiis hominum, » id est, rationalium.

De cœlo « respexit de habitaculo suo, » id est, de humanitate Filii sui, in quo ipse habitavit : habitaculo dico « præparato, » id est, magno consilio et sapienti ad habitudinem Domini ordinato : respexit « super omnes qui habitant terram. »

Enumerat iterum beatitudines. Continuatio : respexit ille « quia finxit corda, » id est, intellectus « eorum » hoc modo, scilicet « sigillatim, » id est, non omnibus eumdem intellectum dedit, sed singulis singulum : « qui etiam intelligit omnia opera eorum, » scilicet, quo intellectu faciant quidquid faciunt : et hæc est maxima beatitudo. Cum enim nostras infirmitates intelligit, confert sua solatia nobis.

Non tantum prædicta hæc facit Deus, sed etiam adjuvat reges et gigantes : quod auxilium a Deo vere necessarium est, quia sine eo « non salvatur rex, » id est, ille qui bene regit suam terrenitatem, « per multam virtutem » suam scilicet, licet Deus dedisset ipsi multas virtutes ; « et gigas, » id est, qui fortis est ad pugnandum contra inimicos Dei, et velox ad currendum per viam propositam, « non salvabitur in multitudine virtutis suæ, » id est, per virtutem suam, quamvis habeat multam, nisi Deo adjuvante.

« Equus etiam, » id est, humana felicitas, quæ sublevat hominem, sicuti equus sessorem, est « fallax ad salutem » quam videtur promittere : nec dico quod hæc felicitas tantummodo sit parum fallax, sed etiam quantacunque possit esse, fallax est, et hoc est : « in abundantia autem virtutis suæ, » id est, in abundanti virtute divitiarum, id est, in multitudine divitiarum « non salvabitur » aliquis hominum.

Hæc prædicta salvare nequeunt, sed « ecce, » id est, in manifesto habetur salvatio, scilicet « oculi, » id est, misericordia « Domini, » sunt « super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus. » Deus oculo misericordiæ et se metuentes et in sperantes aspicit.

Qui sperant ad hoc, scilicet « ut » ipse « eruat » eos « a morte » æterna « et alat eos » in justitia, « in fame » scilicet, in hac vita, in qua justitiam esurimus, vel ad hoc continuatur quod dicit « oculi Domini super justos, » ad hoc scilicet, « ut ipse eruat a morte animas eorum. »

Et quandoquidem Dominus talis est, scilicet, quod bene facit accedentibus ad eum, ideo « anima nostra, » scilicet prophetæ et consimilium, « sustinet Dominum, quoniam » ipse Dominus est « adjutor noster » ad bene operandum « et protector » contra tela adversariorum.

Bene dico quod sustinet, « quia » cum lætitia sustinet, et hoc est « in eo lætabitur, » id est, modo lætatur, et perseverabit lætando « cor nostrum. » Et bene dico quod lætabitur, quia jam « speravimus in nomine ejus sancto. »

Et « quemadmodum speravimus in te, o Domine » ita « fiat misericordia tua super nos. » Sperare in nomine Domini est, ex hoc quod nomen suum orat, habere spem vitæ æternæ.

IN PSALMUM XXXIII.

TITULUS : *Psalmus David cum mutaret vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.*

« Benedicam Domino. » Legitur in historia, quod David fugit persecutionem Saulis, et venit ad regem Achis. Cumque aliquandiu sub eo militasset, apud regem accusatus est propter invidiam. Timens ergo damnari David ab eis, areptitium se simulavit, et propter ea dimisit eum Abimelech vel Achis : unius enim regis nomina sunt, sed Achis proprium est : et sic David evasit, et abiit. Abimelech autem commune nomen erat regis terræ illius, et Achis proprium : et ideo ponit nomen hoc Abimelech, quia et convenientius est, secundum hoc quod nunc agit, propter interpretationem. Post illam autem mutationem David psalmum istum composuit : nec ideo quod de illa mutatione carnali intenderet, sed per illam spiritualem mutationem intellexit. Titulus sic exponitur, Psalmus iste convenit David prophetæ, habitus de hoc, quod « commutavit vultum suum, » id est, voluntatem suam. Cum enim prius in carnalibus observantiis immorari voluisset, intelligens postea eas nihil valere, sed in solo Deo confidendum esse. Licet enim secundum legem hostias immolaret, non tamen in illis confidebat, sed per eas sacrificium Ecclesiæ intelligebat. Mutavit dico « coram Abimelech, » id est, Judæis, qui dicuntur regnum patris : Dei autem patris omnium Judæi erant regnum. Coram Judæis nihil valere sacrificia vitulorum, sed soli Deo sacrificandum esse prophetavit, cum dixit : « Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos (*Psal.* XLIX.) » « Et iterum : Sacrificium Deo spiritus contribulatus (*Psal.* L). » Et iterum. « Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem, etc. » (*Psal.* XXXIX.) Et sicut Abimelech reputavit eumdem David esse insanum, sic Judæi reputaverunt eum insanum, cum in ritus suos non confidere cognoverunt, et tunc Abimelech, in regnum patris, scilicet Judæi, dimiserunt eum, et si non corporaliter, tamen voluntate : et ita David abiit, id est, ad alium ritum, id est Christianum, jam transiit. Potest etiam Christus loqui in hoc psalmo, et conveniet expositio tituli, sicut historiali David, sic psalmus isti convenit David, id est, Christo, cum mutavit vultum, id est, voluntatem suam, cum prius legem ostendit, postea legem nihil valere, sed solum corpus suum sumendum esse, cum diceret : « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI.) » Mutavit dico coram Abimelech, id est, coram Judæis, et ideo dimiserunt eum Judæi, id est, spiritualiter recesserunt ab eo, et etiam discipuli abierunt retro, et sic Christus abiit ab eis remotus a lege eorum. Materia est Christus secundum hunc novum statum, hanc sic exsequitur : in prima parte laudat hanc novitatem sacrificii, et admonet con-

sortes suos, ut secum laudent Dominum. In secunda parte admonet fideles ad participationem Dominici corporis, ut ad hoc se dignos præparent. In tertia parte admonet rudes, ut ad hanc novitatem accedant. In quarta parte ponit causas, quare sic accedendum, scilicet, quia Deus bonis bona retribuit, et malis mala. Item monet omnes, ut ad hanc novitatem accedant, et sic, sive Christus, sive propheta, a laude Dei ingreditur, dicens :

Quia aliquando benedixi Dominum pro temporalibus, modo « benedicam, » id est, laudabo « Dominum, » non tantum cum Judæos prosperat sicut solebam, sed « in omni tempore, » et hoc bonis operibus inhærendo, et sicut laudabo eum in operibus, sic « semper laus ejus in ore meo, » id est, laudabo eum voce. Vel sic loquitur : Qui semper benedixi Dominum, benedicam eum in omni tempore.

Bene dico, laudabo Dominum, quia per hoc laudabilis erit anima mea : et hoc est : « anima mea laudabitur, » id est, laudabilis apparebit habitans « in Domino, » et per hoc ostendit Dominum laudabilem valde, cum propter accessum illius anima laudabilis comprobatur, et quod ego dico « audiant mansueti, » id est, intelligant humiles « et » audientes « lætentur » scilicet, de hac novitate.

Et quandoquidem anima mea per eum laudabilis est, ergo vos consortes « magnificate Dominum mecum, » id est, prædicemus eum gloriosum inter multas gentes, et non solum ipsum Dominum magnificemus, sed « exaltemus nomen ejus. » Deum exaltamus, cum eum omnipotentem prædicamus, et tum nomen ejus, cum illud per multa loca effundimus, tendentes « in id ipsum, » id est, in unitatem, scilicet, in eodem affectu, eadem immutabilitate Dominum veneremur.

Ut populus invitatus ad laudem Dei festinaret, dicit quæ bona sibi inde provenerint. « Exquisivi Dominum, » id est, extra omnia quæsivi, postpositis omnibus temporalibus : « et ipse exaudivit me, » id est, sui cognitionem mihi innotuit, « et eripuit me omnibus tribulationibus meis, » id est, liberavit me a tribulatione peccatorum et dæmonum.

Postquam admonuit ad cantandum, secum ad ipsam communionem novi sacrificii populos hortatur accedere. Continuatio : Quia hoc mihi fecit, ideo vos alii « accedite ad eum » per gradum virtutum « et illuminamini » majori cognitione Dei. Quanto enim magis aliquis ad Deum accedit, tanto eum Deus sua abundantiori cognitione perfundit : vel « illuminamini » sacra præceptione : et postquam illuminati fueritis, « facies vestræ, » id est, intellectus vestri « non confundentur. » Illi enim qui non intelligunt, erubescunt : sicut illi qui abierunt retro dicentes : « Durus est hic sermo (*Joan.* VI.) »

Dico accedite, illuminamini, et habebitis auxilium angeli Domini custodientis vos : et hoc est : Immittit angelum Dominus : et de hoc potestis esse certi exemplo mei, quia « iste pauper, » scilicet, vel quilibet verus pauper « clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus ejus salvavit eum » ut supra expositum est.

Et sicut Dominus immisit angelum ad me salvandum, ita « immittet angelum » cœlestem spiritum, vel angelum, id est, Christum, qui est angelus magni consilii : vel angelum, id est, quemcunque probum virum « in circuitu timentium eum, » id est, in omni parte, id est, in omni necessitate defendit timentes eum : et ipse vel angelus vel Dominus missus « eripiet eos. » Vel, ut in frequentiori invenitur, « immittit, » id est, immissionem facit ad defensionem « angelus Domini, » ut immissio angeli scutum sit « in circuitu timentium eum. » Hanc litteram comprobat alia translatio, quæ habet : circumdat angelus Domini in gyro timentes eum.

Dico accedite, illuminamini, et accedentes et illuminati « gustate » Dominici corporis refectionem. Qui enim non accedens per virtutes, et non illuminatus, gustaret illud, judicium sibi manducaret et biberet (*I Cor.* XI). « Gustate » dico « et videte, » id est, intelligite, quia Dominus ipse Christus est, quem vos gustastis, et ipse « Dominus suavis est, » quia peccata dimittit, homines in virtute conservat, et tandem confert vitam æternam : et quia talis est « beatus est vir » ille, non qui legalibus confidit sacrificiis, sed « qui sperat in eo. » Quia dixerat Deum suavem, ne ejus suavitas tædium generaret, subdit : quamvis sit suavis, tamen « timete » eum « Dominum » offendere « sancti ejus, » id est, sanctificati ab ipso : non dico minores, sed quantumcunque sitis excelsi meriti « quoniam non est inopia timentibus eum. » Quomodo enim indigerent illi qui Deum habent, qui est omne bonum? Licet has miserias temporales sustineant, tamen non pro inopia, sed pro summa gloria sibi eas reputant.

Timentes Deum non esuriunt, sed « divites, » id est terrenorum amatores « eguerunt » spirituali refectione Dominici corporis : nec tamen neglexerunt, sed potius multum desideraverunt per naturam : et hoc est, quod dicit : « et esurierunt : inquirentes autem » non mundana, sed solum « Dominum, non minuentur omni bono » id est, habent Dominum, qui est omne bonum sine imminutione, quia eis omnia necessaria conferet. Vel ita : divites eguerunt virtutibus, et esurierunt Dominicam refectionem.

Hic incipit tertia pars, in qua rudes admonet. Continuatio : Quia inquirentes Dominum non minuentur aliquo bono, ergo vos « filii » derelicta impietate « venite » ad fidem, et hanc institutionem accipite, et « audite me, » id est, doctrinam meam intelligite, et ego « docebo vos timorem Domini, » id est, quomodo Dominum timere debeatis. Rudes, quamvis extra Ecclesiam, tamen paterna affectione filios vocat, sicut Abraham divitem, in inferno quoque positum legitur appellasse filium.

Docebo timorem Domini, ex qua doctrina vitam habebitis : et hoc tali interrogatione dicit,

quam omni assequatur assensu. Quis enim homo tam fatuus qui aut dicat : Vitam nolo, aut dies videre bonos non cupio? et hoc est : « Quis est homo qui vult vitam, » nec dico de vita acta in miseria, sed quis est ille « qui diligit videre dies bonos, » id est, vitam æternam, scilicet, vitam actam in bonis diebus? »

Dico, docebo timorem Domini, hunc scilicet, « prohibe linguam tuam » scilicet « a malo, » id est, ne in aperto mala loquaris, nec etiam mala loquaris intentione bona, et hoc est, « et labia tua ne loquantur dolum. »

« Diverte » etiam, id est, declina « a malo » opere : et quia hæc non sufficiunt addit « et fac bonum. » Et quia caro semper repugnat spiritui, et vult ut non faciat bonum, dicit : « inquire pacem, » cum carne scilicet reprime eam : et quamvis nunquam invenire possis, quia semper repugnat, tamen semper « persequere eam, » id est, opprime eam.

Hic incipit quarta pars. Dico, fac bonum, quia « oculi Domini » sunt « super justos » per misericordiam : et si ipsi aliquid petunt, « aures ejus, » id est, clementia et potentia ejus sunt paratæ « ad eorum preces » exaudiendas.

Dominus exaudit justos, malos autem damnat, et hoc est : « Vultus autem Domini, » id est vultuositas, scilicet ira Domini est « super facientes mala, ut perdat de terra, » scilicet viventium, non solum eos, sed etiam « memoriam eorum. » Tunc enim perdita erit memoria eorum, cum nullus sanctorum super eos aliqua pia actione movebitur. Unde dixit Abraham : « Inter nos et vos magnum chaos firmatum est (*Luc.* xv). »

Oculi Domini super justos. Et de hoc possumus esse securi, quia Dominus exaudivit priores patres; et hoc est : « clamaverunt justi et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. »

Et sicut liberavit eos, sic « est » modo « juxta, » id est, benignus his qui tribulato sunt corde, » scilicet compunctione peccatorum : et ipse « salvabit humiles spiritu, » id est, illos qui nihil reputant ex se, sed ex solo Deo omnia.

Dico salvabit eos, sed tamen remanent « multæ tribulationes justorum : » justorum enim proprium ut tribulentur, et « de his omnibus liberabit eos Dominus » cum ducet eos in regnum suum.

Tandem liberabit eos Dominus, et interim « custodit omnia ossa, » id est, omnes virtutes et fortitudines « eorum, » et quod nullum damnum de virtutibus suis passi sunt; et hoc : est « unum ex his non conteretur, » quia Dominus non sinet eos deficere.

Isti non conterentur. « Mors autem peccatorum pessima, » qua imminente, peccatores damnationem æternam incurrunt, et vitam turpissimam : et hoc est, quod « qui oderunt justum » scilicet ipsi peccatores « delinquent, » id est peccabunt. Hic pro justis contrarium. Continuatio : Mors peccatorum pessima est, « animas autem servorum suorum redimet » id est, redemptos per sanguinem Filii deducet ad vitam æternam : et vitam eorum præsentem faciet, mundam : et hoc est « non delinquent omnes qui sperant in eo. »

IN PSALMUM XXXIV.

TITULUS : *In finem psalmus David.*

« Judica, Domine, nocentes me. » Psalmus iste convenit David, id est, Christo, dirigens nos in finem. Intendit enim nos admonere ad passionem. Materia est passio et resurrectio. Eam sic exsequitur : In prima parte ponit orationem. In secunda enumerat passionem cum exsultatione resurrectionis. In tertia, quid illa passio et resurrectio efficiat, sicut in psalmo : Deus, Deus respice in me, passionem enumerat, sic in isto : sed quamvis de eodem dicat, tamen semper de eadem materia diversa dicit.

In oratione quam præponit, orat sibi et inimicis, tam convertendis, quam non convertendis; non convertendos dæmones accipimus, et obstinatos Judæos, quibus sic imprecatur : « Domine, judica, » id est, damna « nocentes me, » id est, dæmones, vel inconvertendos Judæos : et ipsos « impugnantes, » non tamen expugnantes « me, » tu « expugna, » id est devince. Expugnati erant in resurrectione Christi : quia non potuerunt eum retinere in morte, sicut putaverunt : et hic jam sibi incipit orare.

Expugna dico, et ut possis expugnare, « apprehende arma et scutum, » id est, qui ante occulte, modo evidenter operare in me arma, quibus possim inimicos devincere : et scutum, quo me defendas. Hæc autem arma et scutum sunt voluntas Dei, et tu qui aliquando videris sedisse, « exsurge » manifeste « in adjutorium mihi, » id est ad, cooperandum mihi.

Exsurge dico ad cooperandum mihi, et « effunde, » id est, notifica mundo « frameam, » id est, animam meam, qua tu diabolum devicisti, « et conclude inimicos, ne nomen eorum dilatetur : quod facere, erit « adversus eos qui me persequuntur. » Ipsi enim nomen meum volunt concludere, et suum dilatare. Quod per singula petant « dic animæ meæ » in ipsa impletione rei : « Ego sum salus tua » omnimoda.

Hic incipit orare de conversione inimicorum quos præviderat convertendos. Effunde frameam : « quærentes animam meam, confundantur, » id est, habeant erubescentiam de peccatis suis, et deinde « revereantur, » id est, timeant me et honorent.

Et non solum quærentes actu animam meam, sed etiam « cogitantes mihi mala, » scilicet consentientes facientibus, « avertantur » a via sua mala, ita ut sint « retrorsum, » id est, sequantur me et sic aversi « confundantur, » id est, erubescant de peccatis suis præteritis : quæ memoria erit eis

custodia virtutum. Et ponit per quod possint retrorsum averti, dicens : « fiant tanquam pulvis ante faciem venti. » Per ventum sancti Spiritus impulsionem accipimus, et orat quod sicut pulvis vento materiali a terra erigitur, ita isti Spiritu sancto a terrenis ad amorem cœlestium eleventur : et si ipsi non assentiunt Spiritui, sit « angelus Domini » sive malus sive bonus « coarctans eos, » id est, coercens ad conversionem, sive per pœnam, sive per infirmitatem, sive quolibet alio modo. In hoc versu duo genera correctionis notamus, unum voluntarium, aliud coactum.

« Et fiat via illorum, » id est, mala opera eorum, quæ prius eis lucida videbantur, videantur « tenebræ, » id est, tenebrosa, ut ulterius timeant incedere per ea sicut per tenebras : et eadem in qua se prius firmiter stare putabant fiat eis « lubricum, » id est, lubricosa, ut intelligant neminem firmiter posse stare : si hoc nolunt cognoscere ; « angelus Domini » sit « persequens eos » quacunque impulsione. Hic quoque notantur duo genera correctionis.

Et « quoniam absconderunt mihi interitum laquei « sui, » id est, occultos laqueos paraverunt mihi, qui laqueus erat causa interitus : absconderunt dico « gratis, » id est, sine merito meo et quoniam « exprobraverunt animam meam » dicentes : Dæmonium habes et similia : et hoc « supervacue. » In hoc quidem vacue, quia non erat quod dicebant : in hoc supervacue, quia immunis a peccato Filius Dei erat.

Et quoniam hoc fecerunt, veniant eis pro illis malis bona, et hoc est « veniat, » id est, paretur « illi » populo « laqueus, » id est, doctrina qua illaqueetur « quem ignorat, » id est, sicut mihi ignoranter paraverunt laqueum, sic illis ignorantibus paretur : et non tantum paretur laqueus, sed etiam « cadat » populus ille in laqueum, id est, ipsa doctrina efficax sit in eis : ita dico in laqueum, quod « in idipsum, » id est, laqueus iste sit laqueo similis quem paraverunt, ut sicut laqueo suo me prorsus retinere voluerunt, ita isti laqueo isto retineantur. Si habeatur, in laqueo ipso, idem erit. Dico laqueus apprehendat eos, « et captio quam abscondit, » id est, mors quam Christo occulte paraverunt « apprehendat eos, » id est, causa sit quare ipsi moriantur in peccatis suis. Vel sic potest legi, ad malum : Isti convertantur, illi autem « fiant tanquam pulvis ante faciem venti, » id est, moveantur in primo ictu tentationum : « et angelus Domini, » id est, diabolus, qui ideo dicitur nuntius Domini, quia per eum Dominus iram infert malis sit, « coarctans eos » ad graviora mala : « fiat etiam via illorum, » id est, institutio eorum « tenebræ, » ut per eam excæcati fiant a cognitione veritatis, et fiat eis via ipsorum « lubricum, » id est, lubricosa, ut semper de vitio in vitium cadant, et propter hoc sit « angelus Domini prosequens eos, » id est, deducens eos de vitio in vitium usque ad interitum. Et « quoniam gratis absconderunt mihi interitum, » laquei A scilicet, et « quoniam exprobraverunt animam meam supervacue, » ut supra « veniat illi » populo « laqueus, » id est, paretur eis occulta destructio, « quem ignorat, » id est, quem ipse nesciat, sicut completum est in occulta destructione per Titum et Vespasianum : et non tantum paretur, sed etiam habet efficaciam in eis : et hoc est « cadat » populus « in laqueum ipsum » ut supra expositum est. Vel idem est in laqueo, vel cadat in laqueum « in ipso, » id est, ipsa machinatione ; « et captio quam abscondit apprehendat eum, » scilicet illa vis quam ipsi paraverunt Domino, sit causa quare ipsi destruantur corporaliter.

Hic incipit secunda pars. Illis ita eveniet : « anima autem mea exsultabit in Domino » et hæc exsultatio B fuit in passione spe resurrectionis : « et delectabitur » in ipsa resurrectione « super salutari suo, » id est, de salvatione, vel divinitate sibi unita.

Et tunc « dicent » in re ipsa « omnia ossa mea, » id est, omnes virtutes meæ : « O Domine » qui es « eripiens » per quamdam violentiam « inopem, » id est, genus humanum « de manu fortiorum ejus » inopis, id est, de manu fortiorum diabolorum : et etiam eripiens « egenum et pauperem, » id est, humanum genus « a diripientibus eum, » id est, a ministris diabolorum qui ex præcepto diabolico genus humanum ad diversa peccata diripiunt, « quis similis tui ? » Inops dicitur humanum genus, secundum hoc quod erat passibile et mortale et in dominio diaboli erat : egenum secundum hoc quod sicut ille C egenus est, qui victum suum cum labore quærit, sic ipsum quoque quærit aliquam cognitionem de Deo et tamen adhuc erat pauper, quia modicum in ejus cognitione proficiebat.

Præmissa exsultatione, de passione narrare ingreditur. Continuatio : Quamvis ita exsultet anima mea, tamen non removentur humanæ miseriæ. « Surgentes iniqui testes, » qui ideo iniqui dicuntur, quia alter mendacium alterius testimonio comprobat, « interrogabant me, » id est, accusationes imponebant mihi per interrogationes « quæ ignorabam, » id est, quæ facta nesciebam.

Retribuebant etiam mihi mala pro bonis « quæ feceram eis, supple in sancta doctrina, scilicet steD rilitatem animæ meæ. » In hoc enim erat anima mea sterilis, quod incorporare eos mihi non poteram. Cibus enim meus, eorum salus et fides. Unde locutus Samaritanæ, dixit discipulis rogantibus ut manducaret : « Ego cibum habeo quem vos neseitis (*Joan.* IV). »

Ipsi retribuebant mihi mala, « ego autem » non vindicabam me de eis, sed « induebam me, » id est, cooperiebam divinitatem meam « cilicio, » id est, pœnitentiali veste. Carnem suam vocat pœnitentialem vestem, quia in ea pro peccatis populi sustinuit pœnam. Cooperta erat divinitas, quando suam non ostendebat potentiam. Induebar, dico, cilicio « cum illi mihi molesti essent, » id est, quamvis mihi molesti essent, cum alii soleant potentiam ostendere.

Et etiam « humiliabam animam meam, » id est, affligebam animam meam, « in jejunio » scilicet, quia eorum salute non poteram refici, vel in jejunio corporali, et etiam orabam pro eis, et quia non repererunt orationem meam, illa « oratio mea in sinum meum convertetur, » id est, mihi erit utilis : secundum quod ipse Dominus in Evangelio dixit apostolis : « In quamcunque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui : et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra : sin autem, ad vos revertetur (*Matth.* x), » id est, si vestra oratio non prosit eis, vobis saltem proderit.

Humiliabam et « sic complacebam mihi » vel Deo Patri : sic scilicet, habendo populum illum « quasi proximum et quasi fratrem » carnalem : quia tantum diligebam eum, quantum si frater meus carnalis esset : et cum nollet mihi acquiescere «humiliabar,» id est, affligebar pro eis sic « quasi » aliquis « lugens et contristatus, » lugens in corpore, contristatus in anima.

Ego sic humiliabar pro eis « et ipsi tamen lætati sunt adversum me, et convenerunt » scilicet, in hanc voluntatem, et « congregata sunt super me flagella, » id est, multiplicata, et ego « ignoravi » quare hoc facerent, quia, scilicet, non promerui.

Etiam « sunt dissipati » videntes ejus miracula, cum dicerent alii, quia bonus est, alii autem non, sed seducit turbas, et in passione ipsa cum viderent terræ motus. Et quamvis essent sic dissipati, « nunquam » tamen sunt « compuncti, » in quo maxime eorum nequitia aggravatur : sed potius tentaverunt me, adducentes ante me mulierem adulteram (*Joan.* VIII) : dicendo etiam : « Si filius Dei es, descende de cruce (*Matth.* XXVI) » ; « subsannaverunt me » cum aliquam infirmitatem humanæ naturæ in me cognoscerent : et non ad horam, sed « subsannatione, » id est, assidue : et cum nihil in me mali invenirent, « frenduerunt » scilicet bestiali more «super me dentibus, » id est, corrosionibus suis.

Ipsi ita contra me faciunt, sed tu quidem «quando respicies » misericorditer, ut de eorum potestate me liberes ? Respice, Domine, et « restitue animam » redditam corpori, remotam « a malignitate eorum, » id est, ab inferioribus Judæis malignantibus, et « unicam meam, » id est, animam meam ipsam, quæ unica est : quia nullam partem habet : vel unicam, id est, carnem meam, quæ unica est immunis a peccato : « restitue, » fac immortalem et impassibilem, ereptam « a leonibus, » id est a principibus Judæorum et aliis.

Incipit tertia pars, in qua ostendit quid boni eveniat de sua passione et resurrectione, scilicet laus Dei, conversio impiorum, exsultatio justorum. Restitue : Quod si feceris, « confitebor tibi » id est, laudabo te « in ecclesia magna » secundum numerum : quia de multis conficitur, nec tamen congregata de paleis, sed « in populo gravi, » id est, stabili per virtutem « laudabo te ».

Ego laudabo te, illi autem qui adversantur mihi, inique inferendo mala « non supergaudeant, » id est, si gaudent ad tempus, non gaudeant usque in finem : nec illi « qui oderunt me gratis, » id est, sine merito meo : « et annuunt oculis, « id est, alios nutu oculorum provocant ad derisionem meam.

Non supergaudeant, nec debent supergaudere, « quoniam mihi pacifice loquebantur, » et loquentes pacifice « cogitabant dolos » in corde, et illi doli non erant, ut auferent mihi exteriora, sed « in iracundia, » scilicet ad mortem meam intendentes : iracundiam dico « terræ, » pro terra scilicet et suo regno retinendo. Timebant enim perdere locum et gentem, nisi Christum occiderent.

«Et dilataverunt super me os suum» cum dicerent : Crucifige, crucifige eum (*Joan.* XI) : » et « dixerunt, Euge euge, » id est, bene bene, « viderunt oculi nostri » de isto quod optavimus.

Ita ipsi mihi fecerunt, sed tu « Domine vidisti, » id est, cognovisti eorum nequitiam, et meam innocentiam, et ideo « ne sileas, » sed profer sententiam : et tu « Domine, ne discedas a me ». Quamvis si securus quod Deus non discedat ab eo, tamen quia nihil scit se habere ex humanitate, orat, ut det aliis exemplum orandi, quia nihil prorsus in sua humanitate confidere debent.

Dico ne discedas, potius « exsurgere et intende judicio meo, » id est, considera quale judicium sit factum de me, tu dico qui es « Deus meus ». Et quia si solum judicium aspiceret, haberet eum furem quia inter fures damnatus est, addit : « et attende causam meam, » id est, totam placitationem considera, scilicet, quod ego semper erga eos innocenter me habui, tu dico qui es « Deus meus ».

Intende in causam meam et « judica me secundum justitiam tuam, » id est, secundum hoc quod exigit justitia tua, « Domine Deus meus, et non supergaudeant mihi, » scilicet « non dicant in cordibus suis, Euge euge animæ nostræ » de hoc quod retinuimus eum in morte, nec dicant in ore « devoravimus eum, » id est, destruximus eum. Hic quoque non dubius de se orat, sed nobis proponit exemplum. Hoc non dicant, sed potius « qui gratulantur malis meis, simul » omnes « erubescant et revereantur, » id est, timeant et honorent me.

Et non tantum qui consentiunt facientibus mihi mala, sed etiam « qui loquuntur maligna super me, induantur confusione et reverentia. »

Isti erubescant, sed «qui volunt justitiam, » scilicet imitari, « exsultent » in corpore, et in anima « lætentur : » et illi « qui volunt, » id est, diligunt, petunt « pacem servi ejus, » id est, illam pacem quam ego, qui sum servus ejus, posui inter Deum et hominem : « et dicant semper : Magnificetur Dominus » de pace illa data hominibus.

Isti magnificent Dominum « et lingua mea meditabitur justitiam tuam, » id est, meditate annuntiabit, et non tantum justitiam tuam, sed « tota die » justitia annuntiabit « laudem tuam, » id est, te laudabilem, sicut de creatione cœli Christus in

propria persona laudem Dei annuntiavit, et etiam per hos hodie, per quos loquitur, ipse annuntiatur. Quod dicit linguam meditari, quod cordis est proprium facere, ex unione membrorum, quod cordis est, linguæ attribuit.

IN PSALMUM XXXV.

TITULUS. *In finem servo Domini David.*

« Dixit injustus. » Psalmus iste convenit proprie prophetæ David servo Domini : qui bene in hoc psalmo comprobatur servus Domini, quia in hoc psalmo ostendit peccatorem omnia peccata sua non a Deo, sed ex se omnia habere. Justum vero nihil justitiæ, nisi ex solius Dei pietate habere. Psalmus dico dirigens in finem, id est, Christum. Materia est justus, et secundario impius. Modus vero talis est : In prima parte psalmi, impium cum sua accusatione describit. Cum enim impius diceret : Non possum me abstinere, quia sic sum creatus, talis est mea natura, ostendit eum falso queri de sua natura, et corruptionem non a sua creatione, et natura, sed a sua voluntate habere. In secunda parte describit justum non cum sua laude, sed cum laude Dei. Justus enim nihil boni ex se, sed omnia bona ex solo Deo hic ostenditur obtinere. Intendit autem nos admonere, ut vitia ex nobis esse, bona autem a Deo cognoscamus.

Nolite vos excusare de peccatis vestris, quia « dixit, » id est deliberavit quidam « ut delinquat in semetipso, » id est, non ex sua natura, non ex coactione, sed ex sua voluntate hoc fecit, nec etiam attendit Deum judicem futurum unicuique secundum merita, et hoc est « timor Dei » qui omnibus præpositus est, « non est ante oculos ejus, » id est, in sua consideratione ut vel inde cogitet. In hoc maxime notatur nequitia ipsius, quod ex voluntate peccat, et nullatenus timore futuri judicii refrenatur.

Bene dico quod timor Dei non est ante oculos ejus, « quoniam » ipse « dolose egit » cum diceret se non ex sua voluntate, sed ex sua natura et creatione, ex necessitate peccare, quod quidem dolus erat, quia licet hoc diceret, tamen in sua conscientia ex se ipso peccatum esse sciebat, et hoc tantum in conspectu hominum, quia homines putabant eum verum dicere, sed in conspectu Dei intantum dolose egit « ut iniquitas ejus » ab ipso eodem « inveniatur ad » Dei et hominum justorum pertinere « odium. »

Iniquitatem per partes exsequitur, et ostendit iniquitatem ejus et in cogitatione et in verbis et in actu. Continuatio : Bene dico iniquitas ejus, quoniam « verba oris ejus iniquitas et dolus » natura : iniquitas, id est, blasphemiæ contra Deum, et dolus est in proximum, quia etiam si bona dicat, tamen hoc seductoria intentione facit : et ne ille per ignorantiam se excusaret, ostendit eum inexcusabilem, cum dicit, « noluit intelligere cum bene ageret » vel in verbis vel in factis. Dederat enim Deus homini rationem, qua quidquid sibi esset agendum posset intelligere : et liberum arbitrium restituerat, quo posset divinæ gratiæ assentire.

Verba sunt iniquitas, et etiam in cognitione est iniquitas : et hoc est « iniquitatem meditatus est in cubili suo, » id est, in corde quod cubile ideo dicitur, quia sicut in cubili suo aliquis, sic in corde anima stultis occupata cogitationibus, requiescit : et non tantum meditatur iniquitatem, sed etiam « astitit » diutissime immorando « omni viæ non bonæ » omni malæ operationi, scilicet, cum furibus furatus est, cum mœchis mœchatus est, etc. Et cum natura exigeret, ut ipse in se et in aliis mala odiret, « malitiam non odivit, » et hic illius nequitia maxime aggravatur.

Hic incipit de secunda parte. Continuatio : Injustus habet ex se sua peccata, sed, o « Domine, misericordia tua est in cœlo, » id est, misericordia tua facit aliquos esse cœlos, id est, justos, quia nemo per se, sed omnes per te habent justitiam, « et etiam veritas tua, » id est, cognitio veritatis protenditur « usque ad nubes, » id est, sanctos apostolos : qui ideo nubes dicuntur, quoniam pluunt rorem cœlestis gratiæ fidelibus, ex illis nubibus venit ad nos illa cognitio veritatis. Misericordia ex Deo, veritas ex Deo, justitia etiam ex Deo : et hoc est, « justitia tua, » id est, justi sunt « montes Dei, » id est, comparabiles montibus. Nam sicut in montibus sol mane relucet, et inde descendit in valles, sic cognitio Dei in ipsis apostolis reluxit, et ex inde ad alios homines per eosdem apostolos descendit, et ne per montes accipiamus elatos hujus sæculi, addit « Dei. » Et ne aliquis diceret, quare hos potius elegit, et hos reprobavit, subdit : « judicia tua abyssus multa, id est, tantæ profunditatis, quod eam nemo potest cognoscere.

Vere judicia tua abyssus multa, quia tu salvabis utrosque et rationales et irrationales : et hoc est, o « Domine, » tu « salvabis » spirituali salvatione, « homines, » id est rationales, « et jumenta » id est irrationales, faciens eos rationales, sicuti fecisti Paulum : vel salvabis corporali salvatione, ministrando eis necessaria hujus vitæ, et etiam multis aliis modis « multiplicasti misericordiam tuam » hoc faciendo, « quemadmodum, » id est, quantum multiplicasti misericordiam tuam. Sciendum quod licet David et Apostolus aliquid cognovissent de consilio Dei, quare quosdam eligeret, quosdam reprobaret, tamen noluerunt aperire, quia cognoverunt quod hoc potius noceret quam prodesset.

Tu salvabis homines et jumenta, sed illi irrationales male utuntur salvatione tua quia non sperant in te : « filii autem hominum, » id est, rationales, « sperabunt in tegmine alarum tuarum, » quia sicut pulli non possunt nutriri, nisi sub alis matris, sic intelligunt se non posse subsistere contra æstum diaboli, nisi protecti alis, id est, misericordia et veritate Dei. Vel ita : tu salvabis bonos et rationales spirituali salvatione, et ipsi non erunt ingrati, sed sperabunt in tegmine alarum tuarum.

Ipsi sperabunt in te, nec fraudabuntur a sua spe, quoniam « inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, »

id est spiritualibus donis, quibus abundat domus tua, id est Ecclesia. Inebriabuntur dicit per simile, quia sicut aliquis inebriatus solutus est a curis, sic justus per Spiritus sancti habitationem vacuus est ab appetitu terrenorum, et etiam « potabis eos, » spiritu sapientiæ, cui nemo possit resistere, et hoc est quod dicit « torrente, » « spiritu dico vel torrente voluptatis tuæ, » id est gratiæ, quia gratuito das illum hominibus. Vel « voluntatis tuæ, » in qua maxime delectaris, quoniam multum torrens tibi placet.

Dico « potabis eos, » et bene poteris « quoniam apud te est fons vitæ, » id est origo totius boni, « et in lumine tuo » id est, Christo, scilicet, in cognitione tui, juxta illud : « Qui videt me, videt et Patrem (*Joan.* XIV), » et cum videbimus lumen, id est Patrem, et Spiritum sanctum.

Et ut possimus videre lumen illud, « prætende, » non illis qui volunt te scire, sed « sitientibus te, » id est credentibus in te, et prætende « justitiam his qui recto sunt corde. »

Et ut possim pervenire ad lumen illud, « non veniat mihi pes superbiæ, » id est affectio superbiæ. Per superbiam omne peccatum accipimus, quia in omni peccato superbia est, id est contemptus Dei. Pes singulariter et non pluraliter dicit, quia qui stat in superbia, nunquam stat firmiter, sed semper est pronus ad ruinam, sicut ille qui stat uno pede. Modo oravit quod non veniat superbia, id est effectus peccati ex se, nunc orat ut alterius suggestio eum ad peccandum non moveat, dicens, « et manus, » id est persuasio « peccatoris non moveat me, » a bono proposito.

Dico « non veniat pes superbiæ, » quia « ibi, » id est in pede superbiæ « ceciderunt qui operantur iniquitatem, » et inde « expulsi sunt, » a regno Dei, et postea « non potuerunt stare, » id est regnum Dei ulterius obtinere.

IN PSALMUM XXXVI.

TITULUS. *In finem Psalmus David.*

« Noli æmulari. » Psalmus iste convenit David prophetæ vel cuilibet justo, dirigens in finem, id est, in Christum, sicut et cæteri psalmi. Videns propheta vel quilibet justus, qui hic loquitur, impios prosperari, et justos conculcari ab impiis, et quod quidam simplices justi inviderent potentiæ illorum, et vellent ulcisci injurias ab eis illatas, aliquando etiam vellent conformes fieri eis, ponit contra hanc saluberrimam doctrinam, quam Augustinus saluberrimum potum nominat. Materia est justus, et e contrario impius, secundario tamen. Modus est talis, quod eam materiam sic dividit. In primis agit de justo : admonendo eum ne moveatur invidia erga impium, vel imitatione, vel ira, in intermiscendo quædam de impio. In secunda parte ponit quid impius erga justum faciat, admonendo ipsum ut patienter sustineat. In tertia parte ponit præmia justi, cum admonitione et damnatione malorum, per quod justum, ne malum velit imitari, deterret. Intentio est, per hæc omnia simplices consolari, ut nullatenus propter impiorum nequitiam vel injuriam moveantur.

Veluti si dicat propheta vel justus ille qui loquitur : Frater simplex « noli æmulari. » Æmulari dicitur moveri erga aliquem, sive ad dilectionem, sive ad invidiam. Unde Apostolus : « Æmulor enim vos Dei æmulatione (*II Cor.* XI). » Et de utroque hic simplex admonetur, ut neque imitetur malignantes, imitando eorum malitiam, neque invidendo eis. Noli æmulari dico « in malignantibus, » id est, in consideratione malignantium, id est, malevolorum, ut vel imiteris, vel invidias, « neque zelaveris, » id est persequaris « facientes iniquitatem. » In zelare quamdam notamus majorem affectionem, quam æmulari.

Ponit causam quare justus simplex non debeat erga malos invidia moveri « quoniam tanquam fenum arescet, » neque hoc differetur, sed « velociter, » fiet. Feno comparamus potentes hujus sæculi, quia sicut fenum floribus ornatum et viride cito arescit, sic isti ornati, et virentes in gloria hujus sæculi cito deficiunt, « et cito decidunt, quemadmodum olera herbarum, » id est, olera in horto non bene culto, sed agresti, quibus plebs inferior comparatur, quæ et si viret cito, tamen deficit.

Et quia cito deficiunt hæc, ideo tu, bone homo, « spera, » non in his præsentibus, sed « in Domino, » « et fac bonitatem, » id est, plura bona. Bonitas enim non de uno, sed de pluribus dicitur ; « et » sic « inhabita terram, » id est Ecclesiam, « et pasceris in divitiis ejus, » id est, reficieris, sanctis Scripturis et multis spiritualibus donis.

Et multis « delectare in Domino, » quasi re tibi jam lepida. Hæc enim consuetudo est, ut si quis accedat ad Dominum, in primis quasi durum reputet, postquam vero consueverit, in eo maxime delectetur ; delectare dico, « et ipse dabit tibi petitiones cordis tui, » non carnis sed spirituales.

Et quia aliqui simplices possent dicere : Non possum delectari vel sperare in Domino, quia multa habeo peccata, contra hoc salubre dat consilium : « Revela Domino viam tuam, » per confessionem tuam, id est mala opera per quæ incedis, et his revelatis, « spera in eo, » « et ipse, » Dominus « faciet justitiam tuam » tibi scilicet « et judicium tuum, » id est discretionem dabit tibi, qua secernas bonum a malo.

Et ne diceret aliquis, Licet habeam hoc, tamen semper vilis ero, commendat hæc dona, « Dominus justitiam faciet, » et illam « educet, » de tenebris hujus vitæ, in qua obscura et vilis reputatur, « quasi lumen, » id est faciet omnibus lucidam, cum dicent mali in judicio : « Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei (*Sap.* V), » « et judicium tuum educet tanquam meridiem, » id est in

maxima constituet claritate, ut omnibus apertum sit, dico, revela viam tuam, et spera in Domino, et acceptis donis ab eo, semper « subditus esto Domino, » id est famulare ei « et ora eum. »

Et ne simplex admonitus sic diceret : Ecce sive malignentur, sive mala faciant dum justis non noceant, non movebor erga eos, sed si prosperentur, non nobis mala inferant, quin moveamur cessare non possumus : contra quod propheta item ponit salubrem admonitionem. Dico : « subditus esto Domino, et si impius prosperatur, noli æmulari, » neque imitando, neque invidendo « in eo, » id est in consideratione illius, « qui prosperatur in via sua, » id est mala operatione, quæ incedit ad interitum : et « in homine faciente injustitias, » id est bonorum persecutiones.

Ne æmuleris dico, et si in aliquo modo motus es, dimitte : et hoc est « desine ab ira, » et si longo odio motus es, desine : et hoc est « derelinque furorem, » et si aliquando furere voluisti, desine : hoc est « noli æmulari, ut maligneris. »

Et ideo dico noli malignari, « quoniam qui malignantur, exterminabuntur, » id est et malevoli, et mala facientes, scilicet, extra terminum supernæ Jerusalem ejicientur. « Sustinentes autem Dominum, » id est cum longanimitate mala hujus vitæ tolerantes, Dominum remuneratorem attendentes « ipsi hæreditabunt terram, » id est, hæreditario jure cœlestem possidebunt patriam.

Dico hæreditabunt patriam. Et ne aliquis diceret : Quis tam diu poterit sustinere? dicit : « et adhuc pusillum, » quasi, non deficias sustinendo, tempus enim breve est, nedum vita hominis. Dico sustine pusillum « et non erit peccator, » non quod peccatoris substantia pereat, sed non erit, id est, peccare non poterit : et concedatur quod tunc « quæras locum ejus, » id est, an aliquo modo in alia vita peccator sit necessarius « et non invenies. » In hac vita tantummodo peccator est necessarius, in qua per eum justi examinantur.

Dixerat quia sustinentes Dominum hæreditabunt terram : hunc determinat quomodo sustinentes, scilicet non qui inviti et murmurantes, sed qui in mansuetudine et simplicitate. Ad hoc continuatur : locum peccatoris non invenies in alia vita. « Mansueti autem vita. » « Mansueti autem hæreditabunt terram » viventium, « ibi delectabuntur in multitudine pacis. » Ibi in æternum viventes, nec a diabolo, neque a carne sua aliquo modo impugnabuntur, nec aliqua penitus inquietudine turbabuntur.

De secunda parte incipit, mansueti delectabuntur in pace, sed interim in hac vita « peccator justum observabit, » diligenter vitam ipsius inquiret, attendens si in aliquo ei nocere possit : et cum nihil possit contra eum ratione, quasi bestialis « stridebit super eum dentibus suis, » id est, lividis corrosionibus et detractionibus.

Sic stridebit peccator super justum; tu autem, vir bone, ne cures, sed deride eum, quia « Dominus irridebit eum. » Bene dico irridebit eum « quoniam prospicit quod veniet dies ejus, » id est, judicium. Judicium nominat diem, quia ibi erunt omnia manifesta quasi in die.

Merito irridebit eos Dominus quoniam « peccatores gladium, » id est mala opera sua « evaginaverunt, » scilicet de cogitationibus suis, ubi abscondita erant, in manifestum deduxerunt : sicut aliquis gladium suum evaginat, et etiam « intenderunt arcum suum, » id est dolos suos, quibus occulte vulnerent sicut aliquis occulte arcu ferit.

Ad hoc intenderunt arcum « ut decipiant pauperem, » id est simplicem, qui nondum satis perfecit in cognitione Dei « et inopem, » eumdem accipe, qui inops dicitur, quia passibilis et mortalis, et multis oppressus miseriis hujus mundi, ad hoc evaginatur gladium « ut trucidant rectos corde. »

Ipsi evaginaverunt gladium et « gladius eorum intret in corda ipsorum, » id est, dum occidunt sanctos, occidantur et ipsi interius « et arcus eorum confringatur, » id est dolus ejus inefficax habeatur, ne bonos possint decipere, et sibi conformes efficere.

Hæc omnia faciet tibi impius, et etiam cum tu eris pauper, ille prosperabitur, sed tu omnia patienter omnia sustine, quia « melius modicum justo, » id est, sua modicitas et paupertas « super divitias peccatorum multas. »

Et bene dico, melius est « quoniam brachia, » id est, fortitudines et potestates « peccatorum conterentur, » id est destruentur, et inutilia omnino invenientur : « justos autem, » quamvis modicos et pauperes « confirmat Dominus, » in bono proposito, et spe futuræ beatitudinis.

Et bene dico confirmat justos : falsa namque eorum sententia est, qui putant Dominum non cognoscere hæc quæ aguntur in hac vita, quia « Dominus novit dies immaculatorum, » « et, » ipse Dominus « erit hæreditas eorum, » id est, justorum « in æternum, » Dominus dicitur hæreditas justorum, quia sicut hæreditas pascit et sustentat possessorem, sic Dominus in hac vita suis, et tandem in alia vita omnimoda erit refectio.

Et ideo « non confundentur, » imo voluntas eorum implebitur « in tempore malo, » id est, in die judicii, quod malum erit impiis, qui tunc damnabuntur in æterna damnatione, tunc justi non confundentur, et in hac vita plene a Deo reficiuntur, quod est « diebus famis, » id est, in vita hac qua esuriunt sancti et sitiunt justitiam « saturabuntur » spiritualibus cibis, e contrario fiet peccatoribus, et hoc sub probatione ponit; sic justi non confundentur in tempore malo, quia soli peccatores peribunt.

Tunc quidem peccatores peribunt. In hac vero vita « inimici Domini, » id est, ipsi peccatores « mox ut honorificati, » id est, habiti in reverentia « et exaltati fuerint, » per potentias et dignitates « deficientes, » assidue, et hoc est « deficient, » paulatim enim deficiunt, labendo quotidie in graviora de-

licta « quemadmodum fumus. » Sicut enim fumus quanto altius ascendit, tanto magis attenuatur et deficit : sic mali quanto altiores occupant sententias, tanto magis a bono deficiunt. Per multas partes ostendit quod melior est modicitas justi quam divitiæ peccatorum.

Ecce ponit causam quare peccator deficiat quia « mutuabitur peccator » a Deo « et non solvet. » Mutuamur quidem a Deo quidquid habemus, quæ bene solvit qui ad hoc utitur donis Dei, ad quæ Deus instituit : ut si habeat divitias, dispenset eas pauperibus, et in cæteris donis similiter : peccator non solvit, justus autem bene solvit, scilicet « miseretur, » id est, pia affectione erga afflictos movetur, quod utique satis illi est, qui non habet quod tribuat. Justus autem miseretur « et etiam retribuet, » si quid habet.

Ideo miseretur et etiam retribuet, « quoniam benedicentes ei, » « Domino, » id est, gratias agentes, solventes ea quæ a Domino mutuati erant : « hæreditabunt terram, » viventium : « maledicentes autem, » id est non agentes illi Domino dignas gratias de acceptis muneribus « disperibunt. »

Bene dico, quod justi hæreditabunt terram, quod eis per hoc eveniet, quia a Domino diriguntur opera eorum : hoc dicit : « gressus, » id est, affectiones et opera « hominis » bene ratione utentis « diriguntur, » id est, recti inveniuntur « apud Dominum, » id est, in dispositione Domini : sicut si diceretur de aliquo potente, qui bene disponeret de aliquo apud eum bene opera ipsius diriguntur : Dominus dirigit gressus justi « et viam, » id est, vitam bonam istius justi directi « volet » Dominus. Vel « viam, » id est præcepta et institutiones ejus Domini volet sequi ille homo. Vel « viam, » id est bona opera quæ fecit Christus.

Ideo cum ceciderit, id est peccaverit, homo ille « non collidetur, » id est neque criminaliter peccabit, neque in venialibus permanebit, « quoniam Dominus supponet manus suas, » id est auxilium suum quo sustineatur. Habet alia translatio : quia Dominus confirmat manum ejus : secundum quod ita legetur : « Cum ceciderit » corporaliter scilicet, cum occidetur et flagellabitur « non collidetur, » in animo, id est, non peccabit in animo, « quia Dominus confirmat manum ejus, » id est operationem ejus.

Bene dico, quod non collidetur quia ego vidi justum custoditum a Domino in omni tempore, et dum justitia juvenis esset, et parvula, et dum perfecta, et dum in senio : si loquatur totum corpus sanctorum : quasi diceret : « Junior fui, » id est juvenis, ut in tempore Abel et aliorum, quando justitia per solam legem naturalem colebatur aliquantulum, adulta fuit, cum legem scriptam recepit, et in tempore gratiæ perfecta fuit : probat quia junior fuisset, dicens : « etenim senui, » id est, ad reverendam ætatem veni, id est, ad tempus illud in quo frigescit charitas multorum, sicut futurum est in tempore Antichristi. Si loquatur unus solus justus, dicit « junior fui, » id est, similis sum illis primis justis « et senui, » id est similis sum illis novissimis justis, in quorum tempore erit justitia in decrepita ætate : non quod justi deficiant, sed in multis qui justi videbantur frigescit charitas. Sic se comparat Apostolus illis novissimis, ubi dicit : « Nos qui vivimus, qui residui sumus, rapiemur in nubibus obviam Christo in aera (*I Thes.* IV). » Dico juvenis fui et senui, « et in nullo tempore vidi justum derelictum » a Domino, quin conferret ei Dominus spirituale auxilium : « nec semen, » id est, opera « ejus, » « quærens panem, » id est, indigens pane, scilicet spiritali vivificatione. Custodit enim Dominus fideles suos, et eorum opera vivificat, et sibi placere facit.

Ideo Deus non derelinquit justum suum, quia talem se exhibet, quem Dominus digne respicere debeat, scilicet « tota die, » id est assidue « miseretur » pia affectione, « et, » si quid habet « commodat, » id est tribuit necessitatem patienti. Commodat proprie dicit, quia qui dispensat, sibi reddi exspectat, non a paupere, sed a Domino : et quia justus ita commodat, ideo « semen illius, » id est bona operatio illius « in benedictione, » id est in incremento « erit. » Hæc est enim manifesta veritas, quod si quis libere dispensat aliquod bonum sibi a Deo commissum, tanto magis abundat in eodem : ut si quis doceat alios, vel bona sua in eleemosynas distribuat. Unde Apostolus monens ad eleemosynas dicit : « Et augebit incrementa frugum justitiæ (*I Cor.* IX). »

Et quia Dominus ita facit justis, ideo tu frater simplex, « declina a malo, » et quia non sufficeret cessare a malo, nisi fieret bonum, subdit : « et fac bonum, » et sic « inhabita » cœlum « in sæculum sæculi, » id est in æternum. Habitant quidem justi in hac vita spe cœlum, quod possidebunt in alia vita in re.

Dico fac bonum, et facere debes, « quia Dominus amat judicium, » id est discretionem, qua separent justi bona a malis : et ipse Dominus « non derelinquet » in hac vita « sanctos suos, » imo « conservabuntur, » ducendo « in æternum. »

Ex quo dixi junior fui, incipit pars tertia. Dico, conservabuntur et obtinebunt illam hæreditatem ad quam conservabuntur; et hoc habemus interposito versu ubi dicitur : Justi autem hæreditabunt terram viventium, et hoc non ad tempus, sed æternaliter. Quod dicit, et habitabunt in sæculum sæculi super eam, superius benedixit, quia possessores et Domini erunt terræ illius.

Interposuit de impiis, ut per pœnam eorum deterreat justos. Continuatio : Justi conservabuntur in æternum, sed impii punientur in æternum, « et semen, » id est opera, « impiorum peribit, » quia nullam conferet utilitatem. Justi autem hæreditabunt terram, etc. Dixit quod Dominus illam hæreditatem dat sanctis suis, modo ne aliquis parvipenderet eam, describit eam et dignam ostendit. Continuatio :

Sancti hæreditabunt terram quæ est valde digna, quia ibi « os justi, » id est cor quod ideo os nominat, quia aperitur sicut os, et Deus implet illud, « meditabitur sapientiam, » non dubiam cogitans, sed certam habens de Dei cognitione, « et lingua ejus, » id est affectio « loquetur » modo suo : laudabit Deum, scilicet, de sua restitutione.

Et etiam ibi « lex, » id est voluntas « Dei ejus, » qui dicitur Deus ejus, quia multa bona fecit ei : erit « in corde ipsius, » id est in voluntate ipsius. Ea enim volet ibi justus, quæ sciet Deum velle : « et non supplantabuntur, » id est impedientur « gressus ejus, » id est affectiones et opera ejus quin impleantur omnes affectiones ejus.

Nec etiam erit ibi, qui velit supplantare gressus ejus, id est justi, quia « peccator, » diabolus vel homo, « considerat et quærit » invidiosa affectione « mortificare eum. » Invidia quidem tormentum animarum eorum erit, qui invidia in hac vita peccaverunt.

Peccator quærit mortificare justum, « Dominus autem non derelinquet eum, » justum, « in manibus ejus, » id est voluntate vel peccatoris potestate, ut possit justum damnare « nec » ipse Dominus « damnabit eum, » justum, « cum judicabitur, » id est damnabitur impius « illi, » id est ad honorem justi: Recipit enim vindictam justus, cum damnabitur impius.

Possumus et ita legere prædicta : Ideo justi hæreditabunt terram, quia in hac vita « os justi meditabitur, » studiose « sapientiam, » id est cognitionem Dei « et lingua ejus loquetur judicium » ad litteram : « lex etiam Dei ejus, » id est præcepta ejus, erunt « in corde ipsius, » id est in voluntate ejus, id est volet legem ei implere « et non supplantabuntur gressus ejus, » justi scilicet, id est non potest impediri quin impleat affectiones ejus, nec deest qui velit supplantare : quia « considerat peccator justum, » id est diligenter attendit, an in aliquo possit impedire eum « et quærit mortificare eum » et voluntate et opere. « Dominus autem non derelinquet eum, » justum, « in manibus, » id est in potestate « ejus » peccatoris, « nec » ipse Dominus « damnabit eum, » justum, « cum judicabitur illi, » ut supra. Vel « damnabit cum justus judicabitur illi, » id est ad voluntatem peccatoris. Licet enim justus aliquando ab impiis flagelletur, occidatur, et aliis modis judicetur, tamen non damnat eum Dominus, sed servat illæsum interitus.

Et quia Dominus ita custodit justos, ideo tu « exspecta » per longanimitatem, dum et « custodi vias, » id est præcepta « ejus » « et ipse Dominus exaltabit te » dando virtutes « ut hæreditate capias terram » viventium : nisi enim ita exaltaretur homo, indignus esset capere rem tuam arduam, quam terram de qua simpliciter modo credis « videbis cum peccatores perierint. »

Et bene dico quod peccatores peribunt, quia ego « vidi impium superexaltatum » super aliquos minores, « et elevatum sicut cedros Libani, » id est transcendentem alios potentes in altitudine hujus sæculi, sicut cedrus Libani alias in altitudine superat arbores.

Vidi sic exaltatum, « et transivi » hæc præsentia, et prævidi mentis affectione et agilitate futura : « et ecce » ibi « non erat » peccator « et quæsivi eum, » id est diligenter consideravi quare ibi non esset « et non est inventus locus ejus, » id est cognovi quod non habeat locum.

Et quia ibi impii non habent locum, ergo ut ibi tu possis habere locum « custodi innocentiam, » custodi bene dico : quia multi malis persuasionibus volunt eam tibi furari « et vide æquitatem, » id est æquum cognosce te semper puniendum ad tuam exanimationem : ideo videt æquitatem « quoniam homini pacifico, » id est, qui patienter portat adversa hujus vitæ, et sibi debita deputat, « sunt reliquiæ, » id est vita æterna, quæ sibi in posterum reservatur. Vel « reliquiæ, » id est bona fama post mortem.

Justis sunt reliquiæ, « injusti autem disperibunt, » id est damnabuntur « simul reliquiæ impiorum interibunt. » Impii relinquunt sibi secundum præsumptionem suam vitam post mortem, quæ reliquiæ interibunt eis, quia nullo modo vitam æternam habebunt, vel reliquiæ, id est fama, domus et cætera quæ relinquunt, interibunt, id est destruentur.

Modo ne diceret simplex admonitus, Sufficientes habeo causas quare bene agere debeo et impium sustinere, non possum autem : ostendit ei propheta non deesse potentiam, ut sic dicatur : Injusti peribunt, « salus autem justorum, » id est remissio peccatorum, id est potestas bene operandi est « a Domino, » « et » ipse Dominus est « protector eorum in tempore tribulationis, » id est in hac vita, ne lædantur telis inimici.

« Et abundat eos Dominus » ad bene operandum, « et liberabit eos » « a pœnis exterioribus, ut jam nullo modo vexentur etiam in corpore : « et eripiet eos a peccatoribus » cum ducet eos de vita hac : « et salvabit eos » æterna salvatione, propter hoc, quia speraverunt in eo. »

IN PSALMUM XXXVII.

TITULUS. *In finem psalmus David in rememoratione sabbati.*

« Domine, ne in furore. » Psalmus iste convenit David prophetæ vel alii pœnitenti, habitus in rememoratione sabbati, id est æternæ requiei, cujus cum memorem se facit pœnitens qui hic loquitur, multis se affligit modis, ut ad illam pervenire possit, psalmus dico dirigens nos in finem, id est in Christum. Habent quidam libri, in commemoratione peccatorum. Est enim in hoc psalmo materia pœnitens, multis quidem affectus miseriis pro peccatis suis. Modus est talis : In prima parte orat, quod sic purgetur per miserias quas hic sustinet, ut post hanc vitam nihil patiatur. In secunda parte enumerat miserias quas hic sustinet. In tertia parte ostendit se

nunquam Deum inter tot mala deseruisse, sed semper in eo sperasse, et ad graviora patiendum se paratum esse. In fine ponit in conclusione quamdam exsultationem de impetrata venia. Intendit nos admonere, non ut timeamus, sicut fecit in alio pœnitentiali psalmo, sed ut jam patienter sustineamus quæcunque mala ad purgationem peccatorum, ac si ita moneret pœnitens qui loquitur.

Noli, frater, rogare Deum, ut mala hujus vitæ removeat a te, sed per hæc, æterna removeat exemplo mei, qui non de istis oro, sed de illis, sic : « Domine, ne in furore tuo arguas me. » Legatur istud sicut in alio psalmo expositum est.

Nec debes post hanc vitam arguere, quoniam in hac vita multa mala sustineo. Hoc dicit, « quoniam sagittæ tuæ, » id est pœnæ illæ peccatorum quas infixisti Adæ. Minatus est enim Deus Adæ, quasi arcu intenso : « In quacunque die comederis de ligno scientiæ boni et mali, morte morieris (*Gen.* II). » Eo autem infringente obedientiam, sunt ei infixæ sagittæ Dei, scilicet, factus est mortalis et patiens peccati, quæ manent ecclesiæ in filiis Adæ, de quibus pœnitens hic dicit, infixæ sunt mihi, et tu, Domine, non extraxisti a me sagittas illas, nec alleviasti, sed « confirmasti » quasi magister supra in correctum discipulum « manum tuam, » id est vindictam tuam « super me, » id est, per illa mala comprimens me.

Et interim confirmasti manum super me, quod jam « non est sanitas in carne mea, » quia omnibus malis est caro mea possessa, ut fame, et lassitudine, et aliis hujusmodi, non est sanitas mihi dico, et hæc « a facie, » id est, a præsentia « iræ, » id est, vindictæ « tuæ, » habens quidem in præsenti consideratione vindictam, quam facturus est de peccatis, nullam carni meæ quæro quietem; « non est pax ossibus meis, » id est, robora animæ conturbantur, et inde non accuso te, Domine, sed hæc tota turbatio est mihi « a facie, » id est propter præsentiam « peccatorum meorum. » Considerans enim peccata sua, timens vindictam Dei pro peccatis illis, conturbatur et in corpore et in anima.

Bene dico turbor pro peccatis, quia mea peccata multa sunt, hoc est, « quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum » et sibi subjecerunt mentem meam, « et sunt gravatæ super me sicut onus grave. » Sicut enim onus grave portantem deprimit, sic istæ iniquitates deprimunt animum.

Hic incipit, scilicet, enumerare miserias quas sustinet, quas simul in præsenti versu comprehendit. Ideo dico quod supergressæ sunt, quia « cicatrices meæ putruerunt et corruptæ sunt. » A similitudine dicit : quia sicut cicatrices prius putrescunt, postea rumpitur caro, sic peccata sanata in baptismate putrescunt, quando cogitamus ea renovare : corrumpuntur, quando ad actum perducimus. Habent aliqui libri : corruptæ sunt et putruerunt, et tunc est conversus ordo, quia prius corrumpuntur cum dicuntur ad actum, deinde putrent cum aliis dant exemplum peccandi, sicut vulnera corrumpuntur prius, deinde emittunt fetorem. Putruerunt dico « a facie insipientiæ meæ, » id est propter sapientiam [insipientiam] meam, quæ mihi semper præsens est.

Et in tantum putruerunt, quod ego « miser factus sum, » id est miserum me reputans « et curvatus, » id est jam non respiciens cœlum sicut deberem, sed sola hæc terrena sicut brutum animal, curvatus dico mea reputatione « usque in finem, » id est in tantum, quod nulla bestia sit magis turbata, quam ego mea reputatione. Vel ita : Quia sic putruerunt cicatrices meæ, ideo miser factus sum sicut portans multas miserias, sive ego mihi ipse faciam, sive aliunde mihi inferantur, et in tantum miser, quod ego curvatus sum, id est, depressus pondere miseriarum usque in finem vitæ meæ, vel usque in finem, id est, in tantum quod nullus jam potest deprimi ultra me aliquibus miseriis, et quia sic sum factus miser et curvatus, ideo « tota die, » id est, assidue « contristatus ingrediebar » de tristitia in tristitiam. Vel « ingrediebar, » id est, conversabar inter homines contristatus.

Ideo quidem contristatus ingrediebar, non pro aliquo damno temporalis rei, sed « quoniam lumbi mei, » id est, fragilitas meæ carnalitatis, « impleti sunt illusionibus, » id est, deceptionibus diaboli. Per lumbos, ubi sedes libidinis, id est, carnalis voluptatis, accipimus quamcunque carnis voluptatem, et in tantum sunt lumbi mei impleti illusionibus, quod jam « non est sanitas in carne mea, » id est nullum genus voluptatis est in quo non sim illusus.

Et quia ita sum illusus, ideo « afflictus sum » in corpore « et humiliatus sum » in anima « nimis, » id est, valde, et etiam gemebam in corde meo, « et ab illo gemitu cordis mei rugiebam, » id est prorumpebam in rugitum, id est cum magno desiderio in clamorem, sicut leo rugit, cum aliquam escam desiderat.

Ego rugiebam, « et omne desiderium meum, o Domine, est ante te, » id est nihil desidero nisi quod tibi placet, « et gemitus meus non est a te absconditus, » imo tibi bene cognitus, et a te probatus.

Bene dico gemitus, quia tantus est gemitus mihi, quod « cor meum, » id est anima mea, « conturbatum est, » et quod cor sit turbatum ostendit, dicens virtutem animi defecisse et rationem, et hoc est « derelinquit me virtus mea, » id est fortitudo animi sic defecit, quod jam nihil tolerare potest : « et etiam lumen oculorum, » id est ratio « non est mecum, et ipsum » quamvis mihi naturale esset, vel « ipsum, » id est quantulumcunque erat, id est perdidi discretionem boni et mali.

« Et ad cumulum omnium malorum, amici mei, » id est illi qui mihi pio ac fideli amore putabantur esse conjuncti sine aliqua cognatione carnis, et qui mihi solatio esse debuissent, « et proximi mei » secundum carnem « appropinquaverunt » paulatim accedendo « adversum me, et steterunt, id est perseveraverunt erga me in malis actibus.

Amici mei fuerunt contra me, et qui non fecerunt mihi mala, nullum fecerunt solatium : hoc est, « et qui juxta me erant, » id est conjuncti mihi aliqua cognatione vel amicitia « de longe steterunt, » id est recesserunt a me nullum ferentes solatium, et tunc mihi sic derelicto, illi, « qui quærebant animam meam » tollere, id est dæmones et ministri eorum « vim faciebant, » id est manifesta mala inferebant.

Et non tantum mala inferebant, sed etiam mala dicebant manifeste et occulte : et hoc est, « qui inquirebant mihi mala, locuti sunt vanitates, » id est, manifesta mendacia : ut cum dicerent hæc mundana sufficere ad beatitudinem, et similia, et non tantum manifeste dicebant mala, sed etiam « tota die meditabantur dolos, » id est, si aliquando dicebant bona, non bona, sed seductoria intentione dicebant.

« Ego autem non audiebam, » id est, non movebar de eorum maledictis : ego dico in hoc existens « tanquam surdus, » id est, sicut surdus non habet aliquem actum auditus, sic nec ego aliquem actum motionis : et eram erga maledicentes « sicut mutus, » et quia mutus etsi non expressa voce, tamen aliquo mugitu vel indicio aliquo iram suam exprimit, ut suam manifestet constantiam, dicit « et non aperiens os suum, » id est nullo modo respondens improperantibus.

Et non tantum non habebam actum audiendi, sed nec potentiam, et hoc est, « factus sum sicut homo non audiens, » id est non potens audire : et cum superius dixisset, « sicut mutus non aperiens os suum, » ne inferret aliquis, ideo mutus eras, quia non habebas unde responderes, ideo subdit, « et non habens in ore suo redargutiones » contra persequentes, id est, quamvis haberem unde possem reprehendere, tamen fui quasi non habens.

Hic incipit de tertia parte. Continuatio : Ita tribulor, sed tamen speravi in te. Et « quoniam speravi in te » ideo « tu, Domine, Deus meus, exaudies me. »

Exaudies et debes exaudire « quia » ego « dixi, » id est, deliberavi « ne inimici mei, » id est, diaboli et eorum ministri, et si modo gaudent super me « nequando, » id est, in fine « gaudeant pro me devicto, » et revera gauderent, quia « dum commoventur pedes mei, » id est, dum fuerint commoti, « locuti sunt magna super me, » id est, contra me, quia de mea infirmitate gaudebant.

Et ideo exaudies, quia licet jam multa mala sustinui, tamen multo plura paratus sum sustinere, et hoc est, « quoniam ego in flagella » sustinenda ire « paratus sum » pro amore tuo, et semper peccatorum memoriam habeo, et hoc dicit, « et dolor meus in conspectu meo semper, » id est, præcedentium peccatorum memoriam semper habeo in corde.

Ideo quoque exaudies « quoniam annuntiabo, » id est, confitebor « iniquitatem meam » « et cogitabo, » id est, sollicitus ero « pro peccato meo » faciendo opera per quæ mihi peccatum relaxetur.

Ego tot mala sustineo quod etiam morior, et hoc est quod dicit, « inimici autem mei vivunt, » id est, existimant vitam esse in his mundanis, « et confirmati sunt super me, » scilicet ad inferenda mihi mala : « et multiplicati sunt » et numero et gravius nocendo « qui oderunt me inique. »

Et non tantum inferebant mihi mala, sed etiam « detrahebant mihi » illi « qui retribuant mala pro bonis, » et hoc totum faciebant nulla alia causa, nisi « quoniam sequebar bonitatem. »

Hic ponit exsultationem. Continuatio : Ego hæc omnia patior, et tu, « Domine, Deus meus, » salutis meæ dator, id est, qui jam exaudisti me « ne derelinquas me, » id est, ne permittas me cadere in criminale peccatum. Permittit enim Deus cadere aliquando suos ad correctionem majorem, ut Petrum; et si aliquando derelinquas, « ne discesseris a me, » id est, » ne permittas me perseverare in peccato, sed « intende in adjutorium, meum, » id est, date intentum, ut me adjuves ad bene operandum.

IN PSALMUM XXXVIII.

TITULUS. *In finem canticum David pro Idithum.*

« Dixi : Custodiam. » Volens Esdras honorem facere Idithum, qui fuit unus de quatuor præceptoribus, cum arcam Domini de Sylo reducerent, ad memoriam ipsius ponit nomen ejus in ipsius psalmi in titulationem. Licet autem in quibusdam scripturis inveniamus, hunc psalmum fecit Idithum, et hunc Emam, etc., tamen intelligendum est a David omnes factos esse. Hi autem fecisse dicuntur, quia recensuerunt, et non tantum propter hoc, sed maxime ideo, quia interpretatio hujus nominis, Idithum, ipsius psalmi proprietatem ostendit. Idithum namque transiliens interpretatur, et hic de transiliente omnia temporalia agitur. Hunc psalmum ideo canticum nominat, quia hic quamdam exsultationem proponit, scilicet, finem nostrum, id est, Christum, et licet hic quædam tristia proponantur, tamen ipsa læta reputantur spe finis illius. Titulus sic exponitur : Canticum istud convenit David prophetæ transilienti vel cuique transilienti habitum pro Idithum, id est, ad honorem Idithum, id est, transilientis. Cum enim ostendit talem esse transilientem, ut, relictis mundanis, ad cœlestia saliat, magnum honorem exhibet; canticum dico, dirigens in finem, id est, in Christum. Materia est transiliens, id est, perfectus ille, qui omni mundanorum voluptate postposita, solis cœlestibus inhiat, et etiam talis, qui adeo perfectus est, ut etiam linguam suam a peccato omnino cohibeat, hanc per partes ita disponit. In prima ostendit ille transiliens se tacere mundo, id est, hominibus, et loqui Deo. In secunda parte comparat hæc mundana cum cœlestibus, ostendens hæc esse vana, illa appetenda. In tertia parte ponit orationem, ut a malis liberetur, et cœlestia valeat obtinere. Intentio est justos admonere, ut a mundanis postpositis, ad cœlestia transeant.

Vos justi nolite hæc mundana appetere, sed con-

siderate me qui « dixi, » id est, deliberavi apud me ipsum, « Custodiam vias meas, » quibus debeo ad Deum accedere, non jam dico abstinendo a furto, vel a talibus, quæ omnia jam removi a me, sed sic custodiam « ut » jam deinceps « non delinquam in lingua mea. »

Et ut non delinquam « posui ori meo custodiam » tunc « cum consisteret peccator adversum me, » id est, qui volebat ad maledicta provocare, et sic cum consisteret peccator adversum me, posui ori meo custodiam; sed quia omnis actio, quæ fit ex deliberatione, fit certior, præmittit, dixi : Custodiam enim ab omni malo. Custodit rationem, quæ bonus janitor emittit emittenda, retinet non emittenda.

« Posui custodiam, » scilicet « obmutui » et hoc non ex ira, sed ex humilitate, et hoc est « et humiliatus sum » mente scilicet. Et non tantum obmutui non dicendo mala, sed etiam tacui bona, et hoc est, « et silui a bonis. » Juste tacet iste bonus illis obstinatis, quos videt paratos ad conculcandum verbum Dei. Dominus enim dicit in Evangelio : « Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas ante porcos spargere (*Matth.* VII). » Silui, dico, a bonis, « et » ex hoc « renovatus est dolor meus. » Doluit enim iste justus super peccatorem, cum eum peccator provocaret ad iram. Nunc vero renovatur dolor iste, cum eos ita obstinatos cognoscat, ut eis etiam bonum non audeat prædicare.

Postquam ostendit se tacere mundo, ostendit se loqui Deo. Continuatio : Istis tacui, sed « cor meum, » id est, affectio mea « concaluit intra me » igne dilectionis, et non tantum concaluit, sed etiam ardet ibi, et hoc est : « et in meditatione mea exardescit ignis, » id est, meditor exardenti dilectione. Si habetur, exardescet, per illud futurum notabitur perseverantia.

Ignis exardescit in mea meditatione, et ab illa « locutus sum in lingua mea, » id est, annuntians ea quæ ardens meditatio ministrabit, illud scilicet locutus sum, « Domine, notum fac mihi finem meum, » id est, da mihi veram cognitionem de Filio tuo Christo, ut intelligam eum consummatorem meum qui me redimat, et immortalitatem mihi restituat.

Et « notum fac mihi numerum dierum » quibus vivo « quis est, » id est, qualis est, scilicet, ut intelligam præsentes dies defectivos esse, et sic æternos inquiram. Vel ita : « Notum fac numerum, » id est, infinitatem, id est, æternitatem « dierum meorum, » scilicet, quibus vivam in alia vita, id est, fac me intelligere, scilicet, quod justi in alia vita habeant æternitatem. Dico notum fac, Domine, finem et numerum, ut, istis cognitis, « sciam » et intelligam « quid desit mihi, » id est, Christum. Cognoscens enim justus Christum esse finem nostri laboris, et remuneratorem in judicio secundum merita uniuscujusque, scit ad eum festinandum, nec in istis mundanis ulterius esse confidendum.

Dico quid desit, quia vere deest, et « ecce » quid desit, « posuisti dies meos mensurabiles » in quibus vivo, id est, non æternos, sed defectivos. Alius enim tres dies vel annos, alius centum, alius sexaginta habet, et quisque cum certa mensura, « et substantia mea, » scilicet, non renovatio quam fecit Christus, sed vetus essentia corruptibilis, quam traximus ab Adam, est « tanquam nihilum ante te, » non dico in conspectu hominum, qui magnificant hominem ad comparationem bestiarum, sed « ante te, » id est, in præsentia tua. Dies enim ita sunt fragiles, substantia sic indigna.

Sed tamen quamvis hoc non attenderet « omnis homo, » quantumcunque sit justus, « vivens, » futurum est enim aliquando, quando subditus non erit, est « universa vanitas, » id est, subditus est universæ vanitati, scilicet, his mundanis. Licet enim justus spiritualiter non subjiciat se his mundanis, secundum corpus tamen necessario subjacet. Oportet enim cogitare de victu et vestitu. Unde Paulus : « Vanitati creatura subjecta est non volens (*Rom.* VIII). » Hic incipit secunda pars. Continuatio : Omnis homo est subditus vanitati, propter hoc debere cessare a peccato. Diapsalma. « Verumtamen pertransit homo » de peccato in peccatum, ita ut non tantum sit subditus vanitati, sed etiam de peccato in peccatum pertranseat, quanquam existat « in imagine » Dei, id est, sit similis ei per rationem. Hanc sententiam comprobat alia translatio, quæ habet : quanquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbatur. Dico pertransit homo, et non tantum pertransit, sed etiam « conturbatur » multis passionibus animi, scilicet, gaudio, dolore, spe, timore, et similibus, et hoc « frustra, » quia omnes istæ perturbationes inutiles sunt.

Hic eligit quoddam genus vitiorum, in quo est et pertransitus, et conturbatio, scilicet, avaritiam. Pertransit enim homo et conturbatur, quia « thesaurizat » in quo magnus transitus : quia declinat in hoc homo ad avaritiam, et in eo quod perturbatur timore ne perdat vel minuatur : thesaurizat et stultus est : quia « ignorat cui congregabit ea » quæ congregavit. Sæpe enim possidet inimicus, quæ congregavit avarus.

Ostensa qualitate præsentis vitæ, ponit oppositum, scilicet, quid sit omnibus appetendum. Continuatio : Sic conturbatur homo, « et nunc, » id est, hoc considerato « quæ est exspectatio mea? » id est, quæ debeo exspectare? An hæc mundana? An Deum? « nonne Dominus? » Certe Dominus exspectatio mea : « et substantia mea, » id est, puritas meæ conscientiæ renovatæ per Christum « est apud te, » id est, digna ut eam approbes. Nulla enim substantia, nisi quæ sit renovata per Christum, digna est in tua præsentari præsentia.

Quandoquidem mea substantia apud te est, ergo, Domine, « erue me ab omnibus iniquitatibus meis, » ne ipsæ mihi valeant dominari : et debes eruere, quia tu « dedisti me opprobrium insipienti » in quem insipiens jaceret opprobria.

Et ego ea bene sustinui, et hoc est : « Obmutui, et non aperui os meum » ut in alio psalmo, non aperui, nec istam pœnitentiam ex me habui, sed quoniam « tu fecisti » in me hanc patientiam, et quia sustinui sic, ideo tu, Domine, amove a me non tantum iniquitates, sed etiam pœnas iniquitatum, et hoc est, « amove a me plagas tuas, » potest etiam cum hoc quod supra legimus continuari, sic, quoniam tu fecisti, jam amove a me plagas illas, quoniam, etc.

Dico amove, et opus est ut amoveas, quoniam « ego defeci, » id est, non potui sustinere « a fortitudine manus tuæ, » id est, forti vindicta tua « in increpationibus, » notat Deum vindictam suam facere ad hoc, ut retrahat hominem a peccato. Continuatio : Dico, plagas tuas et fortem manum tuam non accuso, sed confiteor me habere iniquitatem : et « propter iniquitatem corripuisti » me « hominem » disciplinis tuis. Hic notatur judicium, et misericordia Dei. In hoc judicium, quod propter iniquitatem flagellat, et in hoc misericordia, quod correptorie quasi pater flagellat, ut ad viam veritatis reducat.

Corripuisti, et in tantum quod « fecisti animam ejus tabescere sicut araneam. » Sicut enim aranea ad inutile opus faciendum, interiora sua extrahit, sic peccator animæ suæ in appetitu mundanorum consumit, quæ ita vana sunt, ut virtutes animi nihil in eo operentur. Hoc etiam facit Deus ad correctiones, ut cum homo se vilem sic cognoverit, saltem convertatur, et licet ita deficiat in istis inutilibus, « verumtamen omnis homo » carnalis scilicet « conturbatur, » id est, multis passionibus afficitur. Potest etiam sic legi in bonum. Continuatio : Corripuisti hominem : et ita corripuisti, ut se penitus mundo mortificaret, sicut aranea se mortificat in suo corpore, et hoc est : « tabescere, » id est, deficere, in ira, quod jam non irasceretur : et in concupiscentia, quod nihil cuperet, nulli invideret, et prorsus mundo se mortuum redderet. Pinguis enim anima quæ ira et talibus plena est, tabescere dicitur, sicut aranea, quæ seipsam mortificat. Justus sic tabescit in appetitu cœlestium, « verumtamen omnis homo » carnalis, in appetitu mundanorum, non respiciens justum, et hoc « vane » est quod « conturbantur. »

Alii conturbantur, et ego non conturbor pro his mundanis, et ideo tu, « Domine, » Diapsalma : « exaudi orationem meam, » scilicet : ut finem quem peto mihi notifices : « et deprecationem » ut iniquitatem et plagam a me removeas, quas precor removeri, quæ oratio et deprecatio dignæ sunt exauditione, quia cum lacrymis sunt, et hoc est : « auribus præcipe lacrymas meas. »

Exaudi dico orationem, et interim donec compleas « ne sileas, id est, » ne subtrahas mihi gratiam, sed responde mihi conferendo gratiam in hac vita, et debes respondere, « quoniam ego sum apud te, » id est, de familia tua sum, et maxime propter hoc, quia ego sum « advena, » scilicet, de civitate diaboli in qua natus sum per peccatum Adæ, translatus sum ad tuam civitatem per gratiam Christi, et nondum habeo certam mansionem ibi vel sedem, sed adhuc sum « peregrinus, » tendens ad illam supernam civitatem, « sicut omnes patres mei, » scilicet, Abraham, Isaac, Jacob, et alii qui ut se peregrinos in hac vita significarent, et ad illam civitatem veram tendere, non fecerunt sibi in hac vita domos, sed in tentoriis morati sunt, teste Apostolo.

Et quia ita sum apud te, ideo « remitte æstus, » id est, fomitem peccati « ut refrigerer priusquam abeam » ab hac vita. Etenim si irrefrigeratus abiero quin mortificentur in me suggestiones malæ, « amplius non ero, » id est, non habebo verum esse, sed potius tormentis affligar.

IN PSALMUM XXXIX.

TITULUS. *In finem Psalmus David.*

« Exspectans exspectavi Dominum. » Psalmus iste convenit ipsi David, id est Christo, non tantum in propria persona, sed etiam in persona priorum patrum, et in persona ipsius Christi, et in persona sequentium Christum usque ad novissimum justum. Materia est Christus, secundum hoc quod ipse ponit omnibus legalibus observantiis modum, et inutiles reddit, et in se nobis perfectionem proponit, de qua sic agit : In prima parte ponit testimonium hujus novitatis, scilicet, patres primos hanc exspectasse et annuntiasse. In secunda parte inducit ipsum Christum legalia destruentem, et suam innovationem confirmantem. In ultima parte inducit sequaces Christi, id est annuntiantes. Intendit persuadere legalia instituta jam habere finem, et per Christum ad Deum ascendendum esse.

Vox priorum justorum, ac si ita dicerent : Noli sperare in legalibus institutis, sed exspecta Dominum, sicut ego nunquam confidens in istis observantiis « exspectavi Dominum. » Et non dico quod exspectassem aliquando, sed « exspectans » assidua exspectatione, et non fuit cassa exspectatio mea, quia Dominus « intendit mihi, » id est, intentum se mihi præbuit.

Et non tantum propter exspectationem mihi intendit, sed etiam « exaudivit. » Et quomodo exaudisset subjungit dicens : « et eduxit me de lacu miseriæ, » id est, mundo isto, in quo continentur multæ miseriæ, id est, peccata, quæ faciunt miseros et lutulentos. Unde subdit, « et de luto fæcis. » Fuerunt enim justi illi per Christum a peccato liberi, quamvis non essent prorsus deleta originalia peccata donec Christi sanguis effunderetur.

Et non solum mala removit, sed bona dedit, hoc est : « Et statuit supra petram, » id est, super Christum, « pedes meos, » id est, affectiones meas : ut qui prius incerti eramus, in quo nobis confidendum esset, jam Christum certum fundamentum nostræ fidei habeamus. Et statutus pedibus « direxit gressus meos, » id est, opera mea fecit directa.

« Et immisit in os meum canticum novum, » id est, fecit me annuntiare incarnationem Filii sui : quod « carmen » est canticum vel hymnus, non Jovi, vel alicui fictitio deo, sed « Deo nostro. »

Et hoc quod annuntiamus « videbunt multi et timebunt » timore bono, videntes miracula « et sperabunt in Domino. »

Et, ne aliquis diceret parum esse, et nihil conferre sperare in Domino, ostendit sperantes beatos esse, cum dicit : « Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, » id est, qui honorat nomen Domini, credens eum Redemptorem, et similia de ipso, nomen dico, spes ejus, id est, ex hoc quod nomen ita recipit et honorat, speiat in ipso, securus quod per hoc vitam habebit, et ita dico beatus, si postea « non respexit, » id est, inclinavit nomen « in vanitates, » id est, ad delectationem mundanorum, vel ad legales observantias « et insanias falsas » ut lapidem credere deum.

Et non debent homines talia respicere, quia « tu Deus meus, fecisti multa mirabilia, » sicut cœlum et terram, et alia quæ ipsi possunt admirari, mirabilia dico « tua, » id est, ad tuam laudem, et hoc non alicujus indicio, sed tuis « cogitationibus, » id est, propria tua sapientia, et ideo apparet quia « non est » aliquis « qui similis sit tibi. »

Et hæc tua mirabilia « annuntiavi » per priores patres, et ego ipse postea in propria persona « sum locutus » tua mirabilia, et, me loquente, « sunt multiplicati » credentes in te « super numerum » priorum credentium, vel super numerum prædestinatorum ad vitam, quia multi crediderunt, qui postea a fide recesserunt. Ubi dicit Locutus sum, incipit de secunda parte.

Ideo sum locutus, quia tu « noluisti sacrificium, » id est, immolata animalia, quæ non tota cremabantur, non placuerunt tibi : « et oblationem » de candelis et de pane, et hæc talia « noluisti ; » « aures autem, » id est, intelligentiam « perfecisti mihi » id est, perfectam dedisti mihi, idem est, quod alia translatio habet, perfudisti mihi. Apostolus autem dicit, Corpus adaptasti mihi, id est, aptum corpus fecisti in quo lateret divinitas.

Nec solum ista noluisti, sed « holocaustum, » id est, hostiam ubi totum animal incenditur. Holos enim totum est, caustum incensum est, « non postulasti : » « et » etiam sacrificium, scilicet, « pro peccato » quod genus hostiæ est, scilicet, hircus, cui imponebantur peccata, et mittebatur in solitudinem : « tunc, » id est, considerato quod Deo talia non placerent sacrificia : « dixi, » id est, deliberavit « ecce venio, » id est, unio mihi humanitatem.

Ad hoc scilicet venio, ut faciam tuam voluntatem, Deus ; et bene debeo venire, quia, « in capite libri, » id est, in primo psalmo ubi dicit : In lege ejus meditabitur die ac nocte, etc., « scriptum est de me, » hoc scilicet, « ut facerem voluntatem tuam, » scilicet, ut implerem injunctam obedientiam, scilicet, ut funderem sanguinem in reparationem humani generis; tuam dico « Deus meus » ego venio ut faciam voluntatem tuam, et « volui » facere eam « et legem, » id est, præcepta tua habui « in medio cordis mei, » sicut in primo psalmo legitur : In lege Domini voluntas ejus. Vel « in capite libri, » id est, in divinitate Christi, quæ est caput humanitatis, est scriptum, id est, præscitum et dispositum de me, ut faciam voluntatem tuam. Christus dicitur liber, quia propositus est nobis exemplar, ut similitudine ipsius vias nostras dirigamus.

Ego sum locutus in persona mea, et « annuntiavi in ecclesia magna, » id est, ipsam magnam ecclesiam annuntiare feci « justitiam tuam, » id est, quod non ex legalibus institutis justitia fiat, sed ex te : « ecce labia mea non prohibebo, » id est, si aliqui volunt prohibere meos ne loquantur, tamen non tacebunt quod pro me dicitur de martyribus : et hoc est, « Domine, tu scisti, » id est, tu ita ordinasti, vel tu cognovisti esse futurum.

In hoc versu incipit de tertia parte. Nec timebo aliquos, nec tacuero, et hoc est, « justitiam tuam non abscondi in corde meo, » sicut ille qui talentum Domini sui abscondit terra, et « veritatem tuam dixi, » id est, annuntiabo te veracem esse in omnibus promissionibus « et salutare tuum, » id est, ex te esse salvationem omnium gentium.

Et non tantum coram paucis loquar veritatem tuam, sed « a concilio multo, » id est, a multitudine hæreticorum « non abscondi misericordiam et veritatem tuam. »

Ego annuntiabo, et necesse est, ut tu, Domine, efficaciam meæ annuntiationi des : et hoc est, « tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me, » nec debes mihi elongare, quia hactenus nunquam elongasti, et hoc est : « misericordia tua et veritas tua semper, » id est, in omni tempore omnium justorum « susceperunt me » ad custodiendum.

Ideo non debes miserationes tuas elongare a me, « quia mala, » id est, peccata « quorum non est numerus, circumdederunt me, » id est, eos quibus ego annuntio, qui mei futuri sunt. Tunc circumdant homines peccata, quando appropinquant eis per malas cogitationes, « et iniquitates meæ, » id est, eorum qui mei futuri sunt « comprehenderunt me, » id est, ad actum perduxerunt hi qui mei erunt, « et non potui ut viderem, » id est, sic oppresserunt eos illæ iniquitates, quod non potuerunt habere aliquem usum rationis.

« Multiplicatæ sunt super capillos capitis, » id est infinitæ sicut capilli, et bene capillis peccata comparat quibus abrasis in veteri lege peccata putabantur deleri, et intantum sunt multiplicatæ, quod « cor « meum, » id est, omnis virtus cordis « dereliquit me, » id est, defecit.

« Iniquitates sunt multiplicatæ, ergo complaceat, » id est, cum Patre et Spiritu sancto placeat « tibi, Domine, » verbum hoc, scilicet « ut eruas me, » id est, illos quibus annuntio et mei sunt futuri, libera a peccatis, Domine : et tu, Domine, quem ego precor « adjuvandum me respice, » scilicet, miseriæ illorum meorum cooperando, ut si jejunare voluerint, tu jejuna, etc.

Hic orat pro inimicis : sic me adjuva, et libera, et illi « qui totis viribus quærunt animam meam » non ad imitandum, sed « ut auferant eam, » id est, deleant eam, erubescant de peccato, et hoc est, « confundantur et revereantur, » id est, timeant et honorent Dominum similiter qui volunt me perdere.

Et non tantum qui quærunt ut me auferant, sed etiam « qui volunt mihi mala » avertantur a via mala, ut sint « retrorsum, » id est, sequantur te Deus « et revertantur. »

Et « qui dicunt mihi euge, euge, » id est, adulatorie loquuntur mihi, dicendo : bene, bene est tibi, « ferant confusionem, » id est, erubescant, et hoc sine dilatione, et hoc est, « confestim » ferant, ideo dicit, ut notat magnam confusionem quæ comprimat superbiam eorum, sicut aliquod onus comprimit ferentem.

Inimici convertantur, amici autem « exsultent et lætentur, » scilicet, « omnes quærentes te » et « qui diligunt salutare tuum, » id est, salvationem quam tu facis, et « dicant semper : Magnificetur Dominus. »

De Domino dicant magnificetur Dominus, de se autem dicant : « Ego sum mendicus, » id est, quærens cognitionem de Deo, et quantumcunque ad hoc laborem, tamen semper « pauper, » id est, insufficienter habens cognitionem de Deo, quam nullus plenarie in hac vita habet, et quamvis ita sim pauper, tamen « Dominus sollicitus est mei, » et non deficio, quia sic mihi ministrat omnia necessaria.

Et « tu, » Domine, qui « es adjutor meus » in coperando, « et protector » in defendendo, « ne tardaveris » quin mihi facias quidquid facturus es. Vel potest legi in persona Christi ita : Dominus Deus magnificetur, ego autem sum medicus secundum humanitatem « et pauper, » id est, egens tua liberatione, id est, nunquam copiosus in istis temporalibus. Ideo Christus hoc dicit, ut proponat humilitatem omnibus suis, scilicet, cum dicat se pauperem, nullus suorum audeat de se præsumere. Ego sum pauper, sed « Dominus sollicitus est mei, » id est, me custodit immunem a peccato, et subministrat omnia necessaria.

Et tu, Domine, qui es Deus meus et protector meus, ne tardaveris facere quidquid facturus es per me, scilicet, reparare genus humanum, etc.

IN PSALMUM XL.

TITULUS. *In finem intellectus filiis Chore.*

« Beatus qui intelligit super egenum. » In seditione contra Moysen et Aaron de pontificio ipsius Aaron, cum thurificaret cum filiis suis Chore, combustus est ipse cum filiis suis proprio igne. Inde etiam comparantur hodie filiis Chore illi, qui sunt rebelles prælatis suis injuste. Fuerunt et aliqui boni de filiis Chore, qui cum cæteris præcentoribus, quos David constituit in tabernaculo, recitantes psalmos multum valuerunt ad amplificandum cultum Dei : unde Ezdras judicans eos dignos memoria, secundum nomen eorum intitulavit quosdam psalmos, attendens tamen maxime interpretationem nominis proprietati psalmi convenire. Chore namque calvaria interpretatur, et quia in illo loco crucifixus est Dominus, per continens contentum, scilicet, crucem Christi intelligimus. Filii autem crucis, scilicet. Chore, sunt Christiani, et maxime martyres, qui nunquam eum crucifixum confiteri erubescunt. Titulus sic exponitur : Intellectus, id est, psalmus iste qui vocatur intellectus, quia exponit nobis quemdam intellectum, id est, rem valde secretam, id est, Christum non simpliciter hominem, sed etiam Deum fuisse. Hic talis intellectus, præponitur filiis Chore ad intelligendum, id est, filiis crucis, directis in finem, id est, in Christum, si hæc intelligant. Materia est Christus Deus et homo, secundum humanitatem injuriatus, per divinitatem glorificatus. Modus talis est. Facit tres partes in psalmo. In prima parte admonet, cum bonis promissionibus, ut intelligatur Christus præter hominem Deus. In secunda parte ponit, quare quidam simpliciter hominem putaverunt, scilicet, quia multis modis injuriatum viderunt. In tertia parte nos reddit certos eum plus esse quam hominem, scilicet Deum fuisse. Intentio est nos admonere, ut credamus eum Deum fuisse supra hominem.

Vox Christi dicentis : Intelligite me supra hominem, quia « beatus » est ille « qui intelligit super egenum et pauperem, » id est, qui cum videt me egenum et pauperem, propter quod quidam putaverunt me hominem solummodo esse, intelligit me Deum esse : et vere talis est beatus, quia « in die mala liberabit eum Dominus » ab omni malo. Dies judicii mala dicitur, quia in malis mala reddentur.

Ponit orationem pro tali intelligente, in die judicii liberabit eum Dominus, sed interim « conservet eum Dominus » a persecutoribus « et vivificet eum » vera vita per fidem : « et beatum, » id est, felicem « faciat eum » in virtutibus, et etiam in temporalibus : et hoc est, « in terra, » id est, in hac vita : « et » cum inimici tunc maxime invideant ei « non tradat eum in animas, » id est, in voluntates, etiam si tradat eum Deus in manus « inimicorum » tam spiritualium, quam carnalium « ejus, » id est, intelligentis.

Et quia impossibile videretur esse quod aliquis in hac tam misera vita beatus posset esse, orat Christus, ut huic intelligenti sic ferat opem, per quam beatus possit esse. Continuatio : Dico beatum faciat, et ut beatus possit esse, « Dominus ferat opem, » id est confortationem illi intelligenti, ita ut faciat eum esse « super lectum doloris ejus. » Lectum vocat animalitatem, scilicet quamdam vim inferiorem animæ, secundum quam ipsa anima vivificat, et sentire facit ipsum corpus, quæ ideo vocatur lectus, quia in ipsa quiescit quædam vis animæ superior, scilicet ratio. Lectus ideo doloris, quia ad carnales voluptates secundum omnes sensus corporis, et ad multos illicitos motus facit vim sibi superiorem consentire, de quibus dolet ratio. Sed lectus iste, quem modo dicimus doloris, prius fuit lætitiæ et consolationis : quia dum

primus homo perstitit in obedientia, præfuit ratio animalitati, ita quod ipsa animalitas secundum nullum sensum corporis movebatur ad aliquam voluptatem carnis, in qua sic subjecta rationi quiescebat ratio cum lætitia. Postquam vero ab obedientia discessit, factus est lectus doloris. Sciendum quod Deus ad hoc superiorem vim animæ, scilicet rationem inseruit, ut homo per eam Deum contueretur, et ipsa eadem ratio semper præesse debet animalitati, sicut vir mulieri. Animalitatis officium est, hæc terrena commode disponere . et semper debet esse rationi in adjutorium, et subjecta quasi viro, et ad significandas has duas potentias animæ, quarum altera præesset, altera subesset, creavit Deus masculum et feminam, quorum masculus præesset, significans rationem : femina subesset, significans animalitatem. Bene dico lectum doloris, quia « in infirmitate ejus, » id est, in peccato, quod primus fecit per inobedientiam « versasti stratum ejus, » id est, illam sensualitatem, quæ prius erat strata, id est, subjecta rationi, convertisti ita, quod ipsa modo velit dominari, et secum eam trahere in voluptates carnis : stratum dico versatum non secundum unum sensum, sed « universum, » id est, secundum omnes sensus corporis. Homo enim modo movetur ad voluptates carnis, secundum omnes sensus.

Tu versasti stratum ejus, sed contra hoc ego oro pro eo : et hoc est : « ego dixi » corde et ore : « Domine, miserere mei, » id est, meorum : ita scilicet animam meam, » id est, meorum, « quia peccavi tibi, » id est, ad tuum honorem, quia tu solus ille medicus, qui solus laudem potes habere de peccatorum curatione, ex magna affectione quam habet Christus erga suos, ascribit sibi peccata suorum cum hoc dicit.

Incipit de secunda parte, scilicet ostendit Christum multis modis injuriatum, propter quod a quibusdam simpliciter reputatus est homo. Ad hoc jungitur : Ego sic oro pro meis, sed « inimici mei » non curantes hoc « dixerunt mala mihi » ut : Dæmonium habes, et similia. Inter cætera dicebant : « Quando morietur » homo iste « et peribit nomen ejus ? » id est, destruetur fama ejus ?

Non tantum inimici manifesti mala loquebantur mihi, sed etiam simulatorii amici : et hoc dicit « et si ingrediebatur » aliquis in consortium, « ut videret, » id est, exploraret, si in aliquo posset derogare mihi, « vana loquebatur » velut ille qui loquebatur : « Si hic propheta esset, sciret utique quæ et qualis esset mulier quæ tangit eum (*Luc.* VII). » Dico vana loquebatur, et inde « cor ejus, » id est, nequam voluntas ejus « congregabat iniquitatem sibi. » Accedens enim ad eum ex quo benevolus melior efficeretur, iste pejor effectus est quia pravæ voluntatis erga Christum fuit, congregabat sibi, id est, ad damnum suum.

Ingrediebatur ad me explorator et mecum habitans loquebatur vana, et idem « egrediebatur foras » extra consortium meum, « loquebatur in idipsum » tendens, in quo erat cum adhuc mecum conservaretur, scilicet, ut de me mala omni studio loqueretur.

Per singula quid curramus ? « Omnes inimici mei susurrabant, » id est, occulte consiliabantur « adversum me, » id est, adversa et nociva mihi. Neque consiliari satis erat eis, sed etiam « cogitabant adversum me mala, » id est, unusquisque apud se curiose tractabat quid unquam gravius et magis nocivum posset excogitare in me : quæ mala fuerunt « mihi, » id est, ad meum honorem et ad meorum redacta sunt utilitatem.

Non tantum susurraverunt, cogitaverunt, sed etiam « verbum iniquum constituerunt adversum me, » scilicet, sententiam mortis stabilem induxerunt super me : et quod Caiphas inscius prophetans judicavit : « Expedit ut unus homo moriatur, ne tota gens pereat (*Joan.* XI). »

Ipsi me sic judicaverunt, « sed qui dormit » qui tradet animam suam morti, scilicet ego, quam possit ita leviter dimittere, sicut dormiens aliquis somnum, « nunquid non adjiciet, » id est, adjunget suæ morti « ut resurgat ? » Qui de seipso dicit : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum suscipere eam (*Joan.* X) » Per eam resurrectionis suæ securitatem, eorum stultitiam reprehendit.

Et bene inimici mei putaverunt me judicare. « Etenim homo, » id est, Judas « pacis meæ, » id est, cum quo ego habebam pacem licet non ipse mecum, « in quo speravi, » sperare debui secundum merita quæ in eum feci, « qui edebat panes meos » materialiter : vel « panes, » id est, refectiones spiritualis doctrinæ : « magnificavit, » id est, magnificam fecit « supplantationem, » id est, deceptionem, dando mihi osculum proditionis, quod etiam inimicorum nullus fecit « magnificavit, dico, super me, » id est, ad meam depressionem.

Incipit de tertia parte, scilicet illam glorificationem, per quam Christus plus quam homo, scilicet Deus, indubitanter cognosci possit : ad hoc continuatur : Ipsi me ita judicant, « tu autem, Domine, miserere mei » et miserando « resuscita me, et tandem retribuam eis » hoc quod mihi fecerunt.

Et vere suscitabis, « quoniam voluisti me, » id est, semper tibi bene placui : et « in hoc » quod me voluisti « cognovi, quoniam non gaudebit inimicus « meus super me, » id est, non retinebit me in morte, quod si posset, super me esset.

Inimicus non gaudebit, ego autem gaudebo, quia « suscepisti me » ad immortalitatem et impassibilitatem « propter innocentiam, et confirmasti me, » id est, sic collocasti, quod nihil deinceps mihi possit nocere « in conspectu tuo, » id est, in præsentia tua : non ibi ad horam mensurum sed « in æternum. »

Et quia me ita exaltavit, ideo sit « benedictus, » id est, laudatus, et talis cognitus qualis est « Dominus Israel, » id est, ille qui dominatur Israel, id est, videntibus Deum et « Deus, » id est, creator « Israel » quæ benedictio incipiat « a sæculo » isto,

et « in sæculum » consecutivum hujus sæculi deveniat « fiat, fiat : » hic habetur in Hebræo, amen, amen.

IN PSALMUM XLI.

TITULUS. *In finem intellectus filiis Chore Psalmus David.*

« Quemadmodum desiderat. » Psalmus iste qui dicitur intellectus, quia ostendit nobis quiddam valde intelligendum, scilicet in homine duas potentias, quarum fortior debiliorem confortet, proponitur filiis Chore, ad dicendum vel cantandum, id est, filiis crucis, scilicet, sanctis martyribus quorum vox est in hoc Psalmo : ipsis dico per hoc directis in finem, id est, in Christum. Materia est justus, secundum utramque vim animæ. Modus : In prima parte ostenditur, secundum vim superiorem Deum desiderare, cœlestia sola appetere, adversitates hujus vitæ non timere. In secunda parte per illam vim superiorem, animalitatem confortare, quæ cito turbatur turbationibus hujus vitæ. Intentio est, debiliores confortare, ne moveantur secundum animalitatem, sed potius per suam rationem confortent animalitatem, proponunt etiam justi qui loquuntur se aliquando cecidisse; ne desperent debiliores, si et ipsi aliquando ceciderint, et incipiunt ostendere prius, quod ratio sua Deum desideret, sic :

O Deus « ita desiderat anima mea, » id est, superior vis animæ « ad te » habendum « quemadmodum, » id est, quam ardenter « desiderat cervus » pertingere usque « ad fontes aquarum. » Natura cervi est, ut flatu narium attrahat in corpus suum vivum serpentem, postquam autem venenum intus exardescit, ardet siti, et currit ad fontem vivum, et inde refectus, deponit cornua et pilos, et rejuvenescit : ita sancti imbuti veneno diaboli, scilicet peccatis, currunt ad Deum pœnitentes, per quem deponunt omnem vetustatem.

Dico quod anima desiderat modo, et jam etiam desideravit, et hoc est : « Sitivit anima mea ad Deum » habendum : Deum dico « fontem, » quia ipse est origo totius boni. Fontem dico « vivum, » quia ipse in æternum vivit, et qui eum gustant, facit eos in æternum vivere. Vel Deum fontem, quia ipse solus potest nos eripere de potestate diaboli : « et quando veniam ante faciem Dei ? » id est, in præsentia ipsius, ut cognoscam eum prout est. Unde Apostolus: « Nunc videmus in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII) : » et tunc ego, qui in hac vita nullius pretii appareo, apparebo qualis sim. Dico « sitivit anima mea, » et dum sitirem, habui refectiones quas fundebat animalitas afflicta miseriis hujus vitæ : et hoc est « lacrymæ meæ, » id est, meæ animalitatis « fuerunt mihi » secundum rationem « panes, » id est, refectiones « die ac nocte, » id est, assidue : lacrymæ dico ex hoc habitæ « dum, » id est, quia « dicitur mihi, Ubi est Deus tuus? » Putant enim mali justos Deum non habere, dum sic vident eos tribulationibus subditos.

« Hæc » quæ prædicta sunt, scilicet animam meam sitire, ex lacrymis refectionem habere, « sum recordatus » qui prius aliquando oblitus fueram. Ubi notat se oblitum istorum fuisse per suum lapsum, tollit a debilioribus desperationem, vel recordatus, id est, in frequenti habui cogitatione « et deinde effudi animam meam, » id est, extendi usque ad inimicorum dilectionem, ita tamen quod ipsa anima mea esset « in me, » id est, in mea potestate, sic contenta meo dominio, quod inimicus meus non posset eam surripere : et ideo sic effudi, « quoniam transibo usque ad domum Dei, » id est, cœlestem Hierusalem « transibo in locum tabernaculi, » id est, in ecclesiam, quæ dicitur locus, quia extra ecclesiam nulla certitudo, sed qui modo sunt in ecclesia, quodammodo certam obtinent fidem. Vel in locum, quia semper promovetur justus in altiorem gradum virtutum : tabernaculi dico « admirabilis, » id est, digni admiratione : ut admirabile fuit, quod Laurentius tantam passionem sustinuit.

Transibo dico ad domum Dei « in voce exsultationis et confessionis. » Id est in me exsultando et Deum laudando : confessionis dico « sonus epulantis. » Id est, qui mihi est tanta refectio, quanta refectio cantilena est epulantibus. Sonus, id est dulcis cantilena, et est sonus hic genitivi casus quasi sonitus. Vel transibo in domum Dei, ductus in voce exsultationis et confessionis, id est, in voce angelorum exsultantium et laudantium Deum, quæ vox fuit mihi sonus epulantis.

Incipit de secunda parte, scilicet animalitatem suam confortare. Continuatio : Quandoquidem transibo in voce exsultationis, ergo tu, « anima mea, » id est, animalitas mea « quare tristis es ? » et « me » superiorem vim « quare conturbas? » Quam aliquando tibi dolenti facis condolere.

Noli esse tristis, sed « spera in Deo » et debes facere, « quoniam » ego confessus « adhuc confitebor illi, » hoc scilicet, tu, qui es « salutare, » id est, Salvator meus, particeps factus « mei vultus, » id est, meæ humanitatis, scilicet homo es « et Deus, » id est, Creator « meus. »

Et ideo debes sperare, quia quod « anima mea turbata est » « ad meipsum, » id est, non aliunde turbata est anima mea, nisi ex me : et hoc manifeste dicit alia translatio, quæ habet : a meipso ; et quia ex me turbata est, « propterea » o Deus « memor ero tui » qui sanare potes « de terra Jordanis, » id est, de me secundum hoc quod terra factus sum, fructificata per baptismum. Per Jordanem accipimus baptismum, quia in eo fuit baptizatus Christus, ex quo nobis processit baptismus : quia baptismus irrigans nos et lavans peccata, facit nos terram fructiferam. Et quia Jordanis descensus interpretatur, in hoc notamus humilitatem, quam in baptismo habemus, dum pompam diaboli rejicimus : et ero memor tui de terra « Hermoniim, » id est, de meipso, secun um hoc quod sum separans a me, et anathematizans omnes sectas hæreticorum. Hermon namque vel Hermoniim, anathematizatio interpreta-

tur, scilicet « a monte modico, » id est, a meipso, qui A id est, quia « dicunt mihi per singulos dies, Ubi
factus sum mons secundum eminentiam virtutum, sed tamen modico secundum humanitatem. Hermon quidam mons est parum distans a Jordane.

Et propterea etiam memor ero tui, quia et in Veteri et in Novo Testamento promittitur liberatio sperantibus in Domino, et hoc dicit : « Abyssus, » id est, Novum sive Vetus Testamentum « invocat abyssum, » id est aliud Testamentum. Novum invocat Vetus, quasi testimonium sui. Vetus invocat Novum, ad complendum ea quæ promittuntur in Veteri. Per abyssum ideo Testamentum intelligimus, quia sicut abyssus est magna profunditas, ita in Testamentis est magna profunditas sapientiæ et cognitionis Dei : et quælibet abyssus ostendit liberationem eorum, qui memores sunt Domini. Quod autem abyssus sic invocat abyssum cognoscimus « in voce cataractarum tuarum, » id est, in prædicatione prophetarum et apostolorum, Cataractæ proprie dicuntur aquæductus, id est, locus unde currit et ebullit aqua : ita sancti apostoli et prophetæ, a quibus nobis defluit vera doctrina.

Item memor ero tui, propter hoc, quia « omnia excelsa tua, » id est, graviores pœnæ, veluti ipsa mors, « et fluctus tui, » id est leviores pœnæ, veluti fames, et similia « transierunt super me, » id est, licet me submergant in hac vita, tamen quandoque transibunt.

Positis causis quare debeat memor esse, ponit causas per quas possit. Continuatio : Ideo etiam memor ero, quia « Dominus mandavit, » id est, promisit « misericordiam suam in die, » id est, in prosperitate : « et nocte, » id est, adversitate : non dicam simpliciter, sed « canticum ejus, » id est, tantam et tam manifestam misericordiam, quæ nobis confert magnam exsultationem. Alia translatio habet : et nocte manifestavit eam misericordiam.

Ponit item causam per quam possit esse memor. Deus dat mihi misericordiam, et « oratio est apud me, » id est, habeo apud me rationem per quam Dei possim esse memor : oratio dico « Deo » debita, id est, ad honorem Dei : Deo dico datori « vitæ meæ : » qua oratione ego « dicam Deo, Susceptor meus es, » id est, me infirmum suscepisti ad protegendum.

Quandoquidem me suscepisti, « quare ergo oblitus es mei? » et supponit causam, quare Deus sui videatur oblitus, cum dicit : « Et quare contristatus incedo? » Licet contristatus sit, tamen se ad Deum incessanter incedere dicit iste justus : ideo dicendo contristatus « dum, » id est, quia « affligit me inimicus. »

Nec tantum affligit me mala faciendo, sed etiam exprobrando, et hoc est : « dum confringuntur ossa mea, » id est, dum sic graviter tribulor, quod confringuntur ossa mea, id est, robora mea, et patientia mea, quantum ad opinionem meorum, « inimici mei qui tribulant me, exprobraverunt mihi dum, »

est Deus tuus? »

Concludit ex omnibus præpositis causis, ac si ita diceret : Quia ex Deo baptismum habeo, misericordiam apud me orationem, et alia quæ dicta sunt : ideo tu « anima mea, » id est, animalitas, non debes contristari, et « quare tristis es, anima mea? » ut supra.

IN PSALMUM XLII.

TITULUS. *In finem Psalmus David.*

« Judica me, Deus. » Psalmus iste convenit David est, alicui justo afflicto miseriis hujus vitæ, dirigens nos in finem. Materia est martyr aliquis afflictus multis malis, de qua ita agit : In prima parte ita afflictus justus, petit tandem separari ab impiis. B In secunda parte se affirmat intraturum in secretarium Dei. In tertia parte hortatur suam animalitatem, ut speret in Domino. Intendit enim confortare suam animalitatem et debiles.

Vox martyris dicentis : « Judica me, Deus. » Et, ne intelligeretur penitus judicari velle, ita quod Deus intendat quæ sint in eo bona, et quæ mala, quod quidem in omni justo esset arrogantia, ideo determinat quomodo petat judicari, scilicet, « discerne causam meam de gente non sancta, » id est, considera totam vitam meam discretam et separatam a vita gentis non sanctæ, et tandem separa me, quod est « erue, » quod futurum est in judicio : « ab homine iniquo, » id est, manifeste faciente mala, « et doloso, » id est, occulte nocente.

C Et debes eruere, « quia tu es, Deus, fortitudo mea, » id est, Creator meus, et causa totius meæ fortitudinis, et ideo « quare me repulisti, » id est, quare permittis me ita tribulari, quod videar a te repulsus? « Et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? » ut supra.

Noli repellere, sed potius « emitte lucem » ad judicium, « et veritatem tuam, » id est, Filium, qui dicitur lux quia nos illuminat : veritas, quia in omnibus verus, et « quia ipsæ, » id est, lux et veritas, me deduxerunt » jam de familia diaboli « et adduxerunt me in montem sanctum tuum, » id est, ut essem mons sanctus Dei. Et, ne intelligeremus hunc justum jam positum in securitate, addit « et in tabernacula tua, » id est, in ecclesia qua tibi militem.

D Incipit de secunda parte : Jam sum introductus in tabernacula, et per hoc tandem « introibo ad altare Dei, » scilicet « ad Deum, » id est, Christum, scilicet, « qui lætificat juventutem meam, » id est, juvenescere faciet juventutem dando immortalitatem et impassibilitatem. Dicitur Christus altare, quia per eum offerrimus orationes nostras Deo.

Et quia introibo, jam « confitebor tibi, » id est, laudabo te in hac vita « in cythara, » id est, in mortificatione carnis : tibi dico, « Deus meus. » Hic incipit de tertia parte. Ad hoc jungitur, quia ego introibo ad altare Dei. « Quare » ergo « anima mea, » id est, animalitas mea « tristis es? » et alia ut in alio psalmo.

IN PSALMUM XLIII.

TITULUS. *In finem ad intellectum filiis Chore psalmus David.*

« Deus auribus nostris. » Psalmus iste præponitur filiis Chore, id est, Christianis, ad intellectum habendum, scilicet ut intelligant per temporalia bona data antiquo populo, significata esse spiritualia bona, quæ jam dantur Christiano populo, et plenius dabuntur in futuro filiis Chore, directis in finem per hunc intellectum. Materia sunt martyres, qui etiam loquuntur. Modus : In prima parte ponit bona quæ facit Deus huic populo, cum comparatione eorum quæ fecit priori populo : ostendens hæc esse æterna, cum illa fuissent temporalia. In secunda parte ponit mala quæ sustinet in hac vita, quamvis sint in futuro habituri multa bona. Quod autem justi in hac vita patiuntur temporalia mala, contra hoc est, quod priores justi populi liberabantur a corporalibus malis. In tertia parte orat liberari a malis hujus vitæ. Intentio est invitare ad patientiam.

Vox martyrum ostendentium quæ bona fecit Deus antiquis patribus, cum dicunt : « Deus nos audivimus, » et non sine intelligentia, sed « auribus nostris, » id est, cum intelligentia, quæ est interior oris, et hoc non a quicunque, sed « patres nostri, » id est, patriarchæ et prophetæ, « annuntiaverunt nobis » non quasi fictitium, sed rem veram.

« Hoc annuntiaverunt » opus quod operatus es in diebus eorum in diebus antiquis, ita legemus : Patres nostri annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum : sicut in eductione per mare Rubrum, et alia hujusmodi, et etiam ea quæ fecisti in diebus antiquis, ut de creatione cœli et terræ, et ea quæ fecisti Abel, Noe, etc.

Hoc opus, scilicet, « manus tua, » id est, operatio tua « gentes disperdidit, » de illis dicit quæ prius habitabant in terra promissionis, « et plantasti, » id est, firmiter stabilisti in terra illarum gentium « eos, » id est, patres nostros : et ne putarentur illæ gentes debiles, quibus cito terra sua auferretur, subdit : « Afflixisti populos » in primis « et » deinde multis modis afflictos « expulisti eos. »

Et ne Judæi hoc suæ deputarent probitati, dicit hoc non ex ipsis, sed ex ipso Deo sibi evenisse. Continuatio : Bene dico, quod tu, Deus, plantasti, « non enim ipsi possederunt terram illam in gaudio, » id est, per arma sua et vires suas, « et brachium eorum, » id est, fortitudo et potentia eorum, « non salvavit eos, » et si seipsos non possent salvare ab illis gentibus, tunc multo minus in gladio suo possederunt earum gentium terram. Per gladium humanam virtutem, per brachium potentiam intelligimus :

Brachium non salvavit eos, « sed dextera tua, » id est, prosperi eventus quos tu dabas eis, ut cum eis circumeuntibus ceciderunt muri Jericho, « et brachium, » id est, fortitudo tua : ut cum unusquisque A fugaret decem, « et illuminatio, » id est, consilium quo illos illuminabas, ut quando per insidias eorum aliquos devincere faciebas : quæ illuminatio erat « vultus tui, » id est, procedens ex sola voluntate tua ne quod hoc volebas propter aliquod meritum eorum, sed agens ita « quoniam in eis complacuisti » tibi, vel Deo Patri.

Et quia « tu ipse » hoc fecisti eis, « es » rex meus et Deus meus, « tu ipse, dico, qui mandas salutes Jacob, » id est, nobis luctatoribus, qui per Jacob significamur. Vel Jacob, id est, Judaico populo, qui vocatus fuit Jacob.

Tu es rex meus, et cornu nostrum, « et in te cornu » nostro, id est, defensione nostra « ventilabimus, » id est, projiciemus et dispergemus B inimicos nostros » tam carnales quam spirituales, quod futurum est in judicio, ubi boni a malis separantur. Per cornu ideo accipimus defensionem, quia cornibus defendunt se animalia : et ventilant, id est, separant a se animalia, « et in nomine tuo » quia hic habemus nomen tuum, scilicet Christiani sumus : « spernemus » item in judicio « insurgentes » in hac vita « in nos. » Ecce jam in hoc versu ostendit nos habituros æterna bona, quæ longe sunt meliora temporalibus, quæ habuerunt antiqui patres.

Et bene dico, quod in te ventilabimus et spernemus inimicos, quia per nos nunquam hoc poterimus : et hoc dicit « non enim in arcu meo sperabo » in minori fortitudine mea, « et gladius meus, » id est, major vis mea « non salvabit me. »

C Et vere non salvabit me gladius vel arcus meus, quia tu solus potius salvabis, et hoc dicit « salvasti enim nos de affligentibus nos » in hac vita, et non tantum affligentes nos, sed « etiam odientes nos confudisti, » id est, confundes, quando dicetur eis : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. Potest hic versus legi de his quæ facit Deus fidelibus suis, in hac vita, ut sic continuetur. Securi possumus esse quod in te ventilabimus, spernemus inimicos, quia tu jam salvasti nos de affligentibus, ne nos possent a bono retrahere, et odientes nos confudisti, ex hoc quod non potuerunt conformare nos sibi. Et quia salvasti nos, ideo « laudabimur » non tantum a bonis, sed etiam a malis, ut cum dicent : « Nos insensati vitam illorum putabamus insaniam, ecce quomodo inter filios Dei computati sunt (*Sap.* v) : » quæ laus erit « in Deo, » id est, ad honorem Dei : et nos « confitebimur tibi, » id est, laudamus te : « et in nomine tuo, » id est, quia hic habemus nomen tuum « in sæculum, » id est, in æternum.

Incipit de secunda parte. Tandem nos salvabis, « nunc autem » in hac vita « repulisti, » id est, ita permisisti affligi, quod putaremur a te repulsi : « et confudisti nos » non quod in conscientia nostra confusionem et erubescentiam pateremur, sed quantum ad oculos hominum, qui putant nos confusibiles : et deinceps « non egredieris, » id est, non mittes manifeste angelum tuum pugnare nobiscum « in virtutibus, » id est, in exercitibus « nostris » sicut

fecisti patribus nostris, pro quibus manifeste pugnabant angeli.

Non tantum repulisti, sed etiam quosdam nostrum « avertisti » a bono proposito, faciendo « nos retrorsum post inimicos nostros, » id est, ut sequeremur inimicos nostros, et tunc « qui oderunt nos, diripiebant sibi, » id est, in partem suam rapiebant nos, et hoc est maximum tormentum sanctorum, quando vident suos ita devocari a fide.

Quosdam avertisti, « nos » autem qui restitimus, « dedisti tanquam oves escarum » quæ non fructui, sed soli occisioni deputatæ sunt, et in gentibus dispersisti nos « quando fugati sumus de civitate in civitatem, » id est, tradidisti in manus inimicorum, ut aliquos tibi in tribulationibus acquirerent.

« Vendidisti populum tuum, » id est, martyres tuos « sine pretio » aliquo, quia aliquando non ullum hominem in morte sanctorum lucratus : et si aliquando aliquos lucratus es, pauci fuerunt, et hoc dicit : « et non fuit multitudo in commutationibus eorum, » id est, quando Deus dat suos, ut aliquos acquirat. Posuisti etiam nos opprobrium non extraneis, qui raro vident nos, sed « nostris vicinis » qui sæpe objecerunt, et hoc opprobrium per partes exsequitur, dicens : « Subsannationem et derisum his qui in circuitu nostro sunt. » Subsannatio fit per nasum, derisio per hiatum oris.

Posuisti nos in similitudinem gentibus, scilicet ut ad nostram similitudinem maledicerent aliis et sic dicerent : Talis maledictio tibi sit, qualis est Petro, vel Paulo, vel Laurentio. Vel posuisti nos in similitudinem Christi, ut sicut Christus opprobria sustinuit, sic et nos, statim ponit unum de opprobriis quæ sustinuit Christus : « commotionem capitis in populis, » id est, super quos populi deridentes moverunt capita sua, sicut supra dictum est, dicentes : « Vah ! qui destruis templum Dei (*Marc.* xv ; *Matth.* xxvii), etc. »

Quid singula enumerem ? « tota die, » id est, assidue « verecundia mea, » scilicet opprobriorum meorum « est contra me. » Contra dicit, quia, cum martyres confiterentur se esse justos, nunquam deberent hujusmodi opprobria sustinere, et ut aggravet verecundiam, dicit : « Confusio faciei meæ cooperuit me. » Naturam illam tangit, quod cum homo patitur aliquam erubescentiam, sanguinem interiorem anima, ut se cooperiat, mittit ad exteriora. Confusio dico illata « a voce exprobrantis et oblocquentis » veritatem « a facie inimici, » scilicet mala voluntate « et persequentis » ipso actu.

« Hæc omnia venerunt super nos, » scilicet ut nos opprimerent, « nec tamen obliti sumus te, » sed semper habuimus te in jugi memoria : « et in testamento tuo, » id est, in lege tua « non egimus inique, » sed semper secundum præcepta tua habuimus nos, et in hoc versu magna virtus martyrum notatur.

Cum hæc omnia mala venirent super nos, « cor nostrum non recessit retro, » id est, non desperavit, « et non declinasti, id est, declinare fecisti A semitas nostras » quibus ad te incedimus « a via tua, » id est, a præceptis tuis. Semper enim operati sumus secundum præcepta tua. Vel sine, non, ita legitur, declinasti, id est, declinare fecisti semitas nostras a via tua, ut supra, vel sic quoque « semitas nostras, » id est, opera quæ ex nobis habemus, qui secundum nos nihil boni facere possumus, illas semitas « declinasti, » id est, declinatas et diversas ostendisti « a via tua, » id est, ab operibus tuis, qui nunquam nisi bona facis.

Diversas ostendisti vias, « quoniam nos humiliasti, » id est, afflixisti, in quo cognoscimus unusquisque se miserum et se nihil boni ex se habere. Ad aliam sententiam continuatur ita : Bene dico, quod semitas nostras non fecisti deviare, vel B fecisti pendere a via tua, « quoniam nos humiliasti, » id est, humiles ostendisti, quæ humiliatio est « in loco afflictionis, » id est, in hac vita, post quam nullus locus correctionis, et adeo nos humiliasti, quod « umbra mortis, » id est, ipsa mors « cooperuit nos, » id est, occisi sumus. Vel « umbra mortis, » id est, hæretici, quia, si quem in corpus suum dicunt, statim ille a vera vita privatur.

Ideo non sumus obliti te, quia scimus quod « si obliti sumus nomen, » id est, honorificentiam « Dei nostri, » et si hoc gravius facimus, scilicet, « si expandimus manus nostras » et interiores et exteriores « ad Deum alienum, » id est, qui neque nos creavit, neque bonum fecit nobis, scilicet si C facti sumus idololatræ « Deus requiret ista. » Et quia aliquis diceret : Si manus expandis, hoc requiret, quia hoc bene videt, sed si oblitus es, non requiret, quia illud ignorat, probat quod etiam oblivionem requiret, cum dicit, « ipse enim novit abscondita cordis. »

Hic incipit de tertia parte : Nos non expandimus, et ideo, tu, Domine, exsurge, et præmittit causam quare debeat exsurgere, « quoniam propter te mortificamur tota die » et intantum, quod « sumus æstimati ut oves occisionis, » scilicet, ut nullatenus reputaremur idonei, nisi ad occisionem ; ideo, Domine, ad nos liberandos « exsurge, quare obdormis? » Obdormire dicitur Deus, cum sui non cito liberantur, nec tamen deficiunt, et quare obdormis? interrogationem ponit, quia licet causam ignoremus, D tamen aliqua causa est quare Deus hoc faciat. « Exsurge, Domine : » et licet modo aliquos repellas, « non tamen repellas in æternum, » sed qui modo videntur ejecti, aliquando reduc ad ecclesiam tuam.

« Ne repellas dico, et ne avertas faciem tuam, » id est, cognitionem tuam ab illis qui modo repulsi sunt, et « quare faciem tuam avertis ? » Et hic iterum innuit, quod licet causam ignoremus, tamen causa est quare Deus avertat, et quare « oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ? » Hoc refertur ad eos, quibus obdormit Deus, nec tamen deficiunt, quorum inopiæ oblivisci dicitur, quando non confortat rationes eorum, nec dat solatia ad patientiam tribulationis, quando nec mitigat, nec removet

Ne obliviscaris inopiæet tribulationis, sed exsurge, et proponit causam quare debeat exsurgere, cum dicit, « quam humiliata est anima nostra in pulvere, » id est, in consideratione defectus humani generis, cujus defectus signum est pulvis, quem pœnitens super caput suum accipit, propter hoc merito debes exsurgere, et necesse est ut exsurgas, « quoniam venter noster, » id est, carnalitas nostra, est « conglutinatus in terra, » id est, adhæsit in terris, scilicet hæc terrena appetit.

Et propterea « exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos, » id est, da pretium, ut de diaboli potestate nos detrahas « propter nomen tuum » ampliandum : quia, nos redempti, dilatabimus nomen tuum per multas gentes.

IN PSALMUM XLIV.

TITULUS. *In finem pro his qui commutabuntur filiis Chore ad intellectum, canticum pro dilecto.*

« Eructavit cor meum. » Hic psalmus agit de dignitate sponsi et sponsæ, et hoc dicitur in titulo : pro his commutabuntur, id est, ad honorem sponsæ, in qua fit commutatio de mundo ad Deum, quæ bona est. Alia commutatio de Deo ad mundum, quæ mala est, pro dilecto, id est, ad honorem dilecti. Salomon appellatus Edida, id est, dilectus, figurabat Christum verum dilectum a Patre. Unde est : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite (*Matth.* III *et* XVII), » et est canticum, quia multum agit de æterna exsultatione, et dicitur epithalamium, id est, nuptiale carmen. In duobus primis versiculis utitur similitudine joculatoris, intrare volentis ad nuptias, et captantis benevolentiam janitoris, prævidens Christi et ecclesiæ nuptias, volens cantare de eis, et quasi intromitti, parat sibi auditores, dicens se fecisse cantilenam de nuptiis, et velle cantare regi. Quatuor modis laudat sponsum et quatuor sponsam. Titulus sic exponitur : Psalmus iste vocatur canticum, quia propheta conjunctionem Christi et ecclesiæ prævidens futuram, eam in hoc psalmo cum magna exsultatione pronuntiat, ex qua conjunctione unicuique fideli intelligenti magna exsultatio generatur, canticum dico habitum pro his qui commutabuntur de infidelitate ad fidem. In hoc enim psalmo maxime commendatur Ecclesia, ipsa enim Ecclesia est, quæ commutabitur. In hac autem vita commutantur sancti, quando de corpore diaboli transeunt : tandem vero perfecte commutabuntur, quando immortalitate et impassibilitate induentur : canticum dico propositum filiis Chore ad intellectum. Valde enim necessarium erat, ut illud arcanum, quod adhuc multis ignotum erat, scilicet conjunctionem Christi et Ecclesiæ, filii Chore intelligerent, id est, filii crucis, canticum dico non tantum pro his habitum qui commutabuntur, sed etiam pro dilecto, id est, ad honorem dilecti, id est, Christi, qui specialiter dicitur esse dilectus, quia si aliquis justus propter aliquas virtutes dicitur esse dilectus, multo magis Christus, qui nihil nisi bonum habuit, cujus A honor in hoc psalmo tractatur, quia per partes multas commendatur, quod canticum dirigit nos in finem. Vel taliter construe, canticum istud est habitum pro filiis Chore qui commutabuntur, propositum omnibus ad intelligendum, et etiam pro dilecto. Materia est sponsus et sponsa, Christus scilicet et Ecclesia. Modus : In prima parte ponit commendationem sponsi, scilicet Christi. In secunda parte ponit commendationem Ecclesiæ. Unde hic psalmus vocatur ab Augustino epithalamium, id est, laus thalami. Intendit nos invitare ad hanc conjunctionem, scilicet ut intelligamus hanc conjunctionem Christi et Ecclesiæ.

Vox prophetæ, et antequam transeat ad laudem sponsi, ponit commendationem ipsius laudis quam facturus est, cum dicit : « Cor meum eructavit. » B Hic propheta ex saturi similitudine loquitur, quia satus aliquis non potest retinere cibum quin eructet, sic propheta plenus Spiritu sancto, necessario eructavit, ut aliquid manifestaret, eructavit dico « verbum, » id est, Filium Dei : quia si quis psalmum attendat, poterit vere agnoscere Christum Dei Filium esse. Eodem nomine utitur Joannes, dicens : « In principio erat Verbum (*Joan.* I) ; » verbum dico « bonum » singulariter scilicet, quia solus Deus bonus est, et quidquid boni est, ex solo Deo est. Unde Christus, cum quidam solam humanitatem respicientes, eum bonum dicerent, respondit : « Quid me bonum vocatis? Nemo bonus, nisi solus Deus (*Matth.* X), » et huic « regi, » scilicet Christo, qui Deus est, « dico ego, » id est dedico ego opera mea, id est, devoveo ego totam istam C laudem meam.

Et hæc commendatio mea non est refutanda, quia non loquor ex me, sed Spiritus sanctus loquitur in me, ut per instrumentum, et hoc est : « Lingua mea calamus, » id est, comparabilis calamo, quia, sicut calamus nihil per se facit, nisi aliquis per eum scribat, sic nec lingua mea, calamus dico « scribæ, » id est Spiritus sancti, qui per me scribat et per cæteros prophetas legem Dei in corda hominum, scribæ dico « velociter scribentis : » quia quod magistri non possunt facere per multos annos, Spiritus sanctus in momento facit : ut in Paulo, quem in momento cognitionem veritatis docuit, æque et plene, sicut D Christus docuit Apostolos et alios per multos annos.

Dico ego opera mea regi, id est, hanc cantilenam, hæc opera, et bene debeo huic dicare, quia ipse est « speciosus forma ; » licet hoc posset de exteriori compositione membrorum intelligi, tamen intelligendum est de immunitate peccatorum : speciosus dico « præ filiis hominum, » id est, plus quam filii hominum veterum patrum, quia nullus præter ipsum immunis fuit a peccato, et faciendo aliam commendationem ipsius, convertit se ad ipsum, et propter hoc quia ita speciosus es, « in labiis, » id est in verbis tuis « diffusa est gratia » quia illi qui tuam prædicationem susceperunt, et etiam discipulorum reciperunt gratiam, id est remissionem peccatorum, et alia dona Spiritus sancti. Cum dicit diffusa, notat

illam gratiam diversis sufficienter esse datam, et quia talis es, « propterea benedixit, » id est exaltavit « te Deus » ducendo ad suam confessionem, quæ exaltatio manebit « in æternum. »

Commendato rege per suam speciositatem, commendat eum per suam fortitudinem. Continuatio : Et tu talis rex « accingere, » id est, fortiter utere « gladio, » id est, verbo prædicationis, de quo Apostolus : « Et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI). » De quo et ipsa Veritas : « Non veni pacem mittere, sed gladium (*Luc.* XII). » Iste gladius separat patrem a filio; accingere dico « super femur tuum, » id est super humanitatem tuam : propter hoc per femur accipimus humanitatem, quia in femore est locus generationis. Super femur dicit per simile alicujus fortis viri, accincti gladio super femur. Et, ne per femur acciperemus eum fragilem, dicit : O « potentissime, » accingere ad devincendas aerias potestates.

Postquam præparatus fueris ad prædicandum, « intende, » id est, intentum te præbe, ad acquirendum regnum prædicando : et « procede, » id est, acquisita una civitate, transi ad aliam acquirendam per tuos prædicatores, et ad hoc faciendum habebis prosperos eventus : et hoc est quod dicit « prospere, » et in acquisitis « regna, » et hoc « specie tua » fac, quia immunis es a peccato, decorus virtutibus « et pulchritudine tua, » id est, quia Deus es. Species, lineamentum, pulchritudo, color in vultu est.

Propter speciem et pulchritudinem regnabis et etiam « propter veritatem, » quia per te et per tuos nihil nisi veritatem prædicabis « et mansuetudinem » quia cum opprobria inferuntur tibi, etiam tu nihil respondebis · « et propter justitiam, » id est, propter exsecutionem bonorum operum, et in te, et in tuis : et fiducialiter potes intendere, quia dextera tua, » id est, divinitas tibi unita « deducet te » de populo acquisito, ad alium quærendum « mirabiliter, » id est, quia omnes te mirabuntur, vel quia mirabilia facies. Per dexteram divinitatem in Christo accipimus, quia melior pars est in ipso divinitas.

Et per hoc etiam poteris regnum acquirere, « quia sagittæ tuæ, » id est, sententiæ tuæ, quibus penetras corda audientium, sunt « acutæ, » id est, efficaces; secundum hoc verba Dei dicuntur sagittæ, quia occulte alliciunt homines ad timorem et amorem Dei. Secundum hoc gladius, quod manifesta et quasi cogenti ratione Deo homines adhærere faciunt, et per hoc quod ita instructus es ad pugnandum « populi inimicorum regis, » id est multi de inimicis tuis positi « in corde, » id est in vera ratione « cadent, » id est humiliabuntur « sub te. » Vel aliter « populi cadent, » id est, humiliabuntur « sub te » et ubi cadent « in corde inimicorum regis, » id est, in eodem corde, in quo prius inimicabantur tibi regi.

Iterum commendat eum, quia jam in populo acquisito quasi judex sedet. Continuatio : Populi sub te cadent, et o « Deus, sedes tua, » id est, quies tua, in eis in qua sedes etiam judicas, non ad horam, sed « in sæculum sæculi. » Commendat iterum eum, quia rectam justitiam exercens in regno suo, dico tu sedes et « virga regni tui, » id est, correctio quam exerces super illos, qui sunt regnum tuum, est « virga directionis : » quia si aberrant ipsi, tu reduces ad rectam viam.

Bene dico virgam tuam, virgam esse directionis, quia « tu dilexisti justitiam » et in te, et in omnibus aliis, et adeo dilexisti, quod « etiam odisti iniquitatem, » et ut talis posses esse, « propterea, o Deus, Deus tuus » specialiter, scilicet tibi consubstantialis « unxit te oleo lætitiæ, » id est, Spiritu sancto. Per oleum ideo Spiritum sanctum accipimus, quia sicut oleum nutrit carnem, et usque ad ossa penetrat, sic Spiritus sanctus animam in qua habitat. Hæc unctio fuit in ipsa incarnatione, ubi uterus Virginis per Spiritum sanctum purificatus fuit, de qua unctione maxime lætandum fuit et ipsi Christo et omnibus sanctis, unxit « præ consortibus tuis, » quia neque Apostoli, neque alii spirituales viri tantum habuerunt de Spiritu sancto, quantum et tu. Unde dicitur, Christo datus est Spiritus sanctus non ad mensuram.

Ponit aliam commendationem de Christo, secundum ornamenta. Tu es unctus oleo lætitiæ præ consortibus tuis, et etiam « a vestimentis tuis, » id est, ab humanitate tua, vel ab apostolis tuis, qui ornant et decorant te, sicut vestis ornat dominum : procedit « myrrha, gutta, et casia, » id est, boni odores, bona fama. Singulorum proprietatem exsequimur. Myrrha est unguentum amarissimum quod pellit vermes, et servat corpus et animam a putredine vitiorum. Gutta est herba quæ pellit tumores pulmonis, id est, humilitas, quæ pellit inflationem et omnem motum superbiæ. Casia est herba quæ crescit in aquoso loco in magnam altitudinem, et reddit magnum odorem, id est, fides quæ oritur in aquis baptismi, et multum crescit in justis, et bonam famam dat aliis. Hæc omnia processerunt nobis ex humanitate Christi vel a suis apostolis, qui nobis in seipsis hæc omnia proposuerunt in exemplum : et hæc eadem processerunt nobis « a domibus eburneis, » id est, ab ipsis sanctis apostolis, qui dicuntur domus, quia Deus habitat in eis. Eburnei, quia lucidi per multas sectiones et attritiones ut ebur : vel comparantur ebori, quia frigidi, id est, casti sunt, sicut elephas. Omne ebur adeo frigidæ naturæ est, quod carbo accensus non urit pannum super ebur positum, « ex quibus » odoramentis sunt quæ tibi obtulerunt « filiæ regum » in seipsis : filiæ dicit vel ad litteram, vel filiæ Apostolorum : « et delectaverunt te, » scilicet, in hoc placentes tibi, et hoc « in honore tuo, » id est, non in suis actibus, neque in suis baptismatibus gloriantes, ut dicerentur Petrini vel Paulini, sed nomen tuum respicientes, vocabantur Christiani. Tangit historiam, quia præcipitur in lege ut mortuo fratre sine semine, alter frater illius uxorem ducat, et non sibi vivo, sed illi mortuo, dicatur semen resuscitare (*Matth.* XXII; *Marc.* XII; *Deut.* XXV) : ita mortuo Christo, fratres sui, scilicet, apo-

stoli, acceperunt suam, scilicet, Ecclesiam : et non sibi, sed Christo, Ecclesiæ filios procreaverunt, ut generati dicantur Christiani, non Paulini, vel Petrini.

Hic illum regem per suam sponsam commendat. Continuatio : Rex tam dignus est sicut dixi, et tibi, « regina, » id est, Ecclesia : quæ ideo regina dicitur, quia bene regit filios suos : « astitit, » scilicet, parata servire « a dextris tuis, » id est, in potioribus bonis tuis : quia hæc temporalia non petit, sed cœlestia : astitit dico « in vestitu, » id est, bene vestita et ornata bona operatione : « deaurato, » id est per charitatem ornato : quæ ideo per aurum notatur, quia sicut aurum omnibus metallis est pretiosius, sic charitas omnibus virtutibus : regina dico « circumdata, » id est, plena virtute et « varietate » Gentium vel diversorum ordinum, quia alii sunt clerici, alii conjugati, etc.

« Audi, filia. » Transit ad secundam partem, scilicet ad commendationem sponsæ. Quando quidem sponsus talis est, o tu, « filia, » id est, o Ecclesia, « audi, » id est, intellige ea quæ sunt annuntiata, « et vide » completa : audi dico, et cum humilitate audi : et hoc est « et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, » id est, sectas gentilium vel Judæorum : « et domum patris tui, » id est, conversationem diaboli, scilicet idololatriam in gentilitate, et ritus legales in Judaismo. Proprie vocat propheta Ecclesiam filiam suam, et cæterorum prophetarum, quia super apostolorum et prophetarum fidem fundatur Ecclesia.

Dico obliviscere, et si hoc feceris, « concupiscet rex, » id est, Christus « decorem tuum, » id est, te decoram. Et, ne illa diceret : quæ cura sit unde attendat, subdit : curare debes « quia ipse est Dominus » qui omni genti dominatur : et ipse est « Deus tuus, » id est, Creator tuus, et etiam debes attendere, quoniam « adorabunt eum » omnes perfecti.

« Et » si ipse concupierit decorem tuum « filiæ Tyri, » id est, angustiæ, id est, Gentes quæ angustant nimia multitudine peccatorum, « deprecabuntur vultum tuum, » id est, rogabunt Deum, ut det eis posse pervenire ad tuam conformitatem « in muneribus » dando eleemosynas, faciendo similia alia : et non tantum minores in gentibus, sed « divites plebis. » Gentiles ideo filiæ non filii appellantur, quia molles et proni sunt ad vitia sicut puellæ. Vel sic construe : Ipse est Deus tuus, et alii multi adorabunt eum in muneribus, et etiam filiæ Tyri, et vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Postquam ostendit dignitates ipsius sponsæ, ostendit eam laudabilem secundum interiora, non secundum exteriora. Continuatio : Ipsa sponsa est sic gloriosa, et « omnis gloria ejus, » id est, omnis pulchritudo ejus unde ipsa gloriatur, est « ab intus, » id est, ab interiori, scilicet, in virtutibus animæ, ejus dico, scilicet, « filiæ regis, » id est Christi. Et hic commendat eam per genus. Dico, gloria est ab intus, et etiam gloria ejus est bonorum operum « in fimbriis, » id est, in perseveratione usque in finem « aureis, » id est, charitate plenis, et in hoc est gloria ejus, quod ipsa est « amicta varietatibus, » id est, diversis ordinibus, clericorum, conjungatorum, et cæterorum.

Hic iterum commendat per successionem. Continuatio : Ipsa est amicta varietatibus, et « post eam adducentur virgines, » id est, integri in anima, et in corpore, « regi, » scilicet ad serviendum Deo regi. Dicendo adducentur, notat quod per se ad illam dignitatem nequeunt pervenire, nisi adducantur prædicatione et gratia adjuvante, « et proximæ ejus » reginæ, id est, illi qui licet non sint integri, tamen sunt continentes, ut bonæ viduæ, et alii « tibi afferentur, » o rex. Cum dicit afferentur, notat tantam eorum debilitatem, ut nec adduci valeant, nisi quia vel in humilitate quasi in humeris portentur. Hæc apportatio fit per frequentiam miraculorum, per importunam prædicationem. Unde Apostolus : « Insta opportune, importune (*II Tim.* IV). »

Et illi sic allati non habebunt tristitiam, sed « afferentur in lætitia et exultatione, » quia in præsenti etiam Ecclesia multum lætantur sancti quoque de puritate suæ conscientiæ, et de hac præsenti Ecclesia « adducentur in templum regis, » id est in supernam Hierusalem.

Ponit per quid afferantur et adducantur. Continuatio : Et vere per omnes successiones adducentur et afferentur, quia semper erunt aliqui prædicatores, quia « pro patribus tuis, » id est, loco apostolorum, qui genuerunt mundum in fide, ad honorem tuum « nati sunt filii, » id est, succedunt alii prædicatores « tibi, » id est, ad tuum opus ut tibi serviant : et tu « constitues eos, » id est, stabiles in fide et opere : « principes, » id est, magistros et doctores « super omnem terram, » id est, Ecclesiam super omnes partes terræ diffusam.

Et sic ipsi constituti « erunt memores nominis tui, » id est, famæ tuæ et gloriæ « in omni generatione, » scilicet, in omni terra diffusa. « Et in generatione » succedente. Vel ita : Tu constitues eos principes, et ego ero memor in eis, id est, faciam eos memores nominis tui, etc.

Et propter hujusmodi etiam constitutos patres « propterea populi confitebuntur tibi, » id est, laudabunt te « in æternum, » id est, per totam præsentem vitam « et etiam in sæculum » subsecutivum hujus « sæculi. » Vel sic in persona patris totus psalmus potest legi secundum Augustinum, quamvis dicat Hieronymus magis hoc fieri ex superstitione, quam ex veritate textus. Loquitur Pater et commendat filium secundum divinitatem, cum dicit : « Cor meum, » id est, occulta et secreta mea protulit « verbum bonum, » id est Filium meum, « eructavit : » qui specialiter bonus est, quia nemo « bonus nisi solus Deus (*Matth.* XX), » in quo Filius consubstantialis Patri esse notatur. Per cor ideo divinitatem Patris accipimus et per verbum Filium, quia sicut cor hominis latet, et per verba hominis manifesta-

tur : sic divina essentia latebat mundo, cum per Filium manifestata est in creatione cœli, et maxime cum ipsa divinitas humanitati unita sit : cor eructavit verbum, et huic « regi » qui et Deus et rex est « dico ego opera mea, » id est, dispono cum eo omnia, sine quo nihil facio : et per hoc Filius omnipotens cum Deo Patre notatur. Unde dicitur : « Cum eo disponens omnia (*Prov.* VIII). »

Non tantum cum hoc rege dispono, sed etiam omnia facio per eum : et hoc est : « lingua mea, » id est, Filius ipse, qui dicitur lingua, sicut et verbum, et divinam essentiam manifestat, est « calamus scribæ, » id est, mei : quia sicut calamus sine scriba, nec scriba sine calamo nihil operatur, sic nos cooperamur « velociter scribentis, » quia dixit et facta sunt.

Hic incipit de commendatione filii secundum humanitatem, faciendo apostrophen ad ipsum filium. Continuatio : Talis es secundum deitatem : secundum humanitatem vero es « speciosus forma » ut supra, et cætera non mutantur.

Et proprie secundum hoc dicit Deus ad Ecclesiam : « Audi, filia, » quia Ecclesia vere a solo Deo est generata, et ejus merito filia nominatur. Item bene dicit Deus Pater : « Memor ero nominis tui, » id est, memores eos faciam, o rex, nominis tui, id est, laudis tuæ.

IN PSALMUM XLV.

TITULUS. *In finem psalmus David filiis Chore pro arcanis.*

« Deus noster refugium. » Psalmus iste attribuitur David prophetæ vel alicui fideli de Juda, ut sit certius testimonium propositus filiis Chore, id est, signo crucis insignitis : dirigens eos in finem, factus pro arcanis manifestandis, quia in hoc psalmo manifestatur adventus Christi, qui multis occultus erat, et conversio Apostolorum a Judæis ad ipsum, et salvatio Judæorum in novissimis temporibus, et pax in tempore nativitatis ejus inter Deum et hominem. Materia est adventus Christi, de quo cætera arcana, quæ dicta sunt, processerunt. Modus : In prima parte psalmi suos admonet, ut confidentes in adventu ejus, commotiones mundi non timeant, quæ propter ipsum Christi adventum evenient. In secunda parte ostendit manifeste ipsum adventum, et commoda quæ in ipso adventu provenient. In tertia parte admonet omnes, ut attendant opera istius Domini. Intentio est, ut omnes spem suæ liberationis constituant in adventu Domini, quæ intentio in prima parte psalmi notatur, non timebimus dum turbabitur terra.

Vox est prophetæ, vel fidelis animæ sic invitantis : Alii homines regnant ad potentias, vel divitias, vel ad quælibet mundana, sed « Deus noster factus » per humanitatem assumptam, est nostrum « refugium » in hoc quod nos protegit a malis, ne nos diabolicæ tentationes convincant, « et virtus, » id est, tolerantiam et constantiam ministrans et invincibiles faciens, et quasi Deus nos deserit post datam constantiam, statim defecerimus, addit : « adjutor in tribulationibus, » id est, ut non solum non vincamur, sed etiam alios possimus vincere : « quæ » tribulationes « invenerunt nos » quasi expositos sine omni adjutorio, sicut pupillos « nimis, » id est, tam graves, quod etiam usque ad sanguinis effusionem venirent.

« Propterea » quia Deus nostrum refugium, virtus, adjutor est, « non timebimus » cum tamen esset timendum « dum, » id est, quia « turbabitur terra, » id est, Judæa, quæ ideo dicitur terra, quia per legem et prophetas erat et solidata, et culta « et tunc montes, » id est, apostoli « tranferentur » in mare, id est, Gentes, et non tantum ad Gentes per solam habitationem, sed etiam « in cor maris » quia ponent fidem in cor gentium. Per mare Gentes accipimus, quia semper in fluctibus, et in appetitu terrenorum sunt, scilicet volvuntur, et avari in vitiis sunt. Vel quod profundiores in gentilitate, quia etiam aliqui de nequioribus sunt conversi.

« Sonuerunt » dixi, non timebimus, dum transferentur montes, et quia de hoc timendum non videretur, ostendit quod timendum esset. Continuatio : Dico montes transferentur, et tunc « sonuerunt, » id est, sonabunt ipsi apostoli in prædicatione, « et aquæ eorum, » id est, maris, quia ad significationem respicit, cum dicit eorum « turbatæ sunt » contra Apostolos. Per aquas doctrinas vel populos intelligit. Vel ita translatis apostolis ad Gentes « aquæ eorum, » id est, diversi populi gentilium » sonuerunt, » id est, reclamaverunt contra apostolos, et propter hoc « montes, » id est sancti apostoli « conturbati sunt in fortitudine ejus, » maris, id est, gentilitatis per gravia tormenta, quæ inferebant eis Gentes. Vel montes accipiuntur majores in gentili populo, qui sunt turbati in fortitudine ejus Dei, id est, indignantur quando audiunt miracula Dei, vel contra seipsos propria turpitudine, vel contra Apostolos ejus in crudelitate.

Hic incipit secunda pars « Fluminis. » Hic est diapsalma. Continuatio : « Montes turbabuntur in fortitudine, » sed contra hanc conturbationem « fluminis impetus, » id est, impetuosum flumen, scilicet Spiritus sanctus : qui ideo flumen dicitur, quia concupiscentias et ardores exstinguit carnis. Impetuosum quia nemo potest ei resistere : ille talis impetus « lætificat civitatem Dei, » id est, Ecclesiam, quæ ideo civitas dicitur, quia sicut in civitate quilibet advena recipitur, sic in Ecclesia. Item sicut civitas munita est turribus, sic Ecclesia apostolis et virtutibus lætificatur, quia confirmat eos Deus gratia Spiritus sancti, contra tribulationes quæ inferebantur eis, dico lætificat, et etiam « Altissimus, » id est, ipse Deus « sanctificavit » dando virtutum incrementa « tabernaculum suum, » id est, præsentem Ecclesiam : quæ ideo tabernaculum dicitur, quia in præsenti vita Domino militatur.

« Deus in medio » ostensis quibusdam commodis quæ per ipsum adventum provenient, cum manifeste annuntiat. Continuatio : Dico Deus sanctificat, læ-

tificat, et ecce per quid hoc facit, quia « Deus » homo factus est « in medio ejus » tabernaculi, cum in medio non quantum ad locum, sed « in medio, » id est, in communi, quia omnibus æqualiter propositus est. Vel in medio, quia columna est, quæ sustentat omnes partes Ecclesiæ : et ideo ipsum tabernaculum « non commovebitur » a bono ad malum : et non tantum sustentat ne corruat, sed etiam « adjuvabit eam » civitatem « Deus » ad bene operandum, et etiam ut alios superent : et hoc faciet « mane, » id est, in principio conversionis : et hoc faciet « diluculo, » id est, per diluculum, scilicet, ministrando illuminationem Spiritus sancti. Vel ita : « adjuvabit mane » nec tantum dico « in mane, » id est, postquam aliquantum lux increverit, sed « diluculo, » id est, in ipso primordio conversionis. Habet alia translatio : « adjuvabit eam Deus vultu suo, » id est, Filio incarnato, qui ideo vultus Dei dicitur, quia et ei est consubstantialis, et ipsius plena repræsentatio.

« Conturbatæ, » non tantum ecclesia firma est, quod Deus in medio ejus est, sed propter hoc idem « Gentes » turbatæ « sunt » cum hæc nova audirent prædicare : et etiam principes, scilicet, « regna » vel quælibet regiones « sunt inclinata, » id est humiliata, quod jam placet eis prædicatio, et jam fidem vellent suscipere : ideo sunt inclinata, quia « dedit vocem suam, » ideo « mota est terra, » id est terreni ad conversionem. Dico dedit vocem, et quis dedit?

« Dominus virtutum, » id est, angelorum ens nobiscum, nostram habens humanitatem, et per hoc « susceptor noster, » quia de vilitate hujus vitæ et his miseriis, duxit nos ad Ecclesiæ suæ dignitatem, in quo apparet quod ipse « Deus » est « Jacob, » quia in nobis complevit quod in Jacob figuravit : quia sicut ille præsentia dans dignitatem emit et supplantavit benedictionem fratri, sic Ecclesia Gentium supplantavit promissam priori populo, et præsentia dans, cœlestia comparat, scilicet, per eleemosynas et cætera bona.

« Venite. » Hic incipit de tertia parte, et quia est nobiscum susceptor noster, ideo vos, Gentes, « venite » ad hunc Dominum suscipiendo fidem, et deinde « videte, » id est, intelligite « opera Domini, » sicut ipse ait : Nisi credideritis, non intelligetis, opera dico « quæ Dominus posuit prodigia, » id est, in signum. Prodigia enim dicuntur, in quibus aliud significatur, quam videatur : « super terram, » id est, in mundo, hæc scilicet prodigia, quia ipse Dominus « auferens bella usque ad fines terræ » ad litteram, quia, eo nascente, pax per totum mundum maxima fuit, non tantum quod hoc de illa bella pace dicatur, sed de significata pace quam posuit Christus inter Deum et hominem, destruens inimicum, qui erat hominibus erectus, id est, idololatriam, et cultum veteris legis, per quem discordabant Judæi et Gentes, et fecit utraque unum, et illa pax Dei non fuit in una sola terra, sed usque ad fines terræ.

Per hoc auferet bella, quia « conteret arcum, » id est, dolosas impugnationes contra fidem, scilicet, deceptiones minarum et blandimentorum : « et confringet arma, » id est, manifestas impugnationes, « et scuta, » id est, rationes quibus defendunt suas hæreses « comburet igni, » id est, ardore Spiritus sancti, scilicet, illos accendet igne charitatis, qui prius dolose et aperte impugnabant veritatem, et suas defendebant sectas.

Comburet dico, ita dicens : « Vacate, » id est, evacuate vos a malis operibus, « et deinde videte, » id est, intelligite per puritatem vitæ et aperta miracula, « quoniam ego » habitans inter vos, et ego talis « exaltabor in Gentibus » quia ad finem conversi, exaltabunt me, « et exaltabor in terra, » id est, Judæis. Hic prophetat conversionem Judæorum in novissimis temporibus, de quibus dictum est : « Et reliquiæ Israel salvæ fient (*Rom.* IX). » Confringet, et comburet, et bene hoc poterit, quia ipse est « Dominus virtutum, » ut supra. Et ens nobiscum « susceptor noster Deus Jacob. » Superius posuit istum versum ad emendationem prædicationis, nunc repetit ut ostendat illum talem qui facere possit. Vel ideo repetit, quia in hoc versu totius psalmi summa continetur, et talis versus est intercalaris, id est, repetitus.

IN PSALMUM XLVI.

TITULUS. *In finem pro filiis Chore psalmus David.*

« Omnes Gentes. » Psalmus iste convenit David prophetæ, qui hic loquitur in persona apostolorum, psalmus dico propositus filiis Chore directis in finem per hoc. Materia est Christus ascendens. Modus : In prima parte ostendit, quod Deus apostolis suis suam hæreditatem commendavit. In secunda parte ipsam Christi ascensionem ponit. Intendit nos certos reddere de ascensione, quia cum tantam ostendit hominis dignitatem, quod hi obtinent officium, quod Christus prius habuit, securi possunt esse, quod et ipsi post eum ascendent, et sic incipit.

Attendens aliquis apostolorum dignitatem quam habebat homo, admonet illos exsultare sic dicens : O vos, « omnes Gentes, plaudite manibus, » id est, bene operamini exsultatione, et « jubilate Deo, » id est, tantum laudem Dei mente concipite, quæ non possit exprimi voce, et ita quod jubilus ille sit « in voce exsultationis, » id est, non solum laudate Deum corde, sed etiam exsultanti voce cum aliis annuntiate.

Quoniam Dominus. Et bene debetis eum laudare, « quoniam ipse Dominus, » id est, quia dominabitur omni creaturæ, « excelsus » quia potens et efficax suæ voluntatis. Et, ne in ejus bonitate confidatis, si mala feceritis, quia ipse est « terribilis, » futurus enim judex puniet impios, « rex » quia bene regit suos, « magnus » quia de gravissimis periculis eripit suos, « super omnem terram » quia nulla pars terræ est ubi non dominetur.

Et propter hoc maxime laudandus est rex iste, quia « subjecit ipse populos, » id est, Judæos « no-

bis » faciens eos nostræ prædicationi obedientes, « et Gentes, » id est, gentiles conversos ad fidem « sub pedibus nostris, » id est, plenarie subjecit. Vel sub pedibus, id est, sub nobis, qui sumus pedes, id est, viatores, et per mundum Evangelium Dei portantes.

Et illos quos subdit « elegit, » id est, non ex merito eorum, sed per solam gratiam suam a massa peccatorum solvit, ipsos dico « hæreditatem suam » quorum in se fructibus ditaretur, elegit dico « nobis, » id est, ad nostrum opus, ut nos substitui loco ipsius, in hæreditatem dico « speciem Jacob, » id est, similem Jacob luctantem, scilicet, cum vitiis. Vel « speciem Jacob, » id est, significatam per Jacob, quod est magnum, quia ipse est « quem dilexit, » vel speciem quam dilexit.

Hic incipit secunda pars : *Elegit* nos, et quare nobis? Quia ipse « Deus ascendit in jubilo » apostolorum videntium exsultatione, quæ verbis non poterat exprimi. Et ideo quia in cœlo ascendit, nos vicarios suæ hæreditatis instituit, « et ipse Dominus » ascendit « in voce tubæ, » id est, manifesta voce et exsultatione angelorum. Hæc est vox angelorum : « Viri Galilæi, quod in cœlum aspicitis? (*Act.* I.) »

Et quia talis est, ad honorem Dei nostri « psallite » mente. Vel quia res valde digna erat quam admonebat, non sufficit semel dicere, et non tantum psallite ei, quia Deus est, sed etiam psallite, quia est noster, « Deus » scilicet omnium fidelium. Vel « rex omnis terræ, » id est, expellens omnem terrenitatem, et regens suos per virtutem, et ideo « psallite sapienter, » id est, non pro aliquibus terrenis, sed pro ipso habendo, et cum magna discretione discernendo, quid, quando, quare, qualiter.

Et ipse idem « regnabit » tandem quando scilicet, corpus ejus completum erit « super Gentes, sed etiam ipse Deus, » non dico super malos, sed « super sedem sanctam, » id est, super angelos et archangelos : et animas sanctorum in quibus Deus jam sedet sine omni iniquitate, et judicat.

Et ad ipsum « congregati sunt, » id est, congregabuntur « principes populorum » ad litteram : vel illi principes, qui seipsos bene regunt in virtutibus, et alios ad bene agendum admonent populos, congregabuntur dico « cum Deo Abraham, » id est, quia tunc apparebit Abraham, quando complebit quod promisit Deus Abrahæ, dicens : « In semine tuo benedicentur omnes Gentes (*Gen.* XXII ; *Galat.* V), » et ibi psalmi notatur intentio, et per hoc congregabuntur, « quoniam dii, » id est, Apostoli et prædicatores « fortes » in adversis tolerandis sunt « elevati, » id est, digni habiti « vehementer » in miraculis et virtutibus, et prædicatione, et propter hoc multi congregabuntur cum Deo Abraham.

IN PSALMUM XLVII.

TITULUS. *Psalmus cantici filiis Chore secunda sabbati.*

« Magnus Dominus. » Psalmus iste præponitur filiis Chore ad intelligendum, qui dicitur cantici, A quia de re agit unde nobis maxime est lætandum, quia nobis exponit magnam dignitatem Ecclesiæ, id est, dilatationem Ecclesiæ per totum mundum, psalmus dico habitus in secunda sabbati, id est, de re significata per rem factam in secunda sabbati, id est, de fundatione Ecclesiæ, quæ significatur per fundationem terræ, quæ facta fuit secunda die. Prima enim die secreta est lux a tenebris, in quo significatur resurrectio Christi, qua lux immortalitatis a morte discreta est. In secunda die fundatum est firmamentum, in quo significatur sequens tempus post resurrectionem, quo fundata est sancta Ecclesie. Vox prophetæ, vel si habeatur in titulo, filiorum Chore, dicemus : Hic Psalmus est filiorum Chore, id est, in ecclesia perfectorum, qui in hoc psalmo B loquuntur. Materia est ipsa Ecclesia dilatanda. Modus : In prima parte multis modis commendat Ecclesiam per fundatorem, per hoc etiam quod quidam volentes eam destruere, recognoscentes ejus dignitatem, conversi sunt ad eam; deinde commendat eam per quoddam insigne donum ipsius, scilicet quod misericordia Dei habitat in ea. In secunda parte invitat eos qui muti sunt, ut amplificent eam : et eos qui extra sunt, ut accedant ad eam, et hæc est intentio, scilicet hortari, ut omnes amplificent istam civitatem.

Propheta sic invitat alios. Ampliate istam civitatem, quia « Dominus » istius civitatis est « magnus, » secundum potentiam qua omnia facit, « laudabilis, » C secundum hoc quod omnia composite et ingeniose facit « nimis, » id est, plus quam mens humana possit excogitare, vel lingua explicare : et hoc quod magnus et laudabilis sit, maxime perpenditur « in civitate Dei nostri, » id est, in constructione Ecclesiæ, quæ est munita virtutibus, ampla charitate, collecta per fidem ad jure vivendum, non civitas Babyloniorum et confusiorum hæreticorum, sed « Dei nostri. » Hic commendat civitatem per artificem et possessorem Deum, civitate dico posita « in monte sancto ejus, » id est in Christo Filio ejus, Dei Patris, vel in monte virtutum, vel constantiæ.

Hæc civitas est possessa a tali Domino, et de hujusmodi lapidibus constructa, scilicet, de Judæis et Gentibus, et hæc « fundantur » scilicet firmiter ædificata est « exsultatione universæ terræ, » id est, de D habitatoribus totius mundi, exsultantibus de remissione peccatorum, per partes terræ exsequitur, quia « mons Sion, » id est, Judæi, quorum caput regni in Sion erat, et « latera aquilonis, id est, Gentes prius diabolum frigidissimum velut familiares stipantes, sunt « civitas regis magni » qui omnia regit pro sua voluntate. Diabolus aquiloni comparatur, quia a fervore dilectionis Dei frigidus remansit, quando cogitavit : « Ponam sedem meam ad aquilonem, » et divinæ me voluntati præpono, « et ero similis Altissimo » (*Esa.* XIV), id est, regnabo : in frigiditate meæ nequitiæ, sicut ipse in veritate.

Deus in domibus eius cognoscetur, alia commendatio. Civitas sic fundatur, et « in domibus ejus »

civitatis, id est, in singulis fidelibus, qui dicuntur domus, quia in eis inhabitat Dominus, « cognoscetur Deus, » quia ipsi plenam cognitionem de Deo habent, et hoc erit, cum « suscipiet eam » in dignitatem.

« Quoniam ecce, » Vere Dominus cognoscetur ab ea, et suscipiet eam « quoniam ecce, » id est, in evidenti « reges terræ congregati sunt, » id est, potentes hujus mundi, non tantum in uno' loco, sed « et convenerunt in unum » consilium nocendi civitati.

Ipsi videntes congregati sunt, ut destruerent, sed potius augmentaverunt, et hoc dicit, « ipsi videntes, » id est, intelligentes « sic » esse dignam, ut prædictum est, « admirati sunt » perculsi luce tantæ dignitatis, et « conturbati sunt » pro peccatis, et « commoti sunt » ad fidem, et ad bona opera et « tremor » corporalis, pro timore futuræ pœnæ « apprehendit eos, » vel ipsi videntes sic, id est, statim admirati sunt, et affirmat hæc alia translatio, quæ habet : tunc.

Ibi, id est, in ipso tremore sunt « dolores, » id est, angustiæ mentis « ut parturientis, » id est, gravissimæ. Et habentis lætum exitum, sicut enim mulier licet gravetur parturiendo, tamen, postquam natus homo in mundo, lætatur, et obliviscitur illius præssuræ præ gaudio (*Joan.* XVI), sic pœnitentes licet antea premerentur, tamen, postquam ad bona opera adveniunt, obliviscuntur prioris pressuræ. Ideo quidem sunt commoti et conturbati, quia « in spiritu vehementi, » id est per Spiritum sanctum « conteres » o Deus « naves Tharsis, » id est, exploratores gaudii sui, quod est tantum in terrenis. Tharsis enim gaudii exploratio interpretatur, propter divitias quas ubique terrarum exquirebant. Tharsis, secundum Hieronymum, est eadem quæ est Carthago. Naves dicit a similitudine. Sicut enim naves hac et illac tempestatibus circumferuntur, sic amatores mundi diversis anxietatibus raptantur, quam voluntatem destruit in eis Spiritus sanctus, quasi violentus, tamen nullis eorum præcedentibus meritis. Habent aliqui libri : naves Tharsi, et Tharsis est civitas Ciliciæ, unde fuit Paulus, cujus naves fregit Herodes, quia per eas transierunt Magi, qui, adorato Domino, fugierunt, de qua tamen historia hoc non legitur, sed de sola allegoria.

« Sicut. » Quando quidem hæc omnia facta sunt in ecclesia, ergo impleta est prophetia facta de ea. « Sicut audivimus » prædictum a prophetis, « sic vidimus » esse completum « in civitate Domini virtutum, » id est, qui dominatur super cœlestes virtutes, et istas virtutes, scilicet apostolos ipsos, mittit ad custodiam suæ civitatis : « in civitate » dico « Dei nostri, » id est, qui secundo nos recreat. Et quid audivimus et vidimus ? Hoc scilicet « Deus fundavit eam in æternum, » id est, firmiter stabilivit eam per suam prædicationem, et angelicam custodiam, ducendo eam in suam æternitatem.

« Suscepimus, Deus. » Ponit commendationem Ecclesiæ, per illud insigne donum Filii Dei. Dico quod Deus fundavit Ecclesiam, per hoc scilicet, quia, o « Deus, nos suscepimus misericordiam tuam, » id est, Filium tuum : quem vocat misericordiam, quia nisi per eum, nullam habemus misericordiam « in medio templi tui, » id est, æqualiter propositus est omnibus, qui ad eum volunt accedere. Susceperunt eum quidam corporaliter in templo, scilicet Simeon et Anna, alii susceperunt spiritaliter.

« Secundum. » Et quia suscepimus illam misericordiam, ideo « secundum nomen tuum, » id est, secundum hoc quod nomen tuum diffusum erat ubique terrarum, quia dicebaris omnicreator per omnem terram, licet ipsi alios deos simularent, « sic et laus tua » diffusa est « in fines terræ ». Et determinat a quibus laudetur, scilicet a justis, et illis multis, et hoc est : « justitia plena est dextera tua, » id est, propitiatio tua plena, quia multos justificat, et omnes laudant te.

Incipit de secunda parte, et quia justitia plena est dextera, ideo « lætetur mons Sion, » id est, fideles Judæi, qui primos radios orientis solis acceperunt, « et exsultent filiæ Judæ, » id est, Gentiles a Juda, id est ab apostolis in fide generatæ. Filiæ dicuntur non filii, propter majorem cultum et diligentiam, quæ adhibetur eis : « propter judicia tua, Domine » scilicet, quia justo judicio excæcas, et Gentes assumis, vel quosdam reprobas.

« Circumdate, » id est, honorate « Sion, » id est, Ecclesiam : « et complectimini eam » brachiis charitatis, servando virtutes et mores, quibus acceptis « narrate, » id est, prædicate aliis nomen Domini, existentes « in turribus ejus » civitatis, id est, Apostolorum imitatione, scilicet, quod in nullo discordet vestra prædicatio a doctrina Apostolorum.

Ponite corda, non tantum prædicate, sed etiam « ponite corda vestra in virtute ejus, » id est, firmitati eorum vos conformate, « et distribuite domus ejus, » id est, in ea statuite diversos gradus, scilicet, archidiaconatum, presbyterium, et omnes conjugatos. Vel « distribuite domus ejus, » scilicet, unicuique prælato dando suam parochiam, et hoc ideo « ut enarretis in progenie altera, » id est, ut de progenie in progeniem descendendo, faciatis eam permanere in finem sæculi.

« Quoniam. » Hoc scilicet enarretis, « quoniam hic est Deus » qui hæc facit Ecclesiæ, quæ dicta sunt, et ipse est « Deus noster », Deus dico duraturus « in æternum, » id est, usque in finem mundi « et in sæculum sæculi, id est, consecutivum hujus sæculi, et « ipse » talis « reget nos » ducendo in « æterna sæcula. »

IN PSALMUM XLVIII.

TITULUS. *In finem filiis Chore psalmus David.*

« Audite hæc omnes gentes. » Iste psalmus convenit David prophetæ, qui hic loquitur, propositus filiis Chore ad intelligendum. Materia enim Christus, redemptor non malorum sed justorum. Modus : In primo ponit prologum, ad commendationem rei

quam dicturus est. In secundo ponit Christum Redemptorem non malorum et sæculi amatorum, sed justorum, et in eadem parte reprehendens stultitiam eorum, notat vanitates, quibus amatores sæculi istius sunt intenti. In tertia parte monet pauperes justos, ne curent istos divites, quia cito peribunt eorum divitiæ. Intentio est, invitare ad contemptum mundi.

Quia vero rem inconsuetam dicturus erat, omnes invitat ad audiendum, dicens : « Audite hæc, omnes « gentes: » et hic statim captat attentionem, et bene monet ad audiendum, quia rem magnam dicturus erat. Bene omnes invitat, quia omnibus, si attendant, proderit quod dicturus est, omnes vocat gentiles, et non tantum audite per exteriorem aurem, sed etiam « auribus » interioribus « percipite, » id est, diligenter intelligite, et vos « omnes qui « habitatis orbem, « id est, Judæi, qui terram promissionis habitatis, audite hæc, auribusque percipite.

Et quia aliquis posset dicere : Illis qui sunt profundissimi iniqui, non prodest audire, dicit : vos etiam « quique terrigenæ, » id est, omnes quicunque terreni, quasi filii terræ, audite hæc : quia si vultis attendere, proderit vobis, et quia possent boni dicere; mali quidem audiant quibus opus est, nobis autem jam opus non est, quia boni sumus, monet etiam eos ut audiant, quia nullus est tam bonus, qui non possit meliorari, dicens : « et filii hominum, » id est, rationabilium hominum imitatores, audite hæc. Et quid singulos exsequar? Audiant hæc « dives et pauper » tendentes « in unum, » id est, in eamdem voluntatem audiendi. Istas duas conditiones divitis et pauperis potius elegit, quia secundum eas aget in psalmo.

« Os meum. » Hic facit dociles, proponendo quæ dicturus est. Continuatio : Ideo debetis audire, « quia « os meum loquetur sapientiam et prudentiam, » et hic magna proponit, quia nihil aliud tractat divinitas, quam sapientiam et prudentiam. Sapientia est cognitio divinorum, prudentia est instructio morum, et Propheta hic annuntiat sapientiam, ubi Christum Filium Dei Redemptorem annuntiat. Mores informat, cum docet hæc mundana non esse attendenda, et divitum divitias negligendas, et ne diceret aliquis : Hæc tua non sunt audienda, quia sine meditatione proponis, ostendit se ex consideratione loqui, cum dicit « et meditatio cordis mei, » id est, sive loquar sapientiam sive prudentiam, studiosa mentis applicatione hæc facio.

« Inclinabo, » scilicet, et cum loquar ex meditatione, non erit ex me, sed habeo magistrum Spiritum sanctum, de quo dicit « aurem meam, » id est, intellectum cordis mei inclinabo, id est, humiliabo, ut cum humilitate audiam cuidam magistro meo, scilicet Spiritui sancto, loquenti mihi « in parabolam, » et sicut Propheta in parabola audit, sic in parabola loquar. Parabola est, ubi aliud dicitur, et aliud intelligitur, ideo sic loquitur, quia non fuit conveniens ut divina Scriptura pateret omnibus, ne a veritatis æmulis conculcaretur, et « aperiam propositionem meam, » id est, quem ante omnia propono mihi esse sequendum, vel quem propono esse manifestandum in hoc psalmo : et hoc faciam « in psalterio » non solum verbo, sed etiam exemplo bono, ut quod doceam ore, compleam opere.

Hic incipit secunda pars atque narratio, et loquitur Propheta in persona malorum, dicens : Timebo quidem « in die malo, » id est, in judicio : et « cur timebo? » Dicet aliquis : Furtum feci, vel homicidium, non utique propterea timebo, sed ideo, quia « iniquitas calcanei mei, » finalis iniquitas, « circumdabit me, » id est, ex omni parte ostendet me esse damnabilem. Nulla iniquitas damnat, quæ ante finem dimittitur et purgatur, secundum hoc loquitur quod Dominus dicit mulieri per serpentem deceptæ : « Serpens insidiabitur calcaneo mulieris, et conculcabit mulier caput serpentis (*Gen.* III), » id est, diabolus insidiabitur fini hominis ut in fine decipiat, cujus diaboli caput, id est, insidias, homo conculcat, si cavet a vitiis.

Proposuit iniquitatem, et illam per partes exsequitur, ostendens omnes iniquitates esse hominis, vel exteriores, vel interiores. Si enim homo facit homicidium, vel ut obtineat bona, vel ut ostendat fortitudinem suam. Quasi aliquis diceret : Tu dicis nos timere, sed quare timeremus? cum vitalem proponas Redemptorem nulli timendum esse quorum præsumptionem frangit Propheta, sic dicens : Vere si iniquitas calcanei circumdat timendum est, quia « frater, » id est, Christus, nostram habens naturam « non redimit » illos, scilicet « qui confidunt in virtute sua, » id est, de fortitudine sua atque potentia Deo gratias non agunt, sed in ipsis confidunt « et » illos qui « gloriantur in multitudine divitiarum suarum » si quidem in hoc perseverant, et cum Christus tales non redimat « redimet » eos aliquis « homo? » Non utique, et vere non redimet, quia « non dabit Deo placationem suam, » id est, non poterit Deum placatum reddere malis per aliquam orationem, vel oblationem, Christus autem reddit Deum placatum suis amicis, nostram humanitatem ei præsentans.

« Et » non dabit Deo aliquis homo « pretium redemptionis animæ suæ, » id est, nullo pretio poterit eam redimere, quia solum corpus Christi idoneum inventum est, per quod redemptio fieret, et quia non redimit Christus tales, nec homo potest redimere, ideo non tantum est illis timendum, sed « etiam laborabit » ille non redemptus « in æternum; » et sicut Propheta præsumptionem malorum superius fregit, sic errorem eorum hic destruit, qui mortuorum resurrectionem non credunt, et bene dico laborabit in æternum, quia « in finem, » id est, in mortem temporalem « adhuc vivet » ipse.

Et ideo etiam laborabit, quia in hac « non videbit interitum, » id est, damnationem « cum, » id

est, quia « viderit » in hac vita « sapientes, » id est, justos viros morte temporali « morientes. » Vel sapientes, » id est, mundanos philosophos : non videbit interitum dico, sed « peribunt simul insi- « piens et stultus. » Insipiens est, qui non credit futuram pœnam : stultus, qui, licet credat, tamen non cavet.

Et ostendit vanitates, quibus isti in mundum sunt dediti, in quibus eorum notat stultitiam. Continuatio : Peribunt « et etiam relinquent alienis suas divitias, » id est, extraneis, vel etiam filiis, tamen alienis, quia perdito homini nihil plus valent divitiæ, tam filio quam extraneo : « et sepulcra illorum, » id est, pyramides et mausolea, quæ quasi magnas ædificant domos, quasi sepulcra debeant esse « domus illorum in æternum » et in hoc magnam stultitiam eorum notat, qui per hæc sepulcra sibi memoriam æternam putabant acquirere.

« Tabernacula, » id est, magnæ domus « eorum » manent « in progenie, et » inde in alia « progenie » et in hoc etiam stulti apparent, qui tanta palatia ædificabunt, et etiam homines « vocaverunt nomina sua in terris suis, » scilicet, circa sepulcra illorum. Tangit consuetudinem gentilium, qui morientes, aliquos conducebant, ut invocarent nomina sua circa sepulturam suam in diebus constitutis, et cum alios facerent ita invocare nomen suum, ipsi idem dicuntur in hoc invocare nomina sua. In quo ipse Propheta magnam eorum notat stultitiam, quia per hoc ipsi cum se memoriam æternam habere putarent, tamen in solis terris eorum hoc fiebat. Totus autem versus sub constructione una sic legitur : tabernacula eorum duratura, in progenie et progenie vocaverunt nomina sua, id est, prænomina sua, ut dicatur palatium Tiberii, turris Crescentii, et hoc faciebant, ut memoria eorum haberetur, quæ tamen non erat, nisi in terris suis.

Hæc omnia vana ita sequuntur, et tamen Deus non est accusandus, qui constituit eos in ratione, sed ipsi noluerunt intelligere : et hoc est, « homo cum esset in honore, » id est in ratione, in qua erat Deo similis, » non intellexit, » id est non intelligenter egit, et ideo a sapientibus est « comparatus insipientibus jumentis, » scilicet, in nulla alia, nisi in insipientia : et merito comparatur, quia « similis factus est illis. »

« Hæc » mala, et alia quæ sunt « via illorum » sunt « scandalum ipsis, » id est, offensio, quæ ducit eos ad interitum « et postea », id est, cum hæc mala « complacebunt, » id est, sibi ipsis placebunt « in ore suo, » quia quod ore dicunt, opere comprobant. Alia translatio habet, in ore suo benedicent : quod legitur sic : cum hæc mala faciant, tamen postea benedicunt Deum, laudantes cum de prosperis suis successibus in ore suo non Dei, quia Deus laudem peccatoris non recipit.

Hi tales « in inferno positi sunt. » Bene dicit Propheta positos in inferno, quia eos jam in divina Providentia ponendos fore cognoverat « sicut oves, » id est, similes ovibus : quia sicut oves sæpe tondentur, et iterum, et substantia remanet, sic illi semper affligentur suppliciis, et tamen substantia non peribit, « mors depascet eos etiam, » id est, diabolus depascet, per similitudinem dicit. Sicut enim pratum depascitur, et tamen radices remanent, sic illi. Dicitur etiam pascere in alia significatione, sicut pastor dicit, pasco gregem. Similiter mors, id est, diabolus depascet eos, id est, deducet eos de pœna in pœnam.

« Et in matutino, » id est in judicio, ubi justus lux apparebit, « justi » qui in hac vita sunt depressi ab illis « dominabuntur eorum » qui erunt judices eorum, « et auxilium eorum, » quod habent in hac vita « a gloria eorum, » scilicet a potentia et divitiis « veterascet, » comparabile erit veteri vestimento, quod nullam habet utilitatem « in inferno. »

Ipsi dominabuntur, « verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, » id est, de potestate diaboli : et hoc « cum acceperit me, » id est, meam humanitatem.

De tertia parte incipit. Continuatio : Injusti sic damnabuntur, et justorum animas redimes, o Deus, et ideo homo « ne timueris cum dives factus fuerit homo, » et non tantum in se dives fuerit homo, sed « cum multiplicata fuerit gloria domus, » id est, cum unusquisque de domo ejus multiplicatus fuerit in gloria, scilicet divitiarum.

Ideo ne timueris « quoniam » ipse « cum interierit, non sumet omnia, » omnia negat, et nihil secum portat de divitiis suis, neque de gloria : et hoc est : « neque descendet cum eo gloria domus ejus, » quia cum venerit ad infernum, non majoris erit quolibet paupere.

Ideo non descendet cum eo gloria domus ejus, « quia in » hac « vita » tantum « anima ejus benedicetur » ab adulatoribus, et hoc tantum in vita ipsius, ut cum dicent adolescentes ei, si fecit homicidium, vel aliquid tale, ha! quam bene factum, et ideo etiam peribit, quia tunc tantum « confitebitur tibi, » id est, laudabit te « cum benefeceris ei, » id est, cum dabis ei prosperos eventus.

Hic ostendit consummationem nequitiæ ipsius. Continuatio : Quid per singula currerem? Ipse introibit usque in progenies patrum suorum, » id est, similis erit omnibus patribus suis in nequitia, etiam usque ad ipsum Cain ascendet per nequitiam, et ideo « non videbit lumen, » id est, in hac vita non veram cognitionem, neque in alia veram illuminationem, et hoc est « usque in æternum. »

Ideo non videbit, quia « cum homo esset in honore » ut supra.

IN PSALMUM XLIX.

TITULUS. *Psalmus Asaph.*

« Deus deorum. » Asaph, fuit unus ex præcentoribus quos habuit David secum ad amplificandum

cultum Dei, et ad ejus memoriam hunc psal- A mum ex ejus nomine intitulavit ideo maxime, quia interpretatio nominis proprietati psalmi convenit. Asaph namque congregatio interpretatur, et in hoc psalmo congregatio, id est synagoga fidelium, loquitur. Materia est Novum Testamentum et per oppositum Vetus. Modus : In prima parte primum et secundum Christi adventum ponit, ut confirmet hoc quod Christus in propria persona postea loquitur. Per secundum adventum deterret malos, ubi ostendit damnandos impios, et remunerandos bonos. In secunda parte inducit Christum loquentem in primo adventu suis amicis, et docentem eos jam nihil valere legalia instituta, sed sacrificium laudis solummodo. In tertia parte loquitur inimicis increpans eos, et docens B quid sit faciendum. Intentio est hortari Judæos, ut post Christi adventum nullo modo in legalibus institutis confidant, et ut gentiles ad eorum instituta non veniant. Titulus sic exponitur : psalmus iste convenit Asaph, id est congregationi fidelium, quæ hic loquitur. Ideo potius loqui inducitur Synagoga, quam Ecclesia de gentibus : quia potius Judæis quam aliorum credunt auctoritati.

Ac si diceret fidelis synagoga. Nolite ulterius sequi legalia instituta, quia Christus qui est « Deus, » id est creator « deorum, » id est justorum. Unde dicit Scriptura : « Nolite detrahere diis » (*Exod.* xx) : ipse est Dominus omnium gentium, qui hactenus locutus fuit in prophetis, modo « locutus est » in C propria persona, « et vocavit terram » ad se audiendum.

Vocavit terram, universam scilicet, et hoc est « a solis ortu usque ad occasum : » determinat etiam locum in quo locutus est, cum dicit, « et species decoris ejus, » id est speciosus decor ejus Domini est « ex Sion. » Unde propheta : « De Sion exibit lex, et verbum de Hierusalem » (*Isai.* II).

Dico Deus locutus est, et ille idem « Deus » qui aliquando occultus fuit, quia Divinitas latebat in humanitate, « manifeste veniet » in judicio, sed et ille « Deus noster » nostram humanitatem habens, tunc « non silebit » ante Herodem et Pilatum, sed increpabit unumquemque de peccatis : et hic notatur intentio. D

Et tunc « exardescet ignis in conspectu ejus, » præcedet enim materialis ignis ante conspectum ejus venientis ad judicium, qui cremabit faciem terræ, « et in circuitu ejus tempestas valida, » id est, sancti angeli, qui in hoc comparantur tempestati, quia sicut tempestas valida projicit paleam a granis, sic illi projicient malos a bonis.

Et ipse Dominus veniens « advocabit cœlum, » id est cœlestes desursum « ad se, » id est, ipse veniens desursum advocabit cœlestes, « et » vocabit « terram » non ad se, sed « discernere populum suum, » id est, ad hoc, ut discernant populum suum a malis.

Exsultans propheta de congregatione justorum et separatione ab impiis, monet angelos, quorum officium est hoc facere, sic : Vos o angeli, « congregate illi » Domino « sanctos ejus. » Officium enim angelorum erit, realiter congregare judici sanctos, et malos in tormenta dimittere, determinans quos vocet sanctos, illos scilicet « qui ordinant testamentum ejus super sacrificia, » id est, qui postpositis legalibus institutis, qui est rectus ordo, Novum Testamentum sequuntur.

Congregate sanctos « et » illi « cœli » congregati « annuntiabunt justitiam ejus » semper laudando Deum : ideo « quoniam » ille « Deus justus judex » est, qui justos, qui in hac vita fuerant tribulati, a malis separat.

Hic incipit de secunda parte. Continuatio : Dico Dominus locutus, et jam hæc scilicet « Audi, populus meus, » id est, diligenter intellige, « et » tunc « loquar tibi, » id est, comprobabo tibi per testimonium prophetarum, hoc scilicet : « Ego sum, » id est, verum esse habeo, « Deus » quidem omnium, « tuus Deus familiaris. »

Et ego « non arguam te » deinceps in « sacrificiis tuis. » Si non offeras sacrificia carnalia, non offendas, holocausta autem « non vitulorum, » sed « tua, » id est, quæ in te sunt, scilicet spiritus contribulatus, « semper sunt in conspectu meo. »

Dico non arguam, quia « non accipiam, » id est, non habeo gratos « vitulos » cordis quin immoles mihi superbiam, scilicet, « de domo tua, » neque accipiam « hircos » non dico cordis, quin immoles fetidos motus libidinis, scilicet, « de gregibus tuis. » Non accipiam ideo, « quia meæ sunt omnes feræ sylvarum » scilicet meæ potestatis, et etiam indomitæ feræ meæ sunt, et hæc « jumenta » pascentia « in montibus, et boves, » id est, indomita animalia sunt mea. Per indomita animalia signantur gentiles, qui legem non habebant ; per domita, Judæi, qui sub jugo legis tenebantur, sed hoc non habet hic locum. Non tantum terrestria animalia, sed etiam « volatilia cœli cognovi » ut mea, « et pulchritudo agri mecum est, » id est, omnis fructus terræ in mea est potestate.

Et ideo « si esuriero, » quod tamen impossibile est, « non dicam tibi, Meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus. »

Dico « si esuriero, » sed nunquam esuriam, et hoc est, « nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? » Hic manifeste stultitiam eorum reprehendit, qui putabant eum comedere, vel potare sanguinem animalium.

Determinat, quod holocaustum in conspectu suo superius esse dixerat. Hæc legalia sacrificia noli offerre, sed potius « immola Deo sacrificium laudis, » id est, lauda Deum tuum ita, quod laus tua sit ei sacrificium laudis, id est, immola teipsum secundum libidinem, luxuriam, superbiam, avaritiam, etc., quia non est speciosa laus in ore peccatoris, immola laudem, et hoc assidue, et hoc est :

« et redde Altissimo vota tua, » id est devote, et si simodo non poteris implere, redde quando poteris.

« Et » tunc « invoca me in die tribulationis, » id est, in tempore istius præsentis vitæ, et ego « eruam te » a tribulatione, non quod a quacunque tribulatione eruat fidelem, sed ab illa tribulatione, ubi verum boni est damnum, « et » tu ereptus « honorificabis me » Deum laudando. Cum eum alii ita ereptum vident, Deum sui justi ereptorem collaudant.

Incipit tertia pars, et sicut Synagoga Christum induxit loquentem suis, sic etiam Synagoga inducit Deum loquentem peccatori. Continuatio : Quasi diceret Synagoga : Hæc dixit Deus justis, « peccatori autem dixit » hæc « Deus, Quare tu peccator enarras justitias meas ? » de creatione cœli et terræ, « et assumis testamentum meum, » id est veterem legem, sive novam « per os tuum » ut alios inde doceas? Cum dicit assumis, notat rem ipsam non esse commissam peccatori, sed ipse peccator præsumendo ingerit se.

Testamentum ingeris, contra vero operaris, et hoc est, « tu vero odisti disciplinam, » id est, correctionem meam, quia si aliquam correctionem tibi dedi, invitus sustinuisti, « et sermones meos, » id est præcepta mea « projecisti retrorsum » non adimplendo ea.

Sermonem projecisti, « et si furem videbas, currebas cum eo. » Cum fure currit, qui furtum facientem non redarguit, et qui consentit. Furi consentit, vel cui furtum placet, vel qui, cum possit redarguere, non redarguit, « et cum adulteris portionem tuam ponebas » vel faciendo adulterium, vel consentiendo adulteris.

« Os etiam tuum abundavit malitia, » id est, abunданter locutum est mala aperta, « et lingua tua concinnabit dolos. » Concinnare ideo dicit, quia illi qui dolose loquuntur, ornatu maximo sua verba componunt.

Hic subdit de detractione. Continuatio : Non tantum illa mala faciebas his modis, sed et detractione, et hoc est, « loquebaris adversus fratrem tuum : » fratrem vocat quemlibet hominem, nec non faciebas horarie, sed « sedens, » id est, assiduus, « et » non tantum adversus alios, sed « adversus filium matris tuæ, » id est Synagogæ, « ponebas scandalum, » id est, quamcunque offensionem persuadendo hæresim, vel aliquid tale, quod a via vera retrahat, « hæc » omnia « fecisti, et » ego tamen « tacui, » id est, cum patientia exspectavi, ut quandoque saltem convertereris.

Et hac mea patientia abusus es, quia putasti, sicut ad horam te impune dimittebam, et hoc est, « existimasti inique » vel vocativus, vel adverbium, « quod ero tui » non puniendo. Si enim Deus impunitos dimitteret malos, similis injustorum inveniretur. Tu hoc putasti, sed non ero tui similis, sed « arguam te, » id est, pro peccatis puniam « et statuam contra faciem tuam, » scilicet, ut omnia peccata tua videas, quæ tu modo non attendis, per simile dicit, quia sicut aliquis rem quam habet, ante oculos manifeste videt, sic in die judicii quisque peccata sua manifeste cognoscet.

Vos etiam « qui obliviscimini Deum, » id est, qui Deum in memoria non habetis, « intelligite hæc, » id est, hanc pœnam impiis futuram, intelligite dico, « nequando rapit » vos ad pœnam, « et » tunc « non sit qui eripiat. »

Hæc intelligite, et offerte mihi « sacrificium laudis, » id est spiritum contribulatum, quia illud sacrificium « honorificabit me, et illic, » id est, in illo sacrificio est « iter, quo » itinere ego « ostendam, illi » offerenti « salutare, » id est salvationem « Dei. »

IN PSALMUM L.

TITULUS : *In finem psalmus David, quando venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bersabee.*

« Miserere mei Deus. » Legitur, quod cum vidisset David uxorem Uriæ Bersabee lavantem in solario suo, complacuit ei, et accedens, cum ea concubuit (*II Reg.* XI). Quæ cum imprægnata esset, timens ne adulterium proderetur, vocavit ab expeditione Uriam ; ille reversus noluit reverti ad thalamum conjugis, dum sui socii essent in expeditione. Remisit eum David ad Joab cum litteris, in quibus præcepit Joab principi militiæ suæ, ut ubi fortiores defensores civitatis essent, cum poneret, et cum acrior esset assultus, omnes socii Uriam dimitterent solum, et sic interficeretur, et sic est factum, fuit igitur David adulterii reus et homicidii. Volens itaque Dominus revocare servum suum David, misit ad eum Nathan prophetam, qui in quadam parabola judicium a rege quæreret. Dixit itaque Nathan David regi (*III Reg.* XII) : Dic mihi, rex, judicium. Quidam vir erat, qui multas oves habebat, et vicinum qui habuit quamdam oviculam tantum, et cum illi potenti supervenissent hospites, noluit de suis ovibus aliquam accipere, sed vicini sui oviculam rapuit. Judicavit rex, quod hic talis esset filius mortis. Dixit ergo ei Nathan : Tu es ille, qui cum haberes sexaginta uxores, et concubinas quot velles, rapuisti tamen uxorem Uriæ, qui unam solam habebat. De hac ergo admonitione David compunctus, cœpit pœnitere, et de adventu Nathan titulus compositus est. Qui sic exponitur : Psalmus iste convenit David pœnitenti, qui hic loquitur, habitus cum venisset ad eum Nathan propheta, non de quocunque adventu Nathan, sed de eo, qui fuit cum David intravit ad Bersabee, de quo introitu Nathan propheta vehementer eum increpavit. Materia est David pœnitens, et valde humilians se propter peccata gravia quæ fecerat. Modus : In prima parte ostendit suam humilitatem. In secunda parte confidentiam. Tertia est quæ sequitur ex istis, hæc scilicet ut Deus non respiciat peccata sua. In quarta petit, ut Deus Ecclesiam faciat, in qua sibi placitum holocaustum offeratur. Intentio est, ut quan

tumcunque gravia peccata fecerimus, si volumus converti ad Deum, non desperemus, quia ineffabilis est misericordia Dei, et multo major quam sunt peccata nostra, et sicut in aliis psalmis pœnitentialibus non excusat peccata, sed se accusat, sic in isto confitens peccatum, deprecatur per ea quæ sunt in ipso judice, sic dicens : « Miserere mei, Deus, » id est, respice me oculo misericordiæ, reformando me, nec aliquod prætendo meritum, sed piam peto misericordiam tuam, et hoc dicit : « secundum magnam misericordiam tuam. » Bene dicit propheta magnam misericordiam suam, quia prævideral in Spiritu sancto Filium suum se daturum in mortem, pro redemptione humani generis. Dico ut parcas mihi, et miserearis mei, sed precor ut peccato meo non parcas, imo « dele » a memoria tua per quas tibi placet, punitiones « iniquitatem meam, » neque precor hoc aliquo merito, sed « secundum multitudinem miserationum tuarum, » quia video multas te miserationes exhibuisse hominibus, patribus nostris, qui ad te volebant converti.

Dico, dele iniquitatem meam, nec quæro deleri iniquitatem per sacrificia, imo per aquas baptismatis, et hoc est, « lava me » per fidem quam habeo in aquis baptismi, petit lavari per fidem quam habet de ipso baptismate, « lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, » idem vocat iniquitatem et peccatum, sed diverso respectu, quia adulterium et homicidium suum vocat iniquitatem, quoad proximum : et peccatum secundum hoc quod seipsum in corpore, luxuriando, et in voluptate homicidii contaminavit.

Dico lava, et quia aliqua lavantur, ubi tamen aliquid sordis remanet, dicit, munda, secundum utrumque, ita scilicet, quod nihil in me contaminationis remaneat. Dico, lava, munda, et hoc « amplius, » id est, ampliori lavatione quam soleas, quia sicut peccatum amplius est, sic amplior lavatio et mundatio necessaria est.

Quoniam dixerat, magnam misericordiam Dei, sed quia iterum vidit misericordiam non sine justitia posse esse, vult in seipso quamdam occasionem ostendere, propter quam Deus debeat sibi juste misericordiam exhibere, et sicut hactenus deprecatus est judicem Deum, per ea quæ in judice sunt, sic modo incipit deprecari per ea quæ in ipso deprecante sunt. Continuatio : Lava per misericordiam dico, et hoc justum est « quoniam ego iniquitatem meam cognosco » non sola cognitione, sed detractione, et exsecratione : « et peccatum meum contra me est semper » quasi imago terribilis, quam omnibus modis fugere velim, per omnia deberemus accipere, et iniquitatem et peccatum ut supra expositum est.

Peccatum est contra me, et hoc perpetrando non peccavi alicui, nisi « tibi soli, » quia cum rex sim, nullus habet punire peccatum meum, nisi tu solus; vel peccavi curandus tibi soli, quia cum nullus justus, nisi tu solus, a te solo, Domine, sum curandus, et ut majorem aggravet suam stultitiam, dicit, « et « malum illud coram te feci, » id est, licet ubique præsentem te scirem esse, et omnia videre, et judicem omnium futurum esse scirem, tamen peccavi in conspectu tuo, et ita peccavi, quod si ponatur inter te et hominem, tu solus justus inveniaris, homo injustus, adeo « ut justificeris, » id est, justus inveniaris « in » omnibus « sermonibus tuis, » quia quæ promisisti, penitus implesti, ego autem et cæteri homines penitus inveniamur injusti. Unde Apostolus : « Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax (*Rom.* III; *Psal.* CXV). » Et non solum justificeris in sermonibus tuis; sed « etiam vindicas cum judicaris » in omnibus, id est, si fiat judicium inter te et hominem, quod tu justus inveniaris, Deus autem justus invenitur, cum omnia homini quæ sibi sunt necessaria, subministret; homo autem injustus, cum Deo dignum fructum non reddit. Unde Dominus in Evangelio : Judicate inter me et vineam meam.

Vere vincas, si judicaveris, cum homine, quia ut taceam hoc novum peccatum « conceptus sum in « iniquitatibus, » quia in ipso conceptus fui ego reus prævaricationis et inobedientiæ Adæ.

Ideo tam miserum me esse fateor, quia « ecce » omnibus patet, quod tu « veritatem dilexisti, » quia si non confiteor veritatem de me ipso, non essem dignus cui tu condonare deberes. Postquam accusavit se per propria peccata, accusat etiam se per beneficia Dei, quibus male usus est. Propterea item vinces, quia « manifestasti mihi incerta occulta sapientiæ tuæ, » manifestasti mihi, scilicet, incarnationem et reparationem, quam facturus es per Filium tuum, quæ quibusdam incerta sunt; scilicet illis, qui etsi aliquid intelligunt de adventu Filii tui, tamen non omnia plene intelligunt, quibusdam occulta, scilicet illis qui nihil prorsus inde sciunt.

Hic incipit de secunda parte : O Domine, tam graviter peccavi, sed tamen confido de misericordia tua, et sciens « asperges me hyssopo » mittit nos ad legem, in qua præcipiebatur, ut hyssopo intincto in sanguine vitulæ, leprosus aspergeretur, et hoc erat eis quædam expiatio (*Exod.* XII). Sanguis ille sanguinem Christi significavit, in quo per fidem lepra peccatorum mundatur. Hyssopus, quæ herba humilis est, significat humilitatem qua et Christus fudit sanguinem suum, et qua nos ipsum sanguinem per fidem suscipimus, et sicut hyssopus lapides penetrat, et pulmonis tumorem pellit, sic humilitas lapidea corda penetrat, et tumorem superbiæ fugat, et secundum dicit : Asperges me hyssopo, id est sanguine Christi, cum humilitate fuso, et cum humilitate suscepto me, « et » per hoc « mundabor » a peccatis meis, et non tantum in hac aspersione mundabor, sed etiam accipiam candorem virtutum, « lavabis me » illo sanguine « et » ego dealbabor, » id est, dealbationem a te recipiam « super nivem, » id est, plus quam aliquod corpus possit dealbari.

Sic dealbabor, et postea « auditui meo dabis, »

id est, dabis mihi intelligere a Spiritu sancto intus mihi loquente « gaudium » de remissione peccatorum, « et lætitiam » de spe vitæ æternæ, « et » tunc « ossa » mea, id est, robora rationis meæ prius « humiliata » per peccatum, « exsultabunt » de reformatione.

Averte. Agit de tertia parte, scilicet, ut se respiciat, non peccatum, quam proprie ponit post illas duas tertiam, quia ille juste Deum precatur, qui sic humiliat, et ita confidit in Domino. Continuatio : Exsultabunt ossa dicit, et ut possit exsultare, « averte faciem tuam, » id est cognitionem tuam, « a peccatis meis » ne punias ea æternaliter, « et dele » de libro mortis, et hæc recentem et « omnes » alias « iniquitates meas. » Et deletis malis « crea in me cor mundum, o Deus, » ne deinceps velim peccare, crea dicit, quia per peccatum erat cor quasi destructum, et non tantum remove voluntates a corde, sed etiam suggestiones a carne, posset enim voluntatem mundatam suggestio carnis corrumpere, « et » hoc « spiritum rectum, » id est, Filium tuum, qui bene regit omnes quos inhabitat, « innova in visceribus meis, » id est, ut innovet mea viscera, id est desideria meæ carnis. Per hoc quod ter ponit Spiritum sanctum notamus Trinitatem.

Peccata projice a facie, sed « me, » id est humanitatem, « ne projicias a facie tua, » sed respicias meum meritum « et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. » Cum dicit, ne auferas, notat quod aliquo modo haberet : non enim ita posset compungi, nisi sancti Spiritus gratia tribuente.

Dico ne auferas, sed potius « redde mihi lætitiam salutaris tui, » ut sicut de adventu Filii tui de semine meo nascituri lætabar, ante hoc peccatum prius sic recepta venia et cognita deinceps lætabor : « et » reddita lætitia « confirma me, » ita ut ulterius nullatenus movear ad peccatum « spiritu principali, » id est Deo patre inhabitatore mei. Spiritus principalis ideo Pater dicitur, quia ab eo procedit Filius, et ab utroque Spiritus sanctus.

Ponit quartam partem : Dico redde, confirma et si hoc feceris, non quod offeram tibi bovem aut hircum, sed inde acquiram tibi multos, et hoc est « docebo iniquos vias tuas, » id est præcepta tua, « et » ita « impii » qui sunt contra divinum cultum convertentur ad te. » Quod dicit post peractam pœnitentiam recipere officium docendi, quod propter peccatum amiserat, dat intelligere, quod illi, qui propter peccata degradantur in Ecclesia, peracta pœnitentia possint restitui, contra quod quidam canon esse videtur, qui dicit, quod post lapsum et peracta pœnitentia, quilibet non debet restitui. Quæ tamen singularis secundum simularie pœnitentes, magis quam secundum veritatem est data. Quare generalis sententia est habenda, ut si divino judicio illa pœnitentia peracta comprobetur, in suam dignitatem pristinam persona reformatur.

« Libera » et ut possim docere alios, o « Deus, « libera me de sanguinibus, » id est, de peccatis quæ veniunt per suggestionem sanguinis. Per sanguinem ideo accipimus illa peccata, quia ex natura sanguinis veniunt hujusmodi suggestiones. Sanguines pluraliter ideo ponit, ut ostendat se implicitum multis hujusmodi peccatis : libera dico tu, qui es auctor hujus « salutis meæ, » « et » si liberaveris, « exsultabit, » id est, exsultanter annuntiabit « lingua mea justitiam tuam » de creatione cœli et terræ, et de hoc etiam, quod facis hominem justum.

Domine, si fuero liberatus, exsultabit lingua mea justitiam tuam, et etiam tu « Domine, aperies, » id est, multiloqua facies « labia mea, et os meum annuntiabit laudem tuam, » id est, cum multa loquar, omnia erunt de laude tua.

« Quoniam » ideo dico quod annuntiabo laudem tuam, quia aliud noluisti sacrificium, quia « si » aliud « sacrificium voluisses, dedissem utique, » sed neque etiam holocausta, de quibus potius videretur, placent tibi « neque unquam holocaustis delectaberis. »

Sacrificium animalium non placet tibi, sed « spiritus contribulatus, » id est anima quæ tribulat superbiam et cætera vitia, est « sacrificium » placens « Deo » « nec unquam despicies, o Deus, cor contritum » per fructus pœnitentiæ : « et » ita « humiliatum. »

Benigne fac, Domine, ponit quintam partem. Dico quia tibi placet tale sacrificium, ut autem tibi tale offeratur « benigne fac, » id est, large scilicet construe Ecclesiam « Sion, » et hoc peto non ex meritis, sed ex « tua voluntate » quæ specialiter « bona » est, « ut » sic « ædificentur » virtutibus « muri, » id est fortiores « Hierusalem » Ecclesiæ, quia muri ceciderunt prævaricatione primi parentis, sicut muri Hierusalem realiter ruerunt a coco Nabuchodonosor, ita cocus noster, id est, gula nostra destruit in nobis muros spiritualis, Hierusalem, id est virtutes.

Tunc dico, construe Ecclesiam, « tunc, » id est, ea constructa « acceptabis, » id est acceptabile recipies « sacrificium justitiæ, » id est immolationem Dominici corporis « et » acceptabis « oblationes, » id est virtutes sanctorum confessorum, qui licet totos se non crement, tamen aliquid Deo offerunt « et holocausta, » id est virtutes sanctorum martyrum, qui totos se cremant, et « tunc imponent » multi de Ecclesia « vitulos, » id est novos populos, qui nondum fuerant sub jugo. Vel per vitulos prædicatores, qui mugiunt Deo per totum mundum « super altare tuum, » id est Christum, sine quo nullæ oblationes a Deo recipiuntur.

IN PSALMUM LI.

TITULUS : *In finem intellectus David, cum venit ad eum Doech Idumæus, et nuntiavit Sauli : Venit David in domum Abimelech.*

« Quid gloriaris. » Cum David persequeretur a Saul, venit in domum Abimelech sacerdotis cum suis, et cum ille non haberet panes, nisi panes propositionum, dedit illos David et suis, et gladium quem David Goliæ abstulerat. Erat autem ibi Doech Idumæus, de familia Saul, custos equorum ejus, qui

hæc omnia nuntiavit Sauli. Misit autem Saul, et fecit Abimelech occidi, et alios sacerdotes (*II Reg.* XXI et XXII). Postea vero David psalmum istum composuit, non de historia illa, sed de intellectu quem habuit, quod Antichristus scilicet venturus erat, qui per auxilium diaboli Ecclesiam, in qua verus habitat David, persequitur. Per Doech enim Antichristus intelligitur. Doech namque motus; Idumæus vero terrenus interpretatur. Antichristus autem semper ad commovenda terrena commovebitur, et alios etiam ad commotionem, et ad terrenorum petitionem vocabit; Doech proprium nomen illius fuit, Idumæus a loco dictus est, ab Idumæa terra quam inhabitavit Esau. Et sicut ille Doech venit ad Saul, sic Antichristus venit per signa et miracula ad Saul, id est ad diabolum, et nuntiabit ei quod David, id est, quod Christus venit in domum Abimelech, id est in domum illam, quæ est regnum patris, id est Ecclesiam, quærens quomodo receptores Christi possit occidere, sicut Saul Abimelech. Titulus sic exponitur : Intellectus, id est psalmus iste, qui nobis exponit intellectum, scilicet arcanum, quod diximus, convenit David prophetæ, qui hic loquitur, intellectus dico tractus ab illo negotio, cum venit Doech, et nuntiavit Sauli historialiter. Materia est Christus et per oppositum Antichristus. Modus : In prima parte ostendit multam malitiam ipsius Antichristi, redarguendo eum. In secunda parte ponit perditionem ejus, et sanctorum stuporem, qui ita eum exaltatum in mundo vident, cum eum ita damnatum aspicient. In tertia parte ponit, quod nunquam amovebuntur a misericordia Dei, qui semper sperant in ea. Intentio, movere omnes fideles, ut quamvis eum in hoc mundo exaltatum esse videant, tamen intelligant eum damnandum et nunquam ei consentiant. Sed statim propheta ipsum Antichristum de sua malitia increpare incipit.

O homo Antichriste omnium nequissime, « quid « gloriaris in malitia ? » pro qua debes erubescere, quia cæteri si male faciunt, erubescunt; tu contra : quid gloriaris « qui potens es in iniquitate, » quia cum facias multas iniquitates, in illis habes potentiam quos potes devorare, sive per miracula, sive per pœnas, quas potes facere permissione Dei. In hoc etiam, quod potentiam dedit eis Deus, perficiendi nequitiam aggravatur nequitia ejus.

Per partes exsequitur malitiam, « tota die », id est omni tempore, « lingua tua cogitavit injustitiam, » ideo linguæ tribuit cogitationem, quia stultorum est, in corde et in ore simul habere, et omnia loqui impræmeditate. Unde Salomon : «Cor stultorum est in ore ipsorum (*Eccl.* XXI). » Lingua cogitavit injustitiam, et tu « fecisti dolum, » tu dico « sicut novacula acuta, » id est comparabilis novaculæ acutæ, quia dolose et acute decipit : quia sicut novacula acuta renovat corium, et corrodit forinseca, sic ille Antichristus, tribulando justos, et sua auferendo, interiorem hominem pulchriorem reddit. Vel sic : Antichristus promittit novitatem toti mundo, quem tunc omnino destruit. Vel in hoc comparatur novaculæ acutæ quia tantum molles et fragiles decipiendo secat, ut novacula quæ secat mollia, ut pilos et carnem : non aliqua dura, ut ossa.

« Dilexisti malitiam super benignitatem, » quia si natura tibi aliquam suggerebat bonitatem, per pessimos mores tuos illam comprimebas. Dilexisti etiam « iniquitatem » non solum facere, sed etiam facere « magis quam loqui æquitatem. »

Dilexisti omnia. Quid per singula curram? Dilexisti omnia verba præcipitationis, » id est ea per quæ tu et alii præcipitentur æternaliter : tu dico ens « lingua dolosa, » quia quod non potes per violentiam perficere, per dolum aggrederis perficere, sive per perjurium, sive per falsas expositiones Scripturarum.

Secunda pars incipit. Et « propterea » quia talis es, « Deus destruet te » non secundum temporalia bona, sed « in finem, » id est in æternum, ut ulterius non possis resurgere : et « evellet te de tabernaculo tuo, et emigrabit te, » id est, emigrare faciet alio : tabernaculo, id est, de hoc mundo, in quo habitas ad tempus, et cum emigraverit, non radicabis, sed potius evellet « radicem tuam de terra viventium » te propter cupiditatem malitiæ tuæ. Radix enim tua, id est, nequitia tua, non patitur hujusmodi terram te habitare. Vel « evellet et emigrabit de tabernaculo tuo, » id est de Ecclesia, te cum omnibus membris tuis, quia membra Antichristi commixta Ecclesiæ in hac vita, non radicabunt in terra viventium, sed potius evellet radicem tuam, id est sequaces tuos, de terra viventium.

Dominus te destruet ita, et hoc « videbunt justi » in die judicii, « et timebunt, » id est, verebuntur ipsum judicem, et timor ille non erit tristitiæ, sed gaudii, et hoc est : « super eum ridebunt, » id est, gaudebunt, consentientes divinæ justitiæ, « et dicent : « ecce » apparet, quia hic est « homo » licet se Deum diceret, et talis « qui non posuit Deum adjutorem suum. »

« Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, » id est auri et argenti, et potentiæ et gloriæ « et prævaluit in vanitate sua, » quia nullus impiorum tot fideles decepit.

Tertia pars incipit : Ille ita speravit in divitiis, « ego autem » ens « in domo Domini, sicut oliva fructifera, » id est comparabilis olivæ fructiferæ, quia sicut oliva omni tempore plena est succo, sic Propheta plenus erat Spiritu sancto. Cum omnis justus se possit comparare olivæ fructiferæ, specialius tamen propheta iste, de cujus semine Christus nasciturus erat. Ego talis « sperabam in misericordia Dei, » hoc scilicet « in æternum » ut æternitatem haberem : et non accipit æternum usque ad finem, sed « in sæculum sæculi. »

Et ut possim comparare « confitebor tibi, » id est, laudabo te « in sæculum, » quia « fecisti » tu confessionem istam, scilicet per tuam misericordiam, vel me fecisti sicut olivam : « et exspectabo nomen tuum » quantum cunque moretur, donec in judicio me

immortalem et impassibilem facias, scilicet Filium Dei, « quoniam bonum est in conspectu sanctorum, » id est, sanctis placet illud bonum exspectare.

IN PSALMUM LII.

TITULUS. *In finem intellectus David pro Amalech.*

« Dixit insipiens. » Legitur in historia (*I Reg.* XXX), quod David fugiens Saulem, collocavit in quadam civitate sua, scilicet Sicelech, uxores suas, et filios, et cætera impedimenta, expeditos vero homines, quos ad pugnam et defensionem utiles cognovit, secum duxit. Interim Amalecitæ civitatem David occupantes, diripuerunt omnia. Quo nuntiato David, insecutus est eos, et, devictis illis, totam familiam suam liberavit. In quo negotio suo intellexit futura Ecclesiæ, quæ per David signatur, a familia Antichristi, quæ per Amalech intelligitur. Amalech namque interpretatur lingens terram, per quod familia Antichristi intelligitur, quæ semper lingit et appetit terrena, de quibus tamen Deus liberabit Ecclesiam suam. Titulus sic exponitur : Psalmus iste dicitur intellectus David, quia exponit nobis intellectum David, intellectus dico habitus pro Amalech, id est de negotio illo, dirigens in finem, id est in Christum. Interpretatur etiam Amalech, parturiens sive dolens, per quod intelligitur Ecclesia, quæ parturit, id est, laborat, ut aliquos filios Deo pariat, et dolet de perditione malorum. Secundum hoc ita legitur titulus. Psalmus iste dicitur intellectus David, habitus pro Amalech, id est pro Ecclesia, in cujus persona hic loquitur Propheta. Materia principalis est Ecclesia, et per oppósitum sequaces Antichristi. Modus : In prima parte redarguit eos, quia sunt de familia Antichristi. In secunda parte ponit damnationem eorum. In tertia parte ponit salvationem justorum. Intentio est, informare Ecclesiam contra membra Antichristi. Hic ponit eadem verba, ad reprehensionem istorum, quæ posuit prius ad reprehensionem Judæorum, qui non receperunt Christum visitatorem suum, quia similes videt eos, qui sicut illi negaverunt Christum, sic isti negabunt Messiam ipsum fuisse, sed Antichristum dicunt Messiam.

Vox Ecclesiæ, sic eos redarguentis « Insipiens, » scilicet, familia Antichristi, quæ est sine vera sapientia « dixit, » id est, dicet : Christus ille, qui est dictus Deus « non est Deus » et alius sicut in alio psalmo (*Psal.* XIII) exposita sunt, ut videat, si est intelligens aut requirens, etiam aliquo modo ut intelligat : « non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, » id est, nec unus invenitur inter omnes qui faciat bonum.

Incipit de secunda parte : Omnes declinaverunt, sed « non nescient » in damnatione sua, id est cognoscent « omnes » se male egisse, « qui » modo « operantur iniquitatem ? » etc.

« Deum ». Ideo iniquitatem operantur, quia ipsi « Deum non invocaverunt, » in quo magna spes datur illis qui invocant Deum. Vere scient quod male agunt, « quoniam Deus dissipabit, » id est, destruet « ossa, » id est robora « eorum qui hominibus, » id est, sibi ipsis « placent. » Habet alia littera « ossa hominum sibi placentium ; confusi sunt, » id est, erubescentiam patiuntur : hoc ideo « quoniam Deus « sprevit eos. »

Isti confundentur, et Israel salvabitur : et « quis » veniens « ex Sion, » id est, de Judæa, « dabit salutare Israel ? » Nullus scilicet, nisi Christus, quem vos negastis Deum esse : Deus quidem avertet captivitatem plebis suæ, « cum converterit, » id est prorsus amoverit « captivitatem, » id est, passibilitatem, et mortalitatem « plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel. » In hac vita removet Deus captivitatem animæ, id est peccata : in alia removet etiam corporum, quoniam induentur immortalitate et impassibilitate.

IN PSALMUM LIII.

TITULUS. *In finem intellectus in carminibus David, cum venissent Ziphei ad Saul, et dixissent : Nonne David absconditus est apud nos ?*

« Deus in nomine tuo. » Ziph est vicus, unde Ziphei inhabitantes dicti. Illi autem erant contribules David de tribu Juda, apud quos cum lateret David fugiens Saul, ipsi non putantes eum regem futurum nuntiaverunt Sauli, ut eum incautum comprehenderet : David autem dolum eorum præsentiens, discessit ab eis, et liberatus fuit (*I Reg.* XXIII) : post hanc liberationem cantavit David psalmum istum, nec de hac sua liberatione, sed de liberatione Ecclesiæ a Zipheis, id est a florentibus hujus mundi : Ziphei namque florentes interpretantur. Titulus sic exponitur : Psalmus iste est intellectus David, id est, exponit nobis intellectum David, scilicet liberationem Ecclesiæ a florentibus mundi : intellectus dico, habitus in carminibus, id est in laudibus, quæ sunt ubi dicit : Voluntarie sacrificabo, et etiam si non haberentur in psalmo laudes, tamen materia esset digna laudibus, quæ Ecclesiæ ereptionem aperte declarat, intellectus dico habitus de historia hac, quando Ziphei, et cætera, dirigens nos in finem. Materia est Ecclesia. Modus : In prima parte petit suam liberationem. In secunda petit inimicorum conversionem, quæ incipit ibi : « averte mala, » et affirmat suam liberationem, quare hostias recompensationis solvit Deo. Ubi dicit : « averte mala, » et ecce « Deus adjuvat me », intendit conformare mores Ecclesiæ, ut non tantum pro se oret, sed pro inimicis.

Ac si diceret : Orate pro liberatione vestra, et inimicorum, exemplo mei vox Ecclesiæ, dicentis ad Deum : « O Deus, salvum me fac » ne mihi prævaleant inimici, nec peto salvari in patrocinio alicujus potentis, vel etiam in divitiis, sed « in nomine tuo, » id est in quod nomen tuum habeo, scilicet, vocor Christianus, vel fidelis : « et in virtute tua, » id est, cum apparebit virtus tua, scilicet, in die judicii, « judica, » id est, secerne « me » a massa perditorum.

Facta ordinatione petit, ut Deus exaudiat oratio-

nem ejus, dicens : « Deus, exaudi orationem meam, » et idem est, ac si geminaret orationem, sed ideo hoc facit, quia magna instat liberationis necessitas, et non tantum interiorem orationem, sed etiam exteriorem, scilicet, factam in clamore, et hoc est, « verba oris mei, » non dico simpliciter exaudi, sed firmiter tene in memoria, et hoc est, « percipe auribus. »

Et opus est ut exaudias, « quoniam alieni » licet contribules, tamen alieni voluntate a me, sicut Ziphei contra David « insurrexerunt » omni nisu « adversum me, et fortes, » id est diaboli et ministri eorum, vel etiam principes sæculi « quæsierunt » perdere « animam meam, » sicut Saul et ministri ejus animam David « et » ipsi quærentes « non proposuerunt Deum ante conspectum suum, » id est, non attendentes in me esse Deum.

Bene dico Deum, quia esse Deum in me « ecce » patet, quia « Deus adjuvat me » ad bene operandum, « et » ipse : Dominus susceptor est animæ meæ, » id est, suscepit de hac vilitate animam meam, conferendo ei virtutes.

Incipit orare pro inimicis, et est secunda pars. Continuatio : Dico Deus susceptor est, et tu Domine Deus, qui es susceptor, « averte mala ab inimicis meis » ne possint efficere quod ipsi volunt : « et disperde illos, » id est, destrue « in veritate tua, » scilicet, ponendo veritatem tuam in loco, ubi modo habent falsitatem, et malam voluntatem.

Et ut facias hoc « ego sacrificabo tibi » meipsum : et non pro aliquo commodo temporali, sed « voluntarie, » id est, ex sola tui dilectione : « et » etiam « confitebor nomini tuo Domine, » id est, laudabo nomen tuum, « quoniam bonum est, » id est, laudare nomen tuum suave.

Et bene debeo sacrificare et confiteri, « quoniam » tu Domine « eripuisti me ex omni tribulatione, et « oculus meus, » id est interior ratio mea, « despexit super inimicos meos, » super dicit, quia justus ille jam intelligit se in alto loco positum, et inimicos suos in hujus sæculi fæce dejectos putrescere.

IN PSALMUM LIV.

TITULUS. *In finem in carminibus intellectus David.*

« Exaudi, Deus. » Psalmus iste vocatur intellectus David, scilicet, Christum futurum hominem, fragilem secundum carnem et fluctuantem, sed ex solo Deo habentem confidentiam, intellectus dico habitus in carminibus, id est, in laudibus et exsultatione et ex hoc quod Deum intelligit esse firmitudinem nostræ humanitatis. Comparatur enim nostra humanitas fluctuanti navi : et sicut ipsa navis habet firmitudinem ex anchora, sic nostra humanitas ex solo Deo : et illum intellectum quem habuit Propheta, non per historiam, sed per Spiritum sanctum, non exponit ex se, sed inducit Christum exponentem : Christus enim hic loquitur, et est materia. Modus : In prima parte exponens Christus suam fragilitatem, petit a Deo liberationem. In secunda parte, quæ incipit ibi : Præcipita, Domine, imprecatur inimicis. In tertia parte, quæ incipit ibi : Ego autem ad Deum clamavi, ostendit exauditam suam orationem, et de sua liberatione, et de inimicorum damnatione, et ibi in damnatione malorum, interserit quamdam admonitionem justorum, scilicet, ut cum viderint damnationem impiorum, non timeant, sed omnem curam suam in Dominum jactent, et hoc est ibi : Jacta super Dominum curam tuam, et hæc est intentio. Unde Apostolus : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis (*I Petr.* v). »

Et antequam ponat suam fragilitatem, petit liberationem, cum dicit : « Exaudi, Deus, orationem meam » de obtinendis bonis : « et ne despexeris deprecationem meam » quin semper removeas mala : posset enim dare bona, quæ malis imminentibus tolli possent, et cum humanitas mea ita humilis sit, quod ad altitudinem tuam nequeat attingere, « intende mihi, » id est, intentum te præbe, humiliando teipsum mihi, humiliavit se Deus, quando se humanæ conjunxit infirmitati : « et » sic « exaudi me. »

Opus est ut exaudias, quia ego « sum contristatus in exercitatione mea, » id est, exerceo me, ut bonus agricola, in proximis meis, ut fructificem, in quo quia parum proficio, contristor, et non tantum in hoc contristor, « sed etiam conturbatus sum a voce, » id est ab opprobriis « inimici, et a tribulatione peccatoris. »

Et bene dico a tribulatione, « quoniam ipsi iniquitatem, » id est mortem, « declinaverunt in me, » quia cum ego dicerem eis aliquid boni, ipsi tamen semper declinabant in me, machinantes mihi mortem. Vel iniquitates suas removendo a se declinaverunt in me, vocantes me peccatorem, etc., « et in ira molesti erant mihi, » id est, in furore molestias mihi inferebant.

Et propter hoc « cor meum » carnale « conturbatum est in me. » Conturbatio fuit, cum Judæi mortem ei minarentur, « et formido mortis, » id est horror mortis venientis « super me » in quo nihil juris habebat « cecidit, » id est, destructa est, quia per hoc Laurentius, et alii sancti vicerunt formidinem ratione.

« Timor, » id est, formido, venit super me, et timor etiam animi, non necessarius voluntarius, « et tremor » corporis « venerunt super me » in ipsa hora passionis, scilicet, jam imminente morte, « et tenebræ, » id est, mors ipsa « contexerunt me, » id est, morte ipsa exstincti sunt omnes sensus.

« Et dixi. » Expositis per ordinem malis, ostendit quomodo in ipsis malis se habuerit. Hæc omnia fecerunt mihi, et dum hæc mihi fierent, « dixi, » id est, deliberavi in corde meo, hoc scilicet, « quis dabit mihi pennas sicut columbæ, » id est comparabili columbæ, scilicet, sine omnia amaritudine, pennas, id est, virtutes, « et volabo, » id est, removebo me ab ipsis Judæis corporaliter, « et requiescam » ab omni tumultu? Maxima penna fuit patientia, qua removit se corporaliter a Judæis in tempore

persecutionis suæ, ne sua præsentia esset eis causa majoris insaniæ : quietus ; non ideo quin ipse posset esse quietus inter omnes tumultus hujus vitæ, sed ut daret nobis exemplum recedendi ab isto tumultu corporalia, ne moveremus alios ad majorem furorem. Tumultus quidem exterior est fugiendus, quia ipse est causa inquietudinis animi.

Ecce quæsivi ut darentur pennæ, et « ecce » datæ sunt, quibus « elongavi fugiens » corporaliter Judæos, « et mansi in solitudine » ad litteram.

Et exsistens in solitudine « eum qui me salvum fecit a pusillanimitate spiritus, » id est, qui me sic custodivit, ut spiritus meus humanus, qui quantum ad hominem pusillus erat, non deficeret, « et » qui me salvum fecit a « tempestate » tribulationis Judæorum, ne aliquo modo conformis eis fierem, eum qui hoc fecit « exspectabam » ut resuscitare faceret, etc.

« Præcipita. » Hic incipit de secunda parte, scilicet, imprecari suis inimicis. Ego elongavi, fugiens mala eorum, sed tu, « Domine, præcipita, » eos de altitudine regni sui, in contemptu hominum, et « divide linguas eorum, » id est, diversis erroribus implica linguas eorum, ut sibi non consentiant in Scripturis, sicut nec hodie faciunt. Admodum imprecatur eis, qui contra Deum turrim ædificantes, sunt præcipitati et divisi per linguas, et debes præcipitare et dividere, « quoniam ego vidi iniquitatem, » id est actualia mala, quæ mihi inferebant « et contradictionem » in verbis, quibus contra dicebant meæ prædicationi, « in civitate » reali Hierusalem. Potest legi in bonum sic : Præcipita de superbia in humilitatem : divide linguas eorum, ne sibi consentiant in malo, cætera non mutantur.

Et quia fecerunt iniquitatem in me, ideo « circumdabit eam » civitatem « iniquitas die ac nocte, » id est assidue, quæ exsistat « super muros ejus, » id est majores civitatis, qui sunt murus et defensio civitatis : « et in medio, » id est communi « ejus, » id est totius plebis, erit, « labor, » id est, laborabunt ut malefaciant in malefactis « in justitia » velut in falsis judiciis.

« Et usura » in pecunia temporali, « et dolus non deficit, » id est, non deficiet ab eis, et hæc mala non facient occulte, imo manifeste, et hoc est : « de plateis ejus. »

« Quoniam. » Isti quatuor versus sequentes leguntur specialiter de Juda. Sic continuantur ad supradicta : Ideo præcipita et divide eos, « quoniam » hæc mala quæ mihi faciunt per quemdam familiarem meum, de quo non est patiendum, sed « si meus inimicus » manifestus « maledixisset mihi, » ego « utique sustinuissem » eum, ne remaledicerem, nec vindicarem in eum. Vel duo præcedentes leguntur de simulatis amicis, et ita junge, dico præcipita, disperge : ideo, quoniam pejores sunt veris inimicis : et ita est tibi : Quoniam si inimicus maledixisset.

Et non tantum si maledixisset, sed « si locutus fuisset super me magna, » scilicet, me deprimendo, et se ipsum exaltando, « is qui oderat me : » non dico simpliciter sustinuissem, sed « abscondissem me » corporaliter removendo « ab eo », et hoc dico « forsitan, » id est, revera.

« Tu vero homo. » Inimicum sustinuissem, « tu vero » qui amicum simulabas te, non es sustinendus, et hoc est, tu « homo unanimis, » id est, qui te fingebas unanimem mihi, « dux meus » quem ego præmittebam sicut alios discipulos, ut pararent mihi hospitium, « et notus meus » secundum conversationem.

« Qui » etiam exsistens « mecum simul » cum aliis, « capiebas cibos dulces », qui deberent esse causa dulcis amicitiæ. Vel « dulces cibos, » id est spirituales doctrinam, quæ debuerat tibi esse dulcis, et a traditione removere, et etiam « ambulavimus in domo Dei cum consensu : » et si aliquando Pharisæi contra dicebant in templo, tu mihi consentiebas, et cum mihi ita familiaris esses, quare ergo tu homo in me peccasti?

Et quia iste, qui tam familiaris mihi erat, sic me tradidit, « veniat super illos » qui isti consentientes, in me peccaverunt, « mors » id est, levius puniantur, qui ignoranter, in me peccaverunt, id est, non sentiant gravem pœnam, sicut nec illi qui mortui cremantur, et alii qui scienter peccaverunt, « descendant in infernum viventes, » id est, ita graviter puniantur, ac si vivi cremarentur. Hic tangit historiam (*Num.* XVI; *Psal.* CV), quomodo Dathan et Abiron propter seditionem, quam moverant contra Moysen, vivi absorpti sunt a terra, Chore cum ducentis quinquaginta crematus est. Vel legitur in bonum : « Veniat mors super illos, » id est, moriantur in peccatis, « et descendant in infernum viventes, » non mortui, scilicet, agilitate mentis, sed attendentes pœnas infernales, quæ parantur impiis, recedant a malis.

Et debet mors venire super eos, « quoniam in habitaculis, » id est in cordibus « eorum, » sunt « nequitiæ, » quia in cordibus eorum habitant multæ malæ cogitationes, et hoc non in paucis, sed « in medio » id est in communioni « eorum. »

« Ego autem. » Incipit de tertia parte scilicet, ostendit se esse exauditum, et de sua liberatione et de malorum damnatione. Continuatio : Mali ita damnabuntur, « ego autem ad Deum clamavi, » et hoc est : clamavi, et Dominus salvavit me. »

Et quia salvavit ideo « narrabo » jam facta, « et annuntiabo » futura, et hoc « vespere » id est, cum ipse traditus fuit, « et mane » quando ante judicem ductus, « et meridie » quando positus est in cruce. Videntur dissentire Evangelistæ : Dicit enim alter, Dominum crucifixum in sexta hora, alter in tertia, nec tamen dissentiunt, quia quod alter dicit in tertia hora crucifixum, non de crucifixione ligni, sed de damnatione in linguis Judæorum, alter dicit de ipsa crucis affixione. Singula singulis narravit vespere, id est, in cœna discipulis suis, prædicendo mortem suam, et resurrectionem, et ascensionem, cum dixit : « Amen dico vobis, unus vestrum me traditurus

est (*Matth.* XXVI.) » Annuntiavit mane dictus ante Pilatum judicem, cum dixit : « In hoc natus sum, ut perhibeam testimonium veritati, ex hoc videbitis Filium hominis venientem cum nubibus (*Joan.* XVIII). » Exauditus est magis in ipsa passione, cum derelictus videretur, cum dixit : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII), » « et » quia sic narrabo, ideo Dominus « exaudiet vocem meam. »

Sic scilicet exaudiet vocem meam, « redimet animam meam ab his qui appropinquant mihi, » id est, familiaribus inimicis, quod jam nihil mali poterunt facere : animam dico positam « in pace, » id est in æterna requie, contra hoc quod superius dixit : conturbatum est cor meum, etc., hujusmodi. Et necesse est ut redimas ab his « quoniam » ipsi « erant mecum » non inter paucos, scilicet, de numero justorum, qui pauci dicuntur ad comparationem malorum, sed « inter multos » id est de numero malorum qui multi sunt.

« Exaudiet Deus : » exaudiet me de hoc quod mihi peto et etiam exaudiet me de his quæ inimicis meis peto, « et humiliabit, » id est, affliget « illos, » Deus, dico, « qui est ante sæcula. » Per hoc dat intelligere, quod etiam ipse Christus humiliat eos, qui fuit, scilicet, Deitate, ante sæcula.

« Non enim. » Ideo humiliabit eos, « non enim est « illis commutatio, » id est, noluerunt commutari de malo in bonum, « et » hoc est, quia « non timuerunt Deum, » et propter hoc « extendit » id est, extendet Deus « manum suam, » id est vindictam super eos « in retribuendo. »

Quia « contaminaverunt testamentum, » id est legem « ejus, » male interpretando Scripturas, id est, perverse agendo, non quod lex Dei posset quantum ad semetipsam, contaminari, sed quantum ad eos qui se polluebant, sicut malus diaconus dicitur polluere Evangelium Dei, et ideo « sunt divisi » in præsentia a regno imperiali, et in futuro a consortio justorum : et « ab ira vultus ejus » id est, propter hoc quod ipsi meruerunt iram ejus ; « et cor » id est, voluntas, quæ modo est occulta « illius, » Dei, « appropinquabit, » id est, manifestabitur, quia tandem cognoscent, quare Deus hunc elegit, illum reprobavit.

« Ideo divisi sunt, quia ipsi mollierunt sermones suos » multa compositione locutionis. Vel « molliti sunt sermones, » scilicet Judaici populi « super oleum : » quia verba eorum magis penetrant in corda hominum quos decipiunt, quam oleum in carnem, « et ipsi » sermones, quamvis ita sint molliti, tamen « sunt jacula », id est occidentia corda hominum.

Et cum mali ita dividantur ab ira Dei, tu, bone homo, ne timeas, sed « jacta cogitatum tuum super Dominum. » Habet alia littera : Molliti sunt sermones ejus, et tunc sic legitur : Ipsi sunt divisi ab ira Dei, sed tu, bone homo, « jacta » cogitatum, id est « curam tuam super Dominum, » id est ab ipso omnia exspecta, et a te nihil. Curam Salomon vermem hominis dicit, quo homo corroditur, sicut pannus a tinea, et unaquæque res suo proprio verme : dico jacta, et potes, quia sermones ejus Dei, qui antea non poterant intelligi, sunt molliti, id est facti sunt intelligibiles super oleum, quia magis penetrant corda hominum quam oleum carnem : et ipsi sunt jacula, ad impugnandas sententias inimicorum, dixi jacta super Dominum curam tuam, « et ipse Dominus enutriet te » in fide, et dando augmentum in virtutibus, et licet hic habeas fluctuationem, tamen « in æternum non dabit fluctuationem justo, » id est turbationem, sed quietos faciet in vita æterna.

Tu vero justo non dabis fluctuationem, sed « eos » quos dividis in ira, « tu, Deus, deduces in puteum interitus, » id est in profunditatem mortis, tradendo in inferno.

« Viri. » Dico deducis in puteum, et citius quam ipsi putent, et hoc est « viri sanguinum, » id est qui innocentem corporaliter interficiunt, non enim judices debent dici homicidæ et dolosi, qui viventem spiritualiter occidunt, non « dimidiabunt dies suos, » scilicet, quos se habituros opinantur. « Ego autem sperabo in te, Domine. » Vel non dimidiabunt dies suos, quod deberent facere, ut si in prima et secunda ætate mala fecerunt, saltem in ultima cessarent. Vel non dimidiabunt, id est non licet eis dimidiare, partim Deo serviendo, partim diabolo. Unde in Evangelio : « Non potestis Deo servire et mammonæ (*Matth.* VI). »

IN PSALMUM LV

TITULUS. *In finem psalmus David pro populo, qui a sanctis longe factus est in tituli inscriptione, cum tenuerunt eum Allophili in Geth.*

« Miserere mei, Deus, quoniam. » Tangit hic de Novo Testamento et Veteri historiam, de Novo, ubi dicit, in tituli inscriptione. Non enim legitur in Veteri historia, quod David habuisset aliquam inscriptionem. De Veteri, ubi dicit, « tenuerunt eum Allophili in Geth. » Fugiens enim, David furorem Saulis, venit Geth, in terram Allophilorum, ipsique tenuerunt eum, et conculcaverunt eum (*I Reg.* XXI). In hac sua pressura intellexit David pressuram Ecclesiæ. Allophili interpretantur alienigenæ secundum sensum, similiter interpretantur Philistæi, potione cadentes : Geth, torcular interpretatur. Titulus ita legitur : psalmus iste attribuitur David, scilicet ut ipsa Ecclesia liberetur a populo, qui populus longe factus est a sanctis in tituli inscriptione, quia cum confiteantur sancti Christum regem esse Judæorum, sicut titulus dicit : populus iste contradicit, aliqui si non dictis, tamen factis, sicut mali Christiani, per hoc longe factus, cum, id est quia tenuerunt eum David, id est Christum et Ecclesiam. Allophili, id est populus iste alienus a Deo, in Geth, id est in torculari, scilicet in pressura hujus vitæ. Materia est Ecclesia, et ipsa loquitur de se. Modus : In prima parte petit liberari a dæmonibus, et a membris ejus, ponens fiduciam suæ liberationis in

Deum. In secunda parte, quæ incipit ubi dicit : « Tota die verba mea exercebantur, » enumerat illa mala, quæ facit populus ille, dicens tamen illa mala se non timere, cum etiam cedat illi populus. In tertia parte, quæ incipit ubi dicit : « In me sunt, Deus, vota tua, » dicit se laudaturum Deum in æternum. Intentio est, nos admonere, ut cum patientia sustineamus mala hujus vitæ, attendentes etiam illos qui nobis mala inferunt, ad nos converti. Et licet confidat Ecclesia de sua liberatione, tamen suam attendens infirmitatem, sic incipit orare : « Miserere mei, Deus : » Et necesse est, « quoniam homo, » id est diabolus, qui dicitur homo, scilicet, carnalis, terrenus, « conculcavit me. » De quo dicitur in Evangelio : « Venit inimicus homo, et superseminavit zizania (*Matth.* XIII), scilicet « tota die impugnans » verbis et suggestionibus « tribulavit me » manifestis impugnationibus.

« Conculcaverunt me. » Ostendit per quid faciat hujusmodi impugnationem Ecclesiæ : dico tribulavit, per hoc scilicet, « quia conculcaverunt me inimici mei » ad modum uvæ quæ premitur in torculari, oppresserunt me umbra diaboli : et « tota die, » et potuerunt conculcare, « quoniam sunt multi bellantes adversum me. »

Ipsi me ita conculcaverunt, sed « timebo » ego « ab altitudine, » id est a potentia, quæ quidem non est, quia « diei » est, id est, ab ipsa concessa, et quæ est parva ita ut dicatur unius diei, quasi diceret, Non timebo, sed potius « ego in te sperabo. »

Dico quod in te sperabo, et « laudabo, » id est, C laudabiles faciam « sermones meos, » id est prædicationes meas, per hoc quod erunt « in Deo. » Dixi : Sperabo in Deo, et propter hoc « non timebo quid faciat mihi caro, » id est quicunque carnalis.

Hic incipit de secunda parte. Bene dico quod faciat, quia assidue faciunt mihi mala, et hoc « tota die exercebantur verba mea, » id est prædicationem meam exsecrabilem judicabant : « et omnes cogitationes eorum in malum » erant « adversum me, » non meo merito, sed tendentes eis in malum, quia injuste cogitabant. Nec tantum extranei mihi mala inferebant, sed etiam privati, hoc dicit « inhabitabunt » mecum corporaliter « et abscondent » mihi laqueos mortis, et si statim non possunt decipere, imitantes magistrum suum diabolum, qui semper in finem vult decipere hominem, « ipsi calcaneum meum observabunt. » Ita observabunt calcaneum, « sicut sustinuerunt animam meam. » Mali enim quasi grave pondus ferunt vitam justorum, sed ego non curo ; quia tu, Domine, « salvos facies illos » et hoc « pro nihilo, » id est sine aliquo merito eorum, et per hoc salvabis, quia « confringes, » id est, humiliabis « populos in ira, » id est in aliqua vindicta, quam de eis sumes. Vel « in ira, » id est in consideratione venturæ iræ, in die judicii. Tu confringes eos, et ego appono partem meam ad conversionem, scilicet, annuntiabo fecisse me multa peccata, et illa mihi esse condonata, ut ipsi hoc audientes, non desperent pro peccatis suis, et hoc est « Deus vitam meam, » scilicet, quæ ex me est, scilicet, peccata mea « annuntiavi tibi » et etiam « lacrymas meas » pro his fusas, tibi protuli, quas tu « posuisti in conspectu tuo. »

« Sicut et in tua promissione. » Promissio enim Dei est, quod ipse suscipiat lacrymas quæ a sanctis funduntur, id est per tuam confractionem, et meam annuntiationem « convertentur inimici mei » a sua mala via, ita quod sint « retrorsum, » id est, sequantur me. Ipsi convertentur, et « in quacunque die » ego cum illis jam facti una Ecclesia « invocavero te, ecce cognovi » quoniam exaudies me, et hoc est « quoniam Deus meus es, » id est meus adjutor. « In Deo laudabo. » Et quia me exaudies, « in Deo laudabo verbum, » id est Filium Dei in Deo Patre, B intelligendo et prædicando ipsum esse Filium coæternum, omnipotentem, et prorsus idem cum Deo Patre, « et in Domino laudabo sermonem, » id est, Christi prædicationem per Spiritum sanctum esse factam, et ideo « speravi in Deo » et propter hoc « non timebo quid faciat mihi homo, » id est carnalis aliquis. Hic incipit de tertia parte. Ideo non timebo, quia et si auferantur mihi hæc temporalia, tamen remanebit mihi unde tibi servire possim, quia « in me, » id est in meo interiori, o « Deus, sunt vota tua, » id est desideria tibi serviendi : « quæ » vota ego tibi « reddam « scilicet, « laudationes tibi, » id est, laudabo te vel vota laudationis reddam tibi. « Quoniam. » Et debeo laudare te, « quoniam eripuisti animam meam, » id est, eripies in alia vita « de morte » æterna : de qua ereptione ita sum certus ac si jam haberem « et pedes meos, » id est affectiones meas, eripies « de lapsu, » quia ibi nullo modo movebitur ad malum affectio mea, ad hoc scilicet eripies ut ego positus « in lumine viventium, » id est ut habeam cognitionem de Deo, quam habebunt vere viventes, « placeam » tibi et bonis omnibus « coram Deo, » id est in beneplacito Dei.

IN PSALMUM LVI.

TITULUS. *In finem ne disperdas David in tituli inscriptione, cum fugeret a facie Saul in speluncam.*

« Miserere mei, Deus. » Tangit hic iterum veterem historiam et novam. Legitur enim in veteri historia (*I Reg.* XXII et XXIV) quod David fugiens Saulem, abscondit se cum suis, in speluncam. Contigit autem ut Saul in eamdem speluncam diverteret ad purgandum ventrem. Et cum David moneretur a suis ut eum interficeret, noluit, sed parte chlamydis, rege nesciente, abscidit, ut per hoc animadverteret, quod eum David, si vellet, interficere potuisset. Cum vero rex exisset, exivit David, et clamavit : Rex Israel, attende, quia cum partem vestis ab cidi, potuissem te interficere, si vellem. Tunc rex recognoscens suam iniquitatem, non tamen cessavit a persecutione. Non debemus hic attendere de hac sua tribulatione scripsisse prophetam, sed per se Christum intellexit : per speluncam in qua latuit, huma-

nitatem Christi, in qua latuit divinitas: a facie Saul, id est a cognitione diaboli, vel Judæorum, qui per diabolum Christum impugnabant. Vel per speluncam possumus accipere sepulcrum, in quo latuit Christus. Cognoscens Esdras prophetam hoc de Christo intellexisse, ideo sic intitulavit, qui titulus sic legitur: Psalmus iste tendit in finem, id est in Christum, admonens nos: O tu homo, sive Judæus sis, sive gentilis, ne disperdas David, id est, dehonores Christum in tituli inscriptione, mutata a te, id est, subtrahendo te a regno Christi, scilicet, negando Christum esse regem Judæorum: inscriptione tituli dico mutata a quibusdam; tunc scilicet, cum fugeret David a facie Saul, id est a cognitione diaboli et Judæorum, in speluncam, id est in humanitatem, vel in sepulcrum. Propter hoc cum quod solam Christi humanitatem cognoverunt, et eum in sepulcro mortuum viderunt, nullo modo attendentes esse eum Deum, quidam mutaverunt inscriptionem tituli, negantes Christum esse regem Judæorum. Materia est Christus, Modus est, quod in prima parte sicut in aliis psalmis, in quibus agit de passione, præmittit orationem. In secunda parte, quæ incipit: Paratum cor meum, Deus, ostendit se magnam laudem Deo ex sua glorificatione facere. Intentio est, ne disperdas David, id est, semper Christum regem confitearis, ad quod bene monet, cum ostendit Christum, licet aliquando passum, tamen valde glorificatum, et ex sua glorificatione in omni gente Deo laudem acquisivisse.

Christus prævidens suam passionem, sic orat: « Miserere mei, Deus, miserere mei: » cum ingeminat orationem, innuit nobis magnam necessitatem, et ideo debes miserere « quoniam in te confidit anima mea. »

« Et in umbra alarum. » Ponit modum, quomodo velit, quod Deus sui misereatur. Miserere, et debes facere, quia « sperabo in umbra, » id est in refrigerio « alarum tuarum, » id est misericordiæ et potentiæ tuæ. Per simile loquitur, quia sicut gallina adumbrat pullos alis, protegit ab æstu, sic Deus per misericordiam suam et potentiam obumbrat et protegit sperantes in se: sperabo dico « donec transeat iniquitas, » id est, impleverint omnes iniquitates suas in me.

« Clamabo, sperabo, » et non otiosus, sed « clamabo ad Deum altissimum, » qui etiam dominatur angelis; et ne aliquis diceret: Cum sit ita alius, non respiciet te, dicit: Cum ita sit altissimus, tamen respiciet me, quia humiliavit se mihi, et hoc est quod dicit: « ad Deum qui bene fecit mihi. »

« Misit de cœlo. » Hoc scilicet bonum fecit mihi, « misit de cœlo » verbum quod univit meæ humilitati « et » per hoc verbum « liberavit me, » id est animam meam, humanitatem, removendo omnia mala, et conferendo glorificationem, et per idem verbum « dedit in « opprobrium conculcantes me, » id est, ut omnes gentes habeant opprobrio, conculcantes me Judeos. In hoc versu incipit de secunda parte, et ponit breviter glorificationem, cum dicit liberavit me, et passionem ubi dicit, conculcantes me. « Misit. » Determinat quid miserit, et a quibus liberavit, cum dicit « misit Deus misericordiam suam, » id est Filium suum per quem misertus est humani generis, « et veritatem suam, » id est per ipsum Filium, qui veritas dicitur, quia per ipsum completæ sunt omnes promissiones Dei « et » per ipsam misericordiam « eripuit animam meam de medio, » id est de communi, quia eam ex omni parte invadebant, de medio dico « catulorum, » id est plebis Judæorum, qui sunt filii « leonum, » id est malorum principum, a quibus minores incitabantur, quasi catuli, ad Christi impugnationem eripuit dico, et necesse erat, quia ego « conturbatus » fui ab illis per mala, quæ mihi intulerunt et in illa conturbatione « dormivi, » id est mortuus fui. Mortem suam bene comparat dormitioni, quia quam leviter aliquis excitatur a sua dormitione, ita leviter excitatus fuit Christus a sua morte.

« Filii. » Bene dico conturbatus et ostendit a quibus, scilicet Judæi. Quasi diceret: Vere fui conturbatus, quia « filii hominum, » id est Judæi qui sunt filii rationabilium hominum, id est generati a prophetis, et ideo ipsi deberent uti ratione « laqueum paraverunt, » id est aliquem dolum « pedibus, » id est prædicationi meæ: « et incurvaverunt animam « meam, » quia secundum opinionem ipsorum erat anima mea depressa et incurvata multis peccatis. Vel incurvaverunt animam meam, quia fecerunt me contristari de duritia eorum. Unde in alio psalmo dicit: Humiliabam in jejunio animam meam. Quia aliquis diceret: Non paraverunt, sed potius Romani te interfecerunt, ad hoc respondit: imo paraverunt, quia, licet manibus non interficerent, tamen lingua interfecerunt, et hoc est « dentes, » id est corrosiones « eorum » fuerunt « arma, » id est manifestæ impugnationes « et sagittæ, » id est, doli, et consilia, quibus me occulte ferirent « et lingua eorum » fuit « gladius acutus, » scilicet efficiens mortem, sicut gladius: ut cum dicerent: Crucifige, crucifige eum.

« Exaltare. » Facta interpositione, quomodo Judæi impugnarent eum per verba, facit aliam interpositionem de sua liberatione. Continuatio: Ipsi me ita impugnant, sed tu, Deus, qui humilis apparuisti, dum me tribulare permisisti, « exsultare, » id est, exaltatus appare, resuscita me, ducendo « super cœlos » materiales. Vel « cœlos, » id est super angelicam creaturam, « et » per hoc, si me exaltaveris, « gloria tua » effundetur « in omnem terram, » id est fama nominis tui. Facta interpositione, ponit illam a qua pendebat constructio. Filii hominum paraverunt laqueum. « Foderunt. » Dico incurvaverunt animam meam, et etiam « foderunt, » id est, foveam paraverunt, id est mortem, in qua me præcipitarent, a qua nullo modo egredi possem, et hoc « ante faciem meam, » id est in conspectu meo, cum dicerent: Reus est mortis (*Matth.* xxvi), « et » ipsi « inciderunt in eam, » quia ubi mortem mihi machinati sunt, seipsos occiderunt.

Tertia pars. Continuatio : Ipsi tot mala mihi intulerunt, tamen « cor meum » semper fuit « paratum » cantare tibi, et etiam « cor meum » semper fuit « paratum » psallere tibi, et ad quod fuit paratum, hoc explebo, quia « cantabo » scilicet corde et ore laudabo « et psalmum dicam » bene operando.

Dico, psalmum dicam et cantabo, et ut hoc possim explere, « exsurge, » id est, appare, o « gloria mea, » quæ scilicet hactenus latuisti et, o tu « psalterium et cithara, » id est caro mea « exsurge, » id est appare in virtute quam habes a Deo. Psalterium dicitur caro Christi, propter opera quæ semper fecit. Cithara dicitur, propter mortificationem, quia in passione extentus fuit in ligno, sicut corium mortui animalis. Unde et alibi : « Dinumeraverunt omnia ossa mea. »

Dico exsurge, et non dubito de resurrectione, quia ego « exsurgam, » et ut certissime etiam terminum dicam, dico « diluculo, » id est summo mane, prima sabbati. Et cum resurrexero, « confitebor tibi, » id est laudabo te per prædicatores « in populis, » id est inter Judæos, « et in gentibus dicam tibi psalmum, » id est acquiram tibi bonos operatores.

« Quoniam. » Ostendit per quos confiteatur, scilicet, per cœlos et per nubes, et ostendit per quid illi sint facti cœli et nubes, scilicet per misericordiam Dei, quæ magnificata est. Continuatio : Dico confitebor, quæ confessio per hoc eveniet, « quoniam misericordia tua magnificata est, » id est, Filius tuus magnificatus est « usque ad cœlos » constituendos, quia quosdam constituit cœlos, id est sanctos apostolos in Ecclesia, « et veritas tua, » id est ipse Filius, qui bene veritas dicitur, quia per eum Dei Patris promissa completa sunt, est magnificata « usque ad nubes » constituendas, scilicet, sanctos prædicatores, qui compluunt Ecclesiam rore cœlestis doctrinæ. Vel « misericordia est magnificata, » id est Filius ascendit supra cœlos. Aliud quod sequitur non mutatur. Et ut constituantur alii cœli, alii nubes, « exaltare, » o « Deus, super cœlos, et super omnem terram gloria tua. » Ideo versus iste, qui intercalaris dicitur, maxime reperitur, quia in eo pendet maxima vis totius intentionis, scilicet ne disperdamus David.

IN PSALMUM LVII.

TITULUS. *In finem ne disperdas David in tituli inscriptione.*

« Si vere utique. » Psalmus iste intendit in finem, id est, in Christum, moneus ne tu quicunque disperdas David, id est honores Christum, tituli inscriptione mutata, semper regem Judæorum confitearis eum, et hæc est intentio sicut in alio psalmo, scilicet, ne disperdas David. Materia sunt Judæi per oppositum, qui a Christus debet esse principalis. Modus : In prima parte redarguit Judæos, enumerando quædam eorum mala. In secunda parte, quæ incipit : Deus conteret dentes eorum, ostendit damnationes Judæorum. In tertia parte, quæ incipit : Lætabitur justus, ostendit justos lætari et ex hoc quod ex damnatione eorum castigati sunt, cum ostendit Judæos damnari, qui disperdiderunt David, maxime nos admonet, ne desperamus David. Vox prophetæ sic incipientis ad increpationem : O vos filii « hominum » scilicet, prophetarum, quorum rationem imitari deberetis « vos utique si vere justitiam « loquimini, » id est vero fidelique corde secundum Deum, tum « recte judicate » cognoscendo Christum jam esse promissum Redemptorem nostrum, Filium Dei, etc. Ideo dico recte judicate, « etenim » non recte judicatis, sed potius vos positi « in terra, » id est, in appetitu terrenorum, « in corde » vestro « operamini iniquitates, » id est iniqua cogitatis et sicut mala cogitatis, sic facitis, et hoc est, « manus vestræ concinnant, » id est concordes exsequuntur « injustitias. » Hoc ideo faciunt quia ipsi « peccatores sunt alienati, » id est reprobati a Deo « a vulva, » id est a conceptione ipsa. Vel « a vulva, » id est a nutrimento Ecclesiæ, et non tantum sunt alienati, sed etiam « erraverunt, » id est erroribus deputati sunt « ab utero, » id est a conceptione, vel ab utero Ecclesiæ, in quo nutriuntur quidam, ut ad fidem perducantur, et non tantum in seipsis mali fuerunt, sed etiam « locuti sunt falsa » ut alios deciperent.

« Furor » etiam est « illis secundum similitudinem serpentis » non tantum cujuslibet serpentis, sed « sicut aspidis surdæ » non per naturam, sed obturantis aures suas. »

« Quæ non exaudiet vocem incantantium, » et non quorumcunque incantantium, sed « sapienter « etiam, incantantium » « et » hoc est « venefici, » id est sapientis. Sicut enim in caverna sua cum incantatur, unam aurem affigit terræ, et alteram cauda obstruit, ne prodeat in lucem, et ab ea venenum extrahatur, sic Judæi exsistentes in cavernis ignorantiæ et peccatorum, unam autem affingunt terræ, id est delectationi præsentium bonorum, et aliam obstruunt cauda, id est priori vel veteri consuetudini legis suæ, ne possint Evangelii veritatem percipere, et ne prodeant, scilicet, in veram cognitionem, et ne abstrahatur venenum ab eis, id est odium, et alia peccata.

« Deus conteret. » Secunda pars, Continuatio : Et quia ita mali sunt, « Deus conteret, » id est destruet et falsas ostendet « dentes eorum, » id est corrosiones, eorum « in ore ipsorum, » id est propria verba ipsorum, quia sæpe contingit ut in verbis propriis falsi esse convincantur, ut Augustinus contra milites, qui dixerunt, ipsis dormientibus corpus Christi furtim ablatum fuisse, dicit : Si dormierunt, quomodo sciverunt ? et si non dormierunt, quare non custodierunt ? Et etiam « molas, » id est magnifica verba, quia molæ dicuntur illi majores dentes, molas dico « leonum, » id est majorum principum « confringet, » id est destruet, et falsas ostendet « Dominus, » nec poterunt venire ad aliquem effectum. Et aliud malum, « ad nihilum devenient » de gloria regni sui, « tanquam aqua decurrens. » Sicut enim torrens de pluviis cito crescit, et cito defi-

cit, sic illi cito deficient, et per hoc ad nihilum devient, quia Deus « intendit arcum suum, » id est paravit vindictam suam « donec infirmentur, » id est convertantur ad Deum.

«Auferentur etiam sicut cera quæ fluit,» quia sicut cera adnihilabuntur, quia in ignem æternum descendent, ideo auferentur, quia « ignis, » id est ardor concupiscentiæ eorum « cecidit » super eos, « et » ideo « non viderunt solum, » id est Christum non cognoverunt. Hic convertit se ad eos. Continuatio : Super eos cecidit ignis, et hoc priusquam intelligeretis per peccata vestra vos esse puniendos, et hoc est : priusquam « spinæ vestræ, » id est peccata vestra « intelligerent » se esse « ramnum, » id est pungentia. Ramnus est herba, prius mollis, deinde quando maturescit, habet acutissimos aculeos, sic peccata prius sunt mollia, et delectant, et deinde gravissime pungunt. Alia translatio hanc sententiam manifeste confirmat, quæ est, priusquam spinæ vestræ producant ramnum. Vel aliter : Dico auferentur, et vere vos auferemini citius quam putetis, et hoc est, « prius auferemini, quam spinæ vestræ producant ramnum, » id est veniant ad maturitatem, ad consummationem nequitiæ, dico auferentur, per hoc scilicet, quod « absorbet eos, » id est destruet eos, quasi absorpti sint a terra, absorbet dico « sicut in ira, » id est similis irato, et bene dicit, sicut, quia Deus nunquam iratus est, ipsos dicit non viventes, sed « sicut viventes » quia non vere vivunt, sed etiam si viventes exterius videantur, tamen interius mortui sunt, quia carent vita, quæ Deus est.

« Lætabitur, » tertia pars. Deus ita vindicabit se de eis, « justus » autem « cum viderit hanc vindictam, lætabitur » consentiens, divinæ justitiæ, et « lavabit, » id est purgabit « manus suas, » id est operationes suas « in sanguine peccatoris, » id est in consideratione sanguinis, id est vindictæ quam Deus sumet de peccatore, « et dicet homo » ille « si « fructus est justo » de justitia tua, quod utique est, tunc « utique Deus est judicans eos » malos, id est reputans dignos damnatione : « in terra, » id est dum vivunt in hoc sæculo.

IN PSALMUM LVIII.

TITULUS. *In finem ne disperdas David in tituli inscriptione, quando Saul misit et custodivit domum ejus, ut interficeret eum.*

« Eripe me. » Tangitur hic aliquid de nova et veteri historia. Legitur enim in veteri historia (*I Reg.* XIX) quod David fugiens Saul, perrexit ad Michol uxorem suam, in quamdam domum suam ; quod cum Saul cognovisset, fecit domum custodiri, ne David posset evadere, et interficeret eum. Uxor sua vero hoc perpendens, emisit eum per fenestram, et sic liberatus eum. Per hoc quod David ita fuit circumseptus in domo sua, intellexit, quod Christus custodiretur a ministris Saul, id est diaboli, in sepulcro suo, ut occiderent eum, id est ut famam ejus exstinguerent. Titulus ita legitur : Psalmus iste tendit in finem, id est in Christum admonens, ne tu quicunque disperdas David, corrumpas regnum Christi, id est Christum : in tituli inscriptione, mutata a quibusdam, tunc quando Saul, id est diabolus, misit milites, et custodivit domum, id est Christi sepulcrum, ut interficeret eum, id est exstingueret famam ejus. Hanc causam habuerunt quidam, quare mutaverunt titulum, quia videbant eum mortuum, et in sepulcro positum. Materia Christus est, de qua sic agit : In prima parte petit liberationem et exaltationem. In secunda parte conversionem gentium, quæ ex illa exaltatione et liberatione procedit, quæ ibi incipit. «Convertentur ad vesperum.» In tertia parte, conversationem Judæorum, quæ est ibi, et de exsecratione et mendacio. In quarta parte, laudem, quam totus Christus Deo inde faciat pro sua liberatione, et Judæorum et gentium conversione, quæ ibi incipit : « Ego autem cantabo fortitudinem. » Intentio est, ne disperdas David. Vox capitis, sic pro sua liberatione orantis : « Deus meus, eripe me » per tuam magnam potentiam, ne isti mali possint conformare sibi : « de inimicis meis, et ab insurgentibus in me libera me. »

« Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me. » Inimici sunt, qui solam voluntatem habent nocendi erga proximum. Insurgentes, qui jam commoti sunt furore et ira, ut mala faciant, nec tamen faciunt : contradicentes verbo, iniquitatem operantes, qui actualiter mala inferunt, viri sanguinum sunt, qui furorem suum circa hominum interfectionem perducunt. Et opus est ut eripias, « quia ecce » in manifesto est « ceperunt animam meam fortes », id est dæmones, et principes Judæorum « irruerunt in me, » id est impetum fecerunt sine omni ratione.

« Neque iniquitas. » Ostensa necessitate suæ liberationis, ostendit meritum, quare dignum sit ut eripiatur. Continuatio : Dico eripe, libera, quia hoc quod mihi faciunt, « neque » est « iniquitas mea, » id est neque peccavi in eis voluntate, neque actu, et hoc est, « neque peccatum meum, Domine : » vel iniquitas quantum ad proximum, neque peccatum ad me ipsum, scilicet, neque peccavi contra eos, neque in me ipso, quare ipsi debeant mihi hæc mala facere, sed potius « cucurri, » id est, militiam meam explevi « sine iniquitate » scilicet, nihil mali eis intuli, et non tantum mala non intuli, sed bona feci, et hoc est, « et direxi » aliquos exemplo et documento, ut ad viam vere cognitionis ascenderent. Et quia sic cucurri, o Domine, qui tunc videris dormisse, Domino me permitteres tribulari, « exsurge in occursum meum, » id est occurre mihi bene remunerando. Occurrit Deus Pater Christo, resuscitando eum, de militia bene remunerando : Christus Patri, bene promerendo : exsurge dico « et vide, » id est fac alios videre et cognoscere meam exsultationem, ut licet aliquando vidissent me depressum, tamen modo cognoscant me regem Judæorum, « et tu Domine, intende, » id est intentum te præbe « ad visitandas omnes gentes, » quæ infirmæ sunt one-

ratæ peccatis, et ideo opus est ut intendas aspirando, et eis emittendo prædicatores, tu dico « Deus virtutum, » id est angelorum, « et Deus Israel, » id est Israelitici populi, scilicet, visites eos sic, ut facias concorporari gentes cum angelis, et etiam cum Israelitico populo visita gentes, et « non miseraris omnibus, » non dico quin aliquibus, qui volunt converti, sed non omnibus, scilicet, non obstinatis miseraris, « qui operantur » egregiam « iniquitatem scilicet, mortem meam. » Vel « operantur iniquitatem, » id est in sua malitia perseverant. Obstinatio Judæorum valuit ad conversionem gentium. Unde dicitur : « Cæcitas contigit in Isra l, ut plenitudo gentium intraret (*Rom.* xi). » Posita oratione pro conversione, ponit affirmationem conversionis. Continuatio : Dico intende, et vere intendes, quia gentes « converterentur » a sua idololatria, ad cultum Dei, et hoc « ad vesperum », id est in tempore gratiæ, « et patientur famem » incorporando sibi alios « ut canes » latrantes in prædicatione Dei, « et circuibunt civitatem », id est Ecclesiam custodiendo magnam, ne quis hæreticus locum impugnandi inveniat.

Dico famem patientur, et « ecce » scilicet, manifestum est, « loquentur » prædicatione Dei « in ore suo, » id est sibi convenienti, quia quod verbo prædicant, exemplo et opere confirmant, « et gladius, » id est verbum Dei, per quod occidunt prædicatores inimicos Christi excommunicando eos, defendentes filios Ecclesiæ ab hæreticorum impugnationibus, qui incidunt ex utraque parte (*Gal.* iii), Novo scilicet, et Veteri Testamento, erit « in labiis eorum : » ideo erit gladius in labiis eorum, « quoniam quis audivit » eos, id est aliquis audivit, id est obedivit eis prædicantibus, aliquis non audivit illos, qui audierunt, defendunt gladio, non audientes impugnant. Vel quis audivit prædicationem, antequam gentes haberent gladium Dei? quasi diceret, fere nullus; et ideo necessarium erat, quod gentes prædicarent verbum Dei.

Gentes convertentur, « et illos » qui non convertentur « deridebis », id est derisibiles ostendes. Legitur etiam in bono sic; gentes convertentur, « et tu, Domine, eos » conversos, « deridebis » id est derisibiles ostendes sibi ipsis, quia cognoscent se secundum priorem vitam derisibiles esse et contemptibiles « et ad nihilum deduces omnes gentes » tam bonos, quam malos. Boni ad nihilum deducuntur, quando priorem vitam deserunt, et nihil eam reputant. Mali, quando propter priorem vitam, damnabuntur.

« Fortitudinem. » Postquam ostendit conversionem gentium, ostendit quare non destruet inimicos suos Judæos, cum posset facere, quia secundum voluntatem Dei cognovit illorum conversionem, et dispersionem utilem fore ad conversionem gentium, et ad Judæorum conversionem, quæ in novissimis temporibus est futura. Continuatio : Omnes gentes ad nihilum deducentur, sed « fortitudinem meam, id est patientiam meam, qua possum perdere Judæos, « custodiam ego ad te, » id est juxta voluntatem tuam : ideo juxta voluntatem Dei, quia « Deus ostendit mihi » exsistenti mihi « super inimicos meos, » quia superior illis omnibus eram, et possem me ad libitum meum de eis vindicare, hoc non ponit quod ostendisset, sed ex sequentibus potest intelligi, scilicet quod utilis esset eorum conservatio, dico Deus ostendit, et quod ipse ostendit, debeo facere, « quia » ipse « Deus est susceptor meus » cum meam humanitatem suæ divinitati conjunxit « et etiam Deus meus, » id est creator meus « misericordia ejus præveniet me. » Semper enim Christus fuit præventus a misericordia Dei, et in ipsa conceptione, et semper postea ostendit mihi Deus, et tu, Domine, « ne occidas eos, » id est ne prorsus disperdas eos inimicos meos, ideo hoc precor, « ne populi, » id est gentiles, « obliviscantur mei, quando, » id est aliquo tempore, quia etsi statim non obliviscerentur, tamen post magnum tempus obliviscerentur nisi haberent Judæos, qui mortem Christi Redemptoris sua dispersione confirmarent, et lex sua quam habent, testimonium Christi est. Vel, ne populi mei obliviscantur mei.

Ne occidas, sed potius « dispergas illos » per diversa regna, et hoc « in virtute tua, » id est in potentia tua, quæ petitio Christi impleta fuit, quando eos Titus et Vespasianus dispersерunt, et incipit orare pro conversione eorum, dicens Deo : « Depone eos, protector meus Domine » de superbia sua.

« Delictum. » Depone superbiam, et etiam depone « delictum oris eorum, » id est cordis eorum : cor ideo dicitur os, quia hiat in desideriis sicut os « et » etiam « sermonem labiorum ipsorum » ut cum dicerent : « Dæmonium habes (*Joan.* 7 et 8), » et similia : « et comprehendantur, » id est convincantur « in superbia sua » ut cognoscant propter superbiam suam in has miserias se incidisse.

Dico comprehendantur. Tertia pars. Vere comprehendantur, quia « de exsecratione, » id est de hoc quod omnes habent eos exsecrabiles, « et de mendacio. » Mendaces enim erant male interpretando Scripturas, et etiam mentientes de Christo, cum dicerent : Venerunt discipuli ejus nocte, et furati sunt corpus ejus, et de ipsis edocti erant « in consummatione, » id est in perfectione virtutum : et ita, quod « annuntiabunt » alii scilicet, quod dicetur Judæi qui inimici erant Christi, ad ipsum conversi sunt et annuntiabunt etiam « in ira » esse « consummationis, » id est perfecti consummati, considerando iram et vindictam judicis in futuro judicio : « et » etiam « non erunt » quales prius erant, scilicet blasphemi et peccatores. Vel « annuntiabuntur, » id est per annuntiantes erunt « in consummatione. » Alia translatio habet planiorem litteram, et de exsecratione, et mendacio evellentur in ira consummationis.

« Et » tunc ipsi Judæi « scient, quia Deus dominabitur Jacob, » id est Judaici populi « et » etiam finium terræ, id est gentilium, per omnes gentes

terræ scilicet, cognoscent Judæi eumdem Deum esse Judæorum et gentium. Hic ponit apertam conversionem. Continuatio : Evellentur de exsecratione quia « convertentur ad vesperam, » id est circa finem mundi, « et famem patientur ut canes, et circumibunt civitatem, » ut supra.

Et « ipsi » conversi, qui prius inviti erant dispersi, sponte « dispergentur ad manducandum » ut alios faciant cibum suum, id est incorporando eos sibi ; « si vero non fuerint saturati, et murmurabunt, » id est, si non possunt sibi alios incorporare ut voluerint, et murmurant, sicut olim in deserto pro cibo corporali murmuraverunt, sic modo pro spirituali murmurabunt.

« Ego autem. » Quarta pars. Ipsi ita dispergentur, « ego autem » tutus propter hæc omnia « cantabo, » id est laudabo corde et ore « fortitudinem tuam, » id est potentiam, qua liberasti me, et Judæos et gentes convertisti « et exsultabo, » id est exsultans annuntiabo « veritatem tuam » de resurrectione, facta « mane » et in me et in meis maxime. Hoc juste facio « quia tu factus es susceptor meus » et meorum ad maximam dignitatem « et refugium meum » quando maxime necesse est, scilicet « in die tribulationis meæ » et meorum in hac vita. « Cantabo, » et etiam « psallam » bene operando « tibi, » qui es « adjutor meus » in bonis operibus : psallam ideo, « quia » tu « es susceptor meus Deus » non homo susceptor, sed susceptor Deus, id est quia susceptum deificas, et etiam « Deus meus, » id est creator meus « et etiam misericordia mea, » id est faciens mihi et meis omnia per misericordiam.

IN PSALMUM LIX.

TITULUS. *In finem pro his qui commutabuntur inscriptione tituli ipsi David in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Syriam Sobal, et convertit Joab, et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.*

« Deus repulisti. » Mortuo Saule, postquam David obtinuit regnum, succendit Mesopotamiam, scilicet partem Syriæ, et Syriam Sobal, et aliam partem Syriæ, et convertit se ad Joab inimicum suum et percussit Edom (*II Reg.* VIII *et* X ; *I Par.* XVIII), id est Idumæum populum, quia erat populus ille de terra Idumæa, quæ sic vocata fuit ab Esau habitatore, qui sic vocatus fuit Edom, quia dilexit terrena. Per has enim victorias intellexit David victorias Christi, quas facturus erat in Judæos et gentes. Titulus sic exponitur : Iste psalmus habitus pro his, id est ad honorem illorum, qui commutabuntur in finem, id est in Christum, vel in perseverantiam, ostendit enim psalmus iste commutationes duas justi, unam in hac vita, quæ fit de peccato ad justitiam, secundam in alia vita, quæ est de mortalitate ad immortalitatem, quæ commutatio fiet, inscriptione tituli, suscepta per fidem, scilicet quia credunt Christum regem Judæorum, inscriptione dico facta ipsi David, id est Christo, eundo etiam in doctrinam, id est in præcepta ejus, se legi ipsius Christi conformans, ut secundum eam legem operetur, quia « fides sine operibus mortua est (*Jac.* II), » commutabuntur dico, cum succendit, id est per hoc quod succendit igne Dei Mesopotamiam Syriæ, id est Judæos, quos vocando elevavit, elevando sustulit in alteram dignitatem, qui prius erant sublimes, id est singulariter superbi de cognitione Dei : Mesopotamia enim alta vocatio. Syria vero *sublimis* interpretatur, id est Christus succendit Syriam Sobal, id est ipsos Judæos, sublimes et superbos de vana vetustate, id est de carnalibus observantiis legis. Sobal namque *vana vetustas* interpretatur, et convertit ad fidem suam ab idololatria Joab, id est inimicum suum, scilicet gentilem populum, quia nullam cognitionem de Deo habebant, et percussit, id est commovit de infidelitate ad fidem. Edom, id est gentilem populum terrenis deditum, vel in peccatis sanguineum. Edom namque vel *terrenus* vel *sanguineus* interpretatur, quia percussit terrenitatem gentium, scilicet quod jam terrena non quærerent, per hoc convertit Joab, id est gentilem populum, et ita percussit eos, quod essent in valle Salinarum. In valle fuerunt, id est in humilitate, quæ est mater omnium virtutum, et condimentum omnium bonorum, sicut sal ciborum, quia qui sine humilitate virtutes congregat, pulverem in ventum portat, percussit dico duodecim millia, id est omnes in quatuor partibus mundi, fidem sanctæ Trinitatis confitentes. Per mille perfectio intelligitur. Materia est Judæi et gentes ad fidem conversi per Christi percusssiones. Modus : In prima parte per multas rationes et per auctoritatem ipsius Dei eos esse commutandos, scilicet de peccato ad justitiam. In secunda parte, quæ incipit : « Salvum fac dextera : » ostendit eos per eamdem commutationem pervenire ad aliam commutationem, scilicet de mortalitate ad immortalitatem. Intentio est, ut nemo contemnat istas percussiones, quia per eas habent utramque commutationem. Vox ad fidem conversorum per victimas Christi, et quia dicturi erant se commutandos, ostendit prius unde commutentur, cum dicit :

« Deus repulisti nos. » Ab amœno loco illo, in quo primum patrem nostrum constitueras : « et destruxisti nos » faciendo mortales et passibiles, quod antequam peccasset Adam, non erat : et hoc non tua culpa, sed nostra, qua « iratus es » nobis propter peccatum præcedens : « et » tamen « misertus es nobis » modo per incarnationem Filii. Unde alibi dicitur (*Habac.* III) : « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. » Ostendit quomodo sit misertus, quia « commovisti terram, » id est terrenos ab errore, « et conturbasti eam » ad pœnitentiam, et sicut cœpisti, o Domine, ita perfice, « sana contritiones ejus, » id est, remove ab ea miserias ejus quas sustinet, de quibus dixit : Destruxisti nos, et hæc sanatio fiet in communi resurrectione, vel sana contritiones, id est peccata, pro quibus habet cor contritum, et justum est ut sanes « quia » ipsa « commota est » gratia commovente per liberum arbitrium.

« Ostendisti. » Et licet peccata per commotionem dimissa sint, tamen non statim ad requiem eos colligis, sed tribulationibus, quibus purgentur, exponis. Commovisti, per hoc quod non solum « ostendisti » sola cognitione, sed ipsa rei experientia « populo tuo dura, » id est gravissimas tribulationes. Vel, ostendisti exemplo et prædicatione populo, qui debent te imitari, debere dura pati : « et potasti nos, » id est delectari nos fecisti, quasi in bono potu, « vino, » id est tribulationibus, quæ dicuntur vinum, quia bene purgant vulnera peccatorum, sicut vinum vulnera carnis, vino dico non dulcedinis, sed « compunctionis, » quia per illud ab omni parte compungimur.

« Dedisti. » Dico potasti populum vino compunctionis « et metuentibus te dedisti significationem, » scilicet præsentes istas tribulationes, indicantes et significantes eis, « ut fugiant a facie, » id est a vindicta Dei, quam in facie habent, et quam quasi præsentem considerant, a facie dico « arcus, » id est divinæ Scripturæ, scilicet quam vindictam minantur Vetus et Novum Testamentum ; præsentes enim tribulationes, quas pro veteri peccato sustinemus, nobis significant, quod si hic in peccato permanebimus, in futuro judicio gravissime puniemur. Vel per significationem divinam Scripturam possumus intelligere, quæ nobis proposita est ut sequamur. Vel significationem vexillum crucis possumus accipere, quod nobis indicat, ut fugiamus a facie arcus : ideo etiam adhuc ante populum portatur, ut nobis signum sit, ne Redemptoris nostri passionem fugiamus : quia « si compatimur, et conregnabimus (*II Tim.* III). » Ideo dedisti significationem, « ut liberentur dilecti tui » facti ab æterna pœna. Ecce per miserias hujus vitæ certificat futuram commutationem, quæ videbantur repugnare. Incipit secunda pars. Dico ut liberentur, et, « o Domine, libera, » et hoc est « salvum fac populum timentem te, » in « dextera tua, » id est, in potioribus bonis tuis, scilicet in æterna beatitudine « et » de hoc « exaudi me » quia sine intermissione oro, vel ideo ingeminat, quia res magna est.

« Deus. » Dico « salvum fac, » et bene dico, quia securus sum inde, quia « locutus est in sancto Deus, » id est in Filio suo, in quo promisit hanc salvationem, de qua locutio est. Ego populus fidelis « lætabor et partibor Sichimam, » id est, disponam humeros, imponendo onera, secundum quod humeri sustinere possunt, alios presbyteros, alios diaconos faciendo, et cætera. Sichimus namque *humerus* interpretatur « et convallem tabernaculorum, » id est Judæos qui ideo intelliguntur per convallem tabernaculorum, quia Jacob fugiens Laban avunculum suum, requievit cum ovibus suis in convalle tabernaculorum (*Gen.* XXXI). Quem locum vocavit convallem tabernaculorum, quia ipse ibi primum tabernacula sua fixit : et per Jacob et familiam suam intelliguntur Judæi, qui sunt nati ex Jacob : « metibor, » id est, quosdam assumam, quosdam rejiciam. « Meus est Galaad, » id est acervus testimonii, scilicet multitudo martyrum. Galaad namque *acervus testimonii* interpretatur, sic enim vocatus est cumulus lapidum, quem fecerunt Jacob et Laban in signum fœderis. Per acervum habemus multitudinem, per testimonium martyres, qui passione sua Christi passionem testificantur. Martyr enim Græce, testis Latine dicitur, et ille Galaad est meus, id est meæ societatis, qui mecum ibit ad Deum ; « et Manasses, » id est oblivio, scilicet qui oblitus est prioris status « est meus. » Unde alibi : « Obliviscere populum tuum, et domum patris tui (*Psal.* LIV) : » « et Ephraim, » id est fructificantes, est « fortitudo capitis mei, » id est Christi. Per illos enim Christus nunquam debilis, sed fortis apparet. Vel « capitis mei, » id est sustentatio mentis meæ. Cum Joseph esset in Ægypto, nato Manasse, dixit : Jam sum oblitus priorum dolorum . et ideo dictus est, Manasses, id est oblivio. Nato Ephraim dixit : « Jam fructificavi in terra aliena (*Gen.* XLI), » et ideo dictus est Ephraim, id est fructificatio.

« Juda rex meus, » id est Christus, qui nasciturus est de genere Juda, est rex meus : « Moab, » id est gentilis populus, est « olla, » id est refectio « spei meæ, » id est in quo spero refectionem. Vel « olla spei meæ, » id est probatio, in qua spero, quod nunquam deficiet, sicut olla fortis, quæ posita in igne probatior et fortior redditur. Moab *abutens lege* interpretatur, vel ex patre, populus autem abutebatur lege, quia contra legem erat natus. Loth enim a filiabus inebriatus, cum utraque coiit, et ab una Moab, et ab alia Amon genuit, et a Moab dicti sunt populi Moabitæ, et ab Amon, Ammonitæ. Ostendit qualiter gentes erunt suæ, scilicet per prædicationem Evangelii : et hoc est : « Extendam calceamentum meum, » id est Evangelicam doctrinam, quia ea calceata est Ecclesia, ut possit transire spineta et lutosa loca, scilicet quæcunque. Unde Apostolus : « Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis (*Eph.* VI), » hoc, inquam, calceamentum extendam « in Idumæam, » id est in terrenitatem gentilium, ut per hoc Evangelium contrita terrenitate, faciam Moab meam « mihi etiam alienigenæ, » id est illi qui, licet mihi corporaliter adhæreant, tamen mente alieni sunt, sicut hypocritiæ « sunt mihi subditi. » Postquam fideles, qui loquuntur, « salvum fac dextera » dixerunt, dixerunt etiam quod secum multos aggregarent, addunt, quod ab ipso Deo deducuntur in munitam civitatem, ubi accipient secundam commutationem. Continuatio : Hoc Deus promisit, sed « quis » est tam potens, ut « deducet me in munitam civitatem ? » id est in supernam Hierusalem et « quis deducet me usque in Idumæam, » id est in gentilitatem, ut multi ex gentibus mihi incorporentur, et ambietur civitas societate membrorum ?

« Nonne tu, Deus, » deduces, « qui » tamen sicut videtur « repulisti » permittendo tribulari « nos. » Repulisti nos, « et ulterius non egredieris in virtutibus nostris, » o « Deus, » id est, in exercitibus no-

stris, quia neque hodie jubet congregari exercitum, neque præbet manifestum auxilium, sicut fecit antiquis patribus. Tu non egredieris, ut vivas corporaliter, neque nos petimus, sed « da nobis auxilium de tribulatione, » scilicet ut tribulationes immissæ auxilientur nobis, et perducant ad civitatem munitam; et salutem hominum non petimus, quia « vana salus hominis, » id est transitoria, si sit ex homine. Dico, salus est vana, et ideo « in Deo faciemus virtutem, » id est ponemus spem virtutis nostræ in Deo, et non in salute hominum, vel in mundanis, quia omnia ei, et nihil boni nobis tribuamus, « et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. » Vel si inducatur ab Ecclesia Christus, loquens : Deus locutus est in sancto suo, hoc scilicet : Lætabor de resurrectione per me facta, et partibor Sichimam et convallem tabernaculorum metibor. Meus est Galaad, meus est Manasses, et Ephraim, id est fructificans, est fortitudo capitis mei, id est meæ divinitatis ; in illis non infirmatur caput meum, sed suaviter quiescit. Juda, id est confitens, est rex meus, quem ego constituam regem, et extendam calceamentum meum, id est humanitatem meam, qua fuit calceata divinitas, in Idumæam, faciendo eam ibi annuntiari. Quis deducet? quandoquidem Christus hæc bona facit mihi, ego qui deducet me in civitatem munitam? et cætera.

IN PSALMUM LX.

TITULUS. *In finem in hymnis psalmus David.*

« Exaudi, Deus, deprecationem meam. » Psalmus iste dirigit in finem, habitus in hymnis, in laudibus scilicet, David, id est Christi. In hoc enim psalmo totus ostenditur populus a cunctis partibus mundi, per omnes successiones clamare ad Dominum Christum. Ostendit etiam, quod per Christum ad eamdem hæreditatem, quam ipse Christus habet, ille populus pervenit. Materia est fidelis populus, qui. Modus est quod in prima parte ostendit se clamare ad Christum ut dictum est. Et secunda parte, quæ incipit. « Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam : » ostendit se Christi hæreditatem habere. Intentio est, contra illos, qui dicebant Christum esse paucorum, ostendere Christum esse regem universorum. Incipit ab oratione sic : « Exaudi, Deus, deprecationem meam » de remotione malorum, « et orationi meæ » factæ de impetratione æternæ vitæ « intende » intentum te præbe: quia res magna est, opus est magna intentione.

« Intende » dico, quia « clamavi, » id est irremissa cordis extensione peregi « ad te » habendum « a finibus terræ, » id est, de omnibus finibus terræ, « dum anxiaretur cor meum » sive exteriori, sive interiori tribulatione, et me clamantem ex necessitate « exaltasti » liberando a malis, conferendo justitiam. Me dico positum « in petra » in Christo firmatum per fidem, in quo securus sum, sicut aliquis positus in munitissima petra. Vel « in petra, » id est in constantia.

Et me ita exaltatum, « deduxisti me » de virtute in virtutem, et non sine merito, « quia factus es spes mea, turris fortitudinis » ad quem si refugiam, inveniam fortitudinem, « a facie inimici, » id est ab omni impugnatione inimici.

Postquam ostendit quod de universa terra populus clamaret ad Deum, ostendit quod faciet per omnes successiones. Continuatio : « Tu es spes mea, turris fortitudinis, » et ideo « inhabitabo in tabernaculo tuo, » id est in Ecclesia, in qua militatur tibi « in sæcula, » id est quandiu durabit in istud sæculum, et sicut modo protegor, sic semper « protegar in velamento, » id est in obumbratione « alarum tuarum, » id est clementiæ et potentiæ tuæ.

« Quoniam. » Hic incipit secunda pars. « Hic protegar in velamento, » et tandem dabis « hæreditatem timentibus nomen tuum : » non dico dabis, sed ex nimia securitate dico « dedisti. » Et ideo certus sum de securitate, « quoniam tu, Deus, exaudisti orationem meam, » scilicet, exaudies quando dabis, et etiam exaudisti, conferendo mihi virtutes.

« Dies super dies. » Dico hæreditatem dabis, scilicet « dies super dies regis, » id est Christi, quos habemus in hac vita, adjicies nobis dies æternos, quos modo Christus habet, et super annos regis, quos habemus in hac vita, « adjicies annos ejus, » id est æternos annos, quos modo Christus habet. In hac vita habet dies, quos Christus habuit, qui imitatur justitiam ejus, hos autem habent, qui non habent annos, sicut Hippolytus, qui non vixit in fide, nisi tres dies, et aliqui similiter, et propter hoc subdit annos : annos dico adjicies, quos ipse Christus habet « usque in diem generationis et generationis, » id est judicii, quando fiet generatio corporis et animæ. Vel, generationis et generationis, id est semper. Alia enim translatio habet in sæculum sæculi.

« Permanet. » Dico quod dies regis adjicies, quos habere non est parum : quia rex ille cum tota familia sua « permanet in æternum, » id est dies ejus æterni sunt. Adhuc æternitatem illam commendat. Dico permanet in æternum, nec hoc in vili loco, imo « in conspectu Dei » quia semper præsentia ejus fruitur, et adhuc æternitatem commendat, quia ibi nullus requiret misericordiam, quia ibi nullus miser erit. Iterum alia commendatio : Quia ibi nullus requiret veritatem, quia omnes ibi perfectam habent cognitionem, et hoc est quod sub interrogatione ponit, « misericordiam et veritatem quis requiret? »

Hic ponit pro supradictis laudem. Continuatio : « Et quia hæc mihi facies, o Deus, » ideo « psalmum » dicam nomini tuo, » id est bene operabor, ad ampliandum nomen tuum, et hoc « in sæculum sæculi, » id est quandiu durabit sæculum istud, et sic, « ut reddam vota mea de die in diem, » id est assidue, ut nullum diem intermittam, quin operer ad laudem tuam.

IN PSALMUM LXI.

TITULUS *In finem pro Idithun psalmus David.*

« Nonne Deo. » Psalmus iste convenit David et

cæteris justis, habitus pro Idithun, id est pro transilientibus dirigens in finem, id est in Christum. Materia sunt transilientes tales, qui nulla persuasione, vel tribulatione possunt impediri, quin saltum suum perficiant, scilicet quin terrenis dimissis, ad sola cœlestia tendant. Modus : In prima parte ostendit se non posse impediri, quin saltum suum perficiat, increpando malos, qui volunt eum, sive persuasionibus, sive tribulationibus impedire. In secunda parte, quæ incipit : Verumtamen Deo : admonet seipsum et alios, ut Deo subjecti sint. In tertia parte, quæ incipit : Verumtamen vani filii hominum, increpat malos de nequitia sua. Intentio est nos admonere, ut nulla tribulatione impediamur, quin a terrenis ad cœlestia transiliamus. Ac si dicat, increpando malos : Vos vultis impedire me ne saliam, sed frustra, quia « nonne erit Deo subjecta anima? » id est obediens, et ejus mandata custodiens? Anima dico, « mea, » id est meæ potestatis, quia; licet quandoque corpus sit vestræ potestatis, tamen anima nunquam nisi meæ potestatis erit. Vere subjecta, et debet, « ab ipso enim, » scilicet Deo Patre, est « salutare meum, » id est Christus, qui meus Salvator est.

Nam et ipse. Et bene debet subjecta ei esse anima mea a quo mihi illud salutare est, « nam ille » a quo procedit, et ille qui procedit, « Deus meus est, et salutaris meus » quia per assumptam humanitatem me salvavit, « et susceptor meus, » quia me suscepit de vilitate peccati, ducendo ad dignitatem justitiæ : et ideo « non movebor amplius, » id est licet aliquando motus fuerim, tamen ulterius non movebor.

Et quando quidem talem habeo Salvatorem, a quo amplius non movebor, ergo, o stulti, « quousque » id est quandiu « irruitis in hominem » exteriorem, scilicet irrationabiliter impetum facitis, quia licet corpus possitis affligere, non potestis tamen animam tangere, et non solum ita irruitis, ut bona nobis exteriora auferatis, sed vos « universi interficitis ipsos, » et hanc sententiam approbat alia translatio, quæ dicit : interficitis universos. Vel sic : Vos irruitis in hominem, et universi interficitis vos interius, quia cum bonis malum facitis, vosipsos interficitis, irruitis dico, « tanquam parieti inclinato, » quia sicut paries inclinatus pronus est ad ruinam, sic putatis nos pronos ad ruinam, tanquam omni destituamur auxilio, « et maceriæ depulsæ, » quia sicut macceria in seipsa fragilis est, quia sine cæmento est, si depulsa est, prorsus in ruinam imminet, sic nos putatis esse sine omni colligatione et pronos funditus ad ruinam.

Nos enim non sumus inclinatus paries, vel maceria. « Verumtamen » non ideo cessant mali, sed potius « cogitaverunt repellere » a me, id est auferre mihi « pretium meum, » id est Deum, quem ego solum peto. Alia translatio habet, honorem meum : sed tamen ego semper « cucurri » per militiam, et viam istam propositam inflexibilis « in siti, » id est velatis eorum, quia eam multum sitiebam.

A Continuatio : Cogitaverunt repellere, ita scilicet « ore suo benedicebant, » id est, in ore bonum optabant, « et corde suo maledicebant, » id est si quid boni dicebant, deceptionis intentione dicebant. In hoc versu ostendit latentem impugnationem. Vel sic continuatur : Ipsi interficiunt ipsos universi, sed tamen ideo non cessant ipsi, sed potius cogitaverunt, et cætera.

« Verumtamen Deo. » Pars secunda. Ipsi per tribulationes et per dolos me impugnant, « verumtamen subjecta esto, anima mea, Deo, » hoc est, noli propter persecutiones, injurias, tribulationes et reliqua mala tibi injuste illata, deficere, et a Dei mandatis desciscere, ut vel sis impatiens, vel in vitia relabaris, sed ejus dicto sis audiens, et debes, quoB niam non ex me, sed « ab ipso est patientia mea, » quia non possem pati, nisi ipse faceret.

Et iterum. Ideo debes esse subjecta anima, quia « ipse est Deus meus et Salvator meus » qui me suscepit per humanitatem redimendo : « et » etiam « adjutor meus, » ad bene operandum, et « ideo non emigrabo » ut recedam ab eo, transeundo ad alienum deum.

Non emigrabo, quia in eo est mihi omnis sufficientia, et hoc est « in Deo est salutare meum, » id est per Deum habeo salvationem, « et gloria mea, » id est per ipsum habeo gloriam æternæ vitæ : et ipse est « Deus auxilii mei, » id est auxiliatur mihi ad bene operandum, et quod singula enumerem? universa « spes mea in Deo est. »

C Et quandoquidem talis est, « omnis congregatio populi sperate in eo, » et ut possitis secure sperare, « effundite corda vestra, » id est evacuate corda vestra ab omni sorde, ut sint « coram illo, » id est in beneplacito ipsius, quia si non habent cor evacuatum, et sperant, non est spes, sed præsumptio. Dico sperate, quia « Deus adjutor noster, » scilicet ducens nos « in æternum. »

« Verumtamen. » Hic incipit tertia pars. Continuatio : Deus est adjutor suorum, « verumtamen filii hominum » hoc non attendunt, sed sunt « vani, » id est dediti vanitatibus; sunt etiam « mendaces in stateris, » id est in ponderibus, quod falsum pondus vendunt in argento, et in pipere, ad hoc « ut ipsi decipiant de vanitate sua, id est per vanitatem suam, D perseverantes « in idipsum » vanitatis, id est de vanitate ad vanitatem tendentes. Vel mendaces in stateris sunt, in libra justitiæ, quia se tales ostendunt, quasi omnia ponderent æque, id est in omnibus æquitatem custodiant, sed quia alii sunt interius, quam se simulent exterius, veluti barbati, ad hoc ut ipsi alios de vanitate decipiant, scilicet, per vanitatem suam ducendo eos in idipsum vanitatis, ut secum eos malos constituant.

Vos filii hominum estis ita vani, sed dimittite vanitatem vestram, et hoc est : « Nolite sperare in iniquitate, » et hanc iniquitatem per partes exsequitur, et etiam si pauperes estis, « nolite concupiscere rapinas » nec divitias diligatis, et hoc est : « divitiæ si

affluant, nolite cor apponere. » Non prohibet habere divitias, sed non amare : potest enim habere eas, qui convenienter distribuit.

Semel ideo nolite hæc mala facere, quia Deus habet potestatem puniendi malos, et remunerandi bonos, et hoc est : « quia potestas Dei est » ad puniendos malos, « et tibi, Domine, misericordia » qua justos remuneres : et hoc ostendit per effectus : Vere est tibi potestas et misericordia, « quia tu reddes unicuique juxta opera sua » et quasi aliquis quæret. Tu modo scis in Deo esse misericordiam et potestatem? dicit se hoc ex ipsius Dei consilio cognovisse, dicens : « Deus locutus » scilicet omnia creans, locutus est nobis, dico locutus est « semel, » id est immutabiliter omnia creavit, et ego transiliens, raptus ad consilium ejus, ibi « audivi, » id est B intellexi « hæc duo, » scilicet quia misericordia et potestas est ibi, etc.

IN PSALMUM LXII.

Titulus. *In finem psalmus David, cum esset in deserto Idumææ.*

« Deus, Deus meus. » David historialiter fugiens Saulem, venit in desertum Idumææ, intellexitque in hac figura Ecclesiam positam in deserto hujus vitæ, ubi nihil est, nisi terrenitas, de quo significato cantavit hunc psalmum. Psalmus iste convenit David prophetæ cum omnibus justis, cum ipsa Ecclesia est in deserto Idumææ, id est hujus vitæ. Modus est : In prima parte ostendit se admonitam per desertum C hujus vitæ, ad Deum omni desiderio festinare. In secunda parte, quæ incipit : Si memor fui tui : ostendit securitatem in hoc deserto per ipsum Deum. Intentio est, ut solum Deum eligant admonere.

Vox Ecclesiæ totius, sic dicentis : Ego posita « in terra deserta, invia et inaquosa, vigilo, » id est, omni studio dimitto mala, et facio bona ad te habendum, et hoc « de luce, » id est, ex quo habui cognitionem tui, quæ est causa vigiliæ meæ et in hac luce maxime possumus intelligere illuminationem per ressurrectionem. Ad te dico o « Deus » creator omnium, et « Deus meus » ex magna familiaritate. Cum bis ponit, Deus, ostendit se habere magnum ad Deum desiderium.

« Sitivit. » Ideo vigilo, quia « anima mea » hic affecta D multis desideriis, sicut ira, et aliis similibus, « sitivit in te » venire fontem vivum, in quo inveniet plenam refectionem, et « caro mea » sitivit hoc idem « tibi, » id est ad laudem tuam : et hoc « multipliciter, » id est multo amplioribus causis, quam anima, subjacet enim amplioribus miseriis, scilicet, fami, siti, frigori et aliis hujusmodi.

« In terra. » Propter hoc ad te sitivi, quia sum « in terra, » id est in sæculo, terra dico « deserta » quantum ad se, omni bono, « invia et inaquosa » ex se nullo modo irrigata, ut sit habilis ad fructum ferendum, et ideo « apparui tibi, » id est talem me paravi, quem tu debes respicere, per hoc scilicet, quod sum « in sancto » proposito, « ut viderem » in A patria « virtutem tuam et gloriam tuam » id est Christum Filium tuum, qui est virtus et sapientia Patris.

« Quoniam. » Quam veritatem debeo quærere « quoniam misericordia tua melior est » non dico super unam vitam, « sed super vitas, » non tantum super vitam pauperis, sed etiam super vitam divitis, et non tantum super eam si brevis est, sed etiam quantumcunque longissima, et ideo « labia mea laudabunt te. »

Et sicut laudabo te voce, « sic benedicam te in vita mea, » id est in operibus meis, et « in nomine tuo, » id est in honore tuo ampliando, « levabo manus meas » exteriores et interiores : exteriores enim signum sunt interiorum.

« Sicut. » Facio quantum possum, et utinam plus possem : sic « repleatur anima mea, sicut adipe : » non adipe carnali, sed significatio adipis : « et » sicut « pinguedine, » id est non pinguedine corporali, sed significatio pinguedinis. Adeps proprie pinguedo interior est, quæ est circa vitalia, ut reticulum, et cætera, pinguedo quæ est in membris exterioribus, ut in pectore, quæ cremabantur Deo in sacrificiis veteris legis. Per adipem significamus scientiam boni et mali, quæ est in anima, qua optat repleri fidelis anima, ut digne possit laudare Deum, non enim placeret deo macra anima, sicut nec macra caro dicebatur placere. Per pinguedinem accipimus alacritatem ipsius animæ, quæ facit corpus alacriter bene operari : « et » tunc « laudabit te, os meum labiis exsultationis, » id est voce exsultanti. Alia translatio habet, « labia mea laudabunt nomen tuum. »

« Si memor fui. » Incipit secunda pars. Continuatio : Laudabit te os meum, quia tu fuisti et eris adjutor meus, et te adjutore, fui memor tui in prosperitate, et hoc est : « si memor fui tui super stratum meum » id est in prosperitate, quæ est quasi stratum et suavis lectus, quia facit homines in se dormire et sibi adhærere, et si ibi fui tui memor, cum illa prosperitas me excæcaret, tunc « meditabor in te, » id est assidue memor ero tui existens « in matutinis, » id est in illuminationibus, quas mihi conferes, quod matutinum ego habeo, « quia fuisti adjutor meus. » Ecce jam ostendit Ecclesia se esse securam in deserto, per adjutorium Dei.

Ei ideo quia fuisti adjutor, « exsultabo » ego « in velamento, » id est in refrigerio « alarum tuarum, » id est quod mihi facient alæ tuæ. Ideo exsultabo, quia « anima mea adhæsit » tibi omni voto et affectione te solum expetens, non ita ut præcedat te veluti Petrus, cum dixit Domino : Propitius esto tibi, Domine, ne fiat istud tibi, dixit ei Dominus : « Vade retro, Satanas (*Matth.* VI; *Marc.* VIII,) » sed ita, ut sit « post te » id est ut te sequatur assidue, et quia sic adhæsit, ideo « dextera tua, » id est propitiatio tua, vel filius tuus « me suscepit in magnam dignitatem, a dejectione, in qua eram propter peccata.

Ego Ecclesia ita sunt suscepta « ipsi vero, » id est

mali illi et est (ipsi) positum ad significantiam, « quæsierunt » perdere « animam meam, » sed hoc « in vanum » quia nihil profuerunt, sed potius sibi nocuerunt, quia per hoc « in inferiora terræ introibunt, » scilicet, in infernum, sicut Dathan et Abiron vivi absorpti sunt (*Num.* XVI), « et tradentur in manus gladii, » id est in potestatem vindictæ, et « erunt partes vulpium, » id est dæmonum, qui assimilantur vulpibus propter dolum. Vel « erunt partes vulpium, » id est dolosorum, scilicet, erunt de numero eorum.

Illi ita damnabuntur, « rex vero » noster cum suis « lætabitur in Deo » securus de æterno bono, et « omnes qui jurant in eo, » id est qui firmissimum sibi promittunt et persolvunt obsequium, « laudabuntur, » id est laudabiles erunt apud omnes, ideo « quia os loquentium » contra eos in hac vita « iniqua, obstructum est » quia jam nihil potuerunt loqui

IN PSALMUM LXIII.

TITULUS. *In finem psalmus David.*

« Exaudi, Deus, orationem meam. » Iste psalmus convenit David, id est Christo, qui hic loquitur : dirigens in finem. Christus est materia passus et glorificatus : breviter enim tangit de passione et glorificatione. Modus : In prima parte describit malitiam Judæorum, et orat liberari ab eis, et affirmat quod liberabitur. In secunda parte, quæ incipit : Sagittæ parvulorum, ponit irrisionem stultitiæ eorum. Intentio est, admonere Judæos, ut cessent a nequitia, et sicut in cæteris psalmis, ubi de passione agit, ab oratione incipit, sic hic cum dicit :

« Exaudi, Deus, orationem meam » de bonis obtinendis, et « cum » ego « deprecor, eripe animam meam. » Non dico a timore mortis, sed a « timore inimici, » id est, ita libera me, ne ego cedam inimicis propter timorem.

« Protexisti me a conventu malignantium » et certus sum quod eripies, quia « protexisti me à conventu maligantium » id est a collectione de me male cogitantium, « et etiam a multitudine operantium iniquitatem » id est qui mihi mala actualiter inferunt.

« Quia. » Enumerat nequitias Judæorum. Bene dico, operantium iniquitatem, « quia » ipsi « exacuerunt ut gladium linguas suas » quia sicut gladius acuitur ut magis incidat, ita acutissime cogitabant quid pejus possent dicere in eum, ut cum dicerent : Crucifige eum, et alia manifesta. Et « intenderunt arcum, » id est dolos « paraverunt, » scilicet « rem amaram » ut cum quæsierunt quomodo a discipulo traderetur, et ab ipsis crucifigeretur Romanis, cum a judice Romano damnaretur, ad hoc scilicet intenderunt « ut sagittent, » id est interficiant « immaculatum » id est meipsum, qui sine omni labe peccati eram, et hoc « in occultis » quantum ad cogitationem eorum.

« Subito. » Intendunt ut sagittent, « et sagittabant eum » quem volunt, scilicet me « subito, » A id est occulte, me scilicet nesciente, quantum ad stultam opinionem eorum, « et » me mortuo « non timebunt » pœnam pro nequitia illa, et certum est quod sagittabunt, quia « firmaverunt sibi, » id est apud se « sermonem nequam » de morte mea : ut cum prophetans Caïphas, dixit : « Expedit ut unus moriatur homo pro populo (*Joan.* XI). »

« Narraverunt. » Firmaverunt sibi sermonem nequam, et postea « narraverunt, » id est apud se pertractaverunt « ut absconderent laqueos, » ut cum fecerunt eum a discipulo tradi, et a Pilato judicari et similia : « et » postea « dixerunt » apud seipsos : Quam bene excogitavimus, « quis videbit » laqueos « istos? »

« Scrutati sunt, » id est multo studio inquisierunt B « iniquitates » ut quomodo possent me in morte detinere, sed ipsi « scrutantes » non semel, sed « scrutinio, » id est assidua inquisitione « defecerunt, » quia non potuerunt me in morte detinere.

« Accedet. » Isti qui mala quærebant, defecerunt, sed homo rationalis, scilicet « accedet ad cor altum, » id est ut cor suum erigat ad intelligenda alta, scilicet, consilium Dei. Vel cor Dei dicamus, scilicet, accedet homo ut intelligat cor Dei, id est ejus secretum consilium. Accedet propric dicit, quia nullus plene consilium Dei cognoscet. « Accedet » dico, « et exaltabitur » apud eum « Deus, » non quod Deus, quantum ad ipsum est, possit unquam exaltari, sed quantum ad eum, apud quem major C cognitio de Deo habetur. Vel aliter : Ipsi defecerunt, sed tamen homo ille stultus accedet ad cor altum, scilicet ut impleat altum consilium Dei ut me interficiat, sed Deus exaltabitur, me resuscitando. Potest ita legi, et cor altum, quamvis sancti patres non ponunt, sic ipsi quærunt mortem meam, ac si ego invitus sustinerem, sed dominicus homo accedet voluntarie, et cor altum, id est dispositio Dei, erit cum eo, et exaltabitur Deus.

« Sagittæ. » Incipit de secunda parte. Benedico defecerunt, quia « plagæ eorum, » id est mala quæ mihi inferunt, « sunt factæ sicut sagittæ parvulorum, » quia sicut sagittæ parvulorum non nocent, sic nec mala quæ mihi faciunt : « et linguæ eorum sunt infirmatæ, » D quia cum ante resurrectionem superbe contra Christum loquerentur, post resurrectionem non tam proterve locuti sunt, et hoc « contra eos, » id est ad dedecus eorum, cum ita ostendit eos defecisse plane, suam resurrectionem nobis innuit.

Conturbati sunt. Mali sic defecerunt, et tunc « sunt conturbati » ad fidem suscipiendam « omnes qui videbant eos » scilicet aliqui de omni genere : « et timuit omnis homo, » sic conturbatus timuit pœnam pro peccatis.

Et illi tales « annuntiaverunt opera Dei » incarnationem, nativitatem, passionem, resurrectionem et similia « et » illa « facta ejus » Dei, tandem « intellexerunt : » et hic notatur, quod prius mysterium Dei diu tractetur quam intelligatur, ubi dicit alios

considerantes malitiam eorum conversos, ostendit magnam glorificationem Christi.

« Lætabitur. » Dixi conturbati sunt, et de hac conturbatione « lætabitur » omnis « justus » non in se, sed « in Domino, et sperabit in eo » vitam æternam : « et laudabuntur, » id est, laudabiles apparebunt « omnes recti corde. »

IN PSALMUM LXIV.

TITULUS. *In finem psalmus David. Canticum Aggæi et Jeremiæ, et Ezechielis, de verbo peregrinationis, et de populo transmigrationis, cum inciperent proficisci.*

« Te decet. » Jeremias prophetavit Judæis, quod propter peccatum captivarentur, et tandem in terram unde exirent, reverterentur. Aggæus vero non prophetavit captivitatem, sed successit Jeremiæ, qui mortuus fuit, dum essent Judæi in captivitate, et ipse Aggæus prophetavit reditum, et fuit in reditu, qui mortuo Nabuchodonosor successit alius rex, qui timens Deum dimisit populum. Per hanc captivitatem intellexerunt ipsi captivitatem humani generis, in qua tenentur in Babylone, id est, in confusione peccatorum. Per reditum vero illorum, intellexerunt reditum nostrum in terram promissionis, id est, in supernam Jerusalem. Titulus sic exponitur : Psalmus iste convenit prophetæ et aliis redeuntibus; qui psalmus est canticum Jeremiæ et Aggæi, quia exponit nobis illud, unde maxime exsultaverunt Jeremias et Aggæus, sive Zacharias, et cæteri qui hoc intellexerunt, scilicet, reditum humani generis ad supernam Hierusalem, a qua exulaverant per primi parentis inobedientiam, canticum de verbo, id est, de exsultatione peregrinationis, id est, peregrinorum : verbo exsultationis dico, tunc habito, cum illi inciperent proficisci, id est reverti, Christo duce, ad supernam Hierusalem. Vel de verbo, quod fuit causa peregrinationis, quo diabolus et Eva Adæ persuaserunt : secundum hoc habitum cum illi inciperent proficisci, id est, reverti ad supernam Hierusalem. Vel de populo transmigrationis, id est, qui transmigraverat a perfectione, in qua creatus erat, ad Babyloniam, id est, ad confusionem peccatorum canticum dico tunc habitum de populo, cum ipse populus inciperet proficisci, id est, ad antiquam dignitatem reverti. Materia sunt ipsi revertentes, qui hic loquuntur. Modus : In prima parte ipsi revertentes cum sua prius exsultatione liberatoris laudem describunt. In secunda parte potentiam reductoris, quæ incipit : spes omnium finium terræ. Intentio est nos admonere, ne desperemus de salute, contra sententiam philosophorum, quibus certum erat, post mortem æternum habere supplicium apud inferos. Et ipsi revertentes, ex sua reversione exsultantes, dicunt :

« O Deus » qui noster redemptor es, « te decet » non lapides, non idola, « hymnus » non in Babylone, id est in confusione peccatorum, quia non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccl.* XV), sed « in Sion », id est, in Ecclesia, quæ te speculatur ; « et tibi redditur votum », id est, laus « in » superna « Jerusalem, » ubi est plena visio pacis.

Et quia tibi reddetur votum, ergo o Deus « exaudi orationem meam » ut possim ad te pervenire : et necesse est ut exaudias, quia non solæ animæ, sed « omnis caro ad te veniet » in judicio. Hic propheta aperte resurrectionem annuntiat.

Et necesse est ut exaudias, quia « verba iniquorum, » id est, diaboli et Evæ, qui persuaserunt Adæ, « prævaluerunt super nos » quia nos in peccatum demerserunt « et » tamen « tu » Domine « propitiaberis impietatibus nostris » condonando eas.

« Beatus quem elegisti. » Dico tu propitiaberis, et ille « beatus » erit « quem tu elegisti », id est, a massa peccatorum separasti, convertendo ad fidem : « et assumpsisti » ad dignitatem, ideo beatus, quia « inhabitabit in atriis tuis, » id est in cœlesti Hierusalem, quam dicit atria, propter amplitudinem.

Ideo quoque beatus « quia replebitur in bonis », id est, spiritualibus bonis « domus tuæ », id est, præsentis Ecclesiæ, sed quia propheta universa intelligit de illis, ideo dicit : « replebimur in bonis » quia « templum tuum » scilicet domus illa « sanctum est, » id est, multam habet sanctitatem, et illud templum est « mirabile in æquitate » quia nulli facit nisi æqua.

Quibus bonis, ut possimus repleri, « exaudi nos, Deus salutaris noster. » Hic incipit de secunda parte. Et bene potes exaudire, tu qui es « spes omnium finium terræ », id est, hominum positorum in solida terra « et in mari longe, » id est in remotissimis insulis.

Et per hoc es spes earum, quia tu es « præparans » doctrina et inspiratione « montes, » id est apostolos « in virtute tua, » id est, in constantia illis data, et bene potes præparare, quia tu es « accinctus potentia » divinitatis, quæ non est longe a te, sed tibi adhæret, « qui » per illos montes « conturbas profundum maris, » id est, qui sunt in profunda immutabilitate hujus mundi, et conturbas « sonum », id est, sonantes contradictione « fluctuum ejus » maris, id est fluctuantes persecutione.

Dico conturba sprofundum, scilicet « gentes turbabuntur » ad pœnitentiam « et timebunt » pœnam pro peccatis « qui habitant terminos » terræ et hoc « a signis tuis, » id est, per miracula tua et « delectabis, » id est, delectabiles tibi facies « exitus matutini et vesperæ, » id est exeuntes de adversitate, scilicet non curantes vel prospera vel adversa.

Item per hoc turbabuntur gentes, quia « visitasti terram » sic « et inebriasti eam » Spiritu sancto, « multiplicasti locupletare eam, » scilicet, locupletationem illius multis ampliasti modis.

Et bene potuisti inebriare, quia « flumen Dei », id est, misericordia ejus « est repletum aquis, » id est donis, quæ lavant sicut aqua, et non tantum inebriasti, sed etiam « parasti cibum illorum, » id est corpus tuum. Bene dico tu parasti, « quoniam præparatio

« ejus » cibi « est ita, » id est, per te solum potest parari.

Et tu, Domine, « rivos ejus » fluminis, id est sanctos apostolos, qui dicuntur rivi fluminis, quia a misericordia Dei fluunt, et alios portare possunt, illos « inebria, » id est, abundare facias donis Spiritus sancti, « genimina ejus » fluminis, id est, qui sunt generati a misericordia Dei, « multiplica » in numero et virtutibus, « germinans, » id est, rudis, de quo alia translatio dicit, qui oritur, « lætabitur in stillicidiis ejus » fluminis, scilicet, guttis misericordiæ Dei, de quibus dicit Apostolus : « Lac dedi vobis potum, non escam (*I Cor.* III). »

« Benedices. » Quid per singula curram? Tu, Domine, « benedices, » id est, dabis benedictionem, id est incrementum justitiæ in hac vita « coronæ, » id est, gloriæ : coronæ dico, id est, ipsis hominibus, qui sunt corona acquisiti in gloria, « anni benignitatis tuæ, » id est, temporis, in quo apparuit benignitas tua, scilicet, in tempore gratiæ. Cum dicit coronam, significat eos esse collectos de omni circuitu terræ « et campi tui, » id est illi boni viri, qui consistunt in æqualitate, « replebuntur ubertate » spiritualium donorum.

Et « speciosa deserti », id est, gentiles, qui prius erant desertum, modo facti sunt speciosi, « pinguescent » abundantia gratiæ « et colles », id est, altiores viri, sicuti martyres, « accingentur exsultatione » gratiæ sibi collatæ.

Et « arietes ovium », id est, sacerdotes, ductores ovium, vel gregem « sunt induti » benedictione Dei, id est ornati multis virtutibus, « et valles, » id est, illi inferiores « abundant frumento, » id est bonis operibus, « clamabunt » etiam ad Dominum semper et non discordantes, « etenim hymnum dicent » : quia omnes bene operando Deum glorificant.

IN PSALMUM LXV.

TITULUS. *In finem canticum psalmi resurrectionis.*

« Jubilate Deo omnis terra. » Psalmus iste convenit David prophetæ, qui et hic loquitur, dirigens in finem, qui dicitur canticum psalmi. Propterea dicitur psalmus, quia admonet nos ad bonam operationem, scilicet, proposita resurrectione Christi, monet bene operari, ut et nos ad eamdem veniamus. Canticum ideo dicitur, quia proponit nobis rem, unde maxime nobis sit exsultandum, scilicet, resurrectionem Christi : quia nos quoque reddit de nostra resurrectione securos. Quam resurrectionem prævidens Esdras propheta in Spiritu sancto, sic intitulavit hunc psalmum, canticum psalmi resurrectionis, id est, agens de resurrectione. Hujusmodi titulus procedit ex figura illius, ubi de recitatione psalmorum præcedebat psalmus in melodia chordarum, quæ melodia, significabat exsultationem. Non enim sufficiebat eis sola voce cantare, sed exsultationem suam viva voce exprimere. Materia est resurrectio Christi. Modus : In prima parte omnes gentes monet, exsultare de illa resurrectione, quæ præponitur eis certum A indicium suæ resurrectionis. In secunda parte monet nos intelligere ea quæ Deus fecit antiquis patribus, in se completa esse, quæ incipit : Venite et videte opera. In tertia parte monet nos patienter ferre tribulationes, quas Deus infert ad purgationem et probationem, quia tandem nos ducet Deus in refrigerium, quæ incipit : « Benedicite gentes. » In quarta parte monet nos exemplo suo esse securos de exauditione, quæ incipit : Venite, audite. Intendit gentes spiritualiter amovere a desperatione, et certos facere de resurrectione.

Prævidens propheta Christi resurrectionem, admonet gentes inde exsultare, dicens : « Omnis terra, » id est, gentes de quacunque terra « jubilate Deo, » id est, tantam lætitiam mente concipite, ad quam B exprimendam nulla vox sufficiat, et « psalmum dicite nomini ejus » bene operando, et non tantum bene operamini, sed « etiam date gloriam, » id est, aliis annuntiate eum esse gloriosum, non laudem nostram, sed laudem ipsius, et hoc est : « laudi ejus. » Unde Apostolus : « Qui gloriatur, in Domino glorietur (*II Cor.* X). »

Dico date, et hoc non tantum facite, sed « dicite Deo » et hoc dicere est, corde, voce et opere : istud scilicet dicite Deo : O « Domine, quam terribilia sunt opera tua » quod cum Deus esses, factus es homo, passus, et mortuus, et resurrexisti, et hæc omnia terribilia sunt impiis : et, quam terribilia, id est, valde terribilia, quia nemo valet inde modum concipere, et quamvis sint ita terribilia, tamen « inimici C tui, » id est Judæi, « mentientur » negando te Filium Dei, etc., et hoc « tibi » ad honorem tuum, quia quanto magis de Deo mentiebantur, tanto ipse gloriosior apparebat, quia per improperia Judæorum crevit nomen Christi, et hoc non tantum quando virtus ejus non apparebat, sed « in multitudine virtutis tuæ, » id est quando virtus tua potior apparebit, sicut in resurrectione negaverunt eum resurrexisse, dicentes a discipulis sublatum esse, et etiam cum dicerent : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Luc.* XI). »

Inimici mentientur de te, sed loco eorum « omnis terra, » id est, omnes gentes, « adoret te et psallat tibi, » id est, bene operetur ad honorem tuum : et aliis « psalmum dicat, » id est, prædicet suam ope- D rationem, ut sui exemplo alii operentur, et hoc non sibi, sed « nomini tuo », id est, ad honorem tuum.

« Venite. » Pars secunda. Dico terribilia sunt opera tua, quæ opera ut intelligatis, « venite » per fidem vos gentes longinquæ a fide, « et videte, » id est, intelligite « opera Dei » quæ ipse fecit antiquis patribus, in vobis esse completa : qui Deus est « terribilis : » vel Dei terribilis « in consiliis » habitis, et impensis « super filios hominum. » Super ideo dicit, quia de supernis venerunt consilia illa, quibus liberati sunt filii hominum. Consilia ista fuerunt, quibus Deus excæcavit Judæos, ut plenitudo gentium intraret.

Ecce opera. « Qui » Dominus « convertit mare »

Judæis venientibus « in aridam, » id est, in solidam terram : et ista conversio completa est in baptismate. Convertitur enim mare, id est homines amari, et fluctuantes in amaritudine hujus mundi, per aquas baptismi, in aridam, cum omnis amaritudo peccati abluitur. Arida terra restituta est, quando Ecclesia fuit in fidé assumpta, et « pertransierunt in flumine pede. » Perduxit eos Dominus pede sicco in flumine Jordanis : hoc quoque in gentibus completum est, quæ fluvium hujus vitæ transeunt impolluta affectione. Quod dicit, pertransibunt, respicit ad significatum, et « ibi, » id est, in operibus, sicut impletum est in nobis, « lætabimur, » et quia de eorum numero se sciebat, in quibus hæc implerentur, dicit, lætabimur : « in ipso » non in nobis.

« In ipso, » in quo quidem lætandum est quia ipse est « qui dominatur » omnibus, et hoc « in virtute sua, » id est, propria, « in æternum » quia si cæteri dominantur, hoc neque est per suam virtutem, sed per Dei, neque in æternum, sed ipse et propria virtute, et in æternum.

Et cum talis tam altus, tam potens sit, tamen non despicit suos, imo « oculi ejus respiciunt » pie « super gentes » convertendo eas ad fidem, cum ferant justitiam « qui » eas « exasperant, » scilicet, Judæi, « non exaltentur in semetipsis » quia non haberent exaltationem in se, sed in solo Deo.

« Benedicite gentes » Deo. Tertia pars. Cognitis istis operibus Dei, et per illa conversi ad Deum, « vos gentes benedicite, » id est, laudate « Deum nostrum, et » non tantum apud vosipsos, sed « vocem laudis ejus », scilicet, qua laudatis, « facite auditam » aliis.

Et debemus, quia « ipse posuit animam meam ad » veram « vitam » dando fidem : « et » postquam convertit, « non dedit pedes meos in commotionem » ut retro respicerem.

Quoniam probasti nos, deinde, quasi aliquis diceret : Quare deberes commoveri ? « quoniam » tu « Deus probasti nos, » id est, nobis ipsis et aliis probatos ostendisti : et ostendit modum probationis, sic scilicet probasti, « examinasti nos igne, » id est quacunque tribulatione, vel igne materiali, sicut Laurentius et similes, « sicut examinatum argentum. »

« Induxisti nos. » Ostendit genus examinationis, dicens : « Induxisti nos in laqueum » id est in vincula, in carceres, et iterum alia afflictio. « Posuisti tribulationes in dorso nostro » id est flagellati sumus, et cæsi, sicut Paulus apud Ephesum. Item aliud malum, « imposuisti homines super capita nostra » qui sic nobis dominarentur, ut de nobis capitales sententias dare possent.

Et quamvis hæc omnia mala nobis evenirent, nos tamen semper « transivimus » ad te « per ignem » materialem, « et aquam » quia multi martyres aquis submersi sunt, nec tamen igne vel aqua eorum cursus potuit impediri. Vel ignem quemcunque æstum adversitatis possumus accipere, per aquam prosperitatem : quia sicut aqua dissolvit terram, ita prosperitas dissolvit hominem. A similitudine viatoris hic loquitur, quia sicut viator neque propter æstum, neque propter pluviam vult dimittere, quin viam suam peragat, sic iste justus nec ab adversitate, nec a prosperitate potest impediri, quin cursum suum perficiat, et per hæc omnia « eduxisti, » id est, educes nos « in refrigerium » in quo jam spe duxisti

Et tandem « introibo in domum tuam » non manufactam « in holocaustis, » id est deferens holocausta, id est destructionem vitiorum, et ibi tunc « reddam tibi, » id est, persolvam « vota mea, » id est laudes quas hic tibi voveo, « quæ » vota non sunt irrationabilia, sed quæ « distinxerunt, » id est cum ratione tibi obtulerunt « labia mea » interiora, id est ratio vel labia ad litteram. Cain enim obtulit, qui creaturam Creatori obtulit, sed non recte distinxit, quia seipsum, quod Deo charius est, subtraxit. Abel vero distincte obtulit, qui seipsum prius Deo præsentavit (*Gen.* IV).

Et non solum in prosperitate labia mea distinxerunt vota illa, sed etiam « in tribulatione mea, » id est mihi utili « os meum est locutum » laudes illas, vel hoc quod sequitur « holocausta medullata, offeram tibi. » Vel ita continuatur. Introibo in domum tuam in holocaustis, qua dum vixero offeram tibi holocausta, id est meipsum totum crematum, secundum opera vitiosa, holocausta dico medullata, id est pinguia et delata fide et charitate, quod holocaustum erit beneplacitum Deo, sicut in Veteri Testamento dicebatur placere holocaustum, quod erat pingue et medullatum; et « hoc offeram cum incenso, » id est cum oratione, quæ ideo per incensum intelligitur, quia redolet et placet Deo, sicut incensum, hominibus odorantibus. Vel orationem « arietum, » id est apostolorum, scilicet ita orabo, sicut apostoli, vel quos modo ipsi instituent, « offeram » etiam « tibi boves, » id est bonos prædicatores, id est qui bene triturabunt et excolent Ecclesiam, sic scilicet offeram, deducendo eos ad majorem perfectionem virtutum, et hoc faciam « cum hircis » id est, hircos et fœtidos in peccatis convertam ad te.

« Venite. » Pars quarta. Continuatio : Quia ita me habeo vos alii incitati meo exemplo, « omnes » scilicet, « qui timetis Deum, venite, » id est parate vos ad intelligentiam « et audite, » id est intelligite interiori, aure et si tales fueritis, « narrabo » quasi rem non fictam, « quanta fecit Deus animæ meæ. »

Et hoc scilicet, feci, « clamavi ad ipsum ore meo », et non tantum ore, sed etiam « sub lingua mea, » id est in corde meo « exsultavi, » id est exsultanter clamavi.

« Iniquitatem. » Clamavi non tantum facto, sed etiam sine omni iniquitate, etiam in corde, et hoc est « si aspexi iniquitatem in corde, » id est, si placuit mihi iniquitas in corde « meo, » id est in voluntate, « non exaudiet » me « Dominus. »

Et quia clamavi, et sine iniquitate, « propterea

exaudivit me Deus » de conferendis bonis, et attendit voci deprecationis meæ » de malis removendis.

Et quia exaudivit, « benedictus » sit « Deus, » id est, laudandus ab omnibus « qui non amovit orationem meam » sed exaudivit eam, « et » non distulit « misericordiam suam a me, » id est, mihi dare, sed simul et orationem audivit, et misericordiam contulit.

IN PSALMUM LXVI.

TITULUS. *In finem in hymnis psalmus cantici David.*

« Deus misereatur nostri. » Psalmus iste convenit David prophetæ, qui dicitur psalmus cantici, quia nos commonet ad confessionem, et dicitur canticum, quia nobis proponit maximam exsultationem, scilicet, illuminatione omnium gentium, quæ per Christum futura fuit, psalmus dico habitus in hymnis, id est in laudibus Dei. Intellexerunt enim prophetæ Deum esse laudandum de illuminatione, quam daturus erat mundo, de qua omnes debent eum summo studio laudare, psalmus dico dirigens in finem. Materia est Christus illuminator. Modus : In prima parte precatur illuminationem. In secunda parte hortatur ad utramque confessionem peccati, scilicet, et laudis Dei, et ponit causam, scilicet, Deum judicem æquum. In tertia parte ad eamdem confessionem, sed alia de causa, scilicet qui terra prius sterilis, modo in adventu Filii dedit fructum suum. Intentio est hortari, ut omnia misericordiæ Dei tribuamus. Et quoniam videt omnia bona esse ex misericordia Dei, sic antequam dicat de illuminatione Dei, misericordiam deprecatur dicens :

« Deus misereatur nostri, » et qualiter roget sui misereri, supponit, « et benedicat nobis, » scilicet sic « vultum suum » id est claritatem suam, « illuminet, » id est irradiare faciat « super nos, » scilicet cognitionem suam infundat nobis, per quam cognoscamus eum, quia sicut aliquis non potest videre solem, nisi videat eum sol, sic nemo potest venire ad Dei cognitionem, nisi Deus ostendat ei se, « et » postquam illuminaverit, ad hanc illuminationem conservandam, « misereatur iterum nostri », quia sicut illuminatio sine misericordia Dei non potest haberi, sic nec ea habita, sine misericordia Dei poterit conservari.

Et hoc illuminet, « ut cognoscamus » licet habitantes « in terra » ubi necessaria est cognitio, « viam tuam, » id est Christum Filium, per quem itur ad te, « viam tuam, » scilicet salutare tuum, id est Filium tuum per quem salvatio fit humani generis, et hoc non in paucis gentibus, sed « in omnibus gentibus, » id est in omni loco gentium « salutare tuum. »

« Confiteantur. » Secunda pars. Continuatio : Dico illuminet, et quia illuminabit, ideo « Deus, confiteantur tibi populi » peccata sua, accusando seipsos pro peccatis suis : et ipsis peccatis deletis, « confiteantur tibi, » id est laudent te « populi » non pauci, sed « omnes. »

« Lætentur » etiam « et exsultent gentes, quoniam judicas, » id est judicabis « populos in æquitate » reddendo singulis secundum sua merita. Et quia propterea non multum laudaretur, quia omnes damnarentur, nisi Deus per suam magnam misericordiam in hac etiam vita homines visitaret, addit « et gentes » habitantes scilicet « in terra » ubi necessaria visitatio « dirigis » ad bene operandum.

« Confiteantur. » Pars tertia. Continuatio : « Confiteantur populi » quia judicas, et « confiteantur » etiam quoniam « terra dedit fructum suum, » id est homines, scilicet, in terra quæ prius maledicta erat et proferebat spinas et tribulos, in maledictione, quam dixit Deus Adæ : Maledicta terra tua in opere tuo (*Gen.* III), facta est fructifera dando fructum suum, id est convenientia opera sua. « Terra dedit fructum suum, » et quid opus est, nisi sola benedictione? et ideo « benedicat nos Deus, » Pater scilicet, in hac vita multiplicet nobis virtutes : et « Deus noster, » id est Christus Filius Dei, « et Deus, » id est Spiritus sanctus « benedicat nos, et metuant eum omnes fines terræ » cum dilectione, id est homines de omnibus finibus terræ. Timor namque necessarius est ad custodiam omnium virtutum.

IN PSALMUM LXVII.

TITULUS. *In finem psalmus cantici David.*

« Exsurgat. » Psalmus iste convenit David prophetæ qui hic loquitur : dirigens in finem, psalmus dico cantici, qui proponit nobis magnam exsultationem, scilicet exsultationem ipsius Christi, et illam exsultationem Ecclesiæ. Materia est Christus exaltatus, et exaltans Ecclesiam. Partes facit sex. Modus : In prima parte proponit exaltationem Christi et quid per illam eveniat bonis, quid malis. In secunda parte, quæ incipit : Deus cum egredieris, ostendit ea quæ Deus priori populo fecit, esse completa in isto novo populo. In tertia parte, quæ incipit : Mons Dei, mons pinguis, ostendit altitudinem Christi et quid inde eveniat Ecclesiæ. In quarta parte, quæ incipit : Et Domini, Domini exitus mortis, ostendit humilitatem Christi, et quid ipsa conferat Ecclesiæ. In quinta, quæ incipit : In Ecclesiis benedicite, ostendit statum Ecclesiæ, scilicet per sanctos apostolos hæreticos increpandos, et per eosdem apostolos Ægyptios et Æthiopes convertendos. In sexta parte, quæ incipit : Psallite Deo qui ascendit, ostendit vocem ejus qui ascendit fore fortem in judicio, et per ipsam sanctos resuscitandos et mirificandos. Intentio est nos admonere ad Christi exaltationem, ut cantemus Christo, et exaltemus eum. Hæc quidem intentio notatur in psalmo in pluribus locis, et etiam ubi dicit : Cantate Deo, psalmum dicite nomini, et in titulo etiam quando dicit : psalmus cantici. Sciendum est quod istos duos primos versus accepit propheta a libro Moysi. Cantabat enim Moyses hos versus, cum elevaret arcam Domini, et processerunt in prælium (*Num.* x). A cujus arcæ aspectu prosternebantur inimici, et populus Domini salvabatur,

non quod Moyses tantam virtutem illam intelligeret A in arca, sed per illam Christum Dei significari sciebat, in quo continentur omnes thesauri scientiæ et sapientiæ, sicut in arca continebantur tabulæ testamenti, etc.

Et quia intellexit David Moysen de Christo hoc cantasse, agens de exaltatione ejusdem Christi, ponit verba Moysi, dicens : « Deus » qui aliquando latuit, « exsurgat. » Hoc exsurgere fuit in omnibus, quæ Christus fecit a tempore resurrectionis, et deinceps « et inimici ejus dissipentur » localiter, sicut impletum est in dispersione Titi et Vespasiani : « et « qui oderunt eum, » id est, contra eum perseverarunt in odio, « fugiant, » id est, removeantur « a « facie ejus, » id est, a præsentia, non quod possint removeri a præsentia ejus qui ubique est : unde propheta : « Si descendero ad infernum, ades (*Psal.* CXXXVIII), » sed removentur a facie ejus qui non fruuntur cognitione ipsius. Unde dicitur : Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Hæc remuneratio fiet, cum dicetur : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.

« Sicut deficit. » Hic aggravat pœnam eorum, quia tantum valet optatio prophetæ, quantum affirmatio. « Deficiant » etiam « sicut deficit fumus, » sic enim natura fumi est, ut quanto magis ascendit, tanto magis evanescat : sic mali, quanto magis ascendant in potestate hujus sæculi, tanto magis evanescunt a veritate, et sicut fumus, semper procedunt ab igne concupiscentiæ. Et nunc etiam magis aggerat pœnam eorum, cum dicit : « sicut fluit cera a C facie ignis, sic pereant peccatores a facie, » id est, a præsentia « Dei » remoti : non quod eorum substantia prorsus interimatur, sed in hoc perit, quod a vero esse, quod est Deus, separantur.

Postquam ostendit quid malis eveniat de Christi exaltatione, econtra ostendit quid bonis de eadem exaltatione contingat. Continuatio : « Peccatores pereant, et justi epulentur, » id est, reficiantur, ipso scilicet Deo, qui erit omnia in omnibus, « et exsultent « positi « in conspectu Dei, et in lætitia sua » in qua delectandum est, quia æterna est « delectentur. »

« Cantate Deo. » Et quia justi exsultabunt et delectabuntur, ideo vos alii « cantate Deo » corde et voce, D et « dicite psalmum, » id est bene operamini, nomen ejus ampliando « nomini ejus » scilicet, Christo Filio ejus, per quem nomen ejus mundo innotuit. Cum dicit, psalmum dicite, non tantum monet bene operari, sed aliis suam operationem dicere, id est, in exemplo proponere, et « iter « etiam » facite ei » per quod iter in nos veniat, rumpendo omnia obstacula, scilicet, vitia, quæ Deum expellunt de habitatione nostra : ei dico, « qui ascendit super occasum, » id est, super mortem, quæ toti mundo dominabatur, et in occasum, et in tenebras præcipitabat, et dignum est ut ei iter faciatis, quia « illi » est hoc « nomen » substantiale « Dominus » quia ipse per se dominatur et nemo potest dominari, nisi per eum.

« Exsultate. » Cantate dico et psallite, et non cum tristitia, imo « exsultate in conspectu ejus, » justi exsultent, mali autem qui lædunt viduas et orphanos, « turbabuntur a facie ejus » Dei quando dicetur : « Ite, impii, in æternum supplicium (*Matth.* XXV) : » ejus dico « patris orphanorum, » quia ipse est pater et patronus orphanorum, id est, simplicium, qui nihil a se astutiæ habent, sed in solius Dei ducatu incedunt « et judicis viduarum, » quia ipse illas in æquitate judicat, quæ sunt viduæ, id est aliquid ex se habent et sentiunt ad Deum in sua necessitate clamandum, sicut perfecti viri.

« Deus in loco. » Aliam Christi commendationem ponit. Continuatio : Ipse est judex viduarum, et ipse est « Deus in loco sancto suo, » id est, in angelis B et in aliis sanctis viris, quia nihil ibi habet obstaculi, « Deus » dico, « qui facit » homines « inhabitare unius moris, » id est, unius voluntatis, secundum fidem et charitatem, « in domo, » id est, in Ecclesia sua.

Alia commendatio. « Qui » etiam « educit vinctos, » id est, illos qui a diabolo captivi tenebantur in inferno, vel viventes ligati vinculis peccatorum « in fortitudine, » id est, in violentia magna, et sicut vinctos « similiter eos qui exasperant, » id est, provocant Deum ad iram, scilicet, blasphemos et turpissimos in peccatis, et etiam educit, « qui habitant in sepulcris, » id est, consentiunt voluptati carnis, quæ caro est sepulcrum animæ, quia ibi anima carni consentiens, putrescit, sicut caro in se- C pulcro.

« Deus, cum egredereris. » Hic incipit secunda pars : et hic est diapsalma, id est, divisio psalmi. Continuatio : Dico, tu, Deus, deduces illos, quia quod præfigurasti in aliis, comples in nobis, et hoc est : « Deus, cum egredereris, » id est, cum prius occultus esses, teipsum manifestum ostenderes « in conspectu populi tui » illuminando eos in nocte per columnam ignis, in die refrigerando eos per columnam nubis (*Exod.* XIII et XIV), et « cum pertransi- « res in deserto » ducens eos et ostendens teipsum, eis præbendo ducatum semper « per columnam nubis » et ignis, per totum desertum, « terra mota est, » id est, terreni qui prius cultum Dei non noverant, moti sunt ad cultum Dei, et etiam ipsi Judæi, per « columnam ignis, » quæ populum Israel illuminavit. Nubes quæ in die refrigerabat eos, eamdem incarnationem designabat in qua omnes fideles refrigerium inveniunt.

Dico terra mota est, et hoc ideo, « etenim cœli « distillaverunt » dum manna pluerent « a facie, » id est a præsentia « Dei » quia ibi dum manna caderet, præsentia Dei cognita fuit, Dei dico « Sinai » quia in illo monte Deus dedit legem et mandata. Sina interpretatur *mandatum*, et Deus dicitur Deus mandati, qui in omnibus illis habitat, qui mandatum illius observant. A facie Dei Sinai dico, et « a facie « Dei Israel, » id est, Israelitici populi. Potest etiam hic Sinai nominativus esse, quod ostendit alia

translatio, quæ habet, mons Sina. Velut sic dicatur: Cœli distillaverunt, et mons Sina etiam distillavit, id est, nebula et fumum emisit a facie Dei Israel, id est, quando Deus loquebatur Moysi, ut legem daret.

Ostensa figura, ostendit figuræ completionem. Continuatio : Sicut « cœli distillaverunt, » sic tu, « Deus pluviam », id est, Evangelicam doctrinam, significatam per illud manna, pluviam dico « voluntariam, » id est, gratis datam, sine aliquo merito hominum « segregabis, » id est, segregatim dabis « hæreditati tuæ, » id est populo Israel, quibus separatim Deus per præsentiam corporis prædicavit. Unde ipse dixit : « Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* xv); » « et » illa hæreditas « infirmata est » quæ noluit recipere verbum Dei, excæcata est : « tu vero, Deus, perfecisti eam » supplendo eam de gentibus.

« Animalia. » Ostendit de quibus Deus perfecerit, scilicet, de gentibus dicens : « Animalia tua, » id est, gentiles, qui dicuntur animalia, quia indomiti sunt, et lege carent, « habitabunt in ea » hæreditate, quia una cum Judæis fiunt Christi hæreditas, animalia habitabunt, et hoc non per se, nec per suam dignitatem, sed « parasti » gratiam tuam « in dulcedine tua pauperi, » afflicto et esurienti, « Deus » non ut dulcia putarent ea quæ mundus dat, sed ea quæ immittis quæcunque.

« Dominus dabit. » Ostendit parationes, quas facit Deus pauperi suo. Continuatio : Paravit « Dominus » scilicet, « dabit verbum », id est, Evangelicam doctrinam « evangelizantibus, » id est, prædicantibus virtute multa, » id est magna constantia. Vel evangelizantibus verbum, dat Dominus virtutem multam, id est, confirmationem per miracula. Unde in Evangelio : « Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis. »

« Rex. » Dominus dabit, scilicet, Dominus ille, qui est « rex virtutum, » id est, angelorum, virtutum dico, « dilecti, » id est, filii, filii dico « dilecti » qui diligitur a Deo, et est unum substantivum, aliud adjectivum. Cum dicit virtutes esse illius filii, ostendit eum esse æqualem Patri, et aliam partitionem ponit. Verbum dabit, « et » dabit etiam « dividere spolia, » id est, homines diabolo ereptos, ordinando eos diversis ordinibus, scilicet faciendo alios episcopos et cætera, ut Petrus et alii, sanctos multos taliter ordinaverunt, dividere dico spolia « speciei domus, » id est, ad speciositatem domus, id est, Ecclesiæ Dei, quia nisi domus Dei esset divisa, non esset pulchra, nec etiam esset corpus, de quibus Christus dixit : « Cum fortis armatus atrium suum custodit, in pace sunt omnia quæ possidet : si autem fortior illo supervenerit, scilicet Christus, aufert et dividit universa spolia ejus (*Joan.* xi) : » sicut fecit Christus, qui armatum fortem, id est, diabolum, superavit, et ejus spolia abstulit, scilicet homines.

« Si dormiatis inter medios. » Ponit item alias A apparitiones. Continuatio : Hoc dabit vobis, et hoc est « Si dormiatis, » id est, quiescatis a strepitu sæculi « inter medios cleros, » id est, inter duo Testamenta, ut in sententiis divinitatis delectemini, « erunt vobis » vel sicut habet alia translatio « sustollent vos pœnæ, » id est, virtutes, quibus ad cœlum possitis volare, tales quæ sunt « columbæ deargentatæ, » id est, Ecclesiæ, quæ dicitur columba, propter simplicitatem, deargentata vocatur in hac vita, propter nitorem eloquii « et posteriora ejus, » id est, ea quæ sancta Ecclesia exspectat post hanc vitam, erunt « in pallore auri, » id est, similia auro, quia sicut aurum pretiosius est cunctis metallis, ita ea quæ sancti in futura vita suscipient. Alia translatio habet in virore auri, alia, in specie, sed idem est, ejus ecclesiæ dico, existentis « dorsi oneri, » B id est, oneriferæ, quia fert onera, id est, depressiones hujus vitæ. Per cleros ideo divinam Scripturam intelligimus, quia cleros Græce, sors Latine : divinam autem Scripturam nullo humano arbitrio habuimus, sed sola sorte, id est, sola Dei electione habuimus.

« Dum discernit cœlestis. » Ponit alias apparitiones. Hæc dabit vobis Dominus, et « dum, » id est, quia, cœlestis, id est, Christus, « discernit, » id est, disponit « reges, » id est, sanctos prælatos, qui bene regant et seipsos et alios. « Super eam » columbam, id est, Ecclesiam « dealbabuntur » illi qui sunt Ecclesia interius in anima candore virtu- C tum, « nive, » id est, plus quam nix alba sit. Habet alia translatio « super nivem. » Ubi dicit super nivem, ostendit esse dealbationem illam incorporalem, dealbabuntur dico « in Selmon, » id est in umbra, scilicet, in Christo, qui est nobis umbra et refrigerium contra æstus hujus sæculi. Selmon namque umbra interpretatur. Incipit de tertia parte. Qui Selmon, id est, qui Christus « est mons Dei, mons » dico « pinguis » de quo fluxit omnis spiritualis doctrina qua animæ fideles impinguantur.

Mons dico, et ipse idem Christus est « mons coagulatus » secundum illos quos lacte nutrit, etiam est « mons pinguis » secundum sapientes, quos solido cibo reficit, et convertit se propheta ad illos, et quandoquidem Christus talis mons est, ergo vos Judæi « ut quid suspicamini » vos aliquid esse ad D comparationem istius montis « montes coagulatos », illos magnos viros? Et hic reprehendit illos qui dicebant « Christum Joannem esse Baptistam, vel Heliam, etc. » (*Matth.* ix; *Marc.* vi.)

Item commendatio Christi. Ipse etiam est « mons in quo beneplacitum est Deo habitare, » ita quod « in eo » de quo Apostolus : « Erat Deus in Christo, mundum sibi reconcilians (*II Cor.* v), » dico habitat in eo, « etenim Dominus habitabit in finem » habitationis scilicet, ita quod plus non possit habitare.

Postquam ostendit altitudinem Christi, ostendit quid inde proveniat Ecclesiæ. Continuatio : Iste mons est talis, et alii qui putabantur montes coagulati, sunt « currus Dei » portantes eum, quos ipse

regit, sicut bonus auriga currum, currus dico « multiplex decem millibus » populis : per finitum numerum intelligimus infinitum, et illa « millia » sunt « lætantium » ideo, quia « Dominus » est « in eis » qui Dominus est « in Sina, » id est, in mandato. Per hoc notat, quod Dominus est illis qui sua mandata custodiunt, qui etiam Dominus est « in sancto », id est, in Christo, et per hoc notat quod ipsi, in quibus habitat, sint conformes Christo.

Et per hoc sunt isti facti currus Dei, quia tu Deus « ascendisti in altum » ad litteram « cœpisti captivitatem, » id est, a diaboli laqueis tuos eripuisti, qui ad expressionem captivitas appellantur : et « accepisti » a Deo « dona in hominibus, » id est, homines dona, sicut dicitur : Hic homo accepit dona in cyphis, id est, cyphos accepit.

Et vere accepisti homines dona, quia etiam non credentes « etenim non credentes » accepisti « Dominum Deum inhabitare » in hominibus, sicut gentiles, qui Deum inter homines habitare non credebant.

Et quia tantam misericordiam dedit mundo, ideo ipse « Dominus » sit « benedictus, » id est, laudatus, « die » nominato « quotidie », id est, assidue, et quasi aliquis diceret : Quare benedicis? quia scio quod ipse ascendens, nos quoque ascendere facit : et hoc est « prosperum iter, » id est, sine impedimento, scilicet, ne possint mundi obstacula impedire nos, « faciet nobis Deus » de quo possumus esse securi ; in hoc enim præsenti dat nobis salvationes, scilicet remissiones peccatorum, et hoc est, « salutarium nostrorum » et alias quoque salvationes, scilicet justitiam, etc.

Ipse etiam est « Deus noster, » id est noster creator, et est etiam « Deus salvos faciendi » quia non tantum in hac vita salvat, sed etiam in æterna glorificatione salvabit. Hic incipit quarta pars. Continuatio : Et ne aliquis diceret. Tu dicis quod ipse sit Deus salvos faciendi, sed hoc quoque potest esse, cum ipse fuerit mortuus, et sui etiam moriantur. Respondit : Bene dico quod ipse est Deus salvos faciendi, quia istius «Domini Domini» est «exitus mor« tis », id est, exsurgens, exivit de morte, et omnes suos educet de morte cum Domini bis ponit, per unum fixum, id est, substantiale accipimus, per aliud exercitium dominii designamus tanquam si diceret, Domini dominantis.

« Verumtamen. » Iste est Deus salvos faciendi ; « verumtamen » iste « Deus confringet, » id est, annihilabit « capita, » id est, mentes, vel erectiones « inimicorum suorum » et etiam confringet « verticem capilli, » id est, extollentiam et elevationem cogitationum, scilicet cogitationes philosophorum, et profundas sententias eorum, et sectam hæreticorum, de quibus elevabantur et superbiebant, verticem dico « perambulantium, » id est perseverantium « in delictis suis. » Per capillos ideo cogitationes accipimus, quia sicut capilli adhærent capiti, sic cogitationes menti, bonæ autem cogitationes adornant mentem, malæ deturpant.

Dixit Dominus : Quosdam confringet, quosdam ad se convertet, ita quod alios faciet martyres : alios vero faciet prædicatores, et ad hoc confirmandum, inducit Dominum sic : « Dixit Dominus » ego « convertam » ad me aliquos « ex Basan, » id est, ex confusione, vel ex ariditate : Basan namque confusio vel ariditas interpretatur. Quosdam enim qui prius erant confusi in peccatis, vel in ariditate justitiæ, convertit ad se Deus : et etiam « convertam » ad me quosdam existentes « in profundo maris, » id est in profundo vitiorum.

« Ut intingatur, » dicit propheta. Continuatio : Tu, Deus, convertes eos, et ita convertentur, « ut pes tuus, » id est conversi ad te, qui te portant in se, qui pes prius intingebatur in dilectione hujus vitæ modo « intingatur in sanguine, » id est ducatur etiam usque ad effusionem sanguinis, et « ex inimicis » tuis fiat « lingua canum tuorum, » id est, fiant optimi prædicatores, et bene latrantes, et Dei Ecclesiam defendentes, sicut canes circa dominorum suorum domos vigilant, et hoc non procedet « ab » eis, sed a te « ipso. » Alia enim translatio habet, teipso. Vel sermo potest dici conversus sic : Dominus convertet, et tu populo ita converteris, ut pes tuus, id est affectio tua intingatur in sanguinem, id est prona sit ad effusionem sanguinis, et ex inimicis Dei fiat lingua canum tuorum, id est peccatorum tuorum, scilicet, qui sunt de gente et de consortio tuo, et hoc non a te, sed ab ipso Deo erit.

« Viderunt ingressus. » Pes tingetur in sanguine, lingua canum tuorum fiet ex inimicis, et hoc totum per hoc fiet, quia, o « Deus, » illi qui convertuntur, « viderunt ingressus tuos, » id est opera tua, quæ in mundo operatus es. Vel tui ingressus ideo dicit, quia Deus prius alienus erat a mundo, sed per misericordiam suam ingressus est in mundum, et ut determinet ingressus illos esse Christi, dicit : « Ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto, » id est qui habitat in dominico homine, scilicet Christo, et hic aperte incarnationem insinuat.

« Prævenerunt. » Per hoc converterentur, quia viderunt ingressus Dei, et per hoc etiam, quia « principes, » id est apostoli, qui sunt principes in Ecclesia, « prævenerunt » eos, quia prius credentes, se aliis fidei et bonæ operationis exempla dederunt, et hoc non soli, sed « conjuncti, » id est comitati multis « psallentibus, » id est bene ad honorem Dei operantibus; et ne aliqui crederent, quod solis viris daretur gloria illa, sic quidam hæretici putaverunt, addit, erunt etiam illi principes « in medio juvencularum, » id est, mulierum, quas ideo juvenculas vocat, quia a vetustate peccati innovantur per gratiam Dei. Vel per juvenculas possumus accipere communiter Ecclesias, quia per gratiam Dei a vetustate peccati innovantur : juvencularum dico « tympanistriarum » qui tympanizant Deo per mortificatio-

nem carnis, et sunt sicut corium mortuorum animalium.

« In Ecclesiis. » Incipit pars quinta. Continuatio : Principes prævenerunt, et cætera bona dedit, et propter hæc omnia vos fideles « benedicite Deo in Ecclesiis » ubi est locus benedictionis, quia qui extra Ecclesiam sunt, Deum digne laudare non possunt, Deo dico « Domino » quia Deus et Dominus est, benedicite dico « de fontibus, » id est, propter fontes, scilicet, propter sanctos apostolos, qui nos spirituali doctrina reficiunt : fontibus dico « Israel, » id est, procedentibus ex Judæa, vel in Ecclesiis potatis de fontibus Israel.

« Ibi. » Bene dico propter fontes, quia « ibi, » id est, in Ecclesia, sunt fontes, scilicet, Paulus et alii apostoli, et hoc est, « ibi Benjamin, » id est, Paulus, qui fuit de tribu Benjamin, id est, in adolescentia conversus (*Act.* IX). Vel « adolescentulus » scilicet, deposita vetustate legis, in Christo innovatus, et hoc est, « in mentis excessu, » id est, timore, quia per timorem conversus fuit. Nota duos esse excessus. Unus excessus est, quando humana mens transcendit usque ad ipsum Deum, hæc mundana præteriens. Unde Paulus : « Sive excedimus mente, Deo excedimus, (*II Cor.* V) » et de hoc etiam excessu possumus et hic dicere, et Paulus fuit raptus « usque ad tertium cœlum (*II Cor.* XII). » Alius excessus est, quando homo per timorem extra se rapitur.

Principes et duces eorum qui sunt in Ecclesia, sunt « principes Juda, » id est, apostoli sancti de tribu Juda, « principes Zabulon, et principes » de tribu « Nephthalim, duces sunt eorum, » et ideo ponit has quatuor tribus, quia de his fuerunt nati apostoli. Benjamin interpretatur *filius dextræ :* Judas *confitens :* Zabulon *tabernaculum fortitudinis :* Nephthalim, *latituao.* Hæ interpretationes non sunt hic necessariæ.

« Manda. » Et per istos tales « manda, » id est, notifica « virtutem tuam, » id est, potentiam tuam per mundum, et per istos « confirma hoc quod operatus es in nobis » fidem et charitatem, et Spiritum sanctum, incipiendo « a templo tuo, » id est, a sanctis tuis, in quibus tu habitas, « quod est Hierusalem » : quia in Hierusalem Spiritus sanctus primum apostolis fuit datus, et deinde per ipsos et per ministros eorum datus est aliis hominibus. Et vere confirmabis, quia per hoc « reges, » id est, seipsos bene regentes, « offerent tibi munera, » id est, seipsos et alios. Alia translatio ponit hoc sub optatione, offerantur munera. Vel sicut alia littera habet, virtuti tuæ, secundum quod ita dicemus : Et quia hujusmodi sunt in Ecclesia, per quos potest perfici quod cœpisti, ergo manda, id est, præcipe virtuti tuæ, id est, filio tuo, et per eum, et per ministros tuos « confirma hoc quod operatus es in nobis. »

« Increpa feras arundinis. » Et ut offerantur tibi munera « increpa, » id est, convince « feras, » id est hæreticos, qui laniant Ecclesiam Dei, sicut fere oves : feras dico « arundinis, » id est, conversantes inter arundines, scilicet, inter mobiles homines, qui cito possunt moveri a proposito, tales enim aggrediuntur hæretici, non perfectos viros. Vel feras arundinis dicit, quia sicut arundines in paludibus nascuntur, ita hæretici in paludosis sententiis versantur. Et necesse est ut increpes, quia « congregatio taurorum, » id est, hæreticorum, qui sunt cervicosi tauri, est « in vaccis populorum, » id est, in populis qui cito sequuntur quod audiunt, ut vaccæ taurorum, congregatio dico ad hoc facta, « ut excludant eos, qui probati sunt argento, » id est, divino eloquio ab illis quos vocavit vaccas, scilicet, ut faciant, ne illi inferiores sequantur probatos viros. Vel « ut excludant, » id est, dividant a se eos qui probati sunt argento ; cum autem dividunt se hæretici ab eis, manifestant eos esse bonos, a quibus se separant. Unde Apostolus : « Necesse est ut veniant hæreses, ut qui probati sunt, manifesti fiant (*I Cor.* XI). »

Increpati, « dissipa » ne conveniant in unam voluntatem « gentes, » id est, hæreticos, « qui volunt « bella, » id est, litigia contra fideles, et vere dissipabis, quia « venient legati ex Ægypto, » id est, aliqui convertentur ex ignorantia peccantes. Ægyptus enim *tenebræ* interpretatur, per quod intelliguntur ignoranter peccantes, sed etiam nigri gravibus peccatis converterentur, et hoc est : « Æthio« pia, » id est, nigri in peccatis. Æthiopia enim *nigredo* interpretatur, Æthiops *niger :* « prævenict « manus ejus » Ægypti, id est, indignitate superabit operationes Ægypti : « Deo, » id est, ad honorem Dei, propter hoc dicit præveniet, quia quanto majoribus peccatis aliquis involutus est, tanto magis pœnitens dignum fructum facit Deo. Alia translatio habet : Æthiopia festinabit manus dare Deo, et dicitur ex similitudine, quia sicut aliquis victus tendit manus suas victori, sic Æthiopia, id est, nigri in peccatis, cognoscentes se esse victos, dabunt manus suas Deo victori, suo. Vel Æthiopia convicta, Deo præveniet manus, id est, vindictas Dei. Bene dicit præveniet, quia prius credent, quam Deus vindicet se de eis.

Quia ita convertentur ad Deum, ideo « regna terræ, » id est, homines de omni regione terræ « cantate Deo » voce et corde, et « psallite » illi « Domino » bona operatione.

Psallite Deo. Incipit sexta pars. Propter hoc psallite, et etiam propter hoc, quia ipse dabit vocem virtutis voci suæ, « psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli » ad litteram. Vel se per supremum ordinem angelorum, « ad orientem » quia in orientali parte, ad litteram, quia in monte Oliveti, qui est in orientali parte. Hierusalem erat Dominus quando ascendit, et illud factum Christi hoc nobis significavit, quod ipse esset verus oriens, qui totum mundum illuminaret. Alia translatio habet, ab oriente.

« Ecce dabit. » Ideo dico psallite, quia « ecce » quasi in manifestatione Dominus iste « dabit voci suæ » quæ in hoc mundo humilis fuit, « vocem vir-

tutis » id est, virtuosam faciet vocem suam, quæ vox erit, cum venerit ad judicium, qua voce omnia resuscitabuntur corpora, et ideo quia tantus est, quod dabit virtutem voci, vos omnes « date gloriam Deo, » id est, ostendite eum esse gloriosum et dictis et factis, Deo dico regnanti « super Israel, » id est, super omnes videntes Deum, quia « magnificentia ejus » Dei scilicet, quod suos faciet magnos, scilicet, impassibiles et immortales, erit « in nubibus » jam sanctis, « et virtus ejus : » quia nihil poterit imperio ejus resistere, sed omnia fient quæ voluerit : iterum « in nubibus. »

« Mirabilis. » Et quid per singula curram? « Mirabilis erit Deus in sanctis suis, » id est, mirificos faciet eos, et non tantum in alia vita, sed etiam in hac vita : et hoc est, « Deus Israel ipse dabit virtutem » contra adversa « plebi suæ, et fortitudinem, » id est, longanimitatem perseverantiæ, et ideo sit « benedictus Deus » ab omni populo.

IN PSALMUM LXVIII.

TITULUS. *In finem pro his qui commutabuntur psalmus ipsi David.*

« Salvum me fac, Deus. » Psalmus iste convenit David significato, id est, Christo, qui hic loquitur, et dirigit nos in finem, id est, in Christum, psalmus dico habitus pro his qui commutabuntur. In hoc enim psalmo agit Christus de passione sua, propter quam Deum rogat pro liberatione hominum a malo hujus vitæ veluti cum dicit : Eripe me de luto, ut non infigar : et aliis plurimis locis, et alibi plane affirmat eorum commutationem ubi dicit : Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Judæ, et aliis locis. Commutabuntur enim homines in hac vita per passionem Christi, de vetustate Adæ ad novitatem Christi, et tandem de corruptela ad incorruptionem. In hoc psalmo materia est Christus, passus secundum fragilitatem humanæ naturæ, et exsequitur passiones suas per multas partes ipsius passionis, agit quæ aliter hic de passione, quam in aliis fecit, quia hic inducit ipsam passionem usque ad consummationem, cum dicit : Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Habet quinque partes psalmus iste. Modus : In prima parte petit salvari, et ostendit mala quæ sibi injuste inferuntur a Judæis. In secunda parte, quæ incipit : Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita, ostendit mala illa non esse illata sibi ex merito suo, et petit ut illi qui vel viventes sperantes in eo, vel qui ipsum mortui exspectant, redimi non frustrentur. In tertia vero, quæ incipit : Ego vero orationem meam ad te, Domine, petit suos liberari a malitia hujus vitæ, per passionem suam. In quarta, quæ incipit : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, » ponit mala quæ optat Judæis provenire pro sua passione, et tantum valet sua optatio, quantum si affirmaret. In quinta parte, quæ incipit : « Ego sum pauper et dolens, » ponit bona quæ eveniunt justis de sua passione. Intentio est nos invitare ad patientiam, sicut in aliis, ubi de passione agit.

Et incipit a petitione suæ liberationis sic : « Salvum me fac Deus » ne me possint inimici retinere in morte, et opus est, quoniam aquæ, » id est, populi Judaici « intraverunt, » id est, magis mala inferendo accesserunt, « usque ad animam meam » tollendam, sicut aquæ quæ intrant in navem sufficientes ad hominum submersionem.

Infixus sum in limo. Dico quod intraverunt, ad animam meam tollendam, et tulerunt, et hoc est, « infixus sum, » id est, ita datus sum in potestatem eorum, quod omnino de corpore meo facerent quidquid vellent, infixus sum dico « in limo, » id est, in manibus Judæorum, qui sunt limus, id est, corruptio secundum humanam naturam : limo dico « profundi » quia faciunt se profundos in nequitia sua, « et non est » illis « substantia, » id est, subsistentia, quia non potui eis secundum meam humanitatem resistere. Vel non est substantia ipsis Judæis, id est, vera existentia, quia non persistunt, sicut a Deo creati sunt.

Veni in altitudinem. Non ideo sum infixus, quod non potui præcavere, sed sponte me obtuli, et hoc est, « veni, » id est, nulla coactione, sed spontanea voluntate « in altitudinem maris, » id est, inter Judæos, qui dicuntur mare, propter amaritudinem vitæ : altum propter superbiam, « et tempestas demersit me, » id est, seditiosa commotio eorum occidit me.

Et de hoc non sunt excusabiles, quia clamavi eis ostendo ea non esse facienda, quæ mihi faciebant, et hæc « clamans, laboravi, » id est, multum clamavi vel laboravi, quia multum clamando, nihil profeci, et tunc dicitur aliquis laborare, quando non potest, quod intendit, proficere, et « fauces meæ sunt factæ raucæ, » id est, similes rauco, quia sicut raucus non intelligitur, sic nec ego intellectus fui, et « oculi mei defecerunt » in morte : vel, oculi, id est, apostoli « defecerunt, » id est, dubitaverunt, scilicet, fugerunt in morte Domini, et hæc omnia mihi ideo evenerunt, « dum, » id est, quia, « spero » non in lege, sed in Deo, vel « in Deum meum » quia adhuc melius ab eo exspecto.

« Multiplicati sunt. » Postquam ostendit per similitudines mala sibi illata, ostendit manifeste. Ad hoc continuatur : Nec mirum si oculi mei defecerunt, quia inimici mei multi fuerunt et fortes, et hoc est, « qui oderunt me gratis, » id est, sine causa, sunt multiplicati « super capillos capitis mei, » id est, plures sunt facti, quam amici, qui dicuntur capilli, quia ita adhærent mihi, et ornant me sicut capilli ornant caput. Vel super capillos capitis, ad litteram, ut per hoc notet infinitos inimicos.

Et non tantum sunt multi, sed etiam « confortati sunt, » id est, fortes facti sunt, cum viderunt sibi convenire quæ voluerunt « inimici, qui me persecuti sunt injuste » quia multa bona feceram eis, et « tunc » etiam in illa tribulatione « exsolvebam, » id

est, pœnas solvebam, pro his « quæ non rapui, » id A est, pro peccatis, quæ non perpetravi.

« Deus. » Incipit de secunda parte. Bene dico, quia « tu Deus scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita, » id est, scis me hæc pati non propter ea quæ ego fecissem per insipientiam, id est per ignorantiam, vel propter aliqua delicta mea, sed propter peccata meorum.

Et quia non ex mea culpa patior, ideo, o « Domine, » illi « qui exspectant te, » id est illi qui detinentur in inferno, qui exspectant educi per me « non erubescant, » id est non frustrentur « in me » sed habeant liberationem in me, quam exspectant, et obtineant, tu dico « Deus virtutum, » id est angelorum, quia certum est quod bene poteris facere.

Et etiam illi « qui quærunt te, » id est, intelligunt B te esse in me, illi dico « Israel, » id est, videntes Deum, quia nisi essent videntes Deum, credere non possent, quod Deus esset in tam afflicto homine, illi tales « non confundantur, » id est pro sui frustratione confusi non sint « super me, » id est de me.

Dico non confundantur, nec debent confundi, quoniam passio mea digna est, qua redimantur, et hoc est : « quoniam propter te sustinui opprobrium, » ut cum dicerent : « Dæmonium habes (*Joan.* VII), » et similia, et etiam « confusio » facta de colaphis et sputis « operuit faciem meam, » id est ex omni parte circumdedit me : veluti cum dicerent : Prophetiza nobis, Christe, quis te percussit? (*Matth.* XXVI ; *Luc.* XXII ; *Marc.* XXIV.)

Exsequitur passionem : « Extraneus factus sum fratri- C bus meis, » id est, cognatis secundum carnem : « et » etiam « filiis matris meæ, » id est, synagogæ qui mecum in synagoga legem audierunt, in qua possent cognoscere me esse promissum Redemptorem, sum factus « peregrinus » quasi ignotus, quasi non possem morari apud eos, nisi una nocte tantum. Synagoga dicitur mater Judæorum, quia præceptis veteris legis pascebat eos.

Et ideo factus sum peregrinus, « quoniam zelus domus tuæ » a qua ejeceram vendentes et ementes (*Matth.* XXI ; *Luc.* XIX), « comedit me, » id est, ussit me interius, et hic notatur maxima affectio ipsius, quia ipse ejecit eos, et indignati erga eum, machinati sunt ei mortem, « et opprobria » eorum in deserto te tentantium (*Marc.* I ; *Joan.* II) et idola colentium, et hoc est : « exprobrantium tibi » illa, inquam, opprobria « ceciderunt super me » quasi grave D pondus.

Et tunc ego me erga eos iratum non ostendi, sed « operui animam meam, » id est voluntatem meam, « in jejunio, » id est cum essem jejunus ab illis, id est cum non possem mihi incorporare aliquos eorum. Unde supra : « Humiliabam in jejunio animam (*Psal.* XXXIV), » et quod eos ita patienter sustinui, quod me sic operui, « factum est mihi in opprobrium » quia, quanto eram apud eos humilior, tanto eis eram vilior.

Exsequitur passionem. Continuatio : Operui jejunio animam meam « et posui vestimentum meum cilicium, » scilicet, tristitiam ostendi, faciens me similem illis qui vestiuntur cilicio, scilicet, pœnitentibus. Nunquam tamen legitur historialiter, cilicio Dominum fuisse indutum, sed semper in tristitia se habuit, et nunquam risit, « et factus sum illis in parabolam, » id est, de quo totam parabolam suam facerent. Vel, in parabolam, id est in similitudinem, quia per similitudinem mei aliis maledicebant. Vel locutus in parabolam, scilicet, non loquens eis alta secundum sapientiam meam, sed in similitudine, ut melius intelligerent.

Item exsequitur, dicens, illi etiam « qui sedebant in porta, » id est in compito, ubi multi conveniebant « loquebantur adversum me, » et illi « qui bibebant vinum, » id est convivæ quicunque, scilicet quicunque in his sæcularibus delectantes, « psallebant in me, » id est deridebant me.

« Ego vero orationem meam. » Pars quarta, in qua Christus ostendit, quomodo inter tribulationes se habuerit, scilicet quod pro suorum liberatione oravit. Continuatio : Illi in me psallebant, « ego vero orationem meam direxi ad te, Domine » dicens : ecce « tempus beneplaciti, Deus. » Beneplaciti dico, non in meritis hominum, sed « in multitudine misericordiæ tuæ, » et quia jam, o Domine, tempus est, ideo « exaudi me in veritate salutis tuæ, » id est, dando salutem mihi et meis, et per hoc verax appareas.

« Exaudi » dico, scilicet, « eripe me, » id est, meos, de luto, » id est de peccato, non quin mei tangant illicitum, quia nullus potest esse sine peccato, sed « ut non infigar, » id est mei ex se peccatis non adhæreant, et non tantum ut non infigantur mei ex se, sed « libera » etiam « me, » id est meos, « ab his qui oderunt me, » id est, ne per impulsionem aliorum ducantur in peccatum, « et » libera etiam « de profundis aquarum, » id est a profundis illis nequissimis. Vel « libera meos de profundis aquarum, » id est de prosperitate, in qua est facilis lapsus.

Ita scilicet libera, non quod non habeant tribulationes, sed ne demergantur, et hoc dicit « non demergat me tempestas aquæ, » id est commotio populi in peccatum ducendo, et si aliquando demergat aliqua tempestas, o Domine, deprecor, ut « profundum non absorbeat me, » id est mei non deducantur in desperationem. Unde dicitur : « Peccator cum venerit in profunditatem vitiorum contemnet, » et « puteus, » id est profunditas nequitiæ hujus mundi « non urgeat os suum super me, » id est non deducant meos, quin quandoque possint emergere, etiam de desperatione, hoc dicitur a similitudine cadentis in puteum, qui si os putei claudatur, non potest egredi.

Dico « non urgeat, » sed potius « exaudi me, » id est meos, « Domine, » et securus sum quod exaudies, « quoniam misericordia tua benigna est, » id est larga, quia nullum despicis clamantem ad te : « et respice in me secundum multitudinem miserationum tuarum « quas exhibuisti patribus antiquis sicut Daniel in

lacu leonum (*Dan.* XIV), et Noe in aquis diluvii (*Gen.* VII, VIII), et cæteris.

Dico « respice » et hoc per me, et hoc est: « ne avertas faciem tuam a puero tuo, » id est, a me, servo tuo, sicut alia translatio habet. Se vocat puerum propter innocentiam, de quo ipse in Evangelio, cum alium statuisset in medio eorum, tamen dixit: « Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII). » « Ne avertas » dico, sed potius « exaudi me velociter, » non differas meam resurrectionem usque in communem resurrectionem, « quoniam tribulor » et ideo hoc dico: « ne avertas faciem tuam, » sed potius « intende animæ meæ » considerans quanta innocentia tibi servierim, « et libera eam, » et non tantum propter meipsum libera me, sed et « propter inimicos meos eripe me, » quia non est dignum ut inimici mei de mea afflictione gaudeant.

Et debes eripere, quia tu vides mala quæ mihi fiunt, propter quæ debes erga me ad misericordiam commoveri, unde dicit: « Tu scis improperium meum, » id est, cognoscis, quam turpia verba mihi inferunt « et » scis « confusionem meam » quam habebam, ut illi putaverunt, cum alios salvos facerem, et meipsum salvare non possem (*Luc.* XXI; *Matth.* XXVI) « et » scis « reverentiam meam, » id est, illa vilia quæ ego sustineo, et reverenda, ut sputa, colaphos. Alia translatio habet, ignominiam vel verecundiam.

Me vides afflictum, et etiam qui me affligunt, unde debes ad indignationem contra eos commoveri, et hoc est: « in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, » et illam tribulationem sponte sustineo, quia « cor meum, » id est voluntas mea, « exspectavit improperium » in dictis, « et miseriam » in factis.

« Et sustinui, » id est, exspectavi, « qui simul contristaretur, » id est, qui mihi condoleret, quod exigit natura, ut cum videant homines aliquem afflictum, condoleant ei, « et » tamen « non fuit » qui condoleret; « et » sustinui « qui consolaretur » me, transeundo ad meam doctrinam, « et non inveni » aliquem qui consolaretur me.

« Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto, » quoniam non dederunt aliam escam vel potum, nisi acetum cum felle mistum, et hoc figura fuit, cum enim ipse sitiret salutem eorum, non habuit refectionem ex eis, sed exhibuerunt ei amaros et diros mores.

« Fiat mensa eorum. » Pars quarta. Continuatio: Judæi dederunt mihi malam escam, et malam escam dedit eis Deus, et hoc est, « mensa eorum, » id est, scriptura eorum, quæ est eis proposita ad refectionem, « fiat illis » Judæis « in laqueum, » ut per ipsam scilicet illaqueentur et convincantur, sicut hodie completum est in illis, nam Christiani eos per legem sæpissime errare convincunt, et legis gladio legem observantes jugulant; fiat « etiam » eis « in retributiones, » quia pro lege quam non custodiunt, Deus eis mala retribuit, et has retributiones exsequitur, « et in scandalum, » id est, de eis habeant scandalum et offensionem, vel inter se, vel inter Christianos, et hoc « coram ipsis, » ut ipsi bene cognoscant se errare, et bene Judæi sciant gentiles legem suam habere, per quam ipsi ipsos Judæos peccare convincunt. « Retributiones » has, scilicet, « obscurentur oculi eorum, » id est ratio eorum, « ne videant, » id est, ne intelligant veritatem, « et dorsum eorum, » id est ratio eorum quæ « dorsum » dicitur, quia sicut dorsum hominis erectum est, sic ipsa ratio semper debet erigi ad cœlestia, sed « semper » est « incurva » in concupiscentia terrenorum.

Alia retributio: « Effunde, » id est, abundanter immitte « super eos » ad compressionem eorum « iram tuam, » id est vindictam tuam, et illa gravis sit diuturna, « et furor iræ tuæ comprehendat eos. »

Item retributio: Continuatio: « Effunde iram tuam, » scilicet, « habitatio eorum, » id est domus, et agri, et vineæ, « fiat deserta » ab eis, « et in tabernaculis eorum, » id est in celebribus locis eorum, ut in templo, et synagoga, et capitolio, « non sit » aliquis eorum « qui inhabitet. » Quod dicit, « inhabitet, » et non per se habitet, notat quod magna affectione habitant in locis illis. Hæ optationes sunt in eis completæ, in destructione Titi et Vespasiani.

Hæc omnia mala ideo eis evenient, « quoniam persecuti sunt » me Filium tuum, « quem tu percussisti, » exponendo eum miseriis hujus mundi, faciendo passibilem et mortalem, « et super dolorem vulnerum meorum addiderunt: » vulnerabant Christum, cum ei nolebant credere, et inde dolebat, et « super » illum « dolorem » multa mala ei inferendo, dolores multos alios « addiderunt. »

Et quia malum mihi super malum « addiderunt, » « super iniquitatem eorum » quam fecerunt in servos missos in vineam, quia prophetas missos ad eos colendos occiderunt, » appone iniquitatem « aliam, scilicet ut me ipsum hæredem vineæ interficiant, ad cumulum suæ nequitiæ, « et non intrent in justitiam tuam, » id est, non convertantur ad te.

Alia retributio: « Deleantur » etiam « de libro viventium. » Liber vitæ est præscientia Dei, cui nihil ascribi vel deleri potest. Omnes enim in illo præsciti sunt, vel ad mortem, vel ad vitam, sed secundum judicium humanum quidam dicuntur ascribi, quidam deleri. Judicamus enim quosdam, quos prius malos vidimus, si convertantur, et bene operentur, quod tunc in libro vitæ ascribantur; si autem qui prius boni reputati sunt, ad malum convertantur, eos de libro vitæ deletos esse judicamus, et secundum hoc dicit: « Deleantur » ipsi Judæi « de libro viventium » scilicet, lex eorum, qui prius justi reputati sunt, inutilis et damnosa appareat, « et cum justis, » id est gentibus, « non scribantur » Judæi, quia gentes novam legem recipiunt, per quod ascribi in libro vitæ judicantur: Judæi non scribuntur, id est, non recipiunt innovationem, quam salvandi accipiunt.

« Ego sum pauper. » Pars quinta. Continuatio. Illis ita contingat, ego autem aliter mereor ad opus meorum, quia « ego sum pauper » pro eis justis mundanis. Unde Apostolus : « Christus cum dives esset, pauper pro nobis factus est (*II Cor.* VIII) : » « et etiam sum dolens » de excæcatione humani generis, et per hoc promerebatur, ut sui salvarentur, sed tamen, o « Deus, salus tua, » id est Filius tuus, « suscepit me » usque ad confessionem Dei Patris, et per hoc ostendit potentiam qua possit salvare suos.

Et quia « salus tua me suscepit, » ideo « laudabo » in meis « nomen Dei cum cantico, » id est cum exsultatione, « et in laude » illa « magnificabo eum, » id est, magnum et omnipotentem prædicabunt mei eum.

Et laus illa « placebit Deo » super omne legale sacrificium, et hoc ostendit per partem sacrificiorum, cum dicit, « super vitulum novellum cornua producentem et ungulas. » Allegoria hujus talis est, licet hic non habeat locum. Per vitulum illum intelligimus populum innovatum, per « cornua, » munimenta Ecclesiæ, quibus ipsa mundana hæc contemnit, cum dicit « producentem, » significat sanctos in munimentis semper procedere, id est, crescere.

Dico, quæ « placebit Deo super vitulum, » et hoc videant, » id est, intelligant « pauperes » qui de illis animalibus non poterant sacrificia facere, « et lætentur » scientes modo magis posse placere Deo per justitiam, quam divites per vitulos : et convertit se ad ipsos « pauperes, » et o, vos « pauperes, » hoc intelligentes, « quærite Deum, et vivet anima vestra » vera vita.

Et debent « pauperes » lætari, « quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos » in peccatis, per quod viderentur repudiandi a Deo, « non despexit » Dominus : « vinctos » dico « suos, » id est, quærentes eum, et quamvis sint vincti in peccatis, tamen aspirant ad eum.

« Pauperes exaudivit, » et etiam salvam faciet Sion, et quia res magna erat quam dicebat, præponit de hac re quamdam admonitionem, ut omnis creatura laudet inde Deum, et hoc est : « laudent illum cœli, » id est cœlestes, « et terra, mare, et omnia reptilia in eis. » Homo rationabilis creatura laudet Dominum, et per hominem omnis creatura, quia ipsa substantia homini est causa, quare ipse laudet Dominum, quod nisi homo salvatus esset, nulla res laudaret Dominum.

Ideo « laudent, quoniam Deus salvam faciet Sion, » id est, speculantes, scilicet Ecclesiam, « et » illi salvati non erunt pauci, sed per ipsos « ædificabuntur civitates, » id est Ecclesiæ « Judæ, » id est Christi, qui fuit de tribu Juda.

Et ibi « inhabitabunt » homines, non ad horam, sed « acquirent eam hæreditate » ut possideant eam in æternum.

Et non una solum generatio justorum habitabit in ea, sed per omnes successiones, « et semen, » id est, sequaces et imitatores « servorum ejus, » id est, prophetarum, « possidebit eam » Sion, et ostendit quos semen vocet, sic : « qui diligunt nomen ejus, » id est Dei, « habitabunt in ea.

IN PSALMUM LXIX.

TITULUS. *In finem psalmus David in rememoratione, eo quod salvum fecit eum Dominus.*

« Deus in adjutorium meum. » Psalmus iste convenit David, id est omni justo, quia hic loquitur quilibet justus, psalmus dico habitus in rememoratione, habita de eo quod salvum fecit eum Dominus. Memor enim salvationis et beneficiorum, quæ Deus contulit mundo, sicut in alio psalmo ostensum est, securus petit liberari, licet multa mala urgeant. Materia est quilibet justus, qui loquitur. In prima parte petit liberari a malis instantibus, et inimicorum conversionem. In secunda parte, quæ incipit : « Exsultent et lætentur, » petit æterna beneficia, et reddit securum se cum dicit : Ecce Deus adjuvat me. Intendit nos securos reddere de æterno bono, quamvis urgeamur nos istis malis. Et dicit : « Deus intende, » id est, intentum te præbe, conferendo gratiam, « in adjutorium meum » ut ad superanda urgentia mala me adjuves, cum dicit, « in adjutorium meum intende, » ostendit se aliquid operari per arbitrium liberum, et petit divinum auxilium ad cooperandum, dico « intende, et festina ad me adjuvandum. »

Me adjuvabit, et hoc videntes « qui quærunt animam meam » ut tollant eam : et hoc proprie possunt dicere martyres, « confundantur » de peccatis suis, « et revereantur, » id est, timeant te judicem.

Et non solum hi « quærunt animam meam, » sed etiam hi « qui volunt mihi mala avertantur retrorsum » a proposito suo, « et erubescant, » id est, conversi habeant erubescentiam de malis quæ fecerunt.

Et etiam illi « qui dicunt mihi, » id est ad meum dedecus, « euge, euge, » id est bene, bene, cum vident aliqua mala evenire, insultantes ei, dicunt : Ecce apparet quod non sit bonus, ipsi tales « erubescentes avertantur statim, » id est sine mora, ut eorum conversio non moretur. Vel, « qui dicunt, « euge, euge, » applaudentes illis qui mala faciunt, ut si aliquis destruat civitatem, et dicant ei : Ah! quam bene factum est, bene quidem. Vel eis qui hæc faciunt mihi, ad damnum meum, quia eorum iniquitas est damnum meum.

« Exsultent. » Ipsi avertantur, sed « omnes qui quærunt te » Deum, et « exsultent et lætentur, » non in rebus temporalibus, sed « in te » solo. Exsultant enim justi in hac vita, securi quod æternam vitam possidebunt : « et » omnes « qui diligunt salutare tuum, » id est, Filium tuum, memores salvationis collatæ sibi a Deo per Filium, « dicant semper » corde, voce et opere, « magnificetur Dominus » non quod ipse in se possit magnificari, sed quia quantum ad ipsos magnificantes, quanto magis eum magnificant, major semper et altior intelligitur.

Dicant « Dominus magnificetur, » de se vero dicat

unusquisque, « ego egenus » bonis temporalibus, et « pauper » spiritualibus, et licet habeat aliqua spiritualia, non tamen sufficiunt ei. « Ego vero sum egenus et pauper, » sed tamen hoc non impedit me, quia « Deus » adjuvat me ad bene operandum, per quod sum securus de æterno bono, et hic aperte innuit se esse memorem beneficii, sicut in titulo proposuit.

Et bene dico, quia « Deus » adjuvat me, quia « tu es, » o Deus, adjutor meus » ad bene operandum, « et liberator meus » a malis, et hoc tantum restat mihi petere, « Domine, ne moreris, » sed fac quod facturus es, scilicet, duc me ad gloriam.

IN PSALMUM LXX.

TITULUS. *Psalmus David filiorum Jonadab et priorum captivorum.*

« In te, Domine. » Psalmus iste est David, vel alicujus justi, non tantum loquentis in persona sua, sed in persona justorum omnium temporum, filiorum est Jonadab et priorum captivorum. Legitur in historia, quod Hieremias corrigens populum Israëliticum, quod non observaret mandata Dei, et prophetans eis, pro illa obedientia, captivitatem futuram eis, filios Jonadab in exemplum proponebat, prædicans eis, quod sicut illi mandata carnalis patris observabant, sic isti potius Dei Patris deberent observare mandata (*Jer.* XXXV). Jonadab namque, qui *spontaneus Domini* vel *populi* interpretatur, sacerdos fuit devotus Deo, et iste correxit filios, ne vinum biberent, id est, delectationibus hujus vitæ inebriarentur, et ne domos sibi ædificarent, sed in domo Domini degerent, scilicet, intelligerent non habere se hic manentem civitatem, sed Domino servientes, ad superna tenderent. Intelligens autem Esdras David proposuisse hominibus contumacibus, et non servantibus mandata Dei sui, filios Jonadab, id est, justos, obedientes Deo, et sperantes in eo, dixit hunc psalmum esse « priorum captivorum, » id est illorum contumacium, qui mandata Dei non observant in hac vita : non quod de ipsis agatur in hoc psalmo, sed quod ipsis contumacibus proponuntur in exemplum filii Jonadab, id est, sperantes in Domino, ad hoc, ut per exemplum eorum corrigantur. Priores captivi dicuntur vitæ istius homines, de qua possunt exire captivi, sicut Judæi exierunt de captivitate Babylonica : secunda enim futura est, de qua nemo egredietur. Vel si sine *et*, filiorum Jonadab, priorum captivorum dicemus, sic potest intelligi, quod filii Jonadab essent captivati historialiter, non pro peccato suo, sed pro peccato aliorum, juxta quod titulus ita legitur : « Psalmus iste David filiorum Jonadab, » id est, sperantium in Domino ipsorum, dico « priorum captivorum, » id est, qui captivi sunt in miseriis hujus vitæ : quæ captivitas est prior, de qua exibunt filii Jonadab, id est sperantes in Domino, de secunda quæ futura est in alia vita, in qua non erunt filii Jonadab, nullus poterit exire. Materia est omnis justus sperans in Domino, et describuntur multa beneficia Dei circa sperantes in Deum. Modus : In prima parte liberari petit a malis, ut possit Deum laudare. In secunda, quæ incipit : « Ne projicias me in tempore senectutis, » petit, ut sicut Deus contulit sibi beneficia in juventute, sic faciat in senectute, ubi maxime opus est. In tertia, quæ incipit : « Quæ fecisti magnalia Deus, quis similis tibi ? » ponit gratiarum actiones de collatis beneficiis. Intentio est admonere, ut omnes spem suam ponant in Domino : quæ notatur ibi : « Domine, spes mea a juventute mea. »

Et se sperantem in Domino omnibus proponit, sic monens alios : Nolite sperare in mundanis, sed sperate in Domino, exemplo mei qui omnibus relictis mundanis : o « Domine, speravi, » et quia « speravi in te, » licet videar confusibilis in hoc mundo, « non confundar in æternum, » quia quandoque manifeste obtinebo quod speravi, non « confundar » dico, sed potius, o Domine, « libera me » ne prævaleat mihi ista tentatio, « et » non tantum « libera me, » sed etiam « eripe me » ne aliqua mihi mala ultra eveniant ; hæc ereptio justorum est in morte, quando Deus ad se justum ducit, et hoc in justitia, et quia nullus potest liberari vel eripi, secundum propriam justitiam, apponit, tuo, scilicet, « in justitia » illa « tua » quæ semper habet misericordiam sibi adjunctam.

Dico « eripe, » et quia merita mea nunquam essent digna, ut ad tuam pervenirent altitudinem, ideo Domine, « inclina aurem tuam ad me, » id est, condescende mihi per tuam clementiam, « et salva me. »

« Libera me, » ita scilicet, « esto mihi in Deum protectorem, » liberans de periculis hujus vitæ, « et » esto mihi « in locum munitum » in quo sum in securitate ut deinceps nullus inimicus aggredi me audeat, et hoc erit in alia vita, « ut salvum me facias, » et hoc respicit ad hoc quod dixerat, « eripe me. »

Ideo dico sis protector, quia ego non quæro refugium nisi a te, et hoc est, « quoniam tu es firmamentum meum, » id est faciens me firmum, ad hoc respicit, « in Deum protectorem, » et « tu es refugium meum, » ad hoc respicit, quod dixit, esto « in locum munitum. »

« Deus meus, eripe me, » cum petit liberari, notat necessitatem, modo determinat, a quibus petat liberari sic dicens : O « Deus meus, eripe me de manu peccatoris, » id est de potestate diaboli ; « de manu contra legem agentis, et » de manu « iniqui, » qui licet non habeat legem scriptam, tamen per legem naturalem quid sit æquum quidve iniquum discernit, scilicet quod non deberet aliis facere, quod sibi non velit fieri. Hic notatur omne genus peccatorum per habentes, scilicet, legem, et non habentes, ut Apostolus ait : « Quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur (*Rom.* II). »

« Quoniam tu es. » Et tu debes eripere, « quoniam, o Domine, tu es patientia mea, » id est fructus ille et causa propter quem ego sustineo, et etiam es « spes mea, » o Domine, id est certitudo futuri præmii mei. Unde Apostolus : « Patientia operatur probationem, probatio spem, spes autem non confundit (*Rom.* V) : »

« spes » dico « a juventute mea, » id est a tempore conversionis meæ, non dicit juventutem quantum ad tempus ætatis, sed juventutem justitiæ, id est fortitudinem per juventutem accipit, quæ fortitudo in adventu Christi, in sanctis apostolis et martyribus patenter enituit.

« In te « etiam » confirmatus sum ex utero, » id est dum adhuc essem in utero Ecclesiæ. Uterum Ecclesiæ vocat præparationem illam, qua instruitur homo, cum credere incipit, et antea in eo utero nutritur, ut in lucem veræ cognitionis prodeat, et « tu » etiam « es protector meus, » ex quo processi « de ventre matris meæ, » id est Ecclesiæ, scilicet ex quo fui renatus de baptismate, et lumen veræ cognitionis accepi.

Et quia hæc omnia bona mihi fecisti, « in te semper erit cantatio mea, » id est, te solum laudabo, et quia te solum laudo, et mundum respuo, ideo « factus sum multis » amatoribus sæculi « tanquam prodigium, » quia putant me insanum et prodigiosum, cum vident me te solum petere, et suas sectas negligere, sed contra omnia opprobria eorum « tu » es factus mihi « adjutor fortis. »

Et ideo « repleatur os meum laude ut cantem gloriam tuam, » id est, gloriosum prædicem, et etiam « magnitudinem tuam, » id est beneficia tua, quæ mihi confers, quæ sunt causa quare te gloriosum ostendam, et hoc « tota die, » id est assidue.

« Ne projicias me. » Pars secunda. Dico « tu es spes mea a juventute, » et sicut non deseris in juventute, sic « nec projicias me in tempore senectutis, » et quod per senectutem accipiat, determinat cum dicit, « cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, » id est, quamvis ad horam projicias permittendo esse in peccatis, tamen non derelinquas, id est, non permittas putrescere in peccatis. Projecit Deus Petrum, cum permisit peccare, non dereliquit, cum fecit pœnitere. Ecce qui modo loquebatur in persona vivorum justorum fortiorum, modo loquitur in persona senum, et intelligit hic senectutem, cum jam videtur deficere, et charitas incipit frigescere, ut in hoc tempore ante Antichristum.

« Ne derelinquas me, » quia si dereliqueris, quanto debiliorem me viderint inimici, tanto gravius instabunt, et hoc est « quia dixerunt inimici mei mihi, » id est, ad meum detrimentum, scilicet, istud Deus dereliquit eum, et non solum imperiti inimici hoc dixerunt, sed illi « qui custodiebant animam meam, » id est, magna calliditate insidiabantur animæ meæ, ut caperent eam, scilicet, diaboli et ministri eorum: « consilium fecerunt » consentientes « in unum » in eamdem nocendi voluntatem.

« Dicentes » istud quod alii inimici, « Deus dereliquit eum, » id est non curat eum, et ideo « persequimini » quasi illum qui non possit fugere, « et comprehendite » tanquam debilem, qui non possit resistere, et securi tenete, « quia non est qui eripiat. »

Ipsi me derelictum putant, sed tu, « Deus, ne elongeris a me, » id est, ne diu permittas me ab illis A tribulari, sed potius, o « Deus meus, respice in auxilium meum » ut possim hæc omnia superare.

Me «respice, » et « detrahentes animæ meæ confundantur, » id est, inveniantur inefficaces, ne possint me conformare sibi, « et deficiant, » id est, non ulterius ausi aggredi me: dico « confundantur, » et multa « confusione sua cooperiantur, » id est, tanta sit confusio sua, ut cooperiat eos, ita quod convertat eos, et non tantum confusione, sed « et pudore » de eo quod deficiunt, « operiantur » undique « qui quærunt mala mihi. »

Illi « operiantur confusione, ego autem, » quidquid alii faciant, « semper sperabo » in te, « et super omnem laudem tuam » quam de mundi creatione habes, « adjiciam » aliam laudem, scilicet de mis- B sione Filii, et hoc est « os meum annuntiabit justitiam tuam, » et subdit quid vocet justitiam, « salutare tuum, » id est Filium, qui salvat sperantes in se et justificat, et hoc « tota die. »

Propter hoc annuntiabo justitiam tuam et « salutare tuum, quoniam ego non cognovi litteraturam, » id est, calliditates hujus vitæ, et artes. Hieronymus ponit litteraturas; alia translatio habet, negotiationes, et ego jam « introibo in potentiam Domini, » id est supernam domum, ubi ego cognoscam potentiam Domini, et ego ipse potentiam acquiram, et deinceps nullus audebit me inquietare, e tetiam ibi, « Domine, memorabor justitiæ tuæ solius, » id est te solum intelligam justum.

Ideo « memorabor, » quia « Deus, docuisti me » ut C non appeterem litteraturam, et prædicare Filium tuum, « a juventute mea, » id est, ex quo incœpi esse amator fidei, « et usque nunc » docuisti me, et ideo « pronuntiabo mirabilia tua, » id est beneficia quæ contulisti.

Docuisti, et « non derelinquas me, » o « Deus, » docere et conservare « usque ad senectam et senium. » Senecta est Ecclesiæ, quando adhuc ipsa Ecclesia habet aliquid fortitudinis; senium est decrepita ætas, quod erit in Ecclesia tempore Antichristi, cum fortitudo ipsius Ecclesiæ penitus fere exstinguetur.

« Ne derelinquas » dico, « donec annuntiem brachium tuum, » id est Filium tuum « omni generationi, quæ ventura est. » Et donec annuntiem « potentiam D tuam » qua salvas hominem, « et justitiam tuam » qua justificas omnes secundum meritum uniuscujusque; « annuntiem » dico, eundo agilitate mentis usque in altissima, » id est, usque ad cœlestes creaturas, scilicet, usque ad contuitum cœlestium, quod ipsum Deum et cœlestia contempler. Vel usque ad altissima, scilicet, ut prædicem quasdam cœlestes creaturas esse redemptas per Filium. Legitur enim quod quidam angeli, licet non credamus, consentientes angelis cadentibus, peccaverunt.

Incipit pars tertia. Continuatio: Et bene debeo annuntiare « potentiam et justitiam tuam, » quia « quæ magnalia fecisti, » o « Deus, » infinita sunt beneficia, unde supra dixi, cantabo « magnitudinem tuam, » et quia hæc fecisti, ergo « quis similis tibi? » nullus:

nullus similis tui dico, quia « quantas ostendisti mihi tribulationes » in ipsa rei experientia, « multas » in numero « malas, » in qualitate graves, et tamen « vivificasti me » vera vita, quæ est Deus, tu dico « conversus » a priori statu, qui fuit ante adventum Christi, quando nullus vivificabatur; « de abyssis terræ, » id est de profunditate peccatorum « reduxisti me iterum, » et iterum per baptismum, per pœnitentiam multoties.

Et etiam mihi sic reducto, « multiplicasti magnificentiam tuam, » id est, multis modis magna et multiplicia beneficia contulisti, « et consolatus es me » securum faciendo de promissione æterni boni, tu dico « conversus » per mediatorem Christum, ab ira quam habebas de peccato primi parentis erga humanum genus.

Probat ab affectu se esse consolatum sic, vere consolatus es me, « nam et ego confitebor tibi, » id est, ad tuum honorem, « veritatem tuam, Deus, » id est te veracem in promissis, scilicet, quod homines per Filium tuum hæreditatis æternæ securitatem obtineant, « confitebor » dico « in vasis psalmi, » id est in psalmis, qui sunt vasa. Per psalmos spiritualem vitam accipimus, quibus psalmis aliis exemplum bene operandi propinatur, sicut per vas aliquis potus, non tantum me dico confiteri in psalmis, id est, in contemplativa vita, sed, o « sanctus Israel » qui sanctificas omnem Israelem, id est omnem videntem Deum, « psallam tibi in cithara, » id est in mortificatione carnis, scilicet in activa vita.

Confitebor in psalmis, et cum exsultatione, et hæc labia mea interiora, id est affectiones animæ, quæ ad Deum hiant semper, sicut « labia exsultabunt, cum cantavero tibi, » id est, laudavero te, et non tantum labia, sed etiam tota « anima mea quam » tu « redemisti, » unde ipsa « anima » exsultandum intelligit.

Et non solum « anima, » sed etiam totum corpus, et hoc per quamdam partem dicit, supponens, « sed et lingua mea » ex affectione cordis proferet « justitiam tuam » et hoc « tota die meditabitur, » scilicet, quando continua dies erit, scilicet, in judicio, et quid intelligat « die tota, » determinat, dicens, « cum » illi «qui quærunt mala mihi » in hac vita fuerint « confusi, » id est erubescentes de peccatis, « et reveriti fuerint, » id est, timuerint sententiam judicis, hanc scilicet : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum(*Matth.* xxv).»

IN PSALMUM LXXI.

TITULUS. *Psalmus David in Salomonem.*

« Deus judicium.» Tractatus iste tendit in Salomonem, id est in Christum, qui verus est Salomon, id est pacificus, qui posuit pacem inter Deum et hominem : quia in hoc psalmo Christus est materia secundum utramque naturam, divinam scilicet, et humanam. Modus : In prima parte petit ei dari judicium, et affirmat quod habebit. In secunda parte, quæ incipit: « Orietur in diebus ejus justitia, » loquitur de regno, commendando ipsum regnum multis modis. In tertia parte, quæ incipit : « Sit nomen ejus benedictum : » de commendatione ipsius regni. Intendit quidem nos admonere, ut subjiciamur huic Salomoni.

Vox Ecclesiæ, prævidentis Christum futurum regem, orat ut detur ei regnum, dicens : O « Deus » Pater, « da regi, » id est Christo, « judicium » super homines « tuum,» id est, sicut tu habes judicium, ita da illi, ut ille habeat judicare et illi eidem « Filio regis, » id est tui, qui solus rex es, et in veritate tua regis, da « justitiam tuam, » id est justum judicium, quia rex ille semper in justitia judicabit. Endiasis est, quia per diversa idem dicit, per judicium scilicet et justitiam ; et est endiasis, bis dictum.

« Judicium da » dico, scilicet, « judicare populum tuum in justitia, » id est, ut judicet universum populum, scilicet bonos et malos : « tuum » dicit, quia impii quoque nihil possunt, nisi permissu Dei : « et pauperes tuos » da ei judicare « in judicio » justo. Judicat Christus etiam in hac vita bonos et malos : judicabit tandem, quando separabit bonos a malis. Unde Christus in Evangelio dicit: « Pater non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio (*Joan.* v). » Judicat tamen Pater non per se quidem, sed per illum ipsum, cui sua substantia unita est.

Dico, « da » ei « judicium, » et fac eum cognosci per totum mundum per apostolos, et hoc est: « montes, » id est sancti apostoli, « suscipiant pacem, » id est Christum, « populo, » id est, ad utilitatem populi, scilicet, ut ipsum notificent populo : « et colles, » id est minores sanctis apostolis, altiores tamen populis, sicut beatus Martinus, et beatus Hilarius, suscipiant « justitiam, » id est ipsum Christum, ut notificent populo. Christus dicitur pax, quia ipse posuit reconciliationem inter Deum et hominem : justitia dicitur, quia Deus ad se convertentes justificat.

« Judicabit. » Dari postulavit Christo judicium : hic affirmat quod revera habebit judicium. Continuatio : Dico, « da » ei « judicium, » et vere dabis, quia ipse « judicabit pauperes populi,» id est veros pauperes, removendo eos a malo populo ; « et » etiam « filios pauperum, » id est imitatores apostolorum, « salvos faciet, » et « calumniatorem, » id est diabolum, qui est injustus accusator fratrum nostrorum, « humiliabit Deus, » id est opprimet.

Hic commendat ipsum justum judicem : iste judex « judicabit, et » iste judex « permanebit cum sole, » id est semper unitus cum deitate, quæ deitas dicitur sol, quia illuminat omnem hominem vera cognitione (*Joan.* i) : « et ante lunam, » id est ante Ecclesiam, quia semper erit in præsentia Ecclesiæ, ut semper Ecclesia recipiat ab ipso lumen, sicut luna a sole recipit. Per « lunam » intelligitur Ecclesia, quia deficit et crescit sicut luna : « permanebit » dico « in generatione » ista « et generationem » succedentem, id est semper idem sunt in generationes generationum : vel cum sole, id est quandiu sol erit, et firmamentum stabit : et fuit « ante lunam, » id est antequam mundus fieret.

Dixerat, « judicabit : » et ecce de quo dixisset deter-

minat, scilicet de Filio virginis: et hic manifeste incarnationem divinitatis annuntiat. Continuatio : Dico « judicabit, » et ipse qui « judicabit, descendet » secundum divinitatem, in virginem : « sicut pluvia in vellus, » ita suaviter sine omni strepitu, sine omni terrore. Hic mittit nos ad historiam. Deus præcepit Gedeoni, ut iret ad pugnam, qui cum timeret, quæsivit signum victoriæ, et Dominus dedit tale quod posito vellere in area, si vellus complutum inveniretur, et area sicca, sciret se fore victorem, et ita factum est, adhuc enim timens, quæsivit contrarium signum, ut area compluta esset, et vellus siccum fieret, et ita factum est, et fuit victor (*Judic.* VI). Vellus prius complutum significabat Judæos prius credentes et doctrina Dei complutos ; area significat gentiles prius a fide aridos. Rursus humida facta significat ipsos gentiles postea ad fidem venientes ; et vellus siccum, Judæos, qui doctrinam Domini voluerunt, sicut dicit in Actibus apostolorum Apostolus : Vobis fuit missum verbum Dei, sed quia respuistis illud, ecce convertimur ad gentes. Vel possumus hanc similitudinem expressius notare, quod sicut pluvia neque corrumpit vellus cadens, nec etiam exiens, sic nec conceptus, neque partus corrupit virginem, et iste talis irrigabit totum mundum per doctrinam suam, et inde dicit, « et sicut stillicidia, » id est aqua stillans de cœlo : « stillicidia » dico, « stillantia super terram, » id est super gentes.

« Orietur. » Pars secunda. Ecce « in diebus ejus » regis, id est in tempore Christi, « orietur justitia, » quia per ejus adventum justificabitur omnis justus, « et abundantia pacis, » id est reconciliatio abundans, quia per totum mundum erit, quia de omni parte erunt homines reconciliati Deo, pax dico permanens, « donec auferatur luna, » id est donec præsens Ecclesia auferatur, id est fiat spiritualis, scilicet immortalis, impassibilis, « donec auferatur, » id est quandiu mundus erit : alia translatio habet, sustollatur.

Hic ostendit amplitudinem regni, « et » iste « dominabitur a mari » orientali « usque ad mare » occidentale, « et a flumine, » id est a Jordane, « usque ad terminos orbis terrarum, » id est in circuitu totius orbis. Per flumen Jordanis, in quo Christus baptizatus est, accipimus baptismum per quem Christus dilatatur per totum mundum.

« Coram illo » rege, « procident Æthiopes, » id est nigerrimi in peccatis, « et inimici ejus terram lingent, » et hæc terrena semper appetent, quæ sunt cibus diaboli.

« Reges Tharsis, et insulæ. » « Tharsis » *exploratio* interpretatur *gaudii*, vel *contemplatio*. Unde dicit : Aliqui venientes de exploratione gaudii, scilicet, postpositis gaudiis istius mundi, facientes seipsos bene regnantes, carnalitatem suam vel alios offerent, quos ad eum convertent. Vel « Tharsis, » id est contemplationis reges, « offerent munera » et « insulæ » quæ sunt in medio maris, et sunt terra sicca. Per insulas quæ sunt terra sicca et circumdata mari, accipimus illos qui sunt sicci a fluctibus mundi, nec coinquinantur a turbinibus hujus vitæ, licet circumquaque tundantur a procellis hujus mundi, et « reges Arabum et Saba » illius alterius regni « adducent dona, » quod est completum in nativitate Christi, cum illi reges, stella duce, Christo Domino diversa munera obtulerunt (*Matth.* II). Vel, quia Arabes dicuntur esse ditissimi et abundantes in divitiis hujus vitæ, Sabæi abundantes in odoribus et aliis deliciis hujus vitæ, possumus sic dicere : « reges Arabum, » id est qui dimissis divitiis, et deliciis, et odoramentis hujus vitæ, seipsos facientes reges, offerunt seipsos Deo in munera : vel quia Arabia interpretatur *humilitas*, *succensio Saba*, intelligimus humiles, qui in se succendunt omnia vitia, et sic facti reges, se Deo munera offerunt.

« Et » propter hoc « eum » regem « adorabunt omnes reges » qui prius solebant adorari, id est aliqui de omni genere regum, et etiam « omnes gentes » quæ prius solebant servire terrenis regibus, « servient ei » cœlesti regi.

« Servient » dico, et merito, « quia ipse liberavit pauperem » verum « a potente, » id est a diabolo, cujus potentiam ostendit ille qui dicit : « Cum fortis armatus custodit atrium suum (*Luc.* XI) : » et non dico « pauperem, » qui habeat aliquid subsidii, id est liberationem : sed illum « pauperem, cui non erat adjutor, » id est qui non poterat liberari, vel per liberum arbitrium, vel alio modo, nisi per ipsum Christum. Unde Joannes in Apocalypsi : « Non est inventus alius, qui librum aperiret, nisi agnus qui occisus est (*Apoc.* V). »

Dico « pauperem liberabit, » et illi liberato, « parcet, » id est non puniet secundum singula peccata, vel « parcet pauperi » quia non patietur eum tentari supra id quod potest (*I Cor.* X) : « et inopi » etiam « parcet, » illi cui nullum est adjutorium, nisi ab ipso : « et animas pauperum salvas faciet » tandem in judicio et post mortem.

Et per hoc scilicet quod « redimet » pretio sanguinis sui : et hic manifeste mortem Christi annuntiat : « animas eorum ex usuris, » id est ex pœna quæ pro peccato datur : et « iniquitate, » id est ab ipso peccato, « et nomen eorum » scilicet quod Christiani sunt, licet ante potentes hujus mundi contemnatur ut vile aliquid, tamen erit « honorabile coram illo, » id est in beneplacito illius.

Commendationes illius regis : « et vivet » æternaliter. Vel, « vivet, » id est mortuus resurget, « et dabitur ei de auro Arabiæ, » id est de præcipuis sapientibus, ut Dionysius et Paulus. Per aurum Arabiæ, quod charius est alio auro, unum intelligitur aurum illius terræ esse optimum, intelligimus pretiosos sapientes, « et adorabunt de ipso semper, » id est propter ipsum, ut seipsum det eis, sicut dicretur de auro, adorat, qui aurum postulat. Vel de ipso, id est juxta ipsum, id est secundum hoc quod ipse instituit orare, scilicet, cantabunt : Pater noster, et « tota die, » id est omni tempore « benedicent ei ».

Ipse etiam « erit firmamentum in summis montium, » id est apostolorum, quo firmos faciet et constantes « in terra, » ubi pauci possunt esse firmi, et ubi maxime opus confirmatione Dei : et « fructus ejus, » id est bona operatio, quam per eum faciunt sui, « extolletur super Libanum, » id est candidationem hujus mundi, quia longe digniora sunt opera justorum, quam sit quantacunque potentia hujus vitæ : et illi remoti « de » hac « civitate » et ducti in aliam civitatem, id est in supernam Hierusalem, « florebunt » facti immortales et impassibiles, « sicut fenum terræ » quod est viride et floridum : accipitur « fenum » in mala significatione, quia cito arescit et transit, sed non hic.

« Sit nomen ejus : » Pars tertia. Quia facit suos florere, et hæc omnia bona confert eis, ideo « nomen ejus sit benedictum, » id est ipse nominabilis « in sæcula, » quod « nomen » debet benedici, quia « ejus nomen, » id est ipse nominabilis « in sæcula » « permanet ante solem, » id est ante mundi constitutionem.

Et non solum ipse erit benedictus, sed omnes sui per ipsum, et hoc est, « et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, » id est aliqui de omni tribu, et per hoc « omnes gentes magnificabunt eum. » Et quia Propheta intelligit se in ipso esse benedictum, ex parte sua benedicit Deo. Continuatio : Dico, « in ipso benedicentur omnes tribus terræ, » et ideo ipse sit « benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna, » id est reparationem humani generis, et alia : « solus » quia nullus alius potest ea. Vel « solus, » quia ipse per se : alii vero si faciunt miracula, ut Petrus et cæteri, non per se tantum, sed ex ipso faciunt.

« Et nomen majestatis ejus, » id est quod sua majestas, id est ipse magnus dat, scilicet Christianum nomen, sit « benedictum » permanens « in æternum, » ideo dico « nomen majestatis, » quia « majestate, » id est divinitate « ejus replebitur omnis terra, » et hanc operationem ingeminat, quia rem valde desiderabilem optat cum dicit, « fiat fiat. »

IN PSALMUM LXXII.

TITULUS. *Defecerunt laudes David, filii Jesse. Psalmus Asaph.*

« Quam bonus Israel Deus. » Psalmus iste ostendit Deum jam non dare cultoribus suis, ut solitus fuit, prospera, sed adversa : quod intelligens Esdras Prophetam intellexisse in hoc psalmo, sic intitulavit, laudes David. Et ne per David accipiamus Christum vel Ecclesiam, determinat generationem carnalem David, cum dicit, filii Jesse, et per hoc dat nobis intelligere Judaicum carnalem populum, quia David secundum carnalem generationem unus fuit de carnali populo : cujus David, id est Judaici populi laudes defecerunt ; quia Deus jam non dat suis temporalia bona, quibus solis carnalis Judaicus populus laudabat eum, et ut certi simus quod jam Deus non dat temporalia bona, quibus negatis, laudes deficiunt carnalis Judaici populi, comprobant hoc testimonia fidelis Synagogæ, quibus firmius credendum est : quia prius ipsa Synagoga laudaverat Deum pro solis terrenis : et hoc dicit psalmus Asaph, id est fidelis Synagogæ : Asaph enim interpretatur congregatio, et est ipsius prophetæ, vel alicujus fidelis de Synagoga. Materia est ipsa fidelis Synagoga. Modus : In prima parte ostendit se aliquando errasse, visa prosperitate malorum. In secunda parte, quæ incipit : « Ideo convertetur populus meus hic » ostendit conversionem suam ab hoc errore, et aliorum consimilium sibi. In tertia parte, quæ incipit : « Verumtamen propter dolos, » ostendit quod non tantum per novissima hominis prosperitas hujus sæculi esse mala consideratur, sed etiam per præsentia, quia et ipsos divites in peccato præcipitant, et bonos invidia eorum peccare faciunt. In quarta parte, quæ incipit : « Quid enim mihi est in cœlo? » ostendit se verum intellectum habere, et jam non temporalia, sed solum Deum quærere. Intentio est, compescere simplices, ne murmurent de malorum prosperitate et bonorum adversitate.

Videns ergo quosdam simplices adhuc errare, judicantes Deum perversum, qui malis prospera tribuat, et suis mala conferat, compescens eorum errorem, dicit : O « Deus Israel » qui tibi videtur perversus, quam bonus » est, id est infinite bonus est. Vel, « Deus Israel » quam bonus est, quæ bonitas non apparet omnibus hominibus, sed « his qui recto sunt corde, » id est qui reputant utiliora esse adversa in hac vita, quam prospera.

Hic incipit errorem suum exponere. Continuatio : Modo confiteor Deum bonum esse, sed olim « pedes mei, » id est affectiones meæ, « pene moti sunt » a Deo : et non tantum voluntates, sed etiam opera pene recesserunt a Deo, ad culturam idolorum, et hoc est, « gressus mei, » id est opera mea, « pene sunt effusi, » id est præcipitati.

Ideo, « quia zelavi super iniquos, » id est indignationem habui de iniquis, « videns pacem, » id est tranquillitatem illorum « peccatorum. »

Ideo habebant pacem, « quia » in illis « non est respectus morti eorum, » id est non attendunt mortem suam, quam si attenderent, et unicuique quod reddatur in morte pro meritis, non haberent pacem et prosperitatem hujus vitæ, sed lugerent, et ideo non habent pacem et prosperitatem, quia « in plaga eorum, » id est in vulneribus vitiorum, non est « firmamentum, » quia etsi Deus aliqua infirmitate moverat eos ad compunctionem, non tamen firmantur, quod peccata eorum prorsus sanentur et confirmentur. Vel aliter, non est « respectus » divinæ misericordiæ « morti eorum, » id est non dat Deus eis aliquam tribulationem, per quam a morte animæ redimantur, vel aliquam mittit adversitatem, non tamen eorum, sed plagis eorum, id est non dat talem quæ firmet eos ita, ut peccata prorsus deleantur, et anima in virtute propria restituatur. Loquitur de Deo ad similitudinem medici, qui cum prænoscit ægrotum non

posse evadere, nihil ei prohibet : sic Deus, quos morti præscit prædestinatos, omnia facere concedit, et ab istius mundi prosperitate non retrahit.

Vere « non est respectus morti eorum, » quia nulla medicina adhibetur eis : nam « non sunt in labore hominum, » id est rationabilium, ut vigilent, vel vivant, vel aliquid tale faciant : « et » propterea « cum hominibus non flagellabuntur » ab illo qui « flagellat omnem filium quem recipit (*Heb.* XII). »

Et quia per se neque laborat, neque a Deo « flagellabuntur, » et obtinent prosperitatem hujus sæculi, « ideo superbia tenuit eos » quasi quibusdam manibus, ne auferri possint : et ne resipiscant « operti sunt, » id est involuti « iniquitate » quasi ad proximum, « et impietate sua, » id est blasphemia quasi ad Deum : « sua » dicit, quia ex se, non ex Deo habet homo nequitiam.

Et non sufficit eis esse malos in se, sed etiam « prodiit » in aperto « iniquitas eorum, quasi ex adipe, » id est ex superfluitate divitiarum a similitudine pinguis animalis, sicut tauri, ut dent aliis exemplum superbiendi, et deposito omni timore, « transierunt » humanum morem, tendentes « in affectum cordis » scilicet, ut impleretur quod corda eorum desiderabant.

Et hoc non quasi ex improviso fecerunt, sed cum magna attentione « cogitaverunt nequitiam, » et adeo bona visa est eis nequitia, quod « etiam locuti sunt, » id est alios docuerunt nequitiam : et etiam « locuti sunt iniquitatem, » et hanc iniquitatem determinat postea « in excelso, » id est in superbia sua.

Ecce « iniquitatem » quam « locuti sunt, » scilicet, « posuerunt in cœlum os suum, » scilicet blasphemias contra Deum « locuti sunt, et lingua eorum transivit » modum humanitatis, quamvis illi essent « in terra » habitantes, in quo apparet maxima eorum superbia, ut cum in terra sint, de Deo altissimo loquantur superbiam suam. Vel « lingua eorum transivit » alios positos in terra, deterius quam alii terreni loquendo.

« Ideo convertetur. » Pars secunda. Hoc considerato, quia prosperitas eorum ducit in superbiam, facit etiam loqui iniquitatem : « ideo populus meus, » id est mihi consimilis, de quo ego unus sum, « convertetur » ab errore, ne moveatur erga divites malos prosperitate hujus vitæ, ut sit « hic, » id est in hac sententia, in qua ego sum : et postquam conversi fuerint, « inveniantur in eis pleni dies » per effectum suum, quia erit in eis hoc, quod effectum est in tempore gratiæ, id est contemptus terrenorum, et appetitus cœlestium. Vel « dies pleni, » id est æterni, invenientur in eis, et si modo non appareat, scilicet, quia habebunt æternitatem.

Ponit unde convertantur : illud, et dixerunt, respicit ad sequens, ubi dicit, « et dixi. » Continuatio : Dico « convertetur, » et necesse est eis, quia ante conversionem « dixerunt : quomodo scit Deus » et quomodo potest esse verum, quod Deus disponat hæc terrena ? scilicet, non disponit : « et » si disponit, hoc est : « si est scientia in excelso ? » scilicet tunc A Deus injustus est : sed ponit defectivam orationem, quia nimis aperta calumnia esset contra Deum.

Ideo dico quod Deus vel non disponat, vel injustus sit, quia « ecce » in manifesto est, « ipsi peccatores, et abundantes in sæculo » quod videtur valde injustum, quod et peccatores sint, et prosperentur, « obtinuerunt divitias, » quia si aliquis voluit eis auferre, non potuit.

Illi dixerunt, « et » ego errans aliquando sicut ipsi, « dixi » quandoquidem ita peccatores abundant divitiis, « ergo » ego « sine causa justificavi cor meum, » id est voluntatem meam : « et manus meas, » id est opera mea, « lavi, » id est purgavi, « inter innocentes » ut essem de numero eorum.

Et etiam sine causa « fui flagellatus » per disciplinam Dei « tota die, » id est assidue, « et castigatio B mea » quam contra libidinem, et similiter contra cætera vitia refrenanda, exhibui « in matutinis, » id est studiose : quia rem quam studiose facimus, in mane incipimus : fuit « sine causa, » id est sine utilitate. Potest etiam hæc littera legi suspensive : ita ergo « justificavi cor meum sine causa, » et similiter cætera.

Prius hoc dixi, sed postea cognoscens veritatem, « dicebam, si narrabo sic » quod « sine causa » homo « cor » suum justificet, et opera mundet, et cætera quæ dicta sunt, « sine causa » faciat, hoc conveniens sequitur, scilicet « ecce probavi, » id est reprobam judicavi, vel a me separavi « nationem filiorum tuorum » C Abraham, Isaac, et Jacob, et aliorum. Vel aliter, dixerunt, aut Deus nescit hæc terrena, aut si scit, injustus est, et ad confutandam eorum sententiam ego dixi : Si Deus est inscius vel injustus, ut vos dicitis, tunc ego et quilibet alii boni frustra fuimus correctionem Dei sustinentes, quia sicut dicit Apostolus (*I Cor.* XV) : « Miserabiliores omnibus hominibus sumus, » si Deus injustus creditur. Et præter hoc inconveniens, aliud inconveniens inde ostendebam, quia dicebam : « Si narrabo sic, » id est Deum injustum vel inscium, « ecce nationem filiorum reprobavi, » ut supra, quia scilicet Abraham et alios credidi non esse remuneratos, vel « reprobavi, » id est sensi contra omnes filios Dei.

Et videbam hoc inconveniens ex sententia illa pro- D venire, ideo « existimabam, » id est cognoscebam, quod habet alia translatio, « ut cognoscerem » quare impiis prosperitas, et bonis detur a Deo adversitas, et « hoc » cognoscere, « est labor ante me, » scilicet superior me. Vel « ante me, » id est quantum ad hæc præsentia.

« Labor » dico, « donec intrem » agilitate mentis « in sanctuarium Dei, » id est in consilium Dei, id est donec ego considerem qua providentia Deus hoc faciat malis, et hoc bonis, scilicet quod impiis prospera dat, justo judicio suo, ad eorum excæcationem, bonis vero mala, ad eorum purgationem. Vel donec « in sanctuarium Dei, » id est in sanctas Scripturas, quæ de his omnibus rationes reddunt, « et » etiam tandiu « labor est, » donec « intelligam » mente posi-

tus « in novissimis eorum, » id est donec considerem futuras pœnas illorum qui in mundanis superbierunt, et gloriam eorum qui in tribulationibus hujus mundi fuerunt.

« Verumtamen. » Tertia pars. Dico « labor est » illam cognoscere, nisi per novissima, « verumtamen » per præsentia quoque potest cognosci quia tu, o Deus, « posuisti eis » istas divitias « propter dolos, » id est admodum dolosi, sub specie boni dans mala ad causam excæcationis, et « dum » etiam « allevarentur, » id est in terrenis exaltarentur, « dejecisti eos » excæcando, et quia quanto magis exaltantur in temporalibus, tanto magis in ruinam dejiciuntur, et ipsa elevatio est eis causa ruinæ.

Bene dico « dejecisti, » quia « quomodo facti in desolationem, » id est quam immoderate tibi sunt desolati, quando vel juvenes perdunt bona hujus vitæ quæ amaverunt, vel morientes « subito defecerunt » morte, quia citius sperato moriuntur : et quia posset dici, similiter moriuntur et justi, addit et ista, « perierunt propter iniquitatem suam » cum justi vivant in æternum.

Ita defecerunt, « velut » deficit « somnium surgentium : » quia sicut dormientes multas divitias in somnis habent, evigilantes tamen nihil adinveniunt, et inania reputant quæ viderunt in somniis, sic mali in hac vita in somnio sunt, in morte evigilabunt et cognoscent hæc esse inania, quæ in hac vita habuerunt, et vere peribunt, quia o « Domine, in civitate tua, » id est in superna Hierusalem, tu « rediges imaginem illorum ad nihilum, » id est non habebunt locum in civitate tua, id est quia in hoc mundo, qui est civitas diaboli et ministrorum ejus, redegerunt imaginem tuam ad nihilum, scilicet rationem suam, qua sunt tibi consimiles, id est puritatem et innocentiam, et sibi novas imagines fecerunt, alius in immunditia vivens, ut porcus, alius in rapacitate vivens, ut lupus, et alii aliter.

Ideo « rediges ad nihilum, quia » non solum prospera eorum nocuerunt illis, sed et mihi, qui tuus sum : et hoc est : « cor meum, » id est voluntas mea, « est inflammatum » invidia erga eos prosperatos, « et renes mei, » id est fortitudo animæ meæ, per quam debet ratio erecta esse sicut homo per renes, « sunt commutati » ut jam non contemnam terrena, sicut prius feceram, et ratio exigebat, « et redactus sum ad nihilum, » id est ad appetitum terrenorum, quia appetitores mundi in conspectu Dei nihil sunt : « et nescivi » me redactum « ad nihilum, » et me peccare.

« Sum » etiam « factus ut jumentum, » id est prorsus irrationabilis, et hoc « apud te, » id est in conspectu tuo, quia mihi videbar magnus philosophus : « et » tamen licet aliquando deviarem per appetitum terrenorum, « ego » fui semper tecum et hoc per te.

Qui tu « tenuisti manum dexteram meam, » id est rationem meam, ne a te recederet, conservando. Tenet Deus sinistram manum hominis, quando eum A in hac vita in prospera ducit : « deduxisti » etiam « me, » Domine, de virtute in virtutem, et hoc non meis meritis, sed « in voluntate tua et suscepisti me » in domum tuam non manufactam, in cœlis, « cum gloria. »

« Quid enim. » Quarta pars. Bene dico, « suscepisti me cum gloria. Quid enim mihi » paratum « est in cœlo? » ineffabilis scilicet gloria, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, et cætera : « et quid est, » id est quam vilissimum est illud quod « volui » mihi dari « super terram a te? » quia licet aliquando temporalia petiissem, tamen ego semper te habere volui.

Prius volui terrena, sed ecce « defecit caro mea : » quia carnalitas mea, quæ prius appetebat terrena, jam B « defecit, » mortificando sese « et etiam cor meum, » id est, carnalis voluntas, quia jam nihil mortale appeto, et etiam « Deus » est habitatio « cordis mei ; » et cum alii faciant sibi partes divitias hujus mundi, « pars mea Deus » ducens me « in æternum. »

Ideo facio te partem, o Deus, « quia ecce » patens est « qui elongant se a te » per turpem et inhonestam vitam, « peribunt, » quia tu Deus jam « perdidisti » dispositione tua « qui abs te, » id est, sine te viventes « fornicantur » cum dæmone, recedentes a vero sponso. Vel « fornicantur, » satisfaciendo suæ voluptati, sicut fornicarii, qui tantum suam volunt explere voluptatem.

Illos fornicarios perdes, me autem non, quia « mihi est bonum, » id est delectabile « adhærere Deo » C observando mandata ejus, « et ponere in Domino Deo spem meam. »

Illa adhærere, « ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis. » Vel prædicationes, id est omnes laudes tuas, « in portis, « id est in publico ubi omnes audiant, « Sion, » id est Ecclesiæ « filiæ » tuæ : Ecclesia filiæ comparatur propter ornamenta et propter filiorum fecunditatem.

IN PSALMUM LXXIII.

TITULUS. *In finem intellectus Asaph.*

« Ut quid, Deus, repulisti. » Psalmus iste dicitur « intellectus, » quia aperit nobis rem valde obscuram, scilicet, destructionem templi Dei, quod tamen nondum erat tempore prophetæ : et destructionem civitatis futuram per Titum et Vespasianum : et hic talis D « intellectus » est « Asaph, » id est fidelis Synagogæ : « Asaph » namque *congregatio* interpretatur. Materia est ipsa Synagoga, deplorans et condolens destructionem illius populi, quam videt futuram. Modus : In prima parte facit quamdam conquestionem de destructione illius populi, et precatur Deum ut eorum misereatur, ostendens hoc ex Judæorum meritis provenisse. In secunda parte, quæ incipit : « Deus autem rex noster, » precatur ut sicut Deus fecit misericordiam mundo, multa quoque mirabilia sic faciat etiam ipsis Judæis. In tertia parte, quæ incipit : « Ne tradas bestiis, » orat Deum ut quidquid faciat de aliis, saltem pauperum et confitentium sibi misere-

tur. Intentio est, hortari ut compatiamur malis aliorum, quia hic est quidam gradus charitatis. Unde Apostolus ait : « Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus (*Rom.* XII). »

Et ponit conquestionem sic, dicens : O « Deus repulisti » partem tuam « in finem, » scilicet in finem repulsionis : quia cum aliquando repulisses eos ad tempus in aliis captivitatibus, hæc repulsio est irrecuperabilis, quia nunquam in loco isto Judæi ulterius dominabuntur, nec ulterius reparabuntur, usque in finem sæculi. Repulit eos Deus, quando non defendit eos sicut solebat, et permisit destrui a Romanis. In interrogatione notat conquestionem, quasi diceret : Doleo de illorum tanta destructione, « ut quid iratus est furor tuus? » id est quare iratus es usque ad furorem? scilicet ut gravissimas diuturnas pœnas eis inferas « super oves pascuæ tuæ, » id est super populum tuum, quem reficiebas lege tua, sicut oves reficiuntur in pascuis : et hic per beneficia quæ Deus eis contulit, incipit captare benevolentiam erga illos.

Noli, Domine, repellere, sed potius « memor esto congregationis tuæ » quam congregasti in Ægypto : « quam » congregationem tu « possedisti » tibi famulantem « ab initio, » id est a tempore Abrahæ, Noe, et Adæ, et aliorum.

Item commovet Deum ad misericordiam per alia beneficia. Propter hoc quoque debes esse « memor, » quia tu « redemisti, » id est liberasti de manu Ægyptiorum, et de aliis captivitatibus « virgam hæreditatis tuæ, » id est hæreditatem tuam, scilicet, populum Judaicum, propter quem fecisti multa mirabilia, sicut per virgam Aaron. Vel per virgam sceptrum regni possumus accipere, ut sic dicamus : « Redemisti virgam hæreditatis tuæ, id est populum quem tu regis in virga, id est in sceptro regio : et præter cætera beneficia, tu ipse corporaliter visitasti eos et habitasti inter eos : et hoc est : « mons Sion in quo habitasti » ad litteram : quia Christus corporaliter habitavit in « Sion, » id est in Judæa, cujus caput est Sion : Hebræa veritas non habet « in eo. » Potest tamen sic legi : « Habitasti in Sion, » non per servos tantum ad vineam missos, sed propria persona « habitasti in eo. »

Postquam captavit benevolentiam per beneficia quæ fecit Deus populo, captat benevolentiam a persona adversariorum, ponendo superbiam eorum. Continuatio. Quia hæc beneficia fecisti populo tuo, ideo, o Deus, « leva manus tuas, » id est operationes tuas quæ fuerunt remissæ, cum eos permitteres facere de civitate tua quod volebant : « leva » dico « in « superbias eorum, » id est contra superbias, qui civitatem destruunt, et hoc facies « in finem » omnimode, id est, ita scilicet, quod convertantur, quia « quanta est malignatus, » id est, quanto malo animo fecit « inimicus » ille Romanus populus « in sancto » loco, id est, in templo tuo.

Et cum alii homines, qui mala solent facere, soleant compungi et dolere, isti « qui te oderunt, sunt A « gloriati in medio solemnitatis tuæ, » id est, in medio templi tui, in quo tua solemnitas solebat celebrari.

« Posuerunt » etiam « signa sua, » id est, aquilas suas, « signa » victoriæ suæ, « et non cognoverunt » veritatem, scilicet quod illa victoria sit ex te, sed sibi attribuerunt : « posuerunt » dico, « sicut » solent poni signa « super summum, » id est, super januas domorum vel templorum « in exitu, » id est, in compito. Tangit consuetudinem, quod victores solent ponere super portam vel super turrim signa sua.

Exaggerat eorum nequitiam : et etiam « excide- « runt januas ejus » templi, tendentes « in idipsum, » id est, in eamdem voluntatem destructionis, « quasi » essent « in silva, » non quæ observaretur, sed quæ B eorum voluntati esset exposita ad facienda ligna, et hoc dicit « lignorum, » et « dejecerunt, » id est, destruxerunt « eam » civitatem « in securi et ascia. » Ascia est ferramentum ad dolandas minutas sculpturas aptissimum.

« Incenderunt » etiam « sanctuarium tuum igni, » id est templum tuum, dejicientes culmina, quæ in altum ad honorem tuum erant ædificata, « in terra » ita ut non remaneret lapis super lapidem, « polluerunt tabernaculum nominis tui, » id est templum in quo invocatum fuerat nomen tuum, faciendo ibi multa polluta.

« Dixerunt » etiam « in corde suo » et non pauci, sed « cognatio eorum simul » cum illis, « quiescere C faciamus omnes dies festos Dei a terra, » id est destruamus omnia, ne dies festi agantur in terra ista ulterius.

Istam destructionem permisit nobis Deus fieri ex merito nostro, quia nos « non vidimus, » id est, non intellexinus, « signa nostra, » id est, nobis propositam, scilicet, visitationem, quam nobis fecit Deus. Et hic ponit se Synagoga in numero destructorum illorum, cum dicit, « non vidimus » hæc « signa, » quia « jam non est propheta » apud nos, quem consultamus, sicut prius habebamus. Cum enim prophetæ cessarent, signum fuit adventus illius, qui fuit et finis et completio prophetarum : « et amplius nos non cognoscet » Deus, visitando per aliquem prophetam. Vel ita potest legi præcedens versus, de D culpa Judæorum. Continuatio. Licet Deus tanta beneficia Judaico populo contulisset, tamen non erit in clementia ipsius, si permittat eos destrui, quia ipsi dixerunt Judæi in corde suo, id est, sicut dixerunt, ita in corde habuerunt, et non pauci de illis, imo cognatio illorum tota simul : quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra, scilicet, ut nullum festum celebremus ei. Nec debemus celebrare, quoniam « non vidimus signa nostra » quæ nobis promiserat Deus, id est non ostendit nobis aliqua signa, per quæ caveamus ab hostibus, sicut solebat : et etiam « jam non est propheta » qui consoletur nos, et cætera eodem.

Ipsi ita peccaverunt, sed, o « Deus usquequo » patieris illos permanere in peccatis, et hoc est :

« usquequo improperabit » tibi « inimicus, » id est, Judaicus populus : et usquequo « irritat, » id est, provocat adiram, « adversarius, » id est, Judaicus populus, « nomen tuum, » id est, te nominabilem? erit hoc « in finem : » id est, erit omnimode. Vel usque « in finem » sæculi, quando reliquiæ Judæorum salvæ fient.

Et « ut quid, » Domine, « avertis » ab eis « manum tuam, » id est operationem tuam qua convertas eos ad te; alia translatio habet, faciem tuam : et « ut quid avertis dexteram tuam, » id est Judaicum populum, qui ideo Domini dextera dicitur, quia per eos fecit Deus multa mirabilia : sicut per David Goliam interemit, etc., « de medio sinu tuo, » id est de ubertate misericordiæ, quia qui removetur a Deo, non est in misericordia Dei. Erit hoc usque « in finem, » erit utique in finem, quando Judæi convertentur ad Christum, recipientur in sinum Dei. Hæc figura fuit in Moyse, qui extraxit manum de sinu, et leprosam invenit, et cum iterum eam in sinum reposuisset, munda fuit, et hoc est impletum in populo Judæorum, qui cum removeretur á sinu Dei, id est a Christo, factus est leprosus in peccatis; cum autem converterit se ad Christum, mundabitur a lepra peccatorum.

« Deus autem. » Pars secunda. Deus avertit modo manum suam, scilicet, ipse « Deus rex noster » existens « ante sæcula, operatus est salutem, » id est, liberationem, et ante adventum et in ipso adventu Christi « in medio terræ, » id est in communi omnium hominum.

« Tu confirmasti. » Dico « operatus » es « salutem, » quia « tu » Deus « confirmasti mare » Rubrum, faciendo illud populo transeunti siccum, et ex omni parte quasi murum : et hoc « in virtute tua, » id est in omni potentia tua. Posita figura, ponit significatum ipsius figuræ, cum dicit : « Capita draconum, » id est potentias et elevationes dæmonum « contribulasti, » id est, ad nihilum reduxisti, « in aquis » baptismi : quia per aquas baptismi homo exit a diaboli potestate.

Et « tu » etiam « confregisti capita draconis » superioris, et « populis Æthiopum, » id est illis qui prius fuerunt nigri in peccatis, « dedisti eum » diabolum « escam, » id est refectionem : quia subtrahendo diabolo sua membra, eis reficiuntur, cum eos sibi incorporant : vel ipsis tribulationibus reficiuntur, quas immittit eis diabolus.

Ostendit etiam alias salutes, quas fecit Deus in mundo, cum dicit : « tu » etiam « disrupisti fontes, » id est, si aliquis fons impediebat eorum iter, tu divisisti, ut facile pertransirent, « et torrentes, » id est, si aliqua impetuosa aqua impediebat transitum eorum, tu « disrupisti, » id est, per minimos rivulos, « tu » etiam « siccasti fluvios Ethan » terræ illius, ut Jordanem, quem sicco pede transierunt. « Ethan » interpretatur *robustus*, per quod intelligitur diabolus; possumus et hoc intelligere ad allegoriam ita, fontes et torrentes « Ethan, » id est inundationes vitiorum, A quas immittit diabolus, tunc disrumpit Deus, quando alleviat peccata, et si non penitus condonat, tunc siccat « fluvios Ethan, » id est, inundantiam vitiorum, quando penitus condonat peccata. Vel sic « disrupisti fontes, » quando in deserto de petra aquam eduxisti, et torrentes, sicut aquam illam quæ sequebatur eos per desertum. Vel hos fontes et torrentes intelligimus prædicatores, qui refecerunt totum mundum prædicatione Evangelii, et per istos prædicatores « tu siccasti fluvios Ethan, » inundantiam peccatorum, quam immittebat diabolus.

« Tuus est dies, etc. » Totum ad litteram. Allegorice autem per diem accipimus sapientem, qui est illuminatus cognitione Dei. Per noctem peccator accipitur, qui est in tenebris, per ignorantiam veri B boni, qui peccator est tuus, o Deus, quia eum ad te convertis. « Tu fabricatus es auroram, » id est, principium conversionis, scilicet illos qui modo noviter convertuntur, « et solem, » id est, perfectissimos sapientes, qui alios possunt illuminare.

« Tu » etiam « fecisti omnes terminos terræ, » id est, eos qui se faciunt terminos et defensores Ecclesiæ, contra diabolum et ministros ejus, sicut sunt sancti episcopi et alii boni pastores; « æstatem, » id est illos qui sunt ferventissimi, sicut martyres, « et ver » etiam tu fecisti, id est, temperatos, sicut sunt boni confessores, et « ea tu plasmasti, » id est, principium eorum tu fuisti, quia nullus in eis quidquam fecit, nisi tu solus. Plasmatio enim est prima creatio.

C « Memor. » Et tu Deus, qui hæc mirabilia fecisti, « memor esto hujus, » id est, conversionis Judæorum, quod iste dicit absolute, « hujus » alia translatio habet, hujus operationis, et necesse est ut sis « memor, » quia « inimicus, » id est, ille Judaicus populus « improperavit, » id est, opprobria dixit « Domino » et hoc per insipientiam, et hoc est « et populus insipiens » exacerbavit « nomen tuum, » id est, provocavit te ad iram nobinabilem (sic). Cum dicit per insipientiam eos peccasse, excusat eos et dignos ostendit miseratione.

« Ne tradas. » Tertia pars. Inimicus populus ita improperavit Domino, sed, o Domine, quidquid facias de aliis « ne tradas bestiis; » id est diabolo et ministris ejus, « animam confitentem et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem, » id est omnimode, quando remuneres eos, quia confitentes sunt pauperes, et ideo debes remunerare.

Propter hoc non debes oblivisci, quia tu promisisti misericordiam confitentibus te, et hoc est : « Respice in testamentum tuum, » id est sanctum Evangelium, et opus est ut respicias promissa, quia propter merita eorum non facies, « quia » isti « repleti sunt » iniquitate « qui obscurati sunt, » id est, excæcati sunt ab usu rationis, « domibus terræ, » id est corporali habitatione, et hoc excusat eos de sua cæcitate.

Et, o Domine, « ne avertatur humilis » qui tibi supplicat, « factus confusus » si eum a te removeris,

nec debes tales a te removere, quia « pauper » verus « et inops » qui nihil de se præsumit, sed omnia Deo reputat, scilicet humilis; isti tales « laudabunt nomen tuum. »

Et propter hoc debes exsurgere, et etiam propter hoc, quia causa tua agitur, et hoc est, o « Deus, » qui hactenus videris dormisse, dum permittis inconversos Judæos, nunc « exsurge, judica causam tuam. » Causa enim agitur contra Deum, quando Judæi improperant Deo : hanc judicabit ad commodum suum Deus, si de blasphemis faciat laudatores : « judica » dico « causam, » scilicet, « memor esto improperiorum tuorum » scilicet quæ tibi objiciunt Judæi, et hoc quidem faciunt per insipientiam : et hoc subdit, « eorum improperiorum » dico, « quæ sunt » tibi « tota die ab insipiente » populo.

Et « ne obliviscaris voces inimicorum tuorum, » id est, voces et preces quas fundunt illi ad te, qui quondam fuerunt inimici tui. Alia translatio habet, quærentium te, et non debet oblivisci, tum propterea, quia isti inimici facti amici, clamant ad te, tum etiam propter hoc, quia inimici tui, scilicet Romani, superbe agunt contra illos, et hoc est : « superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper » crescendo magis et magis.

IN PSALMUM LXXIV.

TITULUS. *In finem ne corrumpas, psalmus cantici Asaph.*

« Confitebimur. » Psalmus iste est cantici Asaph, id est, fidelis Synagogæ quæ in hoc psalmo loquitur, monens « ne corrumpas, » id est, si habes fidem vel aliquod bonum, ne corrumpas illud, et per hoc dirigens in finem, id est, in Christum. Psalmus cantici, ideo psalmus iste dicitur, quia magnam nobis proponit exsultationem, quia Christum inducit judicaturum, et impios damnaturum, et justos remuneraturum, ubi dicit et omnia cornua peccatorum confringam, etc. Materia est Christus et homo, judex omnium. Modus : in prima parte loquitur ei Synagoga, ostendens eum talem cui omnis religio debeat exhiberi. In secunda parte inducitur Christus loquens, et respondens Synagogæ, et in verbis suis possumus intelligere, eum Deum et hominem, judicem omnium; et ista secunda pars incipit statim ubi dicit : « Cum accepero tempus » intentio est admonere « ne corrumpas. »

Et dicit Synagoga, O « Deus » nos « confitebimur tibi » peccata nostra : et quia securum se credidit ut permaneret in confessione, ingeminat : « confitebimur » perseveranter, « et » post confessionem, « invocabimus nomen tuum, » ut nobis peccata relaxes, et in nobis habites : recto ordine procedit, quia ubi non invocat, digne narrare non potest.

Et postquam invocaverimus, « narrabimus mirabilia tua, » scilicet de creatione mundi, de reparatione generis humani : et cum hoc iterum recto ordine procedit, quia qui non invocat, digne narrare non potest.

Unde dicitur : « Non est speciosa laus in ore peccatoris. » Hic notatur in his verbis Synagogæ omnis religio. « Cum accepero tempus. » Pars secunda. Et ita respondit Christus invocanti Synagogæ : Tu dicis, « confitebimur, » et certe bono tuo, puta cum ego accepero tempus, id est, opportunitatem judicandi, « judicabo justitias » reddens tibi pro merito tuo, et aliis similiter.

Dico « cum accepero tempus, » quia opus est ut differam, quia homines sunt corrupti, et oportet præscitos per misericordiam præparare : et corruptionem hominum ostendit dicens : « Liquefacta est terra, » id est, ipsum elementum est liquefactum et corruptum, « et omnes » homines liquefacti et corrupti per peccata, « qui habitant in ea, » quia secundum corruptionem hominum, ipsa elementa, quæ ipsis serviunt, corrumpuntur. Terra enim fertilior et aer salubrior fuit in tempore priorum patrum, quod ex diuturnitate vitæ eorum potest comprobari : homines scilicet liquefacti sunt, sed « ego » per misericordiam Dei « confirmavi columnas ejus » terræ, id est sanctos apostolos, qui totius Ecclesiæ sunt sustentaculum, et per illos acquirentur multi, qui digni erunt in judicio remuneratione.

« Confirmavi columnas, » et per illas « dixi iniquis : Nolite inique agere; et delinquentibus » contra præcepta mea dixi hæc : « Nolite exaltare cornu, » id est, « nolite » excusare vos de peccatis vestris : « cornu » enim, id est superbia, exaltat, qui se de peccato suo excusabilem existimat et judicat.

Et « nolite cornu vestrum, » id est excusationem vestram, « extollere in altum, » id est, contra Deum, ut dicatis vos culpa Creatoris esse peccatores, qui tales non creavit : et quid intelligat per « cornu extollere in altum, » ipse exponit, cum dicit : « Nolite loqui adversus Deum iniquitatem. Nolite » dico, ipse enim cognoscit quidquid vos facitis, quia nullo loco deest; et hoc est : « quia » ipse non deest, « neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus » ad litteram. Vel per orientem allegorice sapientes et summos viros, quibus est ortus sol justitiæ, possimus accipere; peccatores per occidentem, quibus idem sol occidit; per desertos montes hæreticos, qui cum montes se ostendunt, tamen a veritate remoti sunt et deserti : ideo dicit quod a nullo deest, « quoniam Deus judex est, » ille de quo ego ago, Deus est, et quia Deus est, ergo ubique est.

Et quia « judex est » et justus, scilicet, ubi dicet judicem proprie et justum intelligit, ideo « humiliat hunc » superbum, etiam in hac, et tandem in alia vita, « et hunc, » id est, humilem, « exaltat » multiplicando eum in virtutibus, et tandem in alia vita vere exaltabit, cum eum perpetuo coronabit et potest exaltare : et humiliare, « quia in manu » illius « Domini calix » est, scilicet divina Scriptura, de qua potantur multi, sicut de aliquo calice; « calix » dico « meri vini, »

id est, puri sensus, id est, spiritualis intellectus; « calix » dico « plenus misto, » id est, mistura, quia continet et Novum et Vetus Testamentum, in quo utroque testamento sincerus est, et merus, et spiritualis intellectus.

Et hunc calicem « inclinavit, » id est, per misericordiam suam intelligibilem fecit, « ex hoc » vase « in hoc » aliud vas, et « hoc » per simile dicit, scilicet, ex Judaico populo, in gentilem populum, prius enim Judæis, quam gentibus legem suam dedit, et licet sic inclinasset, tamen calix non est evacuatus, et hoc est, « verumtamen fæx ejus, » id est reliquiæ ejus calicis, « non est exinanita, » id est evacuata, quia neque usque ad reliquias potest exhauriri, neque ipsæ reliquiæ possunt exhauriri, quia quanticunque exhauriant de divina Scriptura, tamen non minus habet ipsa spiritualis intellectus. Per fæcem non accipit turbidum aliquid, sed quasi solas reliquias, sicut in cypho merum vinum aliquando remanet. Et adeo non est exinanitum, quod inde « bibent omnes peccatores terræ, » id est, reficiuntur aliqui de omni genere peccatorum, scilicet et Judæorum qui in fine potabunt, et gentium qui modo potantur. Vel « fæx ejus, » id est legis, scilicet carnales observantiæ, quæ « fæx » dicuntur quantum ad Novum Testamentum, non prorsus est evacuata, quia adhuc servant eam Judæi, et hoc dicit, « non est exinanita; » et licet modo « non sit » exinanita, « tamen quicunque » bibent « legem illam spiritualiter » omnes peccatores terræ, » scilicet, tam Judæi quam gentiles. Vel per calicem possumus accipere divinum judicium, ut ita dicamus : Bene dico, « hunc humiliat, et hunc exaltat, » quia « in manu, » id est, in potestate illius Domini est « calix, » id est divinum judicium, quod ideo « calix dicitur, » quia propinat inde Deus unicuique pro merito, sicut propinatur de calice ; « calix, » dico « meri vini, » id est quo propinatur merum vinum, justitia sanctis in hac vita, et tandem æterna gloria, qui « calix » est « plenus » etiam « misto, » id est, pœna qua potabuntur mali, qui sicut in calice illo continetur remuneratio bonorum, sic et damnatio impiorum. Et illum calicem « inclinavit ex hoc in hoc, » quia per illum calicem et bonis bona, et malis mala propinat, et licet inde omnibus propinet, tamen « fæx ejus, » id est, pœna, « non est exinanita, » id est, nunquam exhausta est, sed « omnes peccatores terræ bibent » illam, id est, perpetuo punientur.

Ipsi bibent ex eo, « ego autem annuntiabo, id est gaudebo, sicut alia translatio habet, « in sæculum, » id est, quandiu durabit sæculum, et etiam « cantabo » voce et opere, « Deo Jacob. »

« Et » postquam hæc omnia fecero, veniens ad judicium « confringam omnia cornua peccatorum, » et dabo cornua justis, qui modo non habent, « et » illa « cornua justi exaltabuntur » ineffabili gloriatione. Ubi dicit, « accepero tempus, » et « confirmavi columnas ejus, » ostendit se esse hominem. Ubi dicit, « quoniam Deus judex est, » ostendit se esse Deum et judicem.

IN PSALMUM LXXV.

TITULUS : *In finem in carminibus, canticum ad Assyrios. Psalmus Asaph.*

« Notus in Judæa Deus. » Iste « psalmus Asaph, » id est, fidelis Synagogæ, habitus in carminibus, id est in laudibus Dei. Proponit enim nobis magnas laudes Dei, dum dicit eum notum esse in Judæa, et quod ipse illuminat bonos, ubi dicit : « Illuminans tu mirabiliter, » et excæcat malos, ubi dicit, « turbati sunt omnes insipientes corde, et dormierunt somnum suum » : et ibi maxime apparet unde laudandus sit, cum dicit, « ut salvos faciat omnes mansuetos terræ, » qui psalmus est « canticum, » quia, ut dictum est, rem unde nobis sit exsultandum proponit, eam scilicet quam prædiximus in carminibus : « canticum » dico « habitum ad Assyrios, » id est, ad superbos Judæos : Assyrii namque *dirigentes* interpretantur, et per Assyrios Dominus populum suum pro peccato eorum flagellabat, et per istos tales Assyrios merito Judæi intelliguntur, quia et isti Judæi superbi erant de sua lege, et Ecclesiam Christi persequebantur, et hos tales Judæos hortatur fidelis Synagoga, ut cum ipsa gaudeant de hoc nomine, quod Judæi dicuntur, et Christum confiteantur, quia nemo potest esse Judæus, nisi in quo habitat Christus. Vel per Assyrios, qui *dirigentes* interpretantur, bonos Judæos, qui se ad Deum dirigunt, secundum interpretationem possumus accipere : et hos admonet fidelis Synagoga, ut perseverent in dilectione Christi. Materia est ipse Christus. Modus : In prima parte ostendit in quibus habitet Christus, et quod a sua habitatione removeat omnem potestatem inimici, cum dicit : « Ibi confregit potentias, » et cætera. In secunda parte, quæ incipit : « Illuminans tu mirabiliter, » ostendit quod in hac vita bonos illuminat, malos excæcat ; et tandem in judicio damnabit impios, et salvos faciet bonos. In tertia parte quæ incipit : « Quoniam cogitatio hominis confitebitur, » ostendit eum dignum cui soli faciendum sit festum, et admonet nos, ut ei festum faciamus, et hæc est intentio.

Et sic admonens ipsos Judæos, dicit Synagoga : o vos Judæi, « Deus est notus in Judæa, » id est omnibus qui confitentur Christum natum de tribu Juda : quibus autem « notus » non « est Deus, » ipsi non debent dici Judæi. De tribu Juda fuerunt omnes reges Judææ, præter Saul. « Et in Israel magnum nomen ejus, » id est, illis qui eum vident, quia quanto magis investigant de eo, tanto est illis major. Et hoc potestis scire, o vos Judæi carnales, quia si nomen ejus in vobis non est magnum, id est, si Christum non honoratis, non eritis Israel. Vel si ad bonos Judæos dicitur, sic dicetur : Quandoquidem « notus est in » Judæis « Deus, » et « in Israel magnum nomen ejus, » ergo vos boni Judæi persistite, ut in vobis habitet, et crescat nomen ejus « et factus est locus ejus » ubi ipse cubat « in pace, » id est, in illis qui cessant a vitiis, et faciunt bona. Alia translatio habet, in Salem ; sed translator posuit significatum hic pro si-

gnificante « et in Sion, » id est in speculantibus Deum, est « habitatio ejus » in quibus ipse non invenit ullum offendiculum, et ideo vos Judæi facite vos speculantes, ut in vobis Deus habitet.

« Ibi, » id est in Sion, id est in speculantibus se, « confregit » Deus, id est destruxit, « potentias » diaboli, et eas per partes exsequitur, dicens, « arcum, » id est latentem impugnationem, « scutum, » id est defensionem iniquitatis, et « gladium, » id est manifestam impugnationem, « et » ut omnia comprehendat, dicit, « bellum, » id est omnem impugnationem, ita confregit Deus hæc vitia in suis, sicut ad historiam, confregit potentias Amorrhæorum et Jebusæorum, ut populum suum in terram promissionis induceret.

« Illuminans. » Pars secunda. Continuatio. Dico confregisti « potentias, » et tu bene potuisti benefacere, quia, o « tu, » Deus, « illuminas » fideles tuos cognitione veri boni, « a montibus æternis, » id est per apostolos, qui æterni dicuntur, quia vita eorum manet in æternum, illuminas dico « mirabiliter, » id est per miracula. Vel mirabiliter, quia etiam si sine miraculis fiat cognitio Dei, tamen mirabilis est, quia quanto magis Deus ab initio cognoscitur, tanto potentior intelligitur. Vel si habeat « illuminans, » pendet constructio usque, « tu terribilis es, » et te illuminante « turbati sunt, » non dico boni, sed « omnes insipientes corde, » id est appetitores sæculi.

Et ipsi « dormierunt, » id est quieverunt in gaudiis hujus mundi, putantes esse bona hæc temporalia, et quia possent dormire et statim evigilare, addit « somnum suum, » id est continue, et sicut evigilans nihil invenit de divitiis quas habuit in somnio, sic « omnes viri divitiarum. » Per divitias non solum usitatas divitias accipimus, sed etiam quælibet desideria carnalia, « nihil in manibus suis invenerunt, » id est in potestate sua, qui prius putaverunt eas divitias semper sufficere, et eas in sua possessione habere.

Et hic excusabiles ostendit eos ab « increpatione, » Continuatio. Dico « dormierunt, et, o « Deus Jacob, ab increpatione tua, » id est, dum eos tu increpares per prædicatores tuos « dormitaverunt, » id est dormierunt frequenter : quia quando terrebas eos et videbant varia et inconsueta miracula, tunc commovebantur; his vero cessantibus, iterum dormiebant: « dormitaverunt » dico « quia ascenderunt equos, » id est illi qui late discurrunt per desideria sæculi. Hic mittit nos ad historiam, cum Moyses miracula faceret coram Pharaone, dicebat se cito dimissuros filios Israel; cum autem cessarent miracula, et populus cœpit proficisci, conscendit in equos et insecutus est populum Dei.

Et « tu » qui hæc facis in hac vita, « terribilis es » futurus impiis in judicio, « et » tunc « quis resistet tibi. » Nullus utique; « ex tunc ira tua » apparebit, quia quos in hac vita per misericordiam differs punire, et invitas ad pœnitentiam, illos tunc graviter punies.

Bene dico, « ira tua, » quia tu « fecisti, » id est, « facies » judicium « tuum auditum de cœlo » per totum mundum, cum sit vox in tuba Dei, et in voce archangeli, et hoc Propheta annuntiat per præteritum, quia in consilio Dei jam viderat illud esse peractum, et « contremuit, » id est, tremebit « terra, » id est, terreni « et quievit, » id est quiescet, quia jam nullam habebit potestatem.

« Tremuit » dico. « Cum Deus exsurget in judicio » et non tantum exsurget, ut condemnet impios, sed etiam « ut salvos faciat omnes mansuetos terræ. »

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi. Tertia pars. Continuatio. Et quia Deus hæc omnia facit, ideo vos « vovete Domino, Deo vestro, et reddite. » Ideo dicit « vovete, » quia quædam sunt quæ non essent necessaria ad faciendum nisi voverentur, sicut abstinere ab uxore, a carne, et cætera, et ideo sunt alliciendi homines ut voveant; « vovete » dico non alii, sed « omnes qui in circuitu ejus » existentes, id est in famulatu ejus, « affertis munera » justitiæ et æquitatis, et cætera. Alia littera habet qui in circuitu ejus sunt, afferent munera. Continuatio : Ideo debetis vovere et reddere, quia omnes qui in circuitu ejus sunt, afferent munera.

Et quid debeamus vovere et reddere, ostendit per præmissam causam. Continuatio. Bene debetis vovere et reddere, « quia tibi, » o Domine, « confitebitur cogitatio hominis, et reliquiæ cogitationis, » id est, operationes, quæ post cogitationem relinquuntur, « agent tibi festum diem, » id est, ostendunt te esse laudabilem : festum celebrare, a malis operibus cessare, et Deo laudes debitas exhibere. Unde dicit Augustinus : Male celebrat sabbata, qui a bonis operibus vacat. Vel reliquiæ cogitationis, id est, recordationes quas semper homo habet pro peccatis, et quoniam hoc est, ergo vovete, etc. Vovere consilium est, solvere autem vota præceptum, id quod Moysi auctoritate probatur. Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo.

« Vovete » dico, Domino Deo vestro, et Domino dico « terribili, et ei qui aufert spiritum principum, » id est vitam, ad litteram, propter hoc dicit « terribili apud reges terræ, » id est apud omnes illos qui bene regunt suam terrenitatem.

IN PSALMUM LXXVI.

Titulus. *In finem, pro Idithun, psalmus Asaph.*

« Voce mea ad Dominum clamavi. » Psalmus iste est Asaph, id est fidelis Synagogæ, quæ hic loquitur sicut David, vel aliquis de illo populo priori : habitus pro Idithun, id est pro transiliente, ut sicut ille transiliens est qui loquitur, ita faciat suos auditores transilientes, id est contemptis mundanis, cœlestibus adhærentes, et hæc est intentio. psalmus dico, dirigens in finem. Ideo aliquem de prioribus patribus hic loqui dicimus, quia qui hic loquitur, deliberat an possit fieri salvatio hominis, de qua nullus fidelis dubitat, eorum qui post adventum Christi fuerunt.

Materia est ipsa fidelis Synagoga. Modus : In prima parte ostendit se clamare ad Deum etiam in tribulatione, et quod non velit consolari his temporalibus, ubi dicit : « Renuit consolari anima mea. » In secunda parte, quæ incipit : « Anticipaverunt vigilias oculi mei, » deliberat utrum salvatio hominis necne. In tertia parte, quæ incipit : « Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi, » ostendit se salutis viam invenisse, et quod ipsa salus per Filium Dei fiat. In quarta parte, quæ incipit : « Viderun te aquæ, Deus, viderunt te aquæ et timuerunt, » ostendit mirabilia quæ Deus per Filium in mundo procreavit.

Et sic Synagoga fidelis proponens se exemplum aliis, dicit : « Ego clamavi ad Dominum » ut eum obtineam, quia Dominus est, et hoc « voce mea » quia ab hoc quod peto voce, non discordo opere, etiam « voce mea clamavi ad » Deum et ad quem clamandum est, quia Deus est, « et intendit mihi, » id est benigne respexit.

Et non tantum in alio tempore, sed et in adversitate : et hoc est. « In die tribulationis meæ Deum exquisivi, » quia cum potestas hujus vitæ se mihi offerret, et prosperitas, ego inter omnia Deum exquisivi « manibus, » id est operationibus « meis : exquisivi » dico, « nocte, » id est in hac vita, quæ ideo nox dicitur, quia in ea non habetur perfecta illuminatio. Vel nocte, quando alii dormiunt, ita quod hæc mea inquisitio esset « contra eum, » id est in præsentia ejus. Alia translatio habet, « coram eo. Et non sum deceptus, » id est non sum spe mea frustratus, sed experientia edoctus, Deum suos non derelinquere, et justis æternæ vitæ præmia tribuere, neque petentibus quidpiam denegare.

« Deum exquisivi, » et in temporalibus nolui consolari, id est, habere consolationem, et hoc est : « Anima mea renuit consolari » passive, vel consolari se, scilicet in istis temporalibus, sed semper « fui memor Dei, et » in illa memoria « delectatus sum, » percipiens magnam bonitatem Dei, « et exercitatus sum » ut cognoscerem quanta esset bonitas ipsius, « et » in hoc « defecit spiritus meus » quia incomprehensibilis est bonitas Dei.

« Anticipaverunt. » Pars secunda. Dico « defecit spiritus, » sed tamen « oculi mei, » id est, interior ratio mea, « anticipaverunt vigilias, » id est, plus quam alii sollicitu fuerunt, ad inquirendam Dei bonitatem : hoc dicit ad similitudinem alicujus studiosi, qui plus aliis vigilat, cæterisque diligentius cuncta investigat, et in illis vigiliis « turbatus sum, » cognoscens omne humanum genus in peccatis teneri, ex inobedientia primi parentis, « et » tamen « non sum locutus, » id est, non murmuravi contra Deum.

Ideo sum turbatus quia ego « cogitavi dies antiquos » id est, peccatum Adæ factum in antiquis diebus, sed tamen contra « annos æternos in mente habui, » quia quod de promissa hominibus æternitate audivi, semper recordabar.

« Et meditatus sum nocte, » id est, tempore istius vitæ, « cum corde meo, » id est, cum ratione mea, quia ratio attendens Dei misericordiam, et quod Deus hominem ad laudem suam fecit, humani generis salvationem indicavit futuram, carnalitas autem videns hominem putrescere, negabat reparationem futuram, « et exercitabat » ut cognoscerem quid potius tenendum sit, « et » ut melius intelligerem, « scopebam spiritum meum, » id est, omnem fæcem terrenitatis ejiciebam a me, scobare enim est mundare, vel « scopebam » idem est quod quidam dicunt, « scropebam, » id est, cavabam ut profundius possem de Deo intelligere.

« Meditatus sum » ita dicens apud me, « Numquid in æternum projiciet Deus » populum suum et « non apponet, ut complacitior sit adhuc, » placidus fuisse ostensus est superius, cum mihi intendit, placidior erit, cum reparabit.

« Aut abscindet ipse suam misericordiam in finem, » id est, omnino, quod nulla scilicet major abscissio sit ut removeat eum a bonis et a malis, et faciet hoc ipse « in generatione et generationem, » id est omni tempore.

« Aut obliviscetur misereri Deus? » qui prius consuevit facere misericordias patribus nostris, « aut continebit in ira sua misericordias suas, » id est, prævalebit ira ejus misericordiæ ejus, iratum enim video eum propeccatis, misericordem tamen cognosco et dixi. Pars tertia. Ego sic deliberavi, « et » in hac mea deliberatione « dixi, nunc cœpi » quid inde tenendum sit. Vel, « cœpi » veram cognitionem inde habere, scilicet, video quamdam mutationem, sicut in ariete immolato ab Abraham, intelligo humanitatem Christi immolandam esse pro hominibus, « et hæc est mutatio dexteræ Excelsi, » id est, Christi, qui est dextera Dei Patris, per quem operatur hanc mutationem, ut de peccato ad justitiam transire faciat, et de mortalitate ad immortalitatem perducat.

Et per hoc intellexi illam mutationem, « quia memor fui operum Domini, » scilicet quod creavit hominem, et sicut eum per misericordiam creavit, sic intellexi, quod eumdem per misericordiam reparabit. « Memor fui, quia » etiam in futuro « memor ero, » vel ut alia translatio habet, omnium « mirabilium tuorum » quæ fecisti in mundo « ab initio, » id est, a creatione cœli et terræ, et quia illa cognovi te fecisse propter laudem tuam, sic quod homines salvabis, quia nisi illos salvares, nullam laudem haberes.

Et non tantum « memor ero, » sed « etiam meditabor, » id est, studiose inquiram « in omnibus operibus tuis » ut in cæteris operibus factis, intelligam etiam quia hominem salvum facies, « et exercebor in adinventionibus tuis, id est, præceptis tuis, quæ tu invenisti.

« Deus in sancto. » Ecce quod superius dixit : ecce « nunc cœpi. » Continuatio : « Exercebor in adinventionibus tuis, » hæc inventio quidem « o Deus, via tua » qua venitur ad te est « in sancto, » id est in Christo, et quia videt reparationem per Christum

futuram, commendat eum cum exsultatione, dicens : « quis Deus magnus, sicut Deus noster? » Gentiles stulti putant statuas suas, vel lapides, deos esse, sed nihil est certe, quia « tu » solus « es Deus, qui facis mirabilia. » Et quæ mirabilia, ostendit dicens :

« Notam fecisti in populis virtutem tuam, » id est Filium tuum, in quo virtus tua apparebit. Et non tantum notificabis Filium, sed « in brachio tuo, » id est, in ipso Filio « redemisti populum tuum, » quem populum determinat, scilicet, « filios Jacob, » id est Judaicum populum, « et Joseph, » id est gentilem populum, qui ideo per « Joseph » intelligitur, quia Joseph in gentili populo, scilicet in Ægypto, conversatus fuit. Vel ad allegoriam : Per « Joseph, » qui interpretatur *accrescens*, gentilem populum accipimus qui accrevit ad cultum Dei per Judaicum populum.

« Viderunt. » Pars quarta. Per hoc « redemisti populum, » quia o « Deus, aquæ, » id est Judaici populi, « viderunt te, » id est, cognoverunt te per Filium : « viderunt te » iterum « aquæ, » id est gentiles, « et timuerunt » pro peccatis, intelligentes te futurum judicem, « et abyssi, » id est profundissimi in peccatis, « turbatæ sunt » a proposito suo.

Et tunc fuit « multitudo sonitus aquarum, » id est, populi sonuerunt, multis modis laudantes te de missione Filii tui, et clamaverunt pro peccatis : et « sonitus » ideo fuit, quia « nubes, id est sancti apostoli, « dederunt vocem » prædicationis per orbem terræ.

Bene dico, « vocem dederunt nubes, » quia o Deus, « sagittæ tuæ, » id est sententiæ tuæ transfigentes corda hominum, « transeunt » ad homines de illis apostolis : et « vox tonitrui tui, id est comminationis de peccatis, est « in rota, » id est, in circuitu totius mundi.

Et « coruscationes tuæ, » id est, miracula facta per ipsos apostolos, « illuxerunt orbi terræ. » Bene dixit, « illuxerunt orbi, » quia per hæc sunt multi illuminati, et conversi ad fidem ; per coruscationem possumus accipere præcepta vivendi : « et » per ipsas coruscationes « commota est terra, » id est, terreni ad conversionem, « et contremuit » agendo pœnitentiam pro peccatis.

Et per istos apostolos sic operantes, « via » est « tua in mari, » id est in gentili populo, quia per hoc et tu venisti ad gentilem populum, et gentilis populus venit ad te : ad litteram etiam completum est, quia Dominus Jesus incessit super mare, et super mare fecit Petrum ambulare ad se : « et semitæ tuæ, » id est arctiora præcepta tua, sunt etiam receptæ « in aquis multis, » id est in diversis populis : et licet gentiles ad te ita veniant, tamen « vestigia tua, » id est signa justitiæ tuæ, « non cognoscentur » a Judæis.

« Quibus tamen multa fecisti miracula, quia deduxisti » illum « populum tuum sicut oves, » non quod ipsi bonæ oves essent, sed tu eras eis pius pastor « in manu Moysi et Aaron, » ad litteram : et per Moysen A intelligimus omnem ducem, et per Aaron omnem sacerdotem, quem præfecit populo suo.

IN PSALMUM LXXVII.

TITULUS : *Intellectus Asaph.*

« Attendite, populo meus. » Psalmus iste convenit Asaph, id est, fideli Synagogæ, quæ hic loquitur, sicut David prophetæ, vel alicui similium : qui psalmus dicitur intellectus, quia non tantum historialem, sed etiam in historia allegoricum continet intellectum. Materia est : munera quæ fecit Deus priori populo, liberans eos ab Ægypto, et cætera quæ postea fecit eis usque ad missionem Filii : et per oppositum, ipsi Judæi ingrati beneficiis Dei et semper contra Deum murmurantes. Partes psalmi B decem sunt. In prima parte ponit prologum, in quo facit eos attentos ad cætera quæ sequuntur. In secunda parte, quæ incipit : « Quanta audivimus, » increpat duritiam Judæorum, qui legem Dei non receperunt, quamvis Deus per multa beneficia legem suam recipiendam eis indicasset. In tertia parte, quæ incipit : « Coram patribus eorum fecit, » enumerat mirabilia quæ Deus fecit populo suo, educendo eos de Ægypto per mare Rubrum, et deinde in deserto : et contra hoc ponit etiam murmurationem Judæorum. In quarta parte quæ incipit : « Ideo audivit Dominus et distulit, » ostendit quod Deus volens notificare potentiam suam, de qua ipsi increduli diffidebant, omnes petitiones eorum implevit. In quinta parte, quæ incipit : « Adhuc escæ C eorum erant, » ostendit vindictam, quam Deus sumpsit de eis, propter duritiam eorum et incredulitatem. In sexta parte, quæ incipit : « Et dilexerunt eum in ore suo, quod, cum ipsi Judæi propter timorem vindictæ, ficte Deum diligerent, ipse tamen misericordem se exhibuit eis. In septima parte, quæ incipit : « Quoties exacerbaverunt eum in deserto, » ostendit, quod licet ipsi semper Deum tentarent, tamen Deus multis modis ad eorum liberationem Ægyptios percussit. In octava parte, quæ incipit : « Et abstulit sicut ovis populum suum et perduxit eos, » ostendit quam benigne eos Deus in terram promissionis induxit : et ex opposito, quod Judæi Deum semper exacerbantes semper tentaverunt. In nona parte, D quæ incipit : « Audivit Deus et sprevit, » ostendit vindictam quam in terra promissionis sumpsit de illis Deus, et etiam de persecutoribus eorum Philisthæis. In decima parte, quæ incipit : « Et repulit tabernaculum, » ostendit, quod præter cætera beneficia, misit eis Deus David regem, scilicet Filium Dei qui innocentia et justitia regeret eos, natum de tribu Juda. Post hæc omnia, intendit admonere quoscunque fideles, ut legem Dei recipiant, et eam spiritualiter intelligant.

Et inde monens eos, sic incipit : « Populo meus, » id est, mihi consimilis fidelis sicut ego, « attendite legem meam, » ut sicut ego legem spiritualiter intellexi, et eam facio, ita et vos eam faciatis, et ut eam possitis intelligere, nolite superbi esse, sed « inclinate »

id est, humiliate « aurem vestram » id est, intelligentiam vestram, « in verba oris mei. » Modo maxime facit eos attentos, ad ea quæ sequuntur.

Ideo debetis intelligere, quia « aperiam ego os meum vobis, » id est, ego multa loquar vobis, et hoc non tantum in historia, sed « in parabolis, » id est, in hujusmodi locutionibus, in quibus et aliud intelligitur, quam litteralis sensus; « loquor » etiam vobis, « propositiones » id est, illas obscuras allegorias quæ vix possunt intelligi, sicut sunt divinationes illæ quæ problemata vocantur, velut quod Samson proposuit Philistæis, dicens : De comedente exivit cibus, et de forti dulcedo. Cum autem exposuissent illi hoc esse dictum de favo mellis, quod ipse invenit in ore leonis (*Judic.* XVI), proposuit quamdam parabolam, respondens: Nisi in vitula mea arassetis, propositionem meam non solvissetis : per vitulam uxorem suam intelligens, propositiones dico, factas « ab initio, » id est, ex quo Deus cœpit manifeste operari in illo populo, fecit mirabilia, quæ fecit in Ægypto.

« Quanta. » Secunda pars. Ideo debetis attendere propositiones quas ego loquar, quia non ex corde meo, sed ea quæ audivi et vidi loquor, et hoc est, « quanta, » id est, quam magna, quam infinita « audivimus, et cognovimus » esse vera, per ipsam impletionem, « et » credendum est illis. Audivimus, quia « patres nostri narraverunt nobis. » Cum dicit: narraverunt, ostendit rem non esse fictam, sed veram quæ narratur, et illa narratio non tantum fuit dictis, sed etiam scriptis.

Et illa quæ narraverunt sunt cognita ab omnibus per totum mundum, et hoc dicit; « non sunt occultata a filiis eorum, » id est, patrum nostrorum scilicet, omnibus nobis in populo Israelitico sunt manifesta « et in generatione altera, » id est, in gentili populo.

Dico patres narraverunt, « narrantes laudem Domini, » id est, quælibet opera Dei, in quibus laudandus merito apparet Deus, ut in incarnatione hominis et similibus, « et virtutes ejus, » id est, illa in quibus potentia Dei apparebat, ut in divisione maris Rubri, « et mirabilia ejus, » ut manna in deserto, « quæ » omnia non tantum dixit vel promisit Deus, sed « fecit. »

Hæc mirabilia fecit eis Deus, « et » postea « suscitavit testimonium in Jacob : et legem posuit in Israel. » Per legem, accipimus prohibitiones et instructiones vitæ ; ipsam quoque legem testimonium vocat, secundum hoc quod testatur nobis æternam hæreditatem quam promittit nobis Deus. Suscitavit proprie dicit, quia lex naturalis in nobis sopita fuit, ad quam suscitandam, Deus dedit legem scriptam, quæ cum naturali quodammodo eadem erat. Et cum Deus multa beneficia promisisset populo illi, valde sunt increpandi, qui non receperunt legem illam, in qua « quanta, » id est, quam mirifica « mandavit patribus nostris nota facere ea filiis, » id est, ut notificarent ea posteris, scilicet, non tantum Judæis, sed « ut » etiam « cognoscat generatio altera » ea, scilicet gentiles.

« Filii qui nascentur, » ad hoc Deus dedit legem, ut notificetur posteris nostris; et ita complebitur quod « filii qui nascentur » de carnali progenie nostra, sicuti sancti Apostoli, « exsurgent, » id est, non acquiescent istis temporalibus, sed cor suum ad Dominum dirigent, « et narrabunt filiis suis » spiritualibus.

« Ut ponant spem suam » non in justitia sua, vel carnalibus observantiis, sed « in Deo, et non obliviscantur operum Dei, » id est, non sint ingrati de beneficiis Dei, sed per creaturas, et per beneficia sibi facta, intelligant ipsum Creatorem, « et mandata ejus exquirant. »

Ideo exquirant, « ne fiant sicut patres eorum, generatio prava et exasperans. » Prava dicitur generatio illa, propter perversa opera, sicut propter idololatriam, et similia : et exasperans dicitur, quia de potentia Dei diffidens, ipsum Deum sæpe tentavit.

Bene dico « generatio » prava, quia generatio illa talis fuit, « quæ cor suum » distortum male intelligendo, « non direxit » ad bonum intellectum : « et spiritus ejus, » id est, ratio naturalis, « non est creditus cum Deo, » videlicet, si aliquando bene fuerunt cum Deo bene intelligendo, detraxerunt se ab illo, quasi Deus deciperet eos : velut, si aliquando per figuras res significatas intelligerent, retrahebant se, nec spiritum suum Deo committebant.

Bene dico « generatio illa non direxit cor suum, » quia nec filii Ephraim, qui meliores fuerunt in populo illo : hoc dicit : « Filii Ephrem, intendentes arcum, et mittentes » sagittas, « conversi sunt in die belli. Per similitudinem dicit, quia sicut aliquis, intenso arcu, mitteret sagittas, et se paratum ad pugnandum ostenderet, in bello autem statim deficeret, ita et majores et prælati populi illius, cum se paratos ad servitium Dei ostenderent, dicentes visis miraculis: Quæcunque præcipiet nobis Dominus et famulus ejus Moyses, faciemus : statim a servitio Dei recedebant et idola colebant, et hæc est parabola, et per filios Ephraim, qui majores fuerunt in populo illo, prælati Ecclesiæ intelliguntur, qui cum Deo servire se ostendunt; tamen, non resistentes tentationibus diaboli, convertuntur in die belli.

Ita sunt conversi, quia « non custodierunt Testamentum Dei, » et hoc non ex difficultate præcepti, sed quia noluerunt, et hoc dicit . « et in lege ejus noluerunt ambulare; » similiter mali Christiani faciunt.

Et præter hoc, « obliti sunt benefactorum ejus » velut refectionem in deserto, « et mirabilium ejus, quæ ostendit eis, » veluti plagarum quas ostendit Ægyptiis (*Num.* II).

« Coram. » Tertia pars. Horum, scilicet mirabilium, « coram patribus eorum » Moyse et Aaron, « fecit mirabilia in terra Ægypti, » et, ut majorem relinquat certitudinem, determinat locum, cum dicit: « in campo Thaneos. » Thanis est civitas Ægypti, apud quam decem plagæ factæ sunt, et interpretatur : hu-

mile mandatum. Allegorice : In Ægypto, id est, in tenebris hujus vitæ, facit Deus mirabilia coram patribus nostris spiritualibus, cum per ministerium eorum nobis peccata dimittit et gratiam Sancti Spiritus tribuit. Vel per mirabilia accipiamus invisibilia, et hoc facit nobis dum sumus in campo, id est, in planitie hujus vitæ : campo dico Thaneos, id est, in quo nobis est vivendum per humile mandatum.

In Ægypto fecit mirabilia, et educens eos de Ægypto (*Exod.* XIV), « interrupit mare » Rubrum, « et perduxit eos » usque ad aliud littus, « et statuit aquas » maris, « quasi in utre » stabiles, nullo modo fluentes, similiter aqua baptismi interrupta, quia est aliis salus, aliis mors ; perducit nos Deus ab Ægypto, scilicet ab infidelitate ad securitatem cœlestis patriæ : et aquas, fluctus hujus sæculi, statuit quasi in utre, quia ita compescit, quod deinceps non possunt nobis dominari.

« Et deduxit eos, » post exitum maris Rubri, « in nube diei » quæ erat eis in refrigerium : « et tota nocte in illuminatione ignis. » Per nubem diei, Christi humanitatem significat, in qua divinitas latuit, quæ nobis præstat refrigerium contra incentiva vitiorum : per columnam ignis, eamdem Christi carnem intelligimus, quæ illuminavit in nocte, id est, in ignorantia hujus vitæ, igne Spiritus Sancti.

« Interrupit petram in eremo (*Exod.* XVII), et adaquavit eos velut in abysso, multa, » scilicet in illa profunditate aquarum poterant melius refici. Petra interrupta in eremo, significat Christum nobis scissum et vulneratum in hoc mundo, unde proces sit spiritualis et ineffabilis refectio.

Dico « petram interrupit, et de petra eduxit aquam, » in quo Dei magna potentia et ineffabilis erga nos notatur benignitas ; « et deduxit tanquam flumina aquas, » quia rivus ille procedens de petra, sequebatur eos per desertum, et refectionem ministrabat ; per quam aquam intelligimus gratiam spiritalem, quæ, de Christo procedens, refectionem per totum mundum ministrabat populo Dei. Aqua enim quæ in cruce fluxit de latere Domini, baptismi ablutionem nobis significavit, et alias spirituales gratias significavit, quibus peccata nostra lavantur.

Tot beneficia contulit eis Deus, « et » tamen ipsi adhuc « apposuerunt adhuc peccare ei ; in iram excitaverunt, » id est, ad hoc ut vindictam de eis sumeret, provocaverunt « Excelsum in inaquoso, » id est, deserto, quod natura inaquosum est, significat ariditatem cordis eorum. Similiter mali Christiani post multa Dei beneficia, ad iram eum provocant, in inaquoso, id est, in sterili corde eorum.

In iram excitaverunt, et hoc non sine causa « sed quia, tentaverunt Deum in cordibus suis : » ad hoc « ut peterent escas animabus suis, » id est, quibus escis vitam servarent. Ita et mali Christiani tentantes, a Deo petunt corporales escas, vel spirituales, veluti scientiam, et similia : et bona quæ possumus, non explemus.

Ostendit quomodo tentaverunt, dicens : « Et male locuti sunt de Deo, » dicentes : « nunquid poterit Deus parare mensam in deserto ? » et rationem qua posset eis objici confringit, ac si ita diceret : Licet Deus in deserto nobis aquam dedisset, refectionem tamen aliam dare non poterit, quia naturale est petræ ut aqua inde exeat ; panem vero et aliam refectionem in hujusmodi loco invenire difficile est.

Et hoc dicit : « Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt.

« Nunquid » licet hoc fecisset, « et panem poterit dare » in hoc deserto, « aut parare mensam, » id est, non solum panem, sed etiam copiosam refectionem ; nec dico paucis hominibus, sed « populo suo, » id est, tantæ multitudini. Hoc quidem impossibile est. Sic quidam in Ecclesia, licet Christum pro nobis mortuum, confiteantur, et baptismi aquam ad remissionem peccatorum valere concedant, tamen de mensa, id est, de refectione Dominici corporis, dubitant, non credentes quod Deus possit eos corpore et sanguine Filii sui in hoc deserto hujus vitæ pascere.

« Ideo. » Quarta pars. Sic tentaverunt Deum, « ideo audivit Dominus, » id est, intellexit, et implevit petitiones eorum, ne si statim interficeret eos, putaretur impotens, sicut illi dicebant. Audivit dico « et distulit » pœnam inferre eis, ut prius ostenderet suam potentiam implendo eorum petitiones, « et ignis, » id est, ira Dei « accensus est in Jacob » carnalem, id est, in minores, « et ira Dei, » id est, vindicta « ascendit » multiplicata est « in Israel, » id est contra majores Judæorum. Vel ita : audivit Deus illos Judæos, et distulit pœnam illorum, et propter hoc ignis dilectionis accensus est in Jacob, id est, in populum supplantatorem, scilicet gentilem, quia contigit cæcitas in Israel, ut plenitudo Gentium intraret.

Ignis dico accensus est in gentili populo, et ira ascendit in Israel, id est, in Judeos, ideo « quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus, » id est, in salvatione ejus, ut qui per mare duxerat eos, refectionem aquæ ministraverat et mensam parare posset.

« Et mandavit. » Ostendit quomodo Deus petitiones eorum adimplevit. Dico, audivit eos Dominus, « et » ideo « mandavit nubibus desuper, » id est, superiori aeri imperavit Dominus, ut plueret eis victum, et ipse Dominus « et januas cœli aperuit, » id est cataractas cœli scilicet, vias cœli per quas pluvia cœlestis ad eos descendit.

« Et pluit illis manna ad manducandum, » id est, quod ipsi manducarent, et quid vocet manna determinat, dicens : « et panem cœli dedit eis. »

Et tunc « panem angelorum manducavit homo. » Cum dicit manna illud panem fuisse angelorum, nomen significatæ rei dat significantem. Christus enim, qui per manna significatur, panis et omnimoda dicitur refectio angelorum, secundum divinitatem. Allegorice, cum multi non bene credunt de Deo, nec sperant in salutari ejus, scilicet in Christo Jesu, tamen Deus mandat nubibus desuper,

id est, supremis prædicatoribus aperit Deus januas cœli, id est, divinam Scripturam : et per ipsos prædicatores pluit illis manna Deus, id est, Filium suum eis monstrat et notificat, quem proprie dicit panem angelorum, et hunc panem, scilicet Dominicum corpus et sanguinem realiter comedit homo, et præter manna, « misit » Deus alia « cibaria eis » et hoc non parce, sed « in abundantia. »

Ecce quomodo misit, scilicet « transtulit austrum » id est, ventum illum « de cœlo, » id est, de superiore aere, scilicet ne flaret superius, sed juxta terram; « et Africum » illum alium ventum collateralem Austro, « induxit in virtute sua. »

« Et per istos ventos « pluit super eos carnes. » Ecce ostendit quæ cibaria miserit eis, carnes dico « sicut pulverem, » id est, cum tanta abundantia quanta pulvis habetur; et determinat quas carnes, scilicet « volatilia » non mortua, sed « pennata » et hoc cum tanta infinitate, « sicut arena maris. » Per Austrum et Africum, qui calidi venti sunt, possumus accipere sanctos prædicatores, fervore dilectionis calentes, per quos Deus pluit nobis carnes, id est, illas refectiones animæ quæ ita plenarie reficiunt animam, sicut carnes reficiunt corpus, veluti sapientiam, prudentiam, quas comparat pulveri propter subtilitatem cogitationum. Ideo vocat eas volatilia pennata, quia a terrenis sublevant hominem ad cœlestia : arenæ comparat ideo, quia copiosa sunt sicut arena. Per mare, quod salsum est, condimentum veri saporis intelligimus. Cum dicit, de cœlo transtulit, intelligimus quod Deus prædicatores suos transfert de contemplativa vita ad activam, scilicet ut curam aliorum agant.

Pluit illis Deus volatilia, « et » illa « ceciderunt in medio castrorum eorum, « id est, » circa tabernacula eorum, » ut sine omni labore possent eos accipere.

« Et » ipsi « manducaverunt et saturati sunt nimis, » id est, multum, vel cum superfluitate; « et » ita « desiderium eorum attulit eis. » « Non sunt fraudati a desiderio suo. » Similiter in tabernaculis, id est, in ecclesiis nostris : et circa, id est, in vicinis, possumus invenire ; quæcunque sententia nobis necessaria est unde animas reficiamus, et manducemus, et saturemur nimis. Quidam enim de scientia sua superbiunt et aliis spiritualibus donis, nec fraudamur a desideriis nostris.

Pars quinta. « Adhuc escæ eorum erant in ore erum, et ira Dei ascendit super eos. »

« Et occidit pingues eorum, » id est, superbos in populo illo, « et » propter hoc « impedivit, » id est, contristavit « electos Israel » veluti Moysen, et similes. Similiter dum adhuc Dominicum corpus habemus quasi in ore, et ira Dei ascendit super nos et occidit pingues, id est, superbos et indigne Dominicum corpus sumentes, excæcatione mentis percutit. Vel dum sapientia magna sumus refecti, quoniam inde superbimus, occidit nos Dominus interius : et electi Israel, id est, viri et prælati nostri contristantur in Ecclesia.

« In omnibus his, » scilicet, inter omnes has vindictas « peccaverunt » alii obstinati corde « adhuc : et non crediderunt in mirabilibus ejus. »

Et ideo « dies eorum » quantum ad eos qui non diu vixerunt, « defecerunt, » acti quidem in vanitate, « et anni eorum » quantum ad eos qui diutius vixerunt « defecerunt cum festinatione. » Similiter et nos, cum alios pro peccatis puniri cognoscimus, non corrigimur, sed obstinati in peccatis deficimus, et pœnam promeritam incurrimus.

Et « cum » ita « occideret eos, quærebant eum : et revertebantur, et diluculo, » id est, studiose « veniebant ad eum. »

« Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, et Deus excelsus redemptor eorum est. » Similiter et nos propter timorem aliquando Deum requirimus.

Pars sexta. « Et dilexerunt eum in ore suo, » id est, bene assueverant mentiri, « et lingua sua mentiti sunt ei, » quia non diligebant in corde sicut testabantur in ore.

In ore dilexerunt, « cor autem eorum non erat rectum cum eo, » quia non propter Deum, sed timore pœnarum Deum se diligere fingebant : « nec fideles habiti sunt in testamento ejus, » ut legem ejus observarent, sicut in timore promittebant.

« Ipse autem est misericors » in natura sua, « et » etiam contra merita ipsorum « fiet propitius peccatis eorum, » et ideo « non disperdet, » id est, non prorsus destruet « eos. »

« Et abundavit » illa tanta misericordia Dei, « ut averteret » ab eis « iram suam, » id est, vindictam quam de eis sumere cœperat, « et non accendit omnem iram suam, » ut de eis sumeret omnem promeritam pœnam.

« Et recordatus est » quasi oblitus, dum eos affligeret, « quia caro sunt, » scilicet carnales sunt et fragiles, pronique ad peccandum, et hæc est maxima causa quæ Deum movet ut se misericordem nobis exhibeat. Econtrario maligni angeli propter hoc remanent inredempti, quia nulla eorum natura, quæ quidem perfecta erat, sed sola superba voluntas impulit eos ad peccandum. Et etiam recordatus est, quia « spiritus » est « vadens, « et » non rediens, » scilicet mortales sunt. Vel, spiritus vadens, id est, per se recedens a Deo, et non per se rediens ad ipsum Deum, et ideo necesse est homini, ut Deus apponat manum, et reducat eum. Similiter nos ficto corde Deum diligentes patienter sustinet Deus, et semper se misericordem nobis exhibet.

« Quoties. » Pars septima. Dominus ita misericors semper fuit eis, sed tamen contra ipsi « exacerbaverunt eum, » id est, acerbum esse, qui omnia bona eis negaret, meruerunt « eum in deserto. » Per desertum locum, intelligitur etiam cor eorum ab omni vera illuminatione desertum, et hoc « quoties » quasi sine numero « et » etiam « in iram concitaverunt eum, » id est, ut digne eis pœnam inferret, et hoc « in inaquoso. »

« Et conversi sunt » a bono intellectu, quem ali-

quando de Deo habuerunt, visis signis, vel plagis perterriti, ad pravum intellectum, « et tentaverunt Deum, » de potentia Omnipotentis diffidentes, « et sanctum Israel exacerbaverunt, » id est, illum qui Israel sanctificat, in quo magna eorum reprehenditur stultitia.

« Non sunt recordati manus ejus, » id est, operationis ejus exhibitæ eis « die qua redemit eos, id est, liberavit, « de manu tribulantis, » scilicet Pharaonis.

Sic, et nos perversi a vero intellectu in deserto hujus vitæ, Deum multoties ad iram concitamus, non recordantes inter cætera beneficia ejus quod nos redemit de potestate tribulantis, id est, diaboli. Et nota quod in allegoria non attendimus continuas continuationes, sed solas verborum necessariorum significationes.

« Sicut posuit » dico non sunt recordati : « Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Thaneos. » Per signa, minora miracula; per prodigia, majora intelligimus. Vel idem, sed secundum hoc dicatur signum Dei quod potentiam indicat : prodigium, quia in se dat nobis intelligere aliud. Ita et nobis in hac Ægypto, dum vivendum est in campo Thaneos, id est, in humili mandato, ostendit multa signa, et indicia suæ voluntatis.

« Et convertit. » Incipit enumerare plagas quas Dominus intulit Ægyptiis propter eos, et licet non ponat easdem quas Moyses, tamen decem ponit, sicut ipse Moyses, et contra decem plagas Ægyptiorum, ponit decem præcepta legis Augustinus, quæ Deus populo suo dedit, et per decem intelligimus universas pœnas inimicorum et universas institutiones justorum.

Signa posuit in Ægypto, et hæc sunt signa. « Convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum, ne biberent. » Imbres vocat aquas de pluviis in cisternis collectis. Per flumina intelligimus profundiores Scripturas, ut Evangelium; per imbrem inferiores, velut sermones Augustini : hi convertuntur in sanguinem, quando ducuntur in intellectum carnalem, qui intellectus mortem propinat bibentibus.

« Misit » etiam « in eos cynomyiam, » id est, canam muscam, « et » illa cynomyia « comedit eos » quia graviter mordebat eos, « et ranam, et desperdidit eos, » quia in nullo loco poterant stabiles esse propter ranas. Per cynomyiam improbitatem, quæ semper hominem inquietat, accipimus : per ranam loquacitas designatur, cui intendentes disperguntur a veritate : et in hoc versu duæ plagæ notantur.

« Et dedit ærugini fructus eorum. » De arboribus, per æruginem, quæ est aura nocens, vel nebula, et latenter segetes corrumpens, intelligitur superbia, quæ latenter corrumpit bonos mores, cum se existimat homo aliquid esse, cum nihil sit (*Gal.* VI) : « et » dedit « labores eorum » velut in satis « locustæ » quæ corrodent : per quam detractio intelligitur, quæ corrodens bonos labores annihilat. Potest per locustam, quæ instabile est animal, malorum intelligi instabilitas, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt : hic quoque versus duas plagas habet.

« Et occidit in grandine vineas eorum. » Per vineas collectiones hominum accipimus, qui in grandine, id est, in commutatione Dei, non vivificantur, sed conteruntur et occiduntur. « Et moros eorum in pruina. » Pruina quidem est fragilitas quædam, quæ prævenit bonum propositum alicujus : velut si quis proponat se regulariter et caste vivere, prævenitur a mala consuetudine amoris monialium, quo fructus boni propositi anticipatur et excoquitur : in hoc quoque versu continentur duæ plagæ.

« Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessionem eorum, » veluti domos, et similia, tradidit « igni. » Per jumenta fatui homines habentur, qui commutatione Dei grandinantur. Per ignem, ardorem concupiscentiæ, quo omnis possessio boni operis consumitur, intelligimus : hic quoque duæ plagæ continentur. Nota quod ubi Moyses in Exodo (*cap.* IX) has tres plagas posuit, scilicet cyniphes, ulcera muscarum, et tenebras, ponit Propheta æruginem, pruinam, ignem, non fulguris, sed qui omnes possessiones incenderet.

« Misit... » Vult addere graviorem pœnam, scilicet percussionem primogenitorum : ad hanc quamdam præmittit comminationem, quasi diceret : Hæc mala prædicta intulit eis Deus, et præter hæc « misit in eos iram indignationis suæ, » non correctionis, scilicet procedentem ex Dei indignatione, videlicet, indurationem cordis, quod nollet dimittere populum Dei. Et post hanc iram misit in eos « indignationem » quod ipsi inter se dedignarentur, « et iram » quod sibi irascerentur invicem, « et tribulationem » per quæcunque alia peccata, quibus interius tribularentur. Hæc omnia dico « immissiones » factas « per angelos malos, » scilicet per ministerium diabolorum. Eodem modo, quia Deum ad indignationem provocamus, immittit nobis iram, id est indignationem, quod jam de commissis non compungamur, et deinde in pejora peccata justo judicio suo nos præcipitat, ut habeamus inter nos indignationem, et iram, et tribulationem.

« Viam fecit. » Immissionem per angelos malos, et per hoc fecit « semitam iræ suæ, » id est, vindictæ suæ stricte, et quasi per semitam exercitatæ, dum in interiori tantum percussit eos, « viam, » id est amplitudinem, dum omnia primogenita morte affligeret, « et » inde dicit, « non pepercit a morte animabus eorum : et jumenta eorum in morte concluſit, » in eodem pretio reputans homines et jumenta.

Præter jumenta « percussit » angelus ille percutiens « omne primogenitum » cujuscunque animalis, « in terra Ægypti, » et etiam « primitias omnis laboris eorum » veluti hordea, lina et similia quæ citius maturescunt, « in tabernaculis Cham. » Ægyptum vocat tabernaculum Cham, quia filii Chanaan, qui fuit filius Cham, filii Noe cœperunt Ægyptum inhabitare. Similiter in nobis facit Deus viam semitæ

iræ suæ, quando de levioribus peccatis subtrahendo A gratiam, ad graviora nos permittit descendere. Animas etiam in morte concludit, quando usque ad contemptum Dei nos sinit præcipitari, et retinet nos in excæcatione mentis. Jumenta in morte concludit, quando omnem pudicitiam in nobis perire consentit. Vel per jumenta fatui intelliguntur qui simul a Deo cum astutis percutiuntur. Percutiuntur in nobis primogenita, scilicet fides et talia, si permaneamus in Ægypto, id est, in tenebris hujus vitæ. Percutiuntur primitiæ laboris, quando charitas, quæ major est inter alias virtutes, vel aliæ præcipuæ virtutes in nobis pereunt, quod erit si inveniamur in tabernaculis Cham, id est, diaboli. Cham enim callidus interpretatur, per quod diabolus intelligitur. Vel descensus Cham, per quod mundus intelligitur, cujus amatores semper descendunt in profunditatem vitiorum.

« Et abstulit. » Pars octava. Has plagas intulit Deus Ægyptiis, « populum suum, » scilicet Judæos « abstulit » de terra Ægypti « sicut oves, » non quod illi se oves facerent, sed ille ducebat eos tam benigne, sicut bonus pastor oves, « et perduxit eos tanquam gregem in deserto. »

« Et deduxit eos » per desertum « in spe » promissæ hæreditatis, « et non timuerunt » aliquem de inimicis, quod posset eis auferre promissam patriam, « et inimicos eorum operuit mare. » Sic et nos ducit per desertum hujus vitæ tanquam oves, et aufert de manu inimici, et ducit in spe æternæ patriæ, nec timemus quod aliquis inimicorum iter nostrum possit impedire. Et inimicos nostros, peccata scilicet, dimergit in mare, id est, in aquas baptismi.

« Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, » scilicet, Sion, qui sanctificatus est cæremoniis eorum, « montem » dico « quem non gladius eorum « acquisivit, » sed « dextera, » id est, potentia « ejus. »

« Et ejecit a facie eorum gentes, » quæ prius illam terram obtinebant, « et sorte divisit eis terram, » secundum singulas tribus « in funiculo distributionis, » scilicet æquali mensura. Ita inducit nos Deus in montem sanctificatum suæ habitationis, scilicet Ecclesiam, quam acquisivit dextera ejus, quia nullo modo potuisset illud fieri vel permanere, nisi Dei operatione. Et ejecit a nobis gentes, scilicet vitia, ne permaneamus in priori genitura; vel gentes, dæmones, qui nos prius possidebant, ita quod removeat a facie nostra, nec jam conspiciamus eos in nobis. Et dividit nobis terram, id est Ecclesiam, qua alios facit presbyteros, alios conjugatos : et hoc sorte, id est, non humano judicio, sed sola Dei electione : et hoc funiculo distributionis, quia unicuique dedit gratiam suam Deus ad mensuram.

Gentes ejecit, « et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel. » Sic viros videntes Deum facit inhabitare jam per spem locum unde corruerunt dæmones; vel ubi prius in nobis habitabant vitia, fecit virtutes habitare.

Et licet tot beneficia contulisset eis Deus, ipsi tamen jam habitantes terram promissionis, « tentaverunt, et exacerbaverunt Deum, excelsum, et testimonia ejus non custodierunt, » id est, præcepta ejus implere neglexerunt.

« Et averterunt se « ab eo, » et non servaverunt pactum » quod pepigerant cum Domino, dicentes : Quæcunque præcipiet nobis Dominus, faciemus, « et conversi sunt in arcum pravum, » id est, similes sunt facti pravo arcui, « quemadmodum patres eorum. » Arcus pravus dicitur, qui cum minatur, nihil percutit : vel qui, cum debeat ferire hostem, percutit dominum. Ita et nos exacerbamus Deum, nec legem ejus custodimus, et factum in baptismo pactum quod diabolo et pompis ejus renuntiavimus, B non observamus, sed in arcum pravum convertimur, bene nos facturos promittentes, et non complentes, vel quia dum aliis mala paramus, in nos ipsos mala refundimus.

Et « in iram concitaverunt eum in collibus suis, » in quibus adorabant idola, « et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt, » cum debitum Deo honorem suis sculptilibus impartirent. Et similiter in collibus, id est, in superbia nostra, nos Deum ad iram concitamus, et in sculptilibus, dum ad idololatriam convertimur, vel dum nummos nimis cupide contemplantes veneramur, vel libidini, vel alicui talium, quasi Deo sollicite servimus.

« Audivit Deus. » Pars nona. Continuatio. Sic C provocaverunt eum, et ideo « audivit Deus, » id est intellexit, « et sprevit : et redegit Israel valde ad nihilum, » cui nulli hostium poterant resistere. Sic nos Deus spernit, et facit cedere cuilibet tentationi.

« Et » propter eorum nequitiam « repulit tabernaculum » quod erat in « Silo, » quia permisit ab Allophilis arcam quæ erat in tabernaculo capi (*I Reg.* IV), « tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus, » quia in tabernaculo dabat Deus responsa. Similiter repellit illos qui militant in Ecclesia, in quibus habitavit ipse, si ipsi sint in Silo, id est, carnaliter vivant.

« Et tradidit » ostendit quomodo repulit tabernaculum, quia « tradidit virtutem eorum, » id est, arcam, quæ erat virtus eorum, quia ea præsente semper vincebant inimicos, tradidit « in captivitatem » Philistinorum, « et pulchritudinem eorum, » id est, eamdem arcam, de qua ipsi gloriabantur super omnes Gentes, « in manus inimici, » scilicet ejusdem populi. Ita libertatem nostri arbitrii, quæ est virtus nostra et gloria nostra, tradidit propter nequitiam nostram in servitium diaboli.

« Et conclusit in gladio populum suum, » quia permisit eos ab inimicis occidi, « et hæreditatem suam sprevit; » similiter gladio diaboli permittit nos occidi.

« Juvenes eorum comedit ignis, » id est, furor inimicorum : « et virgines eorum non sunt lamentatæ, » sicut consuetudo exigebat. Ita juvenes, id est, fortes in Ecclesia, comedit ignis concupiscentiarum, et vir-

gines in corpore non sunt lamentatæ a prælatis Ecclesiæ, quia prorsus desperant de eis quandoque.

« Sacerdotes eorum, » scilicet Ophni et Phinees, filii Heli « ceciderunt in gladio » Philistinorum; « et viduæ eorum non plorabantur. » Similiter sacerdotes nostri cadunt in gladio oris Dei, cum his quæ bene annuntiant contraria faciunt, et viduæ nostræ reales non plorantur a prælatis Ecclesiæ, quia de eis desperatur quandoque. Vel per viduas quoslibet in Ecclesia castitatem voventes, possumus accipere, qui juste non plorantur, si votum frangentes, recedunt in usum libidinis.

« Et excitatus est » Dominus. Ostendit quomodo de persecutoribus vindicavit se Deus, quibus videbatur « dormiens Deus » tanquam ebrius, dum suos ita affligi permitteret. Continuatio. Propter peccata sua ita permisit affligi suos, « et » tandem « excitatus est Dominus, tanquam dormiens, tanquam potens crapulatus a vino : » quia sicut aliquis potens, si multum potatus, obdormit, excitatus, et ad iracundiam motus, maximum furorem exercet, ita Dominus quasi magnum furorem exercebat, cum se de Philistæis tam acerrime vindicavit.

« Et percussit. » Excitatus est, « et percussit inimicos suos, » scilicet Azotios, « in posteriora, » quia immisit eis mures, qui roderent eis anos : et hoc « opprobrium dedit eis sempiternum. » Inimicos suos percutit Deus in posteriora, id est, in eis qui relinquentur post hanc vitam : quia aufert eis vitam æternam, et dat eis opprobrium sempiternum, quia detruduntur in infernum.

« Et repulit. » Plaga decima. Continuatio : Sic se de populo suo vindicavit, « et repulit tabernaculum Joseph ; et tribum Ephraim » quæ melior erat inter filios Joseph, « non elegit » quod regem constitueret eum populo.

« Sed elegit tribum Juda » ut reges inde faceret « montem Sion quem dilexit, » in quo ille rex situs, domum ædificaret suam.

« Et ædificavit sanctificium suum, » id est tabernaculum suum, « sicut unicornis, » id est, potenter, quod nullus possit eis resistere, « in terra, quam fundavit in sæcula : » hoc non potest dici ad litteram, sed magis intelligendum est ad allegoriam. Ita Deus in hac vita repulit tabernaculum Joseph, id est, augmentatos in hoc sæculo, quod non sint tabernaculum Dei, et tribum Ephraim, id est, fructificantes in hoc sæculo. Et elegit Juda, id est, confitentes : et montem Sion, scilicet sanctam Ecclesiam. Et ædificavit sanctificium suum, id est, Ecclesiam sanctificatam sibi bonis prælatis et aliis bonis membris, sicut unicornis, ut supra. Vel sicut, unicornium, quia illi qui sunt in Ecclesia, sunt similes unicorni, quia et viriliter resistunt impugnatoribus et casti sunt : quam Ecclesiam fundavit permansuram in sæcula. Ita Judæi putaverunt terram et legem suam esse fundata in sæcula.

Tribum Juda elegit « et » inde « elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, » et « accepit eum » in regem « de » euntem « post fœtantes, » id est, post oves.

Elegit « pascere Jacob, » id est, ut pascat « Jacob servum suum, et Israel » eumdem populum : non tantum servum, « sed hæreditatem suam. Et » ipse David « pavit eos in innocentia cordis sui » præbendo eis exemplum innocentiæ, « et deduxit eos in intellectibus manuum suarum, » id est, in intellectualibus operibus, factis cum discretione et intellectu, in quibus daret aliis exemplum bene et honeste operandi. Per David Christum intelligimus, quem sustulit Deus de post fœtantes, quia assumpsit eum in cœlum, cum ipse in hoc mundo multos fecundos Deo faceret : vel de Judaico populo, ubi cum multos fecundos faciebat, sustulit ad gentilem populum, et ad hoc elegit ut pasceret Jacob, id est, gentilem populum posterius natum, et supplantatorem Judaici populi : et Israel, id est, ipsos Judæos pasceret eadem spirituali doctrina, quam et gentiles pascebat.

IN PSALMUM LXXVIII.

TITULUS : *Psalmus Asaph.*

« Deus, venerunt Gentes. » Psalmus iste convenit Asaph, id est, fideli Synagogæ, quæ hic loquitur de vastatione Hierusalem, quam videt futuram sub Antiocho rege, in tempore Machabæorum (*II Mach.* VI): et similiter in Ecclesia Christi intelligit Propheta multoties eventurum. Materia est populus ille Dei. Modus : In prima parte ostendit mala quæ sustinuit populus ille, et pollutionem templi Dei factam ab Antiocho rege. In secunda parte, quæ incipit : « Usquequo, Domine, irasceris in finem ? » precatur vindictam de inimicis, et adjutorium populo Dei. In tertia parte, quæ incipit : « Innotescat in nationibus, » petit quod per vindictam convertat Deus inimicos, et semper possideat, et defendat filios mortificatorum, id est, illos qui in defensione veritatis imitantur Judæos istos : qui pro veritate ab Antiocho interficiuntur, sicut Eleazarus, et septem fratres, qui magis mori elegerunt, quam mandatum Dei præterire (*II Mach.* V, VI, VII). Intentio est nos ad compassionem invitare. Et deplorans vastationem populi sui et fidelis Synagogæ,

Sic incipit : O « Deus, Gentes, » id est, gentiles, scilicet Antiochus et sui, « venerunt in hæreditatem tuam, » scilicet, Hierusalem, « polluerunt templum sanctum tuum, » quia in templo tuo fecerunt adorari idolum, et stupris, et aliis immunditiis illud polluerunt, et « posuerunt in pomorum custodiam, » quia fecerunt eam desertam, sicut casulæ quæ sunt in pomariis vel vineis, quæ collectis fructibus deseruntur.

Et non tantum in viventes sæviunt, sed etiam mortuos, et hoc est « posuerunt morticina, » id est, cadavera insepulta, « servorum tuorum, escas volatilibus cœli, » et non tantum avibus, sed etiam « bestiis terræ » scilicet lupis et canibus posuerunt escas « carnes » non tantum dico servorum, sed etiam « sanctorum tuorum. »

Et sanguinem ipsi « effuderunt, » id est, cum magna copia eos occiderunt « tanquam aquam, » id est, viliter, sine omni respectu misericordiæ et non in sola Hierusalem, sed etiam « in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret » eos, quia vel prohibebantur vel in tanta tribulatione erant, quod nulli vacabat.

Et hic Propheta qui loquitur, vel quilibet de fideli populo, cognoscens de populo illo, et condolens malis eorum, quasi de proprio damno, ponit se in numero eorum dicens : « Facti sumus opprobrium vicinis nostris » qui sæpe nobis improperent, et ostendit per duas partes; opprobrium scilicet facti sumus « subsannatio, » id est, derisio quæ fit per nasum, « et illusio » quia multis verbis nos deridebant, et eramus quasi eorum spectaculum « his qui in circuitu nostro sunt. » Per hæc omnia vult Propheta commovere Deum judicem ad misericordiam erga populum suum. Hæc eadem mala sunt inventa in Ecclesia eodem modo.

« Usquequo. » Pars secunda. Hæc mala veniunt populo tuo, sed « usquequo, Domine, irasceris? » Id est, quasi iratus populum tuum tribulari permittis? Erit hoc usque « in finem, » id est, usque ad tempus gratiæ. Et usquequo « accendetur, » id est, multiplicabitur ad puniendos tuos « zelus tuus, » id est, indignatio pro peccatis eorum exhibita? « velut ignis » qui, quandiu materiam invenit, non deficit: quasi tandiu tribulatio, quandiu aliquod peccatum purgandum erit. Vel igni zelus Dei comparatur : quia sicut ignis mollia comburit, et dura fortiora et probata reddit, sic tribulatio molles consumit et deficere facit; probatos vero fortes reddit.

Noli, dico, irasci populo tuo, sed « effunde, » id est, cum magna copia immitte « iram tuam, » id est, vindictam tuam « in gentes, » id est, in gentiles illos, « quæ te non noverunt, » nec te Deum esse crediderunt : « et » non dico in minores de populo, sed effunde « in regna, » id est, in reges, « quæ nomen tuum non invocaverunt. » Judæi quidquid facerent, nunquam te, o Domine, Deum suum esse negaverunt.

Ideo debes effundere, « quia comederunt, » id est, destruxerunt « Jacob, » id est, populum Israel, « et locum ejus, » id est, civitatem Hierusalem, « desolaverunt, » id est, desolatum et devastatum reddiderunt. Vel comederunt Jacob, id est, quosdam de illis in corpus suum traduxerunt.

In illos iram effunde, et nostri miserere : hoc dicit « ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, » id est, non tantum quas habemus noviter factas, sed quas a primis patribus accepimus, et in quibus consuevimus, illas ne memineris, id est, ne punias, sed « cito misericordiæ tuæ, » id est, remissiones peccatorum, et aliæ misericordiæ tuæ « anticipent nos » id est, præveniant nos, antequam in judicium adducamur : ideo precor ut misericordiæ tuæ anticipent nos, « quia pauperes facti sumus nimis, » id est, nullo modo secundum merita nostra sufficientes, ad præmium vitæ æternæ.

Sed contra nostram impossibilitatem tu, « Deus, adjuva nos » ad bene operandum, qui bene facere debes, quia tu es « salutaris noster, » id est, a quo solo expectamus salvationem, « et libera nos » a peccatis nostris « propter gloriam nominis tui, » id est, quia inde nomen tuum glorificabimus, et laudem inde nobis nullam attribuemus. Sicut illi Judæi petebant liberari ab Antiocho et aliis persecutoribus, sic Ecclesia, ne aliquando devincatur a persecutore; libera dico « et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum, » ut etiam hæc persecutio quam sustinemus sit destructio et combustio peccatorum nostrorum. Cum dicit adjuva, innuit se ex libertate arbitrii aliquid posse. Adjuva dico « ne forte dicant in Gentibus, Ubi est Deus eorum? » Putabant enim gentiles Judæos Deum non habere, quia invisibilis erat, et improperantes Judæis dicebant, quod nubes et inania colerent

Pars tertia. Ne illud dicant, et hoc potius eveniat, quod « ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est, innotescat in nationibus, » id est, in gentibus, quæ proprie dicuntur nationes, quia remanent quales fuerunt natæ, scilicet gentiliter viventes, intelligant Deum in se ulcisci, et propter hoc convertantur. Dico ultio innotescat, et hoc cito, et hoc est « coram oculis nostris, » ita quod nos videamus, et nostram vindictam intelligamus. Et « gemitus compeditorum, » id est, ipsorum Judæorum, qui compediti et captivati ligantur ab Antiocho et aliis, « introeat in conspectu tuo, » ut placeat tibi liberare omnes.

« Secundum et posside » quidquid sit de liberatione captivorum compeditorum, « filios mortificatorum, » id est, imitatores eorum, qui pro veritatis defensione occiduntur, scilicet ut veritatis defensores possint vocari, qui bene hoc potes, « secundum magnitudinem brachii tui, » ut non tantum deterreant eos pœnæ quantum incitent coronæ.

Ita fac tuis, « et redde vicinis nostris improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine » dum exprobrarent tuis, « septuplum, » id est, multiplicem vindictam, scilicet per septuplum vult intelligi, quod pœna illa compuncti illuminentur Spiritu septiformi : redde dico ita, quod « in sinu eorum » sit, id est, in secretiori parte, scilicet in anima.

Illud improperium reddatur eis, « nos autem » improperium non meremur, sed potius exsistentes semper « populus tuus » qui tibi diligenter servimus, « et oves pascuæ tuæ, » id est, quas tu pascis et reficis spirituali pastu, scilicet doctrina, « confitebimur tibi, » id est, laudabimus te « in sæculum, » id est, quandiu aliquod sæculum erit. Potest et ita continuari : Hæc mala nobis inferuntur, sed tamen nos confitebimur tibi semper, nec tantum confitebimur, sed etiam « annuntiabimus laudem tuam » aliis « in generatione et generationem, » id est, quandin aliqua generatio erit.

IN PSALMUM LXXIX.

TITULUS : *In finem, pro his qui commutabuntur, psalmus pro Assyriis, testimonium Asaph.*

« Qui regis Israel. » Psalmus iste dirigit in finem habitus pro his qui commutabuntur. Loquitur enim de commutandis, ostendens Ecclesiam dilatandam per totum mundum; qui autem commutati sunt de Adam in Christum, sunt de Ecclesia : et ne dubitet aliquis hanc commutationem futuram, dicit testimonium Asaph, id est, hoc testatur fidelis Synagoga, quæ loquitur, ubi ponit Ecclesiæ dilatationem. Materia est adventus Christi. Modus. In prima parte petit adventum Christi, reputans sine eo omnia alia Dei beneficia esse inutilia : conquerens etiam de adventus dilatione. In secunda parte, quæ incipit : Vineam de Ægypto transtulisti : ponit dilatationem B Ecclesiæ, quæ per Christi adventum fiet, et etiam multam Ecclesiæ dejectionem : et loquitur per quamdam similitudinem, quasi Deum comparet agricolæ, Ecclesiam vineæ. In tertia parte, quæ incipit : « Deus virtutum convertere, » petit consummationem Ecclesiæ, quæ futura est in novissimis temporibus, cum etiam plenitudo Gentium et Judæorum convertetur. Intentio est nos facere certos de commutatione, quod etiam notatur in titulo.

Attendens autem Propheta, et quicunque loquitur de synagoga, alia omnia Dei beneficia sine adventu Filii nostræ salutis inefficacia, ita incipitur de adventu filii : Deus « qui regis Israel » in præceptis tuis, « intende, » scilicet mitte quem missurus es, sine quo nihil valet nobis, si bene fecerimus : « qui » C etiam « deducis » de virtute in virtutem « Joseph, » id est, eumdem Israeliticum populum, « velut ovem, » intende.

« Qui sedes super Cherubim, » id est, illum ordinem angelorum, qui interpretatur plenitudo scientiæ : Deus autem dicitur sedere et inmorari in his in quibus plenitudo est scientiæ, et cognitionis Dei : quasi tu qui modo solis angelis cognitus es, « manifestare » id est, per assumptam humanitatem innotesce nobis, « coram Ephraim, Benjamin et Manasse, » id est, coram Judæis : hæc nomina ideo posuit, quia vidit apta nobis ad aliud significandum. Per Ephraim intelligimus omnes in Ecclesia, qui sunt fructificantes et crescentes in bonis operibus : per Benjamin, D qui filius dexteræ interpretatur, intelligimus omnes qui potiora instituunt, vel qui sunt in dextera judicis collocandi : per Manassen, qui obliviosus dicitur, eos qui eorum quæ sunt mundi obliviscuntur, intelligit.

Dico manifestare, ita scilicet, « excita potentiam tuam, » id est, virtutem, qua omnia creasti : quæ quidem potentia sopita et inutilis erit reputata, nisi illud compleatur, cujus alia facta Dei significata fuerunt : « et veni, » id est, sume carnem, « ut » per hunc adventum tuum « salvos nos facias, » id est, de potestate diaboli nos omnino eripias.

Et ut nos salvos facias, « Deus converte nos » ad te de infidelitate, « et ostende faciem tuam, » id A est, Filium tuum, ut in Christo cognoscamus tuam divinitatem, « et sic salvi erimus. »

Ut autem ostenderet Propheta, adhuc aliquantulam adventus Christi superesse moram, quasi Deum reputans iratum conqueritur. Continuatio : Dico veni, et, o Domine, cur tantum differs? et hoc est « Domine Deus virtutum, » id est, cœlestium angelorum, « quousque irasceris super orationem servi tui? » id est, iratum te ostendes mihi servo tuo ad te oranti, differendo mittere Filium, cujus adventum ego oro? Cum dicit, Deum ostendit talem, qui nos bene possit salvos facere : dat etiam intelligi quod nos cultores faciat Deus socios illarum virtutum.

Et quousque, Domine, « cibabis nos pane lacrymarum? » Per lacrymas accipit quascunque miserias hujus vitæ, sed quia intelligit has sibi esse plenam refectionem et purgationem, vocat cibum et potum, et ideo dicit, « et » quousque « dabis potum nobis in lacrymis? » id est, quæ lacrymæ erunt quasi potus et bona refectio, quæ lacrymæ erunt « in mensura, » id est, quales sustinere possumus. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, dicit Apostolus.

Bene dico nos positos in lacrymis, quia tu « posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, » quia vicini nostri contradicunt nostræ veritati : et non tantum contradicunt, sed « etiam inimici nostri subsannaverunt nos, » id est, deridebant rugato naso.

Sed contra istos « Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. » « Vineam de. » Pars secunda. Bene dico salvi erimus, quia tu, Deus, nostram salvationem bene demonstrasti in figura illa, quando populum tuum de Ægypto eduxisti, et in terra promissionis plantasti : hoc dicit « vineam, » id est, Judaicum populum quem tu excolebas, sicut bonus agricola dilectam vineam, « transtulisti de Ægypto; ejecisti gentes » de terra promissionis, « et eam » vineam ibi « plantasti, » id est, firmiter collocasti, et inhabitare fecisti.

« Dux itineris fuisti in conspectu ejus, » quia in nube præeunte manifeste te eis ostendisti, « et plantasti radices ejus, » id est, principes per quos alii sustinebantur, « et » populus ille « implevit terram » promissionis. Vel si per terram totum mundum accipiamus, dicemus hoc potius intelligendum de tota Ecclesia, significata per vineam, quam de vinea ipsa. « Umbra, » id est, cura « ejus » et sollicitudo de eis reddendis « operuit montes, » id est, majores, ne ipsi agerent pro sua voluntate, sed curæ subditorum intenderent, « et arbusta ejus, » id est, excrementa hujus populi, operuit et impedivit « cedros, » id est, altissimos eorum prælatos : non dico cedros diaboli, scilicet elatos hujus mundi, sed « Dei : » quanto magis enim populus ille excrescebat, tanto majori cura eorum prælati occupabantur.

« Extendit palmites, » id est, « filios suos usque ad mare » quo terminatur Judææ regnum « et pro-

pagines ejus, » id est, extensiones ejus, scilicet filios filiorum extendit « usque ad flumen » Jordanis.

« Ut quid, » quandoquidem tot beneficia fecisti illi populo « ut quid destruxisti maceriam ejus? » id est, defensionem ejus : « et » ut quid « vindemiant, » id est, conculcant, « eam omnes qui prætergrediuntur viam, » id est, præcepta Domini ; vel gentiles, qui legem non habent.

Bene dico, quod prætergredientes conculcent, quia « aper, » id est, Vespasianus, immundus quasi veniens de « silva, » id est, de inculta terra, scilicet de gentilitate, « exterminavit eam, » id est, extra terminos terræ suæ captavit eam, « et singularis, » id est, Titus, « ferus » et superbus, « depastus est eam, » id est, prorsus dexstruxit, quia quos pater suus Vespasianus prius attriverat, iste funditus consumpsit : qui ideo singulari, id est, apro, comparatur, quia ferus est sicut aper. Per vineam eductam de Ægypto, Ecclesiam intelligimus, eductam de tenebris hujus mundi, cujus itineris dux est Christus, qui propositus est nobis, ut ejus vitam imitemur. Et radices Ecclesiæ, id est, sanctos doctores, per quos sustentatur Ecclesia, plantasti ita, quod aliquo vento diaboli non possunt dimoveri : et ipsa Ecclesia implevit terram, quia per totum mundum diffusa est : et umbra ejus, id est sollicitudo et cura ejus, operuit montes, id est, Apostolos impedit, dum eos a contemplatione sua revocat, et arbusta ejus, ut supra. Vel umbra, id est, protectio Ecclesiæ operuit montes, quia nullus est tam altus in Ecclesia quin sub protectione Ecclesiæ Dei protegatur et unione : quia si separetur de unione Ecclesiæ Dei, ab omni altitudine decidet.

Similiter arbusta ejus cedros Dei et illa vinea, id est Ecclesia, extendit palmites, id est, prædicatores suos, usque ad mare Orientale et Occidentale : et propagines, id est, filios suos quibus dilatatur, extendit usque ad flumen Jordanis, per medium mundi, usque ad baptismum pervenire fecit. Flumen ideo ponit, quia inde cœpit baptismus, per quod per totum mundum Ecclesia dilatatur, et illius Ecclesiæ materiam destruit Deus, quando permittit suos tribulari, vel in peccata demergi : et qui prætergrediuntur viam, id est, mandata Dei, vel ipsum Christum, per quem debent venire ad Deum : vindemiant eam, id est, conculcant et affligunt eam. Aper dicitur quasi asper, id est, diabolus, veniens de silva, id est, de silvestribus hominibus, qui cultum Dei ignorant, exterminat Ecclesiam, dum membra ejus alienat ab ea : et ipse idem diabolus singularis, ferus, depastus est eam Ecclesiam, quia totam fere consumet eam in tempore Antichristi.

« Deus. » Pars tertia. Hæc mala eveniunt vineæ tuæ, sed o « Deus virtutum, convertere, » ab ira tua, quod jam non velis inferre ei mala « et respice de cœlo, » id est de humanitate Christi, « et vide, » id est, fac videri, quod tu diligas eam conferendo bona : « Et visita vineam istam » sanando eam quasi infirmam.

« Et perfice eam » vineam, id est, Ecclesiam, « quam plantavit dextera tua, » id est, Filius tuus, « et » perfice « super filium » ut ipse, filius sit fundamentum Ecclesiæ, « quem confirmasti tibi » dicendo : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* III, XVII; *Marc.* I).

Dico perfice, nec dubito, quia « peribunt » in illa Ecclesia, « ab increpatione vultus tui, » id est, Filii « tui » qui dicitur vultus et imago tuæ substantiæ, qui per se et per suos, homines increpat de peccato : peribunt dico « incensa igni, » id est, peccata igni comparabilia, veluti libido, et similia, « et suffossa, » id est, peccato dolose facta : et per hæc duo innuitur destructio omnium peccatorum.

Et ut hæc Ecclesia ita perficiatur, « fiat manus tua » id est operatio tua, « super virum » id est, Christum, « dexteræ tuæ » id est, Verbo tuo unitum : « et super filium » non hominum, sed « hominis, » id est virginis, « quem confirmasti tibi. » Hic innuit Christum Deum et hominem, qui, per operationem Dei, Ecclesiam possit perficere.

« Et, » si hoc fiat, « non discedimus a te, qui prius discessimus, quando præter te aliud quærebamus : et tu, Domine, « vivificabis nos » vera vita quæ Deus est : « et » deinde « invocabimus nomen tuum. »

Et ut a te non discedamus, « Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus, » ut supra. Et hic versus toties repetitur quia summa materiæ pendet in eo.

IN PSALMUM LXXX.

TITULUS : *In finem, pro torcularibus psalmus ipsi Asaph, in quinta sabbati.*

« Exsultate Deo. » Psalmus iste Asaph est, id est, fidelis Synagogæ, quæ loquitur hic : pro torcularibus habitus, id est, pro Ecclesia, quæ torcularibus comparatur, quia sicut in torculari vinum habetur quod reservatur, et acinum quod ejicitur, ita in Ecclesia quidam ad beatitudinem assumuntur, quidam rejiciuntur. Torcularibus dico significatis, in quinta sabbati, id est, per opera facta in quinta sabbati. In ea enim die, produxit in animam viventem pisces et aves ex aquis : quia omnes aves ex aquis fecit : unde et monachis sunt permissæ. Per aves quæ sublevantur in altum, boni de Ecclesia intelliguntur : quia, relictis mundanis, ad cœlestia tendunt. Per pisces quæ in imo remanent et semper sunt solliciti, intelliguntur illi qui terrenis insistunt, et semper in appetitu mundi sunt solliciti : psalmus dico dirigens in finem. Materia est Ecclesia, scilicet quicunque renati sunt aquis baptismatis. Modus. In prima parte Asaph, id est, Propheta, vel alius fidelis de Synagoga, admonet perfectos de Ecclesia, scilicet qui per aves intelliguntur, exsultare in Domino et laudare eum. In secunda, quæ incipit : « Audi, populus meus, » inducit fidelis Synagoga Deum loquentem, et increpantem malos de Ecclesia, quæ per pisces intelliguntur, ipsi tamen non desistunt. In tertia parte, quæ incipit ; « Inimici Domini mentiti sunt, »

increpat Synagoga malos, qui nolunt a sua nequitia cessare. Intentio est admonere ad volatum.

Et admonet ipsa Synagoga perfectos, ita dicens : « Exsultate Deo, » id est, ad honorem ejus, « adjutori nostro » qui nos adjuvat ad bene operandum contra mundum deceptorem ; « et jubilate, » id est, inexplicabilem verbis lætitiam mente concipite, « Deo Jacob. » Et ut possitis exsultare et jubilare, « sumite psalmum, » id est, spiritualem operationem, « et date » Deo « tympanum, » id est, laudem et mortificationem carnis vestræ : et ideo hoc facite, quia « psalterium, » id est, contemplatio, junctum « cum cithara, » id est, cum mortificatione carnis, scilicet activa vita, est jucundum » Deo, quia « idem accipimus per psalterium quod per psalmum.

« Buccinate, » id est, aliis annuntiate laudem Dei « tuba, » id est alta voce, « in Neomenia, » id est, in vestra invocatione. Præceptum est in lege in figura nostræ invocationis, quod populus ille buccinaret in Neomenia, id est in nova luna. Mene enim Græce, mensis est Latine, neon vero novum. Buccinate » dico « in insigni die solemnitatis vestræ, » id est, in illuminatione vestræ innovationis, quæ vobis debet esse magna solemnitas.

Ideo buccinate, « quia præceptum in Israel est » illis ad litteram (*Lev.* xxxii), nobis spiritualiter, « et » si negligitis, timendum est vobis, quia « Deo Jacob est judicium » in quo salvabit obedientes, et damnabit negligentes.

Et « illud » præceptum, scilicet legem suam, « posuit in Joseph, » id est, populum augmentavit, scilicet gentilem populum, qui superaccrevit Judaico populo, ita quod esset illi « testimonium, » id est, quod testaretur quid esset faciendum, quid dimittendum, « cum » ille populus « exiret de terra Ægypti, (*Exod.* xxii) linguam quam non noverat, audivit, » id est legem. Similiter populus Christianus exiens de Ægypto, id est de tenebris infidelitatis, audit prædicationem fidei et legem vivendi quam prius non audierat.

« Divertit » etiam Deus « dorsum ejus » populi, id est Israelitici, « ab oneribus » quæ portabant in Ægypto, « et manus ejus » populi « servierunt in cophino. » Cophinus vas est, in quo cogebantur portare fimum. Similiter divertit Deus dorsum, id est, rationem qua eriguntur fideles ad superiora ; ab oneribus peccatorum, et manus divertit, id est operationes fidelium ; a cophino , id est ab immunditia, in qua prius diabolo serviebant.

In tribulatione divertit, dicens : « In tribulatione invocasti me » verbis, « et liberavi te : » etiam « in abscondito tempestatis exaudivi te, » quando nec audebas, audientibus Ægyptiis, ad me gemere : præcepit enim Pharao, quia audivit eos ad Deum clamasse, ut sic operibus gravarentur, quod eis non vacaret ad Deum clamare. Ita exaudit Deus suos fideles in abscondito tempestatis, quando sedat in eis bellum suggestionis, quæ nondum ad apertum actum prorupit et etiam « probavi te » postea apud aquam contradictionis ; » probavit Deus Israeliticum populum, et ipsum Moysen, dubitantes de divina potestate (*Num.* xx). Vel, ut alii dicunt, de se præsumentem, et ideo non potuit populum in terram promissionis inducere. Sic probat Deus illos de Ecclesia ad aquam contradictionis, id est, ad doctrinas hæreticorum, quibus boni contradicunt, et mali cedunt.

« Audi. » Pars secunda. Hæc dixit Dominus bonis de Ecclesia, modo incipit malos admonere. Contra hæc omnia bona feci tibi, et ideo o « populus meus, » factus meus in baptismo, « audi me, » id est, intellige, « et contestabor te, » id est testimoniis Scripturarum comprobabo quæ tibi dixero : et o « Israel, » id est, videns Deum fide, « si audieritis me » obtemperando præceptis meis, « non erit in te Deus recens » sicuti tu dicis : quia et si natus in tempore, tamen sum coæternus cum Patre : « neque adorabis » in me « deum alienum. »

Et vere non sum alienus, « ego enim sum Dominus Deus tuus, » id est creator tuus, et non recens, « qui eduxi te de terra Ægypti, » id est, de infidelitate : dico audi, et « dilata os tuum, et implebo illud, » scilicet amplifica cor tuum ad desiderandum, et ad intelligendum in psalmis illis, interius fide et dilectione, et exterius prædicatione et confessione.

Ego sic admonui meos, « et » tamen « populus meus » qui omnes debent mei esse, « non audivit vocem meam, » id est, admonitionem meam : et non tantum non audivit, sed « et Israel mihi non intendit, » id est noluit etiam attendere verbum unum : « et » ideo « dimisi eos secundum desideria cordis eorum » ut voluntati suæ satisfacerent, et ipsi subtracta gratia mea, « ibunt in adinventionibus suis » et etiam propriis inventis suis, scilicet propter traditiones suas, irritum facientes mandatum Dei.

Sic dimisi eos, sed « si populus meus audisset me » credendo, et ipse factus verus « Israel, si in viis meis ambulasset » complendo « humiliassem inimicos eorum » ita quod « pro nihilo » reputarentur, vel gratis humiliassem : « et super tribulantes eos misissem manum meam » id est, operationem meam, ita quod operatio mea prævaleret inimicis, et removeret eos.

« Inimici Domini. » Pars tertia. Continuatio. Dominus ita promiserat bene populo suo, sed sermo ejus non cœpit in illis : quia cum deberent amici esse, facti « inimici Domini mentiti sunt ei » non peragentes promissa : « et » ideo « tempus eorum, » id est, variatio eorum per pœnas « erit in sæcula » æterna : vel tempus vindictæ eorum.

« Et » merito damnabuntur, quia Deus « cibavit illos ex adipe frumenti, » id est, intima medulla frumenti, scilicet secretiori et profundiori mysterio suæ incarnationis, et aliis gratiis spiritualibus : « et saturavit eos melle de petra, » id est, fortiori doctrina, quia mel est cibus fortior : petra autem erat Christus.

IN PSALMUM LXXXI.

TITULUS : *Psalmus Asaph.*

« Deus stetit. » Psalmus iste convenit Asaph, id est, fideli Synagogæ, quæ loquitur contra Judæos, quos videt prophetico spiritu paratos inique agere contra Christum visitatorem suum. Materia primus adventus Christi est. Modus. In prima parte, ostendit inter homines habitaturum, scilicet, per assumptam carnem : et monet Judæos ne inique judicent in eum. In secunda parte, quæ incipit : « Judicate egeno, » ostendit Christum, cum dives esset, pro nobis pauperem factum, et monet eos, ut non propter hoc minus sentiant de eo, sed justum intelligant; et dat eis certum signum, quo Filium Dei possint eum cognoscere. In tertia parte, quæ incipit : « Ego dixi Dii B estis, » ostendit quod, cum Christus venisset homines exaltare, et Dei filios facere, quia Judæi eum non receperunt, exaltationem illam non habuerunt. Intentio est Judæos specialiter commonere, ne Christo aliquid mali faciant, sed ejus prædicationi consentiant.

Quasi diceret : Nolite Christum videntes eum egenum et pauperem despicere, putantes solum hominem, quia etiam Deus est. Unde dicit : « Deus » homo factus, « stetit » corporaliter « in Synagoga deorum, » id est, bonorum Judæorum; dicuntur etiam dii quicunque magni viri. Unde dicitur in lege : Diis ne detrahas (*Exod.* XXII), non ut alius homo, sed ipse Deus « in medio » eorum « dijudicat, » id est, discernit ac separat a malis bonos, sed « deos, » quos C ipse deificat; in hoc versu plane Christi incarnationem demonstrat.

« Usquequo. » Christus Deus est, qui etiam deificat suos, ergo vos judices Judæorum usquequo « judicatis iniquitatem ? » scilicet Christum redemptorem omnium morte dignum. Quasi jam diu se justis satis contra servos ad vineam missos, hæredem modo ad vos missum recipite, « et » usquequo vos in mortem « sumitis » vobis « facies peccatorum? » id est, peccatoribus consentitis, et conformes ejus vos redditis. Facies peccatorum sumit, qui modum suæ nequitiæ accipit, qua discernitur ab aliis.

« Judicate egeno. » Pars secunda. Vos judices, nolite inique de Christo judicare, sed « judicate egeno et D pupillo, » id est, ad honorem Christi, scilicet præter hominem judicare Deum. Christum dicit egenum, quia semper terrenas facultates neglexit habere, secundum quod Apostolus ait : Cum esset dives, pro nobis factus est pauper (*II Cor.* VIII) ; pupillum dicit, quia sibi præsidium humanum non quæsivit in terra; dico judicate illi, et etiam ipsum « humilem et pauperem justificate, » id est, justum reputate, et sine illo nullum justum esse posse. Vos majores, judicate, vos juniores, istum « pauperem eripite » de majorum potestate, et ereptum ne permittatis amplius capi : et hoc est : « et egenum de manu peccatoris » populi « liberate. » Ego ita monui eos, tamen ipsi » nescierunt » eum Deum esse ac Redemptorem suum. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; dico nescierunt, « neque intellexerunt, » sed ideo nescierunt, quia intelligere noluerunt; ideo autem non intellexerunt, quia « ambulant in tenebris, » id est, in dilectione terrenorum; de sua autem inscitia excusabiles non erunt, habentes certum signum, quo eum Deum esse cognoscere possent, quia « fundamenta terræ movebantur » non dico in aliquibus locis, sed « omnia » in quo beatus Dionysius cognovit eum Dei esse Filium. Ego dixi. Pars tertia. Ipsi non intellexerunt, sed tamen « ego dixi : Dii estis » id est, si vultis, potestis esse dii, id est, deificati, et non qualescunque dii, sed « filii Excelsi » non tantum nobiles et potentes, sed « omnes » quantumcunque impotentes.

Dico, filii Dei esse poteritis « vos autem » non attendebatis meam admonitionem, ideo « moriemini » damnabiles, « sicut homines » carnales, et vos majores, superbiam vestram in Christum exercentes, « cadetis » in profundum inferni, ita irrecuperabiliter « sicut unus de principibus » cecidit, id est, diabolus qui inter principes cœlestes principalis erat. Licet multi cecidissent, ideo tamen dicit unus, quia omnes uniti sunt in mala voluntate. Vos quidem ita cadetis, sed tu « Deus surge » de sepulcro, et « judica terram, » id est, terrenos Judæos, illos damna et excæca : « quoniam » his excæcatis, « tu hæreditabis in omnibus Gentibus; » ex parte enim contigit cæcitas in Israel, ut plenitudo Gentium intraret.

IN PSALMUM LXXXII.

TITULUS : *Canticum psalmi Asaph.*

« Deus, quis similis ? » Psalmus iste quidem convenit Asaph, id est, fideli Synagogæ, quæ loquitur. Est canticum, quia ostendit nobis rem quamdam futuram de qua nobis maxime exsultandum est, scilicet, in secundo adventu Christi damnandos persecutores nostros, et quoscunque malos : dicitur etiam psalmus, quia hic docet bene operari, et mala patienter sustinere. Materia est secundus Christi adventus. In prima parte, petit ipsum Christi adventum quo liberetur Ecclesia a malis quæ sustinet in hac vita, etenum erat multa mala quæ hic patitur Ecclesia. In secunda parte, quæ incipit : « Fac illis sicut Madian, » precatur, ut Deus secundo veniens, rectam vindictam sumat de malis illis : et etiam conversionem quorumdam in vitam, quorumdam in majorem excæcationem. Intentio est, per timorem secundi adventus, deterrere homines et maxime Judæos a persecutione Ecclesiæ.

Quasi ita diceret Propheta : Homines te debilem et impotentem putant, cum patiaris tuos puniri, sed o « Deus, quis similis erit tibi? » Nullus : et ideo o « Deus, » qui tacuisti in tempore hujus vitæ permittendo tuos puniri, « ne taceas » dare in eos sententiam, dicens : Ite, maledicti, in ignem æternum, « neque compescaris » vindicta, sed potius comprime eos pœna æterna.

Ideo dico ne taceas, « quoniam inimici tui sonuerunt, » id est, irrationabiliter sanctis tuis contradixerunt : « et » ideo ne compescaris, quoniam « qui oderunt te, extulerunt caput » suum, scilicet, Antichristum, quem ipsi filium Dei redemptorem prædicabunt. Vel caput suum, id est, superbiam suam contra te erexerunt.

Et non tantum contra te, sed contra tuos, et hoc est : « super populum tuum malignaverunt consilium, » id est, maligno animo sunt consiliati, ad populi tui depressionem, « et » non tantum sunt consiliati, sed etiam « cogitaverunt » quis eorum pejorem sententiam posset dare « adversus sanctos tuos. »

Et « dixerunt » exhortantes invicem se : « Venite, et disperdamus eos de terra, » id est, gentem illam, scilicet sanctos destruamus, in tantum quod nomen « Israel » scilicet Christianum, « non memoretur ultra. »

Et unde eis tanta fiducia ? Quoniam et multi erant et unanimes : et hoc est, « quoniam simul, » id est, multi « cogitaverunt unanimiter, » id est, habentes nocendi eamdem voluntatem, et « disposuerunt testamentum, » id est pacta sua, « adversum te, » ut per suas pactiones legem Dei destruerent. Et qui fuerunt illi? « tabernacula Idumæorum, et Ismaelitæ. » Nota quod historialiter persecutores Israelitici populi ponit hic, sed per hunc nomina apte significantur persecutores Ecclesiæ. Per tabernacula Idumæorum, qui sanguinei, vel terreni interpretantur, intelligimus congregationes illorum, qui terrenis inhærent, vel homicidas Ismaelitæ, id est, obedientes sibi.

Inter cæteros persecutores est « Moab, » scilicet abutens lege, « et Agareni, » id est alieni, qui licet bonum habitum prætendant, tamen nocent cum locum inveniunt; « Jebal » id est, vana vallis, scilicet, hypocritæ, qui humilitatem monstrant se habere, sed hoc in vanitate, et adversum homines tamen bene operantur, « et » disponit etiam contra te testamentum « Ammon, » id est, turbidus populus, veluti qui damno terrenorum contristantur, « et Amalech » id est, lingens terram, scilicet, avari hujus vitæ, qui nihil vitandum putant, unde habeatur pecunia, « et alienigenæ » scilicet in sensu, quod supra habuimus per Agareni : sed Hebræa veritas hic habet Philistæi, id est, potione cadentes, per quod intelligimus eos qui inebriantur divitiis et prospe-
D ritate hujus vitæ. Isti omnes adversum te disposuerunt « cum habitantibus Tyrum, » id est, angustiam : per quod possunt intelligi mercatores, qui nullam vitant angustiam in acquirenda pecunia.

« Etenim » isti bene possunt, quia « Assur » id est, populus ille « venit cum illis. » Assur interpretatur deprimens, vel elatus, per quod diabolus intelligitur, qui deprimit bonos, et semper paratus est venire cum aliis ad persecutionem Ecclesiæ Dei, et ipse singulariter potest dici elatus : et Assur cum omnibus aliis « facti sunt in adjutorium filiis Loth. » Filii Loth persecuti sunt historialiter populum Dei, per quos intelliguntur pagani, qui sunt filii apostatæ
A angeli. Loth enim declinans interpretatur, per quod bene diabolus significatur.

« Fac illis. » Pars secunda. Et sicut per populos persecutores populi Israelitici significavit persecutores Ecclesiæ, ita per populos a populo Israelitico destructos, significavit malos in secundo judicio a Christo damnandos. Continuatio : isti ita disponunt adversum te, sed tu, Domine, « fac illis sicut » fecisti « Madian » populo illi, quem per populum Judaicum destruxisti. Madian interpretatur declinans judicium, per quod intelliguntur illi qui negant judicium futurum, « et » sicuti fecisti « Sysaræ » qui interpretatur exclusio gaudii, per quod intelliguntur illi qui negant aliquod gaudium futurum bonis post hanc vitam, et « sicut » fecisti « Labin » qui devi-
B ctus fuit in illo loco, scilicet « in torrente Cyson. » Labin interpretatur sapiens sibi, per quod intelliguntur philosophi et alii sapientes hujus mundi. Cyson interpretatur duritia; sapientes vero hujus mundi destruuntur in torrente Cyson, id est, in abundanti duritia sua.

« Disperierunt » alii « in Endor, » scilicet in loco qui interpretatur fons generationis, « et » illi « sunt facti ut stercus terræ, » id est, in peccatis delapsi, computruerunt interius. Unde dictum est computruerunt jumenta in stercore suo. Velut stercus terræ, quia sicut stercus impinguat terram et fructificare facit, ita isti mali, persequendo Ecclesiam, faciunt eam impinguescere interius, et fructiferam.

« Pone » etiam, Domine, « principes eorum » qui
C persequuntur Ecclesiam, « sicut » destruxisti « Oreb, et Zeb Zebeæ, et Salmana. Oreb interpretatur siccitas, per quod intelligimus eos qui sicci sunt rore spirituali. Zeb, lupus, per quod raptores intelligimus. Zebeæ, victima lupi, per quod intelligimus eos quos diabolus sibi incorporat. Salmana, umbra commotionis, per quod intelligimus instabiles in fide, qui ad tempus credunt, et in tempore tribulationis recedunt.

Et ut universaliter comprehendam, « omnes principes eorum » depone « qui dixerunt » ore et opere, hoc scilicet « possideamus sanctuarium Dei, » id est, populum a Deo sanctificatum, « hæreditate, » ut eos nostris doctrinis excolamus, et Christus nullam partem obtineat in eis.

D Illos, o « Deus meus, pone ut rotam, » id est, ut sicut rota semper volvitur, et surgit a posteriori, et cadit in anteriora, sic illi semper volvantur in cogitationibus mundanorum, et surgant a posterioribus, id est, a terrenis istis, in quibus elevantur, et cadant in anteriora, id est, ad spiritualia, scilicet ut dimissis illis omnino decidant, scilicet terrena obliti, cœlestia desiderent. Unde Apostolus : Oblitus ea quæ retro, ad ea quæ anteriora sunt me extendo « et » pone eos « sicut stipulam ante faciem venti, » ut sicut stipula non resistit vento, scilicet sic isti tentationibus non resistunt. Hanc quidem præcipitationem malorum facit Deus in hac vita.

« Sicut ignis. » In hac vita ita facies ejus, in alia

autem combures eos igne puniente : et hoc est, sicut ignis « qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes. » Silvæ bene comparat eos, quia ipsi sunt silvestres et inculti lege Dei : montibus comparat propter elationem.

« Ita. » Sicut ignis silvam, « ita » tu « persequeris eos, » quasi impotentes se excusare « in tempestate tua, » id est, in judicio, quod ita subito veniet quasi tempestas, et separabit grana a paleis, et dico persequeris, et comprehendes comprehensos, « turbabis eos in ira tua, » ostendens eis te iratum, pœnam æternam inferendo.

Petiit damnationem malorum, modo petit conversionem salvandorum, quasi diceret : Nolentes converti ita punies, sed « facies eorum, » persecutorum scilicet, qui prævisi sunt ad salutem, « imple ignominia » id est, ut erubescant de peccatis suis, « et » sic, ut « quærent nomen tuum » scilicet, ut fiant Christiani.

Qui autem obstinati sunt et nolunt hic erubescere, in alia vita « erubescant » de turpitudinibus suis, « et conturbentur » de pœnis, duraturis « in sæculum sæculi : et confundantur » anima et corpore : « et » illa confusio non sit reparabilis, sed « pereant » æternis tormentis.

« Et » tunc saltem « cognoscant, quia tibi » convenit hoc « nomen Dominus » et qui in hac vita putabant se altos et potentes, tunc cognoscant quia « tu solus Altissimus in omni terra, » id est, super omnes terrenos, quia sicut potens es in remuneratione bonorum, ita in damnatione malorum.

IN PSALMUM LXXXIII.

TITULUS : *In finem, pro torcularibus filiis Core psalmus.*

« Quam dilecta. » Psalmus iste convenit filiis Core, id est, filiis crucis, imitatoribus Christi, qui hic loquitur, habitus pro torcularibus, id est, pro Ecclesiis, quæ torcularibus comparantur; quia sicut in torculari cognoscitur quid sit vinum et quid sit acinus, sic per pressuras in Ecclesia cognoscitur qui sint boni, et qui mali : pro Ecclesia hic dicitur agere, quia ostendit hic magnam dignitatem ipsius Ecclesiæ, scilicet quod semper petit cœlestia. Vel possumus dicere quod non sit vox filiorum Core, sed Prophetæ, vel alicujus perfecti : sic, psalmus iste præponitur filiis Core incitandis, scilicet, simplicioribus Christianis : agens pro torcularibus, id est, de Ecclesiis, ut ostensa dignitate Ecclesiæ, filios Core monet ad eamdem dignitatem properare, dirigens in finem. Vel ita : Psalmus iste agit pro torcularibus, id est, pro pressuris commendandis : tribulationes vocat torcularia, quia sicut torcular separat et exprimit vinum ab acinis, ita tribulationes hujus vitæ discernunt bonos a malis, torcularibus dico valentibus in finem. Unde dicitur : Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Materia est Ecclesia, in pressuris hujus vitæ posita. Modus : In prima parte, ostenditur quod Ecclesia, licet innumeris tribulationibus conteratur, tamen ad cœlestem Hierusalem pervenire desiderat. In secunda parte, quæ incipit : Beatus vir cujus est, ostendit auxilium quod Deus facit suis, et quam utile sit illud auxilium. In tertia parte, quæ incipit : Quoniam melior est, ostendit quod malit esse abjectus in domo Dei quam peccatorum abundare divitiis, ut per auxilium quod sibi posuit in secunda parte, possit pervenire ad desiderium, quod proposuit in prima parte. Intentio est admonere nos, ut semper desideremus illam cœlestem Hierusalem.

Et ostendens ille qui loquitur, affectum Ecclesiæ, dicit : O « Domine virtutum! » id est, cœlestium angelorum, « tabernacula tua » id est, illa superna habitatio tua, sunt dilecta, id est, desiderata, et « quam dilecta, » infinite scilicet. Illam supernam habitationem vocat tabernaculum, propter solam habitationem, quia sicut in tabernaculis habitatur, sic in illa superna Hierusalem. Cum dicit Domine virtutum, innuit eum multas virtutes suis conferre, et ideo « anima mea » licet multis tribulationibus oppressa « concupiscit » intrare « in atria Domini, » id est, in supernam Hierusalem quam atria nominat propter amplitudinem, « et » concupiscendo « deficit, » id est, ab omnibus terrenis se abstinet, quod etiam in corpore deficiat. Unde in Canticis : « Amore langueo (*Cant.* II). » Vel deficit, quia quantumcunque concupiscat, tamen non potest comprehendere gaudium illius civitatis. Vel per tabernacula possumus accipere præsentem Ecclesiam, ut sic dicamus tabernacula, id est præsens Ecclesia, in qua ad tempus tibi militamus; quam dilecta sunt, id est, quam gloriosum et quam jucundum est stare et militare tibi in castris. Unde Apostolus : Non tantum gloriamur in spe, sed etiam in tribulationibus (*Rom.* V). Et Salomon : Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem (*Eccl.* II). Et quia ita jucunda sunt tua tabernacula, ideo diligo militare in illis, quia securus sum, quod per hanc militiam perveniam ad illam cœlestem habitationem : et hoc concupiscit et deficit, ut supra.

« Cor meum concupiscit, » et hoc cum exsultatione, et hoc est, « cor meum » id est, secretior pars mei, scilicet, anima mea multis tribulationibus afflicta, « et » etiam « caro mea » jam rationi subserviens, multiplicioribus malis afflicta. Unde alibi (*Psal.* LXII) : Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. « Exsultaverunt. » id est, cum exsultatione sustinuerunt tribulationes hujus vitæ, tendentes « in Deum » ut eum obtineant « vivum » qui vivere facit tendentes ad se in vita æterna.

Etenim cor meum exsultavit, id est, anima mea et caro mea, « etenim passer, » id est, ipsa anima, « invenit sibi domum, et turtur, » id est, ipsa caro invenit sibi « nidum, ubi ponat pullos suos, » id est, ipsa opera sua. Passeri comparatur anima, quia sicut passer dimittit silvas, et nidificat in do-

mibus, in altis tamen locis, ubi tutus sit a manibus puerorum et laqueis : ita fidelis anima, dimissis terrenis istis, invenit sibi domum cœlestem, in qua jam spe inhabitat, et contemplatione : et ideo jam vellet dissolvi et esse cum Christo, sicut dicit Paulus (*Philip.* I) : Si hæc domus nostra dissolvatur, habemus domum non manufactam, æternam in cœlis (*II Cor.* V). Per cujus domus contemplationem cavet sibi fidelis anima a laqueis inimicorum. Ideo turturi comparatur caro, quia sicut turtur gemit, ita caro fidelis gemit pressa multis miseriis, et ipsa invenit sibi nidum, id est fidem, et alia sacramenta Ecclesiæ, in quibus ipsa ponat pullos suos, id est, tutos faciat et nutriat, scilicet, bona opera sua, quæ ipsa generat sicut avis pullos, quia, sicut turtur non potest nutrire pullos extra nidum, nec tutos habere, sic fidelis extra fidem, vel extra Ecclesiam, non potest bona opera et Deo placentia facere. Unde dicitur, « Sine fide impossibile est Deo placere (*Hebr.* II). » Et Augustinus : Non est locus veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam. Et sicut pulli non sunt in nido, nisi ad horam mansuri, sic fideles etiam in hac præsenti militia non sunt æternaliter permansuri.

Et quem nidum invenit turtur? « altaria tua, » id est, sacramenta Ecclesiæ, fidem et baptismum, et similia, super quæ opera nostra posita sunt Deo acceptabilia, sicut et ea quæ offeruntur in altari « Domine, virtutum, » id est omnium angelorum, quas quidem virtutes mittis nobis in auxilium, et in hoc apparet quia tu es « rex meus » quod bene me regis in præsenti militia, « et Deus meus » id est Creator meus. Vel ita : passer invenit sibi domum, scilicet altaria tua. Domum cœlestem vocat altare, quia res alta est : de turture non mutatur quod dictum est.

« Beati qui. » Ostendit ad quem finem sit hæc militia perventura, scilicet ad vitam æternam. Continuatio : Tu dicis quia passer invenit domum, et turtur nidum, et per hoc habitabunt in domo tua cœlesti, quod non est parvum, quia « beati » sunt illi, « qui habitant in domo tua, Domine, » illa : hoc modo beati, scilicet, quia « in sæcula sæculorum laudabunt te » in quo apparet gaudium illorum, quia si contristarentur, non laudarent.

« Beatus. » Pars secunda. Illi erunt beati, qui in domo tua habitabunt, et etiam ille « vir beatus » est « cujus est auxilium » contra impedimenta mundi « abs te, » id est, a te, ideo beatus, quia ille homo qui positus est « in valle lacrymarum, » id est, in miseriis hujus mundi, « disposuit in corde suo, » scilicet cum magna ratione et diligentia ordinavit « ascensiones, » id est, quosdam gradus proficiendi de virtute in virtutem : ascensiones dico, perducentes eum « in locum quem posuit » ipse, id est, cœlestem domum, quem solum ipse locum proposuit sibi appetere et amare. Vel in loco quem ipse homo posuit, id est, fecit ex peccato primi parentis, quia Deus non creavit eum in miseria, sed in perfectione. In hoc versu ostendit auxilium Dei, et quam utile sit.

Bene dico quod poterit disponere ascensiones, qui habet auxilium Dei, quia non tantum dabit ei Dominus litteram occidentem, sed spiritum vivificantem, et hoc est, « etenim legislator, » id est, Deus qui dat legem monentem, « dabit benedictionem, » id est gratiam adjuvantem, et per illam « ibunt » homines « de virtute in virtutem, » id est, in hac præsenti Ecclesia, et tandem « videbitur Deus deorum in Sion, » scilicet quando Deus erit omnia in omnibus.

« Domine Deus virtutum. » Et quia tanta beneficia facis tuis, oro, Domine, quod facias et mihi, et hoc est, « Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, » et non simpliciter exaudi, sed « auribus percipe, » id est, in memoria reconde, tu, dico, « Deus Jacob, » qui diligis omnes luctatores te diligentes, et ideo me debes diligere.

« Protector. » Pars tertia. Sicut supposuit orationem, qua peteret auxilium Dei, sic petit hic protectionem Dei, quam necessariam reputat suæ objectioni quam ostendit. Continuatio. Exaudi orationem, et « tu protector noster » scilicet in adversis : o « Deus ; aspice, » ut per misericordiam meæ abjectioni subveniat, ne succumbam : « et » si non sum dignus per me, ut in me respicias, « respice in faciem Christi tui, » id est, multitudinem justitiæ Christi, per quam ipse ab omnibus discretus fuit, de cujus justitiæ plenitudine ad nos aliquid emanavit, et nos conformes pro modo nostro fecit. Et opus est ut respicias ut protector, quia ego « elegi abjectus esse in domo Dei, » id est, in Ecclesia præsenti « magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, » id est, quam divitiis abundare inter peccatores. Electiva oratio est. Cum dicit tabernacula, quæ sunt transitoria et in quibus brevi tempore habitatur, innuit ea non esse appetenda. Cum dicit peccatorum, ostendit ea maxime esse fugienda : et præmittit causam, quare se elegit esse abjectum et despicabilem in domo vel, sic : « quia melior est dies » scilicet illa quæ est « una, » id est, continua, cui nunquam succedunt tenebræ, « in atriis tuis, » id est, in cœlesti habitatione, « super millia » dierum istorum transeuntium quos appetunt stulti. Abjectum se ostendit David, cum se denudatum saltando ante arcam Domini, cum eam reduceret : unde etiam uxor sua deridebat eum.

Ideo elegi abjectus esse « quia Deus diligit misericordiam » facere, id est, peccata remittere, et justitiam dare : « et » diligit « veritate, » id est, promissiones complere : et quia diligit misericordiam, dabit mihi abjecto, et ambulanti in domo sua, « gratiam, » id est, remissionem peccatorum : et quia diligit veritatem, « dabit » mihi « Dominus gloriam, » id est, præmium meæ militiæ, quam ipse promisit omnibus sibi militantibus. Gratiam et gloriam dabit Dominus, non quibuslibet, sed bonis : et hoc est : « non privabit bonis eos qui ambulant in innocen-

tia, » id est, perseverant in innocentia : et ideo, o « Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. »

IN PSALMUM LXXXIV.

Titulus : *In finem filiis Core psalmus.*

« Benedixisti, Domine. » Psalmus iste convenit filiis Core, qui loquuntur, vel quibus proponitur : dirigens in finem, id est, in Christum. Materia est primus Christi adventus, conferens Ecclesiæ multa beneficia. Modus. In prima parte, ostendit benedictionem esse datam terræ, contra maledictionem quam dedit ei propter peccatum Adæ, cum diceret : « Maledicta terra in opere tuo (*Gen.* 3). » Secunda pars incipit : « Mitigasti iram tuam, » in qua ostendit mitigationem iræ Dei, quam juste sustineamus ex peccato primi parentis. In tertia parte, quæ incipit. « Audiam quid loquatur, » manifeste annuntiat ipsum Christi adventum, et innuit per quem hoc fiat et docet ubi Christus esset nasciturus. Intentio est nos admonere, ut cum magna exsultatione Christi adventum suscipiamus, per quem tanta beneficia possidemus.

Quasi sic diceret: o « Domine, terram » quæ prius maledicta erat in opere Adæ, modo factam « tuam » recipiens adventum Filii tui in fide, « benedixisti, » ita scilicet, « avertisti captivitatem, » id est, peccatum, per quod omnes ante adventum Christi tenebantur captivi á diabolo, « Jacob, » id est, populi illius, qui vult fieri similis Jacob.

« Remisisti. » Hanc scilicet captivitatem avertens, « remisisti, » id est, remittes « iniquitatem plebis tuæ » in baptismo, et non tantum remittes, sed sic « operuisti, » id est, cooperies, « omnia peccata eorum » ut jam non veniant in conspectum tuum, ut punias ea æternaliter, scilicet et peccatum dimisisti, et pœnam peccati. Unde alibi : Ex usuris et iniquitate redimes animas eorum. (*Psal.* LXXI). « Mitigasti. » Pars secunda. Quasi aliquis diceret : Non credo Deum iniquitatem remisisse, peccata operuisse. Contra dicit Evangelium : Vere remisisti, operuisti, quia, o Domine « iram » quam habuisti pro peccatis omnium hominum, id est, quam habebas pro singulis peccatis, non dico prorsus removisti, quia sumus mortales et passibiles, sed « mitigasti, » id est, mitem fecisti, quia jam tribulationes sunt nobis mites et delectabiles, quæ in nobis spem æternæ salutis generant, « et avertisti » te « ab ira indignationis tuæ, » scilicet ut non inferas pœnas procedentes ex tua indignatione, scilicet æternas pœnas. Et ut iram tuæ indignationis non incurramus, « converte nos » ab infidelitate ad fidem, « Deus salutaris noster, » id est, qui per adventum Filii tui nobis salutem confers, et « a nobis » conversis « averte iram tuam » æternam.

Dico averte, et avertes, quia « nunquid in æternum irasceris nobis? » Non certe, quia placabilis eris in adventu Filii tui, saltem « aut extendes iram tuam a generatione » Adæ, cui certum est te iratum fuisse propter peccatum « in generationem » Christi. Non utique, imo placabilis eris generationi Christi, per ipsius adventum. Duæ sunt generationes, una Adæ, quæ carnalium est, alia Christi, quæ spiritualis est, scilicet illorum qui se Christo conformare conantur : a qua sicut expelluntur mali Christiani, sic etiam includuntur illi boni qui fuerunt ante adventum Christi.

« Deus, tu » non extendes iram, sed « conversus » ab ira « vivificabis nos » spiritualiter per adventum Filii, « et plebs tua » vivificata, « lætabitur in te » jam secura de æterna beatitudine.

Et ut plebs tua possit vivificari et lætari, o « Domine, ostende nobis misericordiam tuam, » scilicet Filium tuum, ut mittas quem missurus es : ostende scilicet, ut cognoscamus eum, et si non omnes præsentia corporis, tamen per fidem, « et » non tantum ostende, sed etiam illud « salutare tuum da nobis, » ut vere salvet nos, et ut eum in fide teneamus, et operibus imitemur. « Audiam quid. » Pars tertia. Continuatio. Rogo ostende, da salutare, et securus sum quod facies, quia « Dominus Deus » loquitur « in me, » et « quid loquatur » ego « audiam, » id est, non oblatrando, sed potius compescam me a mundanis istis, et bene debeo audire eum, « quoniam » in me « loquetur pacem, » id est, annuntiabit mihi ipsum Filium, qui erit auctor pacis et reconciliationis inter Deum et hominem, pacem dico non ad omnes, sed « in plebem suam. » Dico in plebem suam, « et super sanctos suos, » id est, in eos, qui ante adventum ipsius sanctificati erant, veluti Abraham et consimiles, quibus quidem adventus Christi pacem cum Deo contulit, qui eos de tenebris inferni liberavit, et non tantum super sanctos, sed « etiam in eos qui convertuntur ad cor, » id est, ad rationem, veluti gentiles, qui prius dimisso Creatore, creaturam colentes, per adventum Christi sunt conversi ad cor, scilicet ut jam diligenti ratione colant suum Creatorem, et sic per adventum Christi habeant cum Deo pacem.

Dicto adventu Christi, determinat etiam locum suæ nativitatis eis, quasi ita diceret : Per adventum ejus multi convertentur, sed tamen non apud eos Christus nascetur, sed inter Judæos, et hoc dicit : « Verumtamen prope timentes eum, » id est, Judæos, qui Deum soli dicebantur timere, quia legem ejus receperant, licet potius pro temporalibus quam pro cœlestibus Deo servirent, erit « salutare ipsius, » id est, Filius Dei ipsius perficiet salutem humano generi, ita erit illud salutare, « ut gloria, » id est, ipse Filius « inhabitet » præsentia corporis « in terra nostra, » id est, in Judæa.

« Misericordia, et veritas. » Ostendit quid faciat ille adventus Christi nobis; dico, salutare habitabit in terra, et per ipsum « obviaverunt sibi, » id est, inter se convenerunt in ipso Christo « misericordia, et veritas, » qui dicitur veritas, quia in eo omnia promissa per Prophetas sunt completa, ipse quoque misericordia dicitur, quoniam dedit vobis remissionem peccatorum et alia beneficia per solam misericordiam suam, scilicet in ipso convenerunt Novum et

Vetus Testamentum. In Christo convenerunt misericordia et veritas, in omnibus vero ipsum Christi adventum exspectantibus « justitia, et pax osculatæ sunt, » id est, convenerunt. Nisi enim Christus advenisset, homo nec justitiam haberet cum Deo, nec pacem.

Ideo convenerunt misericordia, et veritas, justitia et pax, quia « veritas » Christus, « orta est de terra » de virgine, quæ terra fuit fructifera, « et » ex hoc « justitia de cœlo, » id est, homine Dominico, vel de cœlo, id est, cœlestibus creaturis, in quibus solis ante adventum Christi erat justitia, « prospexit » super omnes homines. Vel aliter : justitia et pax vere sunt osculatæ, quia veritas est orta de terra, id est, de carne nostra peccatrice, scilicet nos, qui prius sola vana et falsa faciebamus, modo operemur virtutem, scilicet accusationem de peccatis, Deum colentes, solum justum reputantes et alia hujusmodi, et quia veritatem operamur, ideo justitia de cœlo prospexit.

Etenim secundum hanc sententiam ita continuabimus. Bene dico, quod nos operamur veritatem, « etenim Dominus dabit benignitatem, » id est, futurus est ille per quem dabit benignitatem, id est Spiritum Sanctum benigne nos intus inspirantem, et per hoc dabit hanc benignitatem, quia « terra, » id est, virgo Maria, « nostra, » id est, de nostra natura, « dabit fructum suum, » id est, filium suum. Ad primam sententiam ita continuatur : Vere de terra orta est veritas, id est, Christus, quia Dominus dabit benignitatem, id est, gratiam aspirantem quam non daret, nisi per Christum, et terra nostra, id est, caro humana, aspirata illa benignitate Dei, dabit fructum suum, id est bona opera.

Et « justitia » nostra « ante eum ambulabit, » parabit viam qua Deus in nos descendat. Vel ante eum, id est, in beneplacito ejus, « et ponet » ipse Deus, « in via » qua imus ad eum, « gressus suos, » id est, operationes suas, scilicet multiplicabit gratiam suam in nobis. Vel ipse justus homo ponit gressus suos, id est, operationes; in via, id est, in præceptis Dei, ut secundum præcepta Dei operetur. Vel in via, id est, in Christo, ut ad imitationem Christi operetur.

IN PSALMUM LXXXV.

TITULUS. *Oratio David.*

« Inclina, Domine. » Psalmus iste vocatur oratio, quia et per totum psalmi contextum orationem continet, et ad orandum nos monet. Voluit enim Dominus Jesus orare, ut nobis in se relinqueret exemplum orandi : fugit etiam ut in hoc nobis daret exemplum fugiendæ præsumptuosæ mortis et temerariæ, quæ oratio attribuitur vero David, scilicet Christo, qui loquitur in hoc psalmo. Materia est Christus ipse patiens. Modus. In prima parte, petit sibi ante tempus passionis, scilicet ut Deus custodiat eum in tempore suæ militiæ, ne inimici sui possint eum sibi aliquo modo conformare. In secunda parte, quæ incipit : « Deduc me, Domine, » precatur Deum pro suis. In tertia parte, quæ incipit : « Deus iniqui, » precatur secundum ea quæ post passionem sequuntur, scilicet de sua glorificatione. Intentio est nos invitare ad orandum.

Attendens autem Christus se secundum humanitatem non posse contingere, ad Dei altitudinem, quasi infirmus rogaret medicum, precatur Deum, ut per misericordiam condescendat suæ infirmitati, sic dicens : « Inclina, Domine, aurem tuam mihi, et exaudi me, » et opus est ut inclines « quoniam » non possum me ad te levare, quia « inops sum » quia ex me non habeo divitias hujus sæculi, « et pauper sum ego, » quia neque ex alio habeo divitias istas. « Custodi animam meam » a conformitate malorum, et prætendit meritum, dicens, « quoniam sanctus sum, » id est, immunis a peccato sæculi et unusquisque fidelis potest dicere pro modo suo, sanctus, id est, sanctificatus sum. Unde dicit Augustinus : Injuriam fidelis jam facit Christo, qui non dicit sanctus sum, « et salvum fac, » id est, perseveranter custodias « servum tuum » quem debes salvare, quoniam servus tuus sum, « Deus meus, sperantem in te, » non in mundanis.

Propterea, quia dixi debes custodire, et etiam propter hoc, quia in te ipso habes misericordiam, et hoc est « miserere mei, Domine, » id est, per tuam misericordiam visita me, et quia scit miseridiam Dei non esse dandam negligentibus, ostendit se idoneum, qui illa debeatur misericordia, cum dicit, « quoniam ad te clamavi tota die » miserere, et « lætifica » de spe æternæ beatitudinis, « animam servi tui, » quoniam ad te, Domine, « animam meam levavi, » quia eam non depressi in istis mundanis, sed ad te solum erexi.

Ideo ad te levavi, « quoniam tu, Domine, suavis » es gustantibus te, « et mitis » sustinendo peccatores, ut convertantur, « et » etiam « multæ, « id est, infinitæ « misericordiæ omnibus invocantibus te » quia eis multa bona exhibes.

Et quia misericors es, ideo non tantum peto ut exaudias, sed etiam « auribus percipe, » id est, firmiter reconde memoriæ « orationem meam, et intende voci deprecationis meæ » de malis removendis.

Et debes intendere, quia « in die tribulationis meæ » in tempore meæ militiæ « clamavi ad te; quia exaudisti me. » Non enim Christus, qui semel exaudiebatur, dubius erat de exauditione non potest dicere hoc, nisi sanctus, quod clamet, quia exauditur, sed potius clamat ut exaudiatur. Cum Christus dicat se in tribulatione clamasse, innuit nobis, in tribulatione maxime ad Deum esse clamandum.

« Non est similis, » et merito clamo ad te, quia, o « Domine, in diis » suis, sive in potentibus hujus sæculi, sive in cœlestibus creaturis, non est » aliquis « similis tui » in essentia, « et non est secundum opera tua, » quia nemo potest facere ea quæ tu facis.

Vere non est aliquis secundum opera tua, quia

« omnes Gentes quascunque fecisti, » id est, aliqui de A omni gente, « venient » per fidem « et adorabunt » id est, venerabuntur, et hoc « coram te, Domine, » id est, in beneplacito tuo, « et glorificabunt nomen tuum, » id est, te nominabilem, id est, non quantum ad te, quia non potes augeri nec minui, sed cum aliis prædicabunt te, necessario gloriosum cognoscent.

Et bene debent adorare et glorificare, « quoniam magnus es tu, » incomprehensibilis scilicet, et omnipotens, « et tu solus Deus es, faciens mirabilia, » quia si alii faciunt, per te faciunt.

« Deduc. » Pars secunda. Et quia tam bonus es, ideo, o « Domine, deduc me, » id est, meos, « in via tua, » id est, in præceptis tuis, « et » ego positus « in veritate tua ingrediar » de virtute in virtutem. Alia B translatio habet « ambulo : » ita ingrediar, ut « cor meum, » id est, meorum « lætetur » de spe remunerationis, ut propter hoc « timeat, » id est, diligat, « nomen tuum : » aliis, ut timeant, non dantur gaudia, sed adversa. Et si dixeris : « Confitebor tibi, » id est, laudabunt te mei, « Domine Deus meus, in toto corde meo, » id est, meorum, quia cor vacuum ab omnibus aliis vacabit solummodo tuæ laudi : et non tantum confitebuntur mei in seipsis, sed etiam laudabunt te apud alios; et hoc est, « glorificabo nomen tuum in æternum. »

Ideo debent glorificare, « quia misericordia tua magna est super me, » id est, super meos : « et » ideo, quia « eruisti animam meam ex inferno inferiori. » Abraham et Prophetæ ante adventum Christi C in inferno erant, sed non torquebantur. Erat infernus inferior, ubi animæ malorum torquebantur : sicut et contrario : In domo Patris mei mansiones multæ sunt; vel iste mundus dicitur infernus, ad comparationem cœlestis habitationis. Ille vero locus quo animæ malorum ad torquendum descendunt, inferior infernus dicitur; vel ex inferno inferiori, id est, ex profunditate vitiorum : animæ omnium fidelium defunctorum, quæcunque non descendunt ad infernum, liberatæ sunt.

« Deus, iniqui. » Pars tertia. Continuatio : Precor ut hæc facias meis, et me glorifica : et hoc est quod inferius ponit. Respice in me, et miserere mei : et ad hoc præmittit quasdam causas : et opus est, Domine, ut glorifices, quia, o « Deus, iniqui insurrexerunt super me, » et non inferiores solum iniqui, sed « etiam Synagoga potentium quæsierunt animam meam » retinere in morte, « et non proposuerunt te in conspectu suo, » id est, non consideraverunt te Deum meæ humiliati esse unitum.

« Et tu, Domine Deus miserator » in exhibitione, quia multas miserationes fecisti omnibus sperantibus in te, « et misericors » in natura, « patiens, » id est, non statim puniens peccata, sed exspectans peccatorem per patientiam, « et multæ misericordiæ, » quia major est misericordia quam culpa, « et verax » in omnibus promissis implendis.

Qui adversus videris in passione mea, « respice in me, » id est, attende meritum, « et miserere mei » per misericordiam tuam resuscitando me, et sic « da » mihi « puero tuo, » id est, devoto per omnia, « imperium tuum, » id est regimen in gentibus, et Judæis, « et salvum fac » me, custodiendo perseveranter imperium quod conferes, filium ancillæ tuæ, id est, virginis Mariæ, quæ dixit : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. « Fac mecum, » da mihi imperium, et quo illud obtineam, fac votum, et hoc est, fac « signum » aliquod insigne factum, veluti resurrectionem, et hoc mecum, quia ego promerendo ad hoc quantum potero laboro, et debes facere, quia hoc peto « in bonum » scilicet ut inde bonum, id est, salus eveniat gentibus, ad hoc fac signum, « ut videant, » id est, intelligant « qui oderunt me, et confundantur, » intelligentes se mala egisse, hoc scilicet videant, » quia tu, Domine, adjuvisti me » in certaminibus quæ habui contra eos, « et consolatus es me » in passione, quia videntes eum resurgere, cognoverunt eum Deum in passione fuisse.

IN PSALMUM LXXXVI.

TITULUS. *Psalmus cantici filiis Chore.*

« Fundamenta. » Psalmus iste est cantici, quia proponit nobis magnam exsultationem, scilicet cœlestis Hierusalem dignitatem, quam Propheta exsultanter protulit, et nobis maximam exsultationem reliquit. Qui psalmus proponitur filiis Chore, ad hoc, C ut ipsi fiant de hac civitate. Materia ipsa est civitas superna. Modus : In prima parte, commendat eam ipse Propheta secundum seipsum. In secunda parte, quæ est : « Memor ero Raab; » inducit Deum loquentem, et commendantem ipsam civitatem. Iterum in tertia parte, quæ incipit : « Sicut lætantium, » Propheta ipse commendat eam, per gaudium æternaliter eam inhabitantium, intendit filios Chore ad effectum istius civitatis monere.

Vox Prophetæ, quasi Propheta diu meditatus fuisset, dicens apud se : Parietes quidem istius civitatis boni sunt, tecta peroptima, « fundamenta » autem « ejus in montibus sanctis. » Montes sunt Apostoli et Prophetæ, et patriarchæ sunt fundamenta ejus civitatis, de qua meditabatur, quia super eos fides D nostra est fundata : « et portas Sion, » scilicet ejusdem civitatis, « diligit Dominus. » Portas accipit tam Apostolos quam illos qui introducunt homines in hanc Ecclesiam. Diligit dico « super omnia tabernacula Jacob, » id est, super omnia carnalia sacrificia, quibus placabatur Deus in Veteri Testamento.

Videns Propheta quod per se illa bona non posset enumerare, convertit se ad ipsam civitatem, dicens : o « Civitas Dei » superna « de te dicta sunt » multa « gloriosa » quæ non possum enumerare.

« Memor. » Pars secunda. Continuatio. Hæc scilicet gloriosa sunt mihi dicta de te, quod Deus faciat gentes habitatores tui, quia ipse Deus hoc dixit:

Ego « ero memor Raab. » Raab interpretatur impetus, vel latitudo, per quod intelligimus gentiles illos qui impetuose et sine ratione discurrunt per lata desideria hujus sæculi; « et » ero memor « Babylonis, » id est, illorum qui in peccatis confusi sunt, « scientium me, » id est, faciam eos scientes et cognoscentes me; vel, scientibus me per Apostolos, ero memor eorum.

« Ecce alienigenæ. » Dico memor ero Raab, quam adducam in hanc civitatem, et « ecce » quasi in manifesto habes « illic, » id est, in hac civitate « fuerunt, » id est, erunt « alienigenæ, » id est, potione cadentes, scilicet illi qui aliquando inebriabantur prosperitate et divitiis hujus sæculi, convertentur, et erunt membra in cœlesti Hierusalem, « et Tyrus » scilicet illi qui prius angustiabantur in acquirendis bonis temporalibus, veluti mercatores, erunt in ea. Tyrus namque angustia interpretatur, « et populus Æthiopum, » id est, multi de illis qui prius fuerant nigri in peccatis.

« Nunquid. » Quasi dicat Propheta : Hæc gloriosa sunt dicta de civitate illa, et præter omnia hæc, gloriosius omnibus prædictis, quod « et homo, » id est, Christus, secundum humanitatem « natus est in ea » civitate, « et ipse fundavit eam Altissimus » secundum divinitatem, et quia rem quam dicit mirabilem et quasi incredibilem videt, præmittit quamdam admirationem, dicens : « Nunquid » o « Sion, dicet, » id est, dicere poterit et intelligere, « homo » carnalis aliquis, quis et quantus sit ille, qui et civitatem istam fundavit, et in ea natus est. Christus enim ipse anus fuit de Ecclesia, et hi de quibus natus est : nullus utique hominum, sed Spiritus sanctus potest hoc revelare, ipse enim est de quo Joannes ait : Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus (*Marc.* I).

« Dominus. » Dixi homo natus est in ea, et ipse fundavit eam, quod bene credere debetis, quamvis mirum videatur, quia « Dominus narrabit in scripturis populorum, » id est, quæ scripturæ propositæ populis ad intelligendum, quasi jam Apostoli per Scripturas sacras hoc de Christo intelligerent, clamant in publico, et non tamen dico scripturas populorum, sed « horum etiam principum, qui fuerunt in ea » civitate, scilicet Ecclesia sanctorum Apostolorum.

« Sicut. » Tertia pars. Per hæc prædicta apparet commendabilis civitas Sion, et per hoc etiam, quia o Sion « habitatio omnium » nostrum, quæ « in te est » post judicium, est « sicut lætantium, » id est, similis lætantibus in hac vita, sed quia infinitam cognovit eam, quanta esset determinare non potuit. Et cum ibi sint tanta gaudia, quibus vix aliquo modo possint comparari gaudia hujus sæculi, maxime nobis ad illam habitationem festinandum innuit.

IN PSALMUM LXXXVII.

TITULUS. *Canticum psalmi filiis Chore, in finem pro Melech, ad respondendum, intellectus Eman Israelitæ* (vel ut Hieronymus dicit, *Ezraitæ*)

« Domine Deus salutis. » Legitur quod, cum David psalmum istum citharizaret, et chorus astans consona voce responderet, supervenit quidam Eman vocatus, Orientalis, a loco Ezraita dicto, vel, ut Augustino placet, Israelita, qui in hac figura David præcinentis, et chori respondentis, sensum psalmi animadvertit, Christum scilicet in hoc psalmo agere de sua passione, et fideles suos ei bene respondere, id est, ad imitationem Christi eos multa sustinere, juxta quod Ezdras hujusmodi titulum psalmo apposuit, qui sic legitur : Istud canticum psalmi præponitur filiis Chore, id est, quibuscunque Christianis, ad respondendum, id est, ut ipsi respondeant pro Melech, id est, vice chori, scilicet ut sicut chorus respondebat consone David regi præcinenti, quamvis diversæ essent personæ, ita filii Chore, quamvis diversæ sint personæ, tamen consone in fide et dilectione respondent Christo, prius citharizanti in mortificatione propriæ carnis, ut et filii Chore animas suas ponant pro amicis, sicut apostolus ait : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » (*I Petr.* II.) Melech chorus interpretatur, filiis Chore dico, directis in finem, si ita respondeant : et bene dico quod ita respondere debeant, quoniam hæc talis responsio est intellectus Eman Ezraitæ, scilicet hanc talem responsionem intellexit Eman in hoc psalmo. Eman interpretatur frater ; Ezraita, advena : quasi hanc talem responsionem faciendam Christo intellexit Eman, id est, frater scilicet quilibet fidelis, de quibus Dominus ait : Dicite fratribus meis. Frater dico Ezraita, id est, advena in hoc mundo, scilicet qui hic non habet manentem civitatem, sed tendit semper ad cœlestem. Vel Eman Israelita, id est, frater Deum videns, hoc intellexit quod filii Chore ita Christo debeant respondere. Hic psalmus canticum vocatur, quia proponit nobis passionem Christi, quam pro nostra reparatione cum magna exsultatione sustinuit : dicitur psalmus quia nos monet ad spiritualem operationem, scilicet ad patientiam, ut per exemplum Christi et fidelium suorum, quos Christo patiendo respondere inducit, invitet filios Chore ad eamdem responsionem. Materia est Christus patiens, et agit hic de sua passione aliter quam in supradictis, quia hic magis ostendit illatas contumelias quam alia mala. Modus : In prima parte, ponit orationem, et enumerat mala sibi illata. In secunda parte, quæ incipit : « Clamavi ad te, Domine, » petit resurrectionem per quasdam necessitates. In tertia, quæ incipit : « Et ego ad te, Domine, clamavi, » ostendit suos in passione Christi respondere, scilicet ad imitationem sui multa sustinere. Intentio est per exemplum Christi et suorum ad patientiam invitare, juxta Apostolum : Qui dicit se Christo manere, debet, sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare.

Vox ipsius Christi orantis sic : o « Domine Deus » auctor « meæ salutis, » id est, immunitatis meæ a peccato, ego « clamavi die et nocte, » id est, extense oravi, et non ad conspectum hominum, sed « coram te. » Coram mundo clamat, qui mundana postulat; coram Deo clamat, qui solum Deum habere desiderat. Et quia ita clamavi, « intret oratio mea » quæ est quasi legatus meus ad te, et quia posset intrare, et post ea expelli, dicit, « in conspectu tuo, » id est, ita quod sit in beneplacito tuo : dicitur a similitudine alicujus, qui rem sibi beneplacitam in conspectu suo ponit, et opus est, « quia anima mea repleta est malis, » id est, anxietatibus; unde ipse dixit : Tristis est anima mea usque ad mortem. (*Matth.* XXIX). Vel malis, id est, de peccatis eorum, « et vita mea inferno appropinquabit, » id est, anima mea, vel in tempore passionis proximæ antequam ad inferos descendisset; vel appropinquavit, ita quod esset in inferno, ad quem sponte descendit, et ipsum spoliavit.

Et « æstimatus sum cum descendentibus in lacum, » id est, in infernum; vel in lacum, id est, in profunditatem peccatorum, quia falsa opinione reputaverunt me peccatorem, et quia mortuus in inferno remaneret, et « factus sum » reputatione eorum, quod tantum essem « sicut homo » et non Deus, licet sim « inter mortuos » in peccatis, « liber » tamen ab omni peccato; vel inter mortuos liber, id est, non retentus in inferno cum cæteris mortuis, sed liberans alios. Sum etiam æstimatus « sine adjutorio, » id est, tam vilis, cui Deus nullum feret adjutorium.

Sum æstimatus « sicut » alii « vulnerati, dormientes in sepulcris, quorum, » o Deus, tu « non es memor amplius, » id est, ut ad bonum resurgant : ita de me putabant, cum viderent vulneratum et jacentem in sepulcro, ne amplius resurgerem; vel allegorice accipiamus vulneratos in peccatis dormientes, id est, quiescentes in sepulcris, id est, in corporibus in quibus putrescunt, consentientes delectationibus carnis : et non dormientes, quos revocet Deus a malitia, sed quorum, o Deus, non es memor amplius, « et » quamvis me ita repulsum putarent « ipsi » tamen et non ego « repulsi sunt de manu tua, » id est, de protectione.

Exaggerat passionem suam et illorum malitiam, dicens : « Posuerunt » etiam « me » reputatione sua « in lacu inferiori, » in profundum vitiorum, vel dignum qui descenderem in profundum inferni, scilicet « in tenebrosis » locis « et in umbra mortis, » id est, in loco illo ubi sola umbra necaret homines; vel in umbra, id est, in ignorantia, quæ est causa mortis : unde dicitur : Ignorans ignorabitur (I. *Cor.* XIV).

« Super me » etiam reputatione eorum « est confirmatus furor tuus, » id est, putant te, o Deus, continuo et omnimode erga me esse iratum : et præter illum furorem, Domine, quia « induxisti omnes fluctus tuos, » id est, perturbationes hujus vitæ, « super me : » et non tantum ab extraneis persecutiones habui, sed etiam amici mei defecerunt, et hoc est, « longe fecisti notos meos, » id est, Apostolos meos « a me » sicut legitur : Relicto eo, fugerunt, quod videntes alii, « posuerunt me abominationem sibi, » id est, delendum de consortio hominum. Vel ipsi Apostoli posuerunt me abominationem sibi, sicut de B. Petro legitur : « Cœpit detestari et jurare, quia non novi hominem. »

« Traditus sum » etiam a discipulo, « et non egrediebar » ad vindictam, quia non ostendit Deitatis potentiam quam ipse habebat. Unde et ipse dixit : Possem rogare Patrem meum, et exhiberet mihi plus quam duodecim legiones angelorum. Et « oculi, » id est, Apostoli « mei, languerunt » dubitaverunt, scilicet, de resurrectione mea, sicut de duobus illis legitur, qui euntes ad castrum Emaus, dicebant : Nos sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel. Languerant dico, « præ inopia » veri luminis, quia non plene erant adhuc de Spiritu sancto roborati.

Unde Dominus improbans illis dubitantibus dixit : « O stulti, et tardi corde ad credendum, » etc.

« Clamavi. » Pars secunda. Quamvis essem ita derelictus ab amicis, tamen, o « Domine, clamavi ad te, » scilicet ut dares resurrectionem, et « manus meas, » id est, operationes meas « expandi, » id est, per charitatem dilatavi « ad te » pro merendum, et hoc « tota die, » id est, assidue, vel toto tempore passionis.

« Nunquid » et opus est ut me resuscites, quia me retento in sepulcro, « facies mortuis mirabilia? » « nunquid medici, » id est, Apostoli et prædicatores « suscitabunt » prædicationem suam, « et » ipsi suscitati in anima, « confitebuntur tibi? » Non. Bene dicit, non suscitabunt, quia nec etiam medici essent, nisi Christus resurrexisset.

« Nunquid » me retento « in sepulcro narrabit aliquis misericordiam tuam, » scilicet, quod facias remissiones peccatorum, justifices hominem, etc.? Non. Aut me perdito « in perditione, » in corruptione, nunquid narrabit aliquis « veritatem tuam » de impletione promissionis istius quod in semine Abrahæ benedicentur omnes gentes, et aliarum? Non utique. Vel ita : Si ego non fuero resuscitatus, « nunquid » manens « in sepulcro, » id est, in delectatione carnis putrescens, « narrabo misericordiam tuam? » Aut aliquis existens « in perditione, » id est, in consuetudine peccandi, « narrabit » non me resuscitato, « veritatem tuam? » Non.

Et « nunquid » non me resuscitato « cognoscentur mirabilia tua, » id est, partus Virginis, ascensio, reparatio humani generis, a positis « in tenebris? » Non; etiamsi esset qui prædicaret. « Et » nunquid « justitia tua, » id est, remissio peccatorum, cognoscetur ab existentibus « in terra oblivionis, » id est, ab illis qui obliti sunt tui propter terrena? Non.

« Et ego. » Pars tertia : Ego sic clamavi de resurrectione, « et » obtenta ea « ego clamavi, » in meis, id est, mei clamabunt « ad te, Domine, et oratio mea mane » facta, id est, assidue, vel mane, id est, in

luce virtutum, « præveniet te » non quod in se habeant orare sine tua misericordia, sed dicit prævenire, scilicet ut reddaris placabilis ante judicium.

Dico, mei clamant, sed « ut quid, Domine, repellis orationem meam, » id est, meorum a te? Videtur enim Deus repellere cum non statim implet desiderium eorum, scilicet ut statim exuat eos a corpore, et elevet eos ad cœlestia. « Et avertis faciem tuam a me » id est, a meis, cum permittis eos tribulari.

Dico, « avertis faciem tuam, » quia « ego sum pauper » id est mei sunt pauperes in his mundanis, « et in laboribus, » secundum persecutiones hujus sæculi, et hoc « a juventute mea » id est, ex quo fuerunt mei fortes et robusti in fide, non defuit eis tribulatio, et si fui exaltatus, et hoc dicit « autem » in his mundanis, id est, si mei fuerint prosperati, nihil profuit, quia postea « humiliatus sum, » id est humiliati sunt mei ad pœnitentiam, « et conturbatus » sum, sustinendo labores, si mei conturbati sunt.

Et non mirum, si ego sum conturbatus, quia « iræ tuæ » id est, vindictæ tuæ venerunt in me, et non remanserunt in me, » quia mei ad horam sustinuerunt, ut postmodum gauderent in perpetuum; « et terrores tui » de timore futuri judicii, « conturbaverunt me » id est, meos.

Bene dico, quod iræ transierunt in me, quia mali homines, vel peccata « circumdederunt me sicut aquæ, id est, cum magna inundantia, et volentes me demergere, sicut aqua demergit homines: et hæc « tota die » id est, assidue, non sigillatim, sed « simul circumdederunt me, » id est meos.

Non solum alia mala passi sunt mei, sed etiam « elongasti a me, » id est, a meis, « amicum et proximum » cognatione: « et notos meos » quos mei vel qui meos noverant, et hoc fuit « a miseria » id est, propter miseriam illorum pro quo despecti erant.

IN PSALMUM LXXXVIII.

Titulus. *Intellectus Ethan Ezraitæ* vel *Israelitæ.*

« Misericordias Domini. » Psalmus iste dicitur intellectus, quia secretam rem continet, scilicet Deum daturum misericordiam et veritatem suam, quod ante adventum Christi valde secretum fuit, et per paucis cognitum: et non est psalmus in solo litterali sensu, sed etiam in allegorico: qui intellectus dicitur Ethan, id est, alicujus robusti, veluti David Prophetæ: quia et ipse Propheta, et quicunque habet intellectum hujus psalmi, maxime corroboratur contra diabolum et in Dei laude consistit. Ethan dico Israelitæ, non robusti in malo, sed viri videntis Deum; vel Ezraitæ, id est, advenæ et peregrini in hoc mundo. Misericordia Dei et veritas est materia. Modus: In prima parte, ostendit se dicturum de misericordia et veritate, et ea quæ dicet se cognovisse Deo docente. In secunda parte, quæ incipit: « Confitebuntur cœli, » ostendit multam Dei potentiam. In tertia parte, quæ incipit: « Tunc locutus, » ostendit multas promissiones Dei ad Filium suum. In quarta parte, quæ incipit: « Tu vero repulisti, » ostendit quod contra promissa videatur Deus fecisse: ostendit enim Christum et suos multa mala incurrisse, cum eis Deus multa bona promisisset. In quinta, quæ incipit: « Usquequo, Domine, avertis? » ponit preces pro malis quæ futura videt Ecclesiæ, et innuit ea non nocere contra promissiones Dei. Intentio est nos admonere ut Deo gratias agamus pro collata gratia et veritate. Possumus etiam dicere quod ideo posuit Ezdras Ethan in titulo, quia ipse fuit cum aliis præcentoribus in recitatione.

Vox cujuslibet in illo priore populo, dicentis: « Misericordias Domini » de reparatione humani generis, duraturas « in æternum, » quia nos facient æternos, « cantabo, » id est, cum cantico et devotione annuntiabo.

Et etiam « annuntiabo veritatem tuam, » id est completionem promissionum, in quibus verax es, « in generatione » Judaica, « et generationem » gentilem; vel, in generatione et generationem, id est, per omnes successiones generationum: et hoc « in ore meo. » Idem vocat misericordiam et veritatem, scilicet beneficia Dei: misericordia, quia gratis confertur a Deo; veritas, quia juxta quod promiserat implet Deus. « Annuntiabo » dico in ore meo, in quo semper habeo promptam veritatem, ad annuntiandum aliis; vel in ore meo, id est, sicut habeo in ore, ita compleo opere.

Et qua auctoritate fretus hæc annuntiabo? tua scilicet, et hoc est, « quoniam dixisti » id est, interna aspiratione mihi revelasti, hæc scilicet: « in æternum misericordia ædificabitur, » scilicet postquam peccata erunt dimissa, crescent multa dona spiritualia: ædificabitur dico, non in malis, sed « in cœlis, » id est, in altioribus sanctis, qui continent secreta Dei, veluti ipsis Apostolis, « et veritas tua, » id est, eadem dona spiritualia, « præparabitur in eis, » quia per eos descendet in alios.

« Disposui. » Dixisti sic dicens: « Disposui testamentum » id est, ordinavi pactum, non cum omnibus, sed « cum electis meis, » id est, illis quos de numero prædestinatorum elegi. « Et etiam « David servo meo » id est, Christo, « juravi, » id est immutabiliter promisi. Ubi enim Abrahæ juravit, et Christo: de quo illæ erant promissiones, teste Apostolo: « Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus, qui est Christus: » hoc scilicet juravi, « præparabo semen tuum, » id est, imitatores justitiæ Christi, ducendo eos « usque in æternum. »

Et ædificabo sedem tuam, » id est illos in quibus quiescis, et judicas « in generatione » gentili, « et generationem » Judaicam, vel per omnes successiones, vel præparabo sedem tuam, id est, imitatores, qui te imitentur, non ad horam, sed in generatione hinc procedendo, usque in generationem futuram.

« Confitebuntur. » Pars secunda. Dixisti, « misericordia ædificabitur, » et sicut dixisti, ita complebitur, quia « cœli, » id est, Apostoli, « confitebuntur mirabilia tua » veluti de creatione cœli et terræ, e

hoc ostendit in parte mirabilium, cum dicit « etenim » annuntiabunt « veritatem tuam » non ubique, sicut mirabilia, quia inter omnes gentes possunt mirabilia Dei numerari, sed veritas Dei, de nativitate, passione, etc., potest et debet enuntiari tantum « in ecclesia sanctorum, » in qua sola Dei nativitas, et passio, et cætera, et colitur et amatur.

Et bene debent confiteri cœli mirabilia tua, « quoniam quis in nubibus « id est, inter Apostolos, et cæteros altiores in Ecclesia, « æquabitur » in potentia « Domino? » nullus; vel, quis erit « similis Deo » in substantia « in filjis Dei? » veluti etiam in sanctis angelis? qui sunt stabiles et deificati. Nullus, quia omnes alii ab isto sunt creati et deificati. Vere nullus æquabitur Domino, nam ipse est « Deus » et talis, « qui glorificatur in consilio sanctorum, » id est, quem sancti glorificant, et hoc cum magno consilio, quia vere cogitant quomodo dignius eum laudare queunt. Deus dico « magnus, » quia sua substantia complet omnia, et « terribilis » propter judicium quod facturus est ipse; dico existens « super omnes qui in circuitu ejus sunt, » id est in famulatu et comitatu ejus, stipantes eum, quasi milites, Dominum; et hoc de angelis, et etiam de sanctis viris potest intelligi.

Deus dico glorificatur, et etiam ipse Deus est Dominus omnium virtutum, et ideo nemo potest esse similis ei; et hoc est quod dicit, faciendo conversionem ad ipsum: « Domine Deus virtutum » cœlestium vel dator virtutum nostrarum per quas facis homines virtutibus cœlestibus similes. Cum enim das homini plenitudinem scientiæ, facis similem seraphim. Similiter, per cæteras virtutes sibi datas, cæteris ordinibus homines similes reddunt, et ideo « quis similis tibi? » Nullus utique; tu enim « potens es, Domine, » ex te solo, nec aliquis habet potentiam, nisi per te. « Et veritas tua » est « in circuitu tuo » in quibus tuæ promissiones completæ sunt, apparet quod verax es in promissis. Vel, veritas tua est in circuitu tuo, quia cum non habeas in circuitu et famulatu tuo, nisi eos qui veraces sunt, apparet te veracem esse, a quo tanta familia veritatem recepit.

Vere es potens, quia « tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas, » ad litteram; vel ita ad allegoriam: « Tu dominaris potestati maris, » id est, potentiam hujus sæculi, in quo nullus, nisi te permittente, potest aliquid mitigare « motum fluctuum ejus, » id est, seditionum quæ moventur in mundo; « tu mitigas, » licet non prorsus auferas. Reliquisti enim sanctis tuis persecutiones, ad eorum probationem. Ad litteram: Christus mare mitigavit, quando, surgens de navi in qua dormiebat, imperavit ventis et mari.

« Tu humiliasti. » Per hoc enim apparet potentia tua, Deus, quia tu humiliasti dejiciendo de cœlo in hanc inferiorem aeris « superbum, » id est, diabolum, qui singulariter superbus est, « sicut vulneratum. » Vulneratus fuit diabolus, quando luce et dignitate, qua prius nitebat, privatus fuit. « Humiliasti » dico « in brachio virtutis tuæ, » id est, in virtuoso brachio, id est, Filio tuo, et in hoc quoque apparet potentia tua, quia tu « dispersisti inimicos tuos, » Judæos, qui realiter dispersi sunt per totum mundum. Et hoc quoque fecisti in brachio tuo, per quod omnia operaris.

Et bene inimicos posuisti disperdere, « quia tui sunt cœli, et terra » universa « est tua, orbem » etiam « terræ, » id est, totum circulum mundi, « et plenitudinem ejus, » veluti fructus, et pecora, et cætera; « tu fundasti, » id est, creasti, et etiam ipsum diabolum creasti, et hoc est, creasti « aquilonem » qui, quia frigidus ventus est, intelligitur diabolus, qui caret omni charitate, et qui de se ipso dixit: Ponam sedem meam ad aquilonem, « et mare, » id est, inimicos tuos amaricantes, et fluctuantes contra te, « tu creasti. »

Et quia tam potens es, ideo « Thabor et Hermon, » id est, Judæi et gentiles, « exsultabunt in nomine tuo, » quia tibi suam exsultationem attribuent, ideo quia « tuum brachium » est « cum potentia, » id est, tuus Filius est cum efficientia, quia nihil suæ voluntati potest resistere. Vel, « Thabor et Hermon exsultabunt, » id est, cum exsultatione pronuntiabunt tuum brachium, id est, Filium tuum, intelligentes illum esse cum potentia, et hoc ad laudem tuam, scilicet in nomine tuo exsultando. Thabor interpretatur veniens lumen, per quod Judæi significantur, inter quos prius venit lumen, quod est Christus. Hermon interpretatur anathema, per quod intelliguntur gentiles, qui, cognito Christo, anathema dixerunt diabolo.

Dico Thabor et Hermon est cum potentia, et « manus tua, » id est, operatio illius brachii, velut in conversione malorum ad fidem « firmetur, » ut eos in justitia fideque corroboret, et « dextera tua, » id est, illa potentior operatio, scilicet in justificatione et perfectione justorum, « exaltetur, » id est, usque ad cœlum perducat eos « justitia et judicium: » scilicet, cum homines videbunt te juste judicare, erit « præparatio sedis tuæ, » quia tunc cognoscent in quibus tibi sedem præparasti.

Ibi erit justitia et judicium, interim autem « misericordia et veritas, » id est, remissio peccatorum et alia beneficia per misericordiam et promissionem data, « præcedent faciem tuam » ut per hæc beneficia prævenientia te futurum judicem aliqui præparentur, qui cum electis in judicio salventur, et quia misericordia et veritas præcedent, ideo « beatus » est « populus qui scit » hanc « jubilationem, » id est, qui ineffabile gaudium Dei concipit, ita quod hoc faciat conscientia, scilicet laudem sibi attribuens, et rationabile obsequium bene discernens.

Bene dico beatus, quia, o « Domine, » illi « ambulabunt in lumine tui vultus, » id est, cognitione Filii tui, qui tuus dicitur vultus, quia per eum ipse cognosceris. « Et exsultabunt tota die, » id est, assidue, et « in nomine tuo » glorificando, « et [illegible]

« exaltabuntur in justitia tua, » quando obtinebunt regnum cœleste per justitiam quam tu eis dedisti.

Ideo exaltabuntur, « quoniam tu es gloria virtutis eorum, « id est, tibi, non sibi, virtutem suam attribuunt, et te, non se, reputant gloriosum : et quia ille qui loquitur intelligit se de numero illorum, ponit se inter eos sic dicens : Et ideo « cornu nostrum, » id est, fortitudo nostra « exaltabitur, » id est, excrescet « in beneplacito tuo, » id est, per Filium tuum, in quo tibi bene complacuit (*Matth.* III).

Cornu dico exaltabitur, quia Christus assumet nostram humanitatem, per quam nostra quoque exaltabitur humanitas; et hoc est : « quia Domini est assumptio nostra, » id est, Dominus assumet carnem nostram : et cujus Domini determinat, dicens : « et sancti Israel, » id est, illius qui sanctificat Israel, hoc est, Christi, sine quo nullus sanctificatus fuerit, scilicet « regis nostri, » id est, ipsius Christi, qui nos in justitia regit.

« Tunc locutus. » Pars tertia. Postquam ostendit potentiam Filii, ostendit promissiones factas Filio, per quas comprobatur potentia supradicta ipsius Filii. Continuatio : Tu dixisti, misericordia mihi ædificabitur in cœlis, et non notat tempus, sed « tunc, » id est, similiter, sicuti et mihi « locutus es » aliis « sanctis tuis in visione, » id est, in aliqua spirituali revelatione, « dixisti, » id est, per inspirationem eis revelasti; hoc scilicet : « Posui adjutorium meum in potente, » id est in Filio, quem tuis fidelibus adjutorem constituisti, « et » ipsum « electum de plebe mea, » quia inter omnes alios fideles ipse melior fuit, quia in eo peccatum omnino non fuit, « exaltavi, » id est, exaltabo de virtute in virtutem, et usque ad dexteram meam perducendo.

Hoc dixisti : « inveni David, » id est Christum ipsum, « servum meum » fidelem, qui in nullo me offendet : et « eum » inventum « unxi oleo meo sancto, » id est, Spiritu sancto.

Vere unxi oleo, quod apparet per hunc effectum; « manus enim mea, » id est opera mea, « auxiliabitur ei » ad operandum, « et brachium meum, » id est, Verbum ipsi humanitati unitum, « confirmabit eum, » ut nulli persecutioni cedat, sed potius in virtute crescat.

Aliæ promissiones Dei de Filio suo, brachium tuum confirmabit eum, et ideo « inimicus, » id est, diabolus, « nihil proficiet in eo » ut cum tentet eum, faciat eum suæ persuasioni consentire : « et filius iniquitatis, » id est, ipse diabolus, qui apposuit ut tentaret, « non apponet nocere eum, » id est, ut faciat eum nocentem, scilicet ut tentatio ipsius in Christo effectum habeat; vel aliter, filius iniquitatis, qui voluit nocere Christo, aliquando non apponet cum aliis tentationibus quas ei fecerat, nocere eum, id est, nec audebit tentare eum, veluti post resurrectionem cognoscens eum vere Filium Dei, nullo modo ausus fuit præsumere ut tentaret eum.

Et per hæc omnia « concidam inimicos ejus, » ut qui prius erant inimici, sint concisi et destructi ab inimicitia, et hoc « a facie ipsius, » id est, per cognitionem ipsius; ita loquitur, quasi de aliquo imperatore a cujus facie inimici dissipantur; « et odientes eum in fugam convertam, » id est, ut vitia quæ prius amplectebantur jam fugiant, et ipsi Christum sequantur.

Et veritas mea, et misericordia mea erit cum ipso, « quia in ipso et misericordiæ dabuntur, et promissiones Dei omnes complebuntur, « et cornu ejus, » id est, fortitudo Christi, et sublimitas, « exaltabitur, » id est, crescet semper in majus; vel, « exaltabitur, » id est, manifestabitur per totum mundum, et hoc « in nomine meo » ampliando.

« Et ponam. » Aliæ promissiones Dei de Filio suo. Cornu ejus exaltabitur, « et » insuper « manum, » id est, operationem « ejus ponam in mari, » id est, in amaricantibus fluctibus hujus sæculi, ut per manum ipsius convertantur isti a sua amaritudine, « et in fluminibus, » id est, in aquis baptismi ponam « dexteram ejus, » id est, propitiationem ipsius, et potiorem operationem, quia ibi omnia peccata condonantur. Vel, in fluminibus, id est in principibus, quorum cura fluit in populum sicut flumina in mare, scilicet, non tantum convertet operatio Christi minores hujus mundi, sed etiam aliquos de majoribus.

Ipse invocavit. Et merito sic exaltabo, et amplificabo Christum, quia « invocavit me » dicens : « Pater meus es tu, Deus meus, » id est, creator meus secundum humanitatem, « et susceptor » meus, quia meæ humanitati Verbum univisti, et per hoc causa « salutis meæ, » scilicet immunitatis a peccato, resurrectionis, ac totius justitiæ.

Ipse sic invocavit, « et ego Primogenitum ponam, » id est, ante omnes alios ad immortalitatem resuscitabo, et ponam « illum Excelsum » donando ad confessionem, « præ regibus terræ » ad litteram, vel allegoriam.

Et non tantum Christo secundum propriam personam faciam hoc, sed « servabo illi » in suis « misericordiam meam, » ducens eos per misericordiam « in æternum, et testamentum meum, » id est, pactum meum, et promissiones meæ, erit « fidele ipsi, » complendo in suis quod de ipsis promissum est.

Dico, » servabo illi misericordiam, » « et » per hanc misericordiam « ponam semen ejus,, » id est, imitatores ipsius, perdurantes in sæculum sæculi : « et thronum ejus, » id est, regnum ipsius, illos scilicet in quibus judicans sedebit, ponam « sicut dies cœli, » id est, clarissimos, utpote immortales et impassibiles.

« Si autem. » Dico, custodiam, et ponam sicut dies cœli, nec tantum pro merito perfectis, sed etiam peccantes misericorditer revocabo : et hoc dico : « Si autem » illi, qui debent esse « filii ejus, » id est, Christi, « dereliquerint, » id est, nulla ratione voluerint recipere « legem meam, et » si illi

qui debent esse filii, « non ambulaverint in judiciis meis, » scilicet in aliqua discretione mentis, videlicet, neque juste judicent neque recte discernant quid faciendum sit, quid non, « visitabo in virga iniquitates eorum? »

Et non tantum eos leviter peccantes visitabo, sed « si justitias meas, » id est, justificationes, « profanaverint, » id est, profanos et exsecrabiles aliis prædicaverint ut, exemplo vitæ suæ, fugienda et exsecrabilis lex Christiana videatur, « et si mandata mea, » id est, institutiones vivendi, « non custodierint. »

« Visitabo in virga, » id est, leviori correctione, « iniquitates eorum, » ut per illam correctionem deleantur eorum iniquitates; « et » si nolunt virga corrigi, « in verberibus, » id est, graviori afflictione, visitabo « peccata eorum. »

Visitabo in verberibus et in virga eos, « misericordiam autem meam non dispergam ab eo » Christo, secundum caput et corpus, « neque nocebo » ei Christo, toti scilicet, ut post mortem maneant pœnæ. Ego dico existens « in veritate mea, » id est, impletor promissionum : non enim Deus promissa impleret, si Christo et membris suis noceret.

Dico non nocebo, « neque profanabo, » id est, profanum et detestabile faciam « testamentum meum, » id est, pactum meum, quod pepigi cum antiquis patribus; « et » illa « quæ procedunt de labiis meis, » id est, quæ ego promitto per sanctos Prophetas, « non faciam irrita, » id est, inexpleta.

Ideo quidem non faciam irrita, quia « juravi » realiter jurans per angelum Abrahæ, « in sancto meo, » id est, in mea sanctitate, vel « in sancto meo, » id est, in Filio meo, per quem sanctificatur omne humanum genus, et hoc « semel, » id est, impermutabiliter, et quia juravi, « si mentiar David » quin compleam promissiones, non ero Deus; potest impleri quodlibet impossibile, quia defectiva oratio est. Hoc quidem juravi « semen ejus » David, id est, Christi, « manebit in æternum. »

« Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, » quantum ad animas, in quibus major claritas erit « et » secundum corpus erit ipse thronus « sicut luna, » non dico sicut luna crescens, et decrescens, ut in hac vita, sed « perfecta, » et quod thronus Christi talis futurus sit, inde est « testis in cœlo fidelis, » id est, Christus, cujus ascensionem in nostra carne jam Propheta præviderat in Spiritu sancto.

« Tu vero. » Pars quarta. Tu dicis misericordiam non dispergam, et cætera faciam, sed econtra tamen videris facere, quia « repulisti, et despexisti, distulisti Christum tuum. » Per simile loquitur, quasi aliquis dominus iratus alicui fideli servo, pellit eum de domo sua, et ille expulsus a multis despicitur, et etiam differt Dominus ille reconciliari cum illo fideli. Similiter, Christus videtur repulsus fuisse de cœlesti regno Dei, quandiu in præsenti sæculo corporaliter habitavit, in qua habitatione Christus omnibus inimicis suis despicabilis fuit. Et etiam videris distulisse gratiam tuam, quia eum in hujus sæculi miseria diutius permisisti permanere. Eodem modo, Christi membra videntur esse repulsa a Deo, etc.

Ideo videris repulisse, quia « avertisti, » id est, videris avertisse « testamentum, » id est, pactum, « servi tui » quod fecisti cum Christo et servis ejus, vel ea quæ prædicta sunt, « misericordiam meam non dispergam, » etc., « et sanctuarium ejus, » Christi, id est, fideles ejus, in quibus habitabat, « profanasti, » id est, profanos videri fecisti, et hoc non in uno tantum loco, « sed in terra, » id est, per totum mundum.

Et per hoc etiam promissiones servi tui eversas permittis videri, quia « destruxisti, » id est, permittis destrui, et occides « omnes sepes ejus, » id est omnes munitiones ejus, videlicet, bonos prælatos qui in defensione Ecclesiæ officium sepium obtinent. « Posuisti » etiam, id est, pones « firmamentum ejus, » id est, Apostolos, qui alios in fide firmare deberent, « formidinem, » quia et ipsi timuerunt, ut Petrus et alii; vel, « formidinem, » quia cum sancti Apostoli et martyres turpissime occiderentur, timebant alii ad fidem accedere.

Et destructis sepibus, « omnes transeuntes viam, » id est, præcepta Dei, vel ipsum Christum, qui est via, « diripuerunt eum, » id est, Christum in membris suis, quosdam occidendo, quosdam sibi incorporando, vel bona eorum auferendo, et per hæc omnia « factus est » Christus totus « opprobrium vicinis suis. »

Tuos ita dispersisti, et econtrario « exaltasti, » id est, exaltari permisisti in his temporalibus, « dexteram » id est, potentiam « deprimentium eum, » et in hoc « lætificasti omnes inimicos ejus, » id est, malevolos Christi et membrorum ejus.

« Avertisti » etiam « adjutorium gladii ejus, » Christi, scilicet adjutorium verbi Dei, quod jam nullam defensionem haberent sui per verbum divinum, « et » etiam « non es auxiliatus ei in bello » contra hæreticos, quin quandoque devincerentur, et hæreticis incorporarentur : permittit enim Deus multos, qui, secundum humanum judicium, de corpore Christi videntur in corpus diaboli traduci.

« Destruxisti » etiam « eum, » Christum secundum membra, « ab emundatione, » quod persecutiones immissæ ad purgationem eorum, non emendant eos, sed potius destruunt, et a corpore Christi recedere faciunt; « et sedem ejus, » id est, illos in quibus Christus et sedere et quiescere videbatur, « collisisti, » id est, permittes destrui : ipsos collisos dico projectos « in terra, » id est, in appetitu terrenorum.

« Minorasti » etiam « dies temporis ejus, » vel in membris ejus : quando enim aliquis videtur utilis in Ecclesia et a Deo conservandus, cito moritur et aufertur. Et quid plura dicam? « eum, » Christum, « perfudisti confusione. » Confundentur enim justi, vel de peccatis suis præteritis, vel de pœnis sibi illatis.

Usquequo, « Domine? » Pars quinta. Per hæc omnia videris te avertisse ab illis membris, sed « usquequo, Domine, avertis » ab illis? id est, permittis eos

a te videri aversos : erit hoc usque « in finem » id est, omnimode : nequaquam fiat hoc, Domine : et usquequo, Domine, « ira tua » id est vindicta tua, quæ « sicut ignis exardescet, » id est perseverabit vel fiet hoc usque in finem? Non sit, Domine. Iram Dei comparat igni ; quia sicut ignis comburit mollia, et solida probat, ita vindicta Dei comburit molles, fortes probatos reddit.

Ne avertas, Domine, sed potius « memorare quæ mea est substantia, » id est, quam fragilis humana natura est : quia; nisi memoratus fueris, « vane constituisti omnes filios hominum, » quia non liberabuntur a potestate diaboli. Sed « nunquid » constituisti omnes filios hominum, ut habeas inde debitam laudem? Absit, Domine.

Ideo dico tibi ut memores, quia alius non est qui possit adjuvare; unde dicit : « Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? » Nullus utique. Et hoc dicit : quis « eruet animam suam de manu inferi, » id est, de potestate inferi? Nullus.

Ideo etiam dico « memorare, » quia ita consuevisti antiquis patribus misericordias facere, et sic te facturum jurasti, et hoc est, quod sub interrogatione ponit : « Ubi sunt, Domine, misericordiæ tuæ antiquæ, » id est, quas antiquis patribus consuevisti exhibere. Misericordiæ dico complendæ, « sicut jurasti David, » id est, Christo Filio tuo, permanens « in veritate tua, » quia semper comples quæcunque promittis. Juravit Deus sicut supra dictum est, semen ejus in æternum manebit.

. Et quandoquidem jurasti, « memor esto opprobrii servorum tuorum, » id est, quod sustinent servi tui : opprobrium dico « multarum gentium, » id est, a multis gentibus servis tuis illatum : « quod » opprobrium ego « continui in sinu meo, » id est, in anima mea, in qua ego opprobria continui, quia ea utilia mihi fore putavi.

« Quod » opprobrium « exprobraverunt, » id est, objecerunt, « inimici tui, Domine : quod exprobraverunt : » opprobrium dico non aliqua causa Christi, vel suorum, sed « commutationem Christi tui, » scilicet illud quod Christus et sui faciebant, causa mutandorum hominum de mortalitate ad immortalitatem. Improperabant enim illi Christum crucifixum, suos fuisse pannosos et abjectos, etc. Bis ponendo, « exprobraverunt, » notat assiduitatem exprobrationis.

Ipsi exprobraverunt, sed non prævaluerunt; et hoc est : « benedictus Dominus in æternum, » quia ab omnibus tribulationibus nos liberavit. « Fiat, fiat. » In hac geminatione magnam affirmationem insinuat. Hic ostendit quod prædictæ adversitates promissiones Dei non destruunt.

IN PSALMUM LXXXIX.

TITULUS. *Oratio Moysi, hominis Dei.*

« Domine, refugium. » Attende quod non « Moysi » ideo quod Moyses hunc psalmum inter orationes suas composuisset, ut alii volunt, quia in nullo de libris A Moysi hæc oratio invenitur, sed cum David hunc psalmum sicut et cæteros fecisset, tamen intelligens Esdras David Prophetam in hoc psalmo Deum orasse pro liberatione populi fidelis, exponendo humanum defectum, quo genere orationis Moyses Deum orare consueverat, vocavit hunc psalmum orationem Moysi, scilicet similem orationibus quas faciebat Moyses. Ideo psalmus iste vocatur oratio, quia quod continet vel oratio est pro nostra redemptione, vel causæ sunt quare pro hominibus sit orandum. « Oratio Moysi, dico, hominis Dei : » hoc dicit ad differentiam aliorum qui Moyses vocantur; vel ideo dicit « hominis, » quia per defectum humanum quem in psalmo describit, qui est communis cum omni homine, ostendit naturam Moysi, quem ipsum hominem ostendit. Ideo apponit « Dei, » quia ostendit contra humanum defectum liberatorem Deum, tam Moysi quam aliorum filiorum Dei. Materia est liberatio, et contra humanos defectus. Modus : In prima parte, ostendit potentem Deum, qui possit hominem liberare a quantocunque defectu. In secunda parte, quæ incipit : « Ne avertas hominem, » precatur Dei liberationem, et contra describit hominis multiplicem defectum. In tertia parte, quæ incipit : « Dexteram tuam sic notam fac, » precatur adventum Christi, per quem intelligit omnem futuram esse liberationem humani generis. Intentio est nobis desperationem tollere, ut licet multiplicem cognoscamus nostrum defectum, tamen attendentes Deum liberatorem nostrum, jam non desperemus de salute.

Quasi ita diceret Propheta, qui loquitur : Jam, fratres, non desperemus, quoniam Deum habemus, ad quem refugiamus, et hoc dicit : « Domine » Deus qui prius iratus fuisti nobis, quando per peccatum primi parentis fugimus a te, modo tu « factus es nobis refugium, » ad quem in omni periculo refugientes, securitatem invenimus contra hostes. Erat eis Deus refugium per spem futuri Salvatoris quam habebant. Dico « factus es refugium, » et hoc non paucis, « a » prima generatione » justorum, protendendo usque « in » novissimam « generationem. » Cum dicit Deum factum esse refugium nobis, innuit eum velle nostram liberationem; cum vero subdit eum æternum esse, ostendit talem qui nos possit liberare.

« Dico factus es nobis refugium, nec propter hoc dico te ex tempore esse, sed potius « priusquam montes, » id est, angelicæ creaturæ, « fierent, aut terra » quam videmus, « et orbis, id est, ipsum firmamentum, cum omnibus quæ continet, « tu es » id est, verum esse habes; unde dicitur in Moyse : « Qui est, misit me ad vos (*Exod.* III); » et vere es, quia « Deus. » Et licet ostendisset eum fuisse ante omnes creaturas, tamen quia posset habuisse principium et finem exspectare, ut hæc removeat, addit, « a sæculo et in sæculum, » id est, sine principio. Alia translatio habet, « ab æterno : » et « in sæculum sæculi, » id est, sine fine tu es. Alia translatio habet, « in æternum. »

« Ne avertas. » Pars secunda. Quæ dicit : Quia, o Domine, talis es, ideo « ne avertas » a te, ut permittas terrenis adhærere « hominem » positum « in humilitate, » id est, in dejectione et miseriis hujus vitæ : vel tendentem in humilitatem, hæc humilia et caduca appetendo, quia in humilitate est homo, non debes avertere, « et » item ideo quia « dixisti » per multos Prophetarum, et si alius non dixisset, tamen sufficit nobis quod Propheta iste dixit nobis : « Convertimini, filii hominum » quia si « convertimini ad me, et convertar ad vŏs. »

« Quoniam misericordia. » Ostendit modum humilitatis et dejectionis hominis, ad hoc continuatur : Opus est ne avertas, « quoniam » inter cætera mala quæ sustinet homo, habet quod vita sua, quantumcunque prolixa, nihil reputatur : et hoc « mille anni, » B id est, vita hominis quantumcunque prolixa, comparata vitæ quæ est « ante oculos tuos, » id est, æternitati, est « tanquam dies hesterna : » et in aliquo non comparatur hesternæ diei, nisi secundum hoc quod præterita ; et hoc est quod dicit : « quæ præteriit, » id est, sicut dies præterita nihil reputatur, sic quantumcunque vita hominis prolixa : nec legitur aliquis vixisse mille annos, sed etiamsi tantum viveret, vita illa pro nihilo reputanda esset.

Dico mille anni sunt tanquam dies præterita, « et » tanquam « custodia in nocte, » id est, actus in labore et cæcitate. Custodia enim semper in sollicitudine est. Per noctem intelligimus cæcitatem, in qua filii sæculi detinentur : et ut plus dicam, « anni » hominum « eorum erunt, » id est, de numero earum C rerum « quæ pro nihilo habentur, » veluti ea quæ tantum per somnium possidentur.

« Mane. » Enumerat alios hominis defectus : dico, pro nihilo anni habentur, et ita fiat, Domine ; et hoc est : « mane » hominis, id est, infantia « transeat, » id est, cito pereat, « sicut herba » quæ leviter perit : « mane, » id est, juventus, quæ dicitur mane quia adhuc crescit homo : « floreat, » id est, vigeat fortitudine corporis, scientia, aliisque quibuscunque modis : « et transeat vespere, » id est, senium, hoc est, homo in decrepita ætate, « decidat » ab omni vigore corporis, consumptus labore et dolore ; « induret » in cadaver, « et arescat » in pulverem redactus. Potest et ita continuari : Precor ne avertas hominem, hoc tamen non oro quin temporales defe- D ctus et pœnam sustineat peccati.

Ideo concedo decidant, transeant, et similia, quia video aliter esse non posse, « quia » nos « defecimus, » id est multos defectus patimur. et hoc « in ira tua, » id est, in vindicta quam tu sumis pro peccato primi parentis ; et præter mala quæ jam sustinemus, etiam « turbati sumus » interiori nostro « in furore tuo, » id est, in consideratione venturi judicii in quo furorem tuum exercebis.

Ideo dico nos in ira deficere, quia tu, Deus, « posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, » id est, pœnam dedisti pro peccatis nostris. Sicut enim dicitur Deus peccata non aspicere, quando condonat A peccata, ita dicitur aspicere, quando punit peccata : et etiam « sæculum nostrum, » id est, totam vitam nostram posuisti « in illuminatione vultus tui, » id est, clarissime vidisti, ad peccata singula punienda : quia nec etiam cogitatio latebit vultum tuum.

« Quoniam. » Bene dico quod iniquitates in conspectu posuisti, quod apparet in effectu, « quoniam omnes dies nostri defecerunt, » id est, vita humana brevis facta est, et dum vivimus, in miseria et labore vivimus, et hoc est « et in ira tua defecimus »

« Anni nostri. » Ecce quomodo defecimus, scilicet « anni nostri meditabuntur, » id est, nos in annis nostris meditabimur : meditari dicit, quia homo in hujusmodi operibus nunquam ad perfectionem venit ; « sicut aranea, » quæ inane et vile facit opus, ut vilem capiat prædam, scilicet muscas, et in hoc totam se eviscerat. Similiter homines inania faciunt, et magnos labores consumunt, ad hoc ut adipiscantur quæ vilia sunt et caduca ; et in hoc sua viscera consumunt, quia corpus et animam similiter perdunt ; et quia in annis aliquando bene, aliquando male, possemus meditari, addit : « dies annorum nostrorum » meditabuntur sicut aranea, quia nec una die cessamus ab inani meditatione ; unde Salomon in Ecclesiastico : Quid superbis, pulvis et cinis ? In vita tua projicis intima tua. Et bene dico, « dies nostri defecerunt, » quia « in ipsis » diebus nostris, ut multum dicam, secundum ætatem hominum sunt « septuaginta anni, » id est, si aliquis multum vivit, septuaginta annis vivit. Vel legant, « meditabuntur » passive, sic, anni nostri, id est, tota vita nostra, meditabuntur, id est, reputabuntur a sapientibus sicut aranea.

« Si autem. » Dico hominis septuaginta anni : « si autem » est « in potentatibus, » scilicet quod homo vivat in fortitudine corporis, ut plures sint « octoginta anni, et amplius eorum, » id est, si amplius vivant, vita eorum est « labor » eis in corpore, « et dolor » in mente. Vel possumus per septuaginta et octoginta allegoriam intelligere, ut per septuaginta intelligamus Vetus Testamentum, quod et de temporalibus loquebatur, et sola temporalia promittebat, sicut ibi legitur : Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. Per septem dies etiam volvitur hæc tota vita, in quibus utimur his temporalibus. Per octoginta intelligamus Novum Testamentum, in quo postpositis temporalibus, sola cœlestia docemur appetere, quia requiem æternam appetere docemur, quæ requies succedit finitis septem diebus hujus vitæ, quam requiem jam accepit nostra natura in Christo in resurrectione, facta in octava die cujus requiei signum erat, requies quam faciebant Judæi in septima die. Secundum hanc sententiam littera sic legatur : « Anni nostri sicut aranea meditabuntur, » ut supra, sed tamen erunt dies, id est, illuminationes annorum nostrorum, et in ipsis diebus, id est, illuminationibus, erunt « septuaginta anni » a vita, acta secundum Vetus Testamentum. Habet alia translatio, « septuaginta annis, » quod sic legitur :

« Anni nostri sicut aranea meditabuntur, » sed dies annorum nostrorum, id est, illuminationes quas in annis nostris habemus, sunt in septuaginta annis. « Ipsis » non est relativum, sed demonstrativum. Anni quidem acti secundum Vetus Testamentum, non erant in potentatibus, quia nullus sub Veteri Testamento quantumcunque sanctus, qui tamen dicuntur homines Novi Testamenti, potuit pervenire ante mortem Christi ad octavum diem, id est, ad requiem significatam per requiem celebratam in septima die, et designatam per octavam diem. Si autem « in potentatibus » sunt dies nostri, tunc sunt octoginta anni, id est, vita acta secundum Novum Testamentum, quæ dicitur esse « in potentatibus, » quia fideles Novi Testamenti post mortem statim in requiem perducuntur. Et amplius eorum labor et dolor, id est, quidquid extra Vetus et Novum Testamentum agitur, labor et dolor est, quia si quis sine istis vivit, labores et dolores in æternis miseriis consequetur.

« Quoniam. » Ideo Deus vitam abreviavit et labores et dolores contulit, « quoniam supervenit mansuetudo, » id est, misericordia Dei supervenit iræ, et ipsam iram contemperavit, ut ira Dei jam non sit nobis ad damnationem, sed ad purgationem, « et » per illam Dei mansuetudinem « corripiemur » a peccatis nostris.

« Quis. » Quandoquidem Deus iram suam mansuetam facit, non tamen ut nos non puniat, sed etiam ut nos corrigat, ergo « quis novit potestatem, » id est, efficaciam « iræ tuæ, » id est, quis considerat iram tuam esse datam ad correctionem? « et » quis novit « dinumerare iram tuam, » scilicet ut ita consideret in vindicta tua esse prosperitates, sicut sunt adversitates? Iram dico illatam « præ timore tuo, » id est, ut homo te timeat.

« Dexteram. » Pars tertia. Domine, sicut iram contulisti, « sic, » Domine, « dexteram tuam, » id est, Filium tuum, per quem liberationem facias humani generis, « fac notam, » scilicet ut fide et dilectione recipiamus eum: « et » fac nos « eruditos corde » non in carnalibus, sed « in sapientia, » scilicet ut in ipso Christo tuam dignitatem intelligamus. Vel, ita dedisti iram, et sic, id est, per illam iram, fac notam dexteram tuam, id est, Filium tuum, ut attendentes miserias nobis illatas pro peccatis, Christum nostrum liberatorem cognoscamus.

« Dexteram tuam notam fac, » et per ipsam dexteram « convertere » ad nos, « Domine, » conversos « usquequo, » id est, usque ad aliam partem conversionis, scilicet ut peccata dimittas. Alia translatio habet, « aliquantulum, » « et deprecabilis esto super servos tuos. »

« Jam peto ut convertaris, ut sis deprecabilis, quia jam, Domine, « repleti sumus mane misericordia tua, » spe per resurrectionem Christi, quam credimus futuram in mane per illuminationem virtutum; et non tantum repleti sumus misericordia, sed etiam « exsultavimus, » scilicet spe illius misericordiæ, « et » etiam « delectati sumus » inter multa mala hujus vitæ: et hoc est, « in omnibus diebus nostris » de quibus constat, qui nunquam aguntur sine miseria.

« Et non tantum lætati sumus inter mala, sed etiam ipsa mala faciunt nos lætari, et hoc est, « lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, » et non tantum dico pro diebus, sed etiam pro « annis » in « quibus » multipliciores possunt esse miseriæ, quam in diebus, quibus annis « vidimus » in ipsa experientia « mala, » id est, multa adversa nobis illata: considerantes enim hæc mala nobis prodesse ad vitam æternam, spe illius vitæ in nobis magnam lætitiam generant.

« Convertere » dico, et « respice » oculo misericordiæ « in servos tuos, et in opera tua, » scilicet tum quia servi tui sunt, tum quia eos fecisti: « et dirige filios eorum » in constantiam: filios, id est, imitatores.

Dico « respice, » « et » sic « sit splendor Domini Dei nostri, » id est, illuminatio Spiritus sancti « super nos. » Vel, splendor, id est, crux Christi, scilicet ut intelligamus victoriam Christi factam in cruce, in qua diabolum potestate privavit, et nobis vitam restituit: « et » per illum splendorem « dirige opera manuum nostrarum, » scilicet quæcunque opera; et sit etiam splendor Dei « super nos, » id est, in anima nostra, quæ est pars superior: « et » per illum splendorem « dirige opus manuum nostrarum, » scilicet charitatem, quæ est speciale opus. Vel ita sub una distinctione dicamus: Dirige opera manuum nostrarum super nos, id est, ut ipsa opera ducant nos ad majorem altitudinem quam nos simus digni. Vel, super nos, id est, pro supernis, non pro temporalibus, bene operemur.

IN PSALMUM XC.

TITULUS. *Laus cantici ipsi David.*

« Qui habitat. » Psalmus iste canticum dicitur, quia rem nobis proponit, unde nobis maxime exsultandum est; ostendit etiam nobis quomodo Deus omnes fideles suos a quolibet genere tentationum eripiat, in quo ipse liberator laudabilis apparet omnibus: et ideo convenienter dicitur « laus cantici, » quasi laudabile canticum, quod attribuitur David Prophetæ, qui loquitur. Materia est ereptio Dei, quam facit universo justorum corpori ab omni tentationum genere: et per oppositum, ipsæ tentationes a quibus justi liberantur. Modus: In prima parte, ostenditur qualis sit ille qui a Deo liberatur, scilicet sperans omnino in Domino. Ostenditur in eadem parte qualis sit protectio Dei, et a quantis periculis, et quam infinitis fiat illa Dei protectio. In secunda parte, quæ incipit: « Cadent a latere tuo, » ostendit quod Christus malos, qui suos hic multis tentationibus persequuntur, tandem damnabit, et suos remunerabit. In tertia parte, quæ incipit: « Quoniam in me speravit, » inducit Propheta Deum promittentem membris Christi, et in hac vita

protectionem, et post hanc se daturum æternitatem. Intentio est nos instruere contra tentationes, scilicet ut putemus nunquam per nostras vires nos posse tentationibus resistere, sed semper ad Deum refugiamus, et ab ipso liberari exspectemus.

« Ac si ita diceret Propheta : Vos justi quicunque, non præsumetis de vobis, sed universam spem vestram projicite in Domino, quoniam « qui habitat, » id est, perseverat, « in adjutorio, » id est, ut aliunde nullum putet sibi esse auxilium in quo bene habitandum est, quoniam ipse Altissimus est : et hoc est, « Altissimi » : qui ita habitat, « commorabitur in protectione Dei, » id est, assidue protegitur a Deo, Dei dico « cœli » in quo quod valida et magna sit protectio ejus denotatur. In hoc primo versu, notatur tota summa hujus primæ partis, quamvis breviter continetur, ubi enim dicit, « qui habitat, » ponit illum qui liberetur. Cum dicit in protectione Dei, ponit protectorem, et dat intellectum nobis eorum a quibus sit illa protectio, scilicet a tentationibus.

« Dicet. » Ostendit qualis sit ille qui habitat in adjutorio, scilicet ille « dicet Domino : Susceptor meus es tu, » quia ex vilitate peccati ad altitudinem justitiæ me suscepisti, ad quam per meas vires nullo modo poteram pervenire, in quo positus, cum pericula imminerent, non confido in meis viribus, sed tu es, Deus, « refugium meum » ad quem refugio, ut possim liberari ab omni instantia periculorum, et semper, quia « Deus meus est, sperabo in eum, » quia nunquam de me in aliquo præsumam, sed semper ad eum in omni necessitate recurram.

Merito sperabo, « quoniam ipse liberabit me de laqueo » id est, de malefactis « venantium, » id est dæmonum et malorum hominum, qui venantur homines sicut venatores feram, a quorum factis liberatum se dicit justus iste, quia nullis factis illum possunt sibi conformare, « et » etiam liberavit me « a verbo aspero. » Verbum asperum reputat justus, vel quando contumeliis afficitur, vel quando blandis verbis etiam ad decipiendum tentatur.

« Scapulis. » Ostenso qualis sit ille qui liberandus est, ostendit qualis sit liberatio. Continuatio. Et convertit se Propheta ad eum qui liberandus est: Tu dicis, « Sperabo in eum, » et ipse Deus « obumbrabit tibi, » scilicet sic te proteget, ut æstum non sentias, « scapulis suis, » id est, potentia et fortitudine sua, quæ per scapulas intelligitur, quia hæc est fortior pars in alis avium : « et sub pennis ejus » id est, sub misericordia ejus, vel præceptis ejus Dei, quibus homines ad cœlum volant, « sperabis. »

Et si periculum immineat, « scuto circumdabit te » ne possint te inimici lædere, « veritas ejus » id est, ipse, ut per hoc verax appareat. Nisi enim protegeret suos, falleret in promissis, et ecce ponit a quantis tentationibus liberet Deus hominem. Et quia circumdabit te, ideo « non timebis a timore nocturno, » o Christe, cum omnibus membris tuis, scilicet a levi et occulta tentatione.

Et etiam non timebis « a sagitta volante in die, » id est, a levi tentatione et manifesta, et etiam non timebis « a negotio perambulante in tenebris, » id est, ab aliqua gravi tentatione et occulta, qualis fuit Christo machinatio mortis, quam ei latenter paraverunt Judæi. Per negotium, accipimus quoscunque gravissimos actus ad alicujus seductionem, ut hæretici graviter laborant ut aliquem justum decipiant. Quod dicit, « perambulante, » habemus perseverantiam in illis actibus; per hoc quod dicit, « in tenebris, » habemus occultam tentationem. Et etiam non timebis « ab incursu et dæmonio meridiano » id est, ab incursu dæmonii meridiani, id est, non timebimus a gravissima persecutione manifesta, qualis esset persecutio, si aliquis nefandus episcopus prædicaret et præciperet fornicationem vel simoniam, sicut Guibertus demens. Per hoc quod dicit, « incursu, » habemus vehementem, et impetuosam tentationem; per hoc quod dicit, a « dæmonio » illatam, habemus gravissimum et infatigabilem persecutorem; quod dicit, « meridiano, » habemus manifestum. Hieronymus in Origenem dæmonium meridianum appellat hæreseos protervitatem. Hic notavit quatuor genera tentationum : duas leves, unam occultam, per timorem nocturnum; aliam manifestam, per sagittam volantem in die. Iterum duas graves: unam occultam, per negotium ambulans in tenebris. aliam manifestam, per incursum dæmonii meridiani.

« Cadent a latere. » Pars secunda. Dico, tu, Christe, cum tuis non timebis ab aliquo timore nocturno, vel ab aliquo genere tentationum, sed potius damnabis malos illos qui inferunt tentationes tibi et tuis; unde dicit : O Christe, « mille, » id est, infiniti qui præsumunt se futuros in latere tuo, et tecum judicaturos; « cadent a latere tuo, » id est, non reputabuntur cum illis qui consiliarii et judices tecum erunt; « et decem millia » id est, infiniti qui præsumunt se ponendos in dexteris, id est, inter salvandos, cadent « a dexteris tuis, » quia a sinistris ponentur. Mille dicit a latere cadere, et plures a dexteris, quia plures sunt illi qui præsumunt se salvandos quam qui præsumunt se cum Christo judicaturos: illi cadent, « ad te autem nullus » talium aliquo modo « appropinquabit, » sed potius præcipitabuntur in infernum, cum dices eis: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. »

Dico, « non appropinquabit, » « verumtamen » potius oppositum fiet: quia tu, Christe, « considerabis, » omnia, scilicet peccata hominum, « oculis tuis, » quos nec profundissima cogitatio latere potest: « et » tunc « videbis, » id est, videri facies et notam omnibus « retributionem, » id est, justam damnationem « peccatorum. »

« Quoniam. » Bene dico, peccatores damnabit, quoniam me et alios justos, et hoc dicit « quoniam tu es, Domine » Christe « spes mea, » in quo bene debeo sperare, quia tu « posuisti Altissimum, » id est, Deum, « refugium tuum, » scilicet nullam securitatem posuisti tibi in homine, vel in aliqua

mundana re, sed in solo Deo, in quo solo securitas potest inveniri, quia ipse Altissimus est.

Et quia in Deo posuisti tibi refugium, ideo « non accedet ad te malum, » aliquod, scilicet peccatum: immunis enim Christus exstitit ab omni peccato, « et flagellum, » id est, correctio vel punitio pro peccato, « non appropinquabit tabernaculo tuo » in quo ad tempus militasti Deo. Cum dicit Christum salvatum, quia Deum fecit sibi refugium, innuit salvationem aliorum justorum, quia ipsi spem suam in Deo constituunt.

Ideo « non accedet ad te malum, quoniam angelis suis mandavit de te, » id est, mandatum fecit de te, Christe, « ut » « ipsi custodiant te in omnibus viis tuis, » id est, in omnibus operibus tuis, juxta quod dicitur: « Et accesserunt angeli et ministrabant ei. »

« In manibus. » Dico « angelis suis mandavit » et ipsi angeli « portabunt te, » id est, adjuvabunt te, « in manibus, » id est, in operibus suis, ministrando et subserviendo tibi: ideo portabunt « ne forte » tu « offendas pedem tuum, » id est, affectionem tuam, « ad lapidem, » id est, ad legem, quæ per lapidem significatur, quia scripta fuit in tabulis lapideis: offendisset Christus in lege si eam carnaliter implendam intellexisset. Vel, angeli portabunt te in manibus, quemadmodum in ascensione.

Angeli subserviunt tibi, et tu « ambulabis super aspidem et basiliscum, et conculcabis leonem et draconem. » Per hæc quatuor diabolus intelligitur, sed diversis de causis. Per aspidem namque significatur diabolus, quia sicut aspis occulte mittit venenum, ita diabolus occultas mittit tentationes, quibus interficiat animas fidelium; super quem Christus ambulavit, quia nulla occulta tentatione diaboli potuit impediri; per basiliscum, qui manifeste mittit venenum, intelligitur diabolus, qui manifeste tentat fideles; super quem ambulavit Christus, quando ab ipso diabolo manifeste tentatus in morte, nullo modo ab ipsis tentationibus est superatus; per leonem diabolus intelligitur, secundum quod violenter agit, veluti quod ausus fuit in Christum manum mittere, et eum morti dare; per draconem intelligitur diabolus, secundum hoc quod devorat et incorporat sibi quoscunque potest: super quem ambulavit Christus dum morte sua ejus destruxit potentiam.

« Quoniam. » Pars tertia. Dico quia « angelis suis mandavit de te, » ita dicens eis, « Quoniam in me speravit, » totus Christus, maxime tamen hic de membris ejus agitur. « Liberabo eum, » id est, membra ipsius Christi percutiantur telis inimici. « Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, » scilicet non suam quæsivit gloriam, sed meam.

« Clamavit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, » id est, tunc « eripiam eum » quod amplius nulla tribulatio circumdabit eum, quæ ereptio est in fine cujusque fidelium; « et glorificabo eum, » in membris suis. Ita scilicet glorificabo eum, quia « replebo eum longitudine dierum, » id est, æternitate. « Ostendam » Christo « illi » in membris suis « salutare meum, » id est, salvatorem Christum, qui erit vera vita et refectio omnium.

IN PSALMUM XCI.

TITULUS. *Psalmus cantici in die sabbati.*

« Bonum est confiteri Domino. » Tractatus iste psalmus dicitur, quia monet nos bene operari, scilicet confiteri et psallere Domino: « Psalmus dico cantici, » id est, magnæ exsultationis habitæ in die sabbati, id est, in consideratione æternæ quietis, quæ significatur per sabbatum: quia in sabbato quievit Deus ab omni opere quod patravit: et illa Domini requies fuit signum illius quietis quam habituri sunt fideles post labores hujus vitæ. Præcepit quoque Dominus in lege sabbato homines quiescere, in signum ejusdem quietis æternæ: quam requiem, quia nostra natura in Christi resurrectione plene obtinuit, quasi jam rem significatam obtinentes, non feriamur in sabbato. Ostenditur quippe in hoc psalmo quoniam justi, licet in hac vita laborent, tamen obtinebunt requiem sempiternam, de quo maxime est exsultandum unicuique fidelium. Materia est justus laborans in hac vita, tandem assecuturus requiem æternæ beatitudinis: et per oppositum injustus, quiescens in hac vita, tandem laborabit in alia. Modus: In prima parte, monet bene operari, et in hac vita laborare, ut tandem exsultemus in æterna beatitudine: et ideo dicitur « Psalmus cantici, » id est, pendens ex cantico. In secunda parte, quæ incipit: « Vir insipiens, » ostenditur quod injusti, qui in hac vita, ubi laborandum est, florent et requiescunt, in alia vita damnati laborabunt. In tertia parte, quæ incipit: « Justus ut palma florebit, » ostendit requiem quam habebunt sancti post hanc vitam. Intentio est consolari contra labores hujus vitæ, per quos ad æternitatem ducimur.

Vox Prophetæ quasi ita diceret: Vos, justi, nolite desperare in laboribus hujus vitæ, sed potius confitemini, et psallite, quia « bonum est confiteri Domino, » utroque modo confessionis, scilicet et se de peccatis accusando, et Deum laudando; et post confessionem, bonum est « psallere, » id est, bene operari, non ad gloriam hominis, sed « nomini tuo, » id est, ad ampliandum nomen tuum, o « Altissime: » et ideo nomen tuum merito est ampliandum.

Dico, bonum est confiteri et psallere, « ad annuntiandum, » id est, ut possint homines annuntiare aliis « misericordiam tuam mane, » id est, in prosperitate beneficiorum vestrorum, hoc est virtutum, ut si habeant aliquas virtutes, annuntient hoc non ex se, sed ex misericordia Dei esse: « et » ad annuntiandum « veritatem tuam, » id est, justitiam tuam, « per noctem, » id est, in adversitate, id est, si habeant adversitatem, cognoscant hoc esse ex justitia Dei, qui juste pro commissis suis puniat eos.

Ostendit quomodo debeamus psallere, scilicet « in

psalterio, » id est spirituali operatione, veluti in contemplativa vita; « decachordo, » id est, complente decem precepta legis. Et bonum est psallere Domino « in cithara, » id est, in mortificatione carnis, et hoc non cum tristitia, sed « cum exsultatione. »

Ideo dico bonum est confiteri et psallere, « quia » o « Domine, delectasti me in factura tua, » id est « in » bonis « operibus » quæ tu creasti et fecisti in me: et deinceps « exsultabo » in omnibus bonis quæ sunt « manuum tuarum, » id est, tuæ operationis, quia nullus bene agit, nisi te, non ipso operante.

Et quia non tantum in me bona facis, sed etiam in ipsis bonis operibus me delectari facis, ideo merito possum dicere quia « magnificata sunt opera tua, Domine, » et « quam » sunt magnificata, ultra quam possit exprimi, et « cogitationes tuæ, » id est, dispositiones tuæ, quæ fiunt ex cogitatione et consilio, veluti quod boni tribulantur, et mali florent, « sunt factæ, nimis profundæ, » id est, inscrutabiles. Unde alibi dicitur : Judicia Dei abyssus multa. (*Psal.* XXXV.)

« Vir insipiens. » Pars secunda. Cogitationes Dei ita sunt profundæ, sed tamen « vir insipiens, » id est, qui sapiens est in sæculo et caret vera sapientia, « non cognoscet hæc » quæ dicturus sum, « et stultus, » id est, ille qui nec in Deo, nec in sæculo sapiens est, « non intelliget hæc. »

Scilicet, « cum exorti fuerint peccatores, » qui dicuntur exoriri cum in magnas divitias vel magnas veniunt potentias, « sicut fenum, » id est, comparabiles feno, quod licet ad tempus floreat et pulchrum sit, tamen cito arescit : « et apparuerint, » id est, insignes in suis potentiis, cognoscentur a multis « omnes qui operantur iniquitatem. »

Hæc non intelligent, quod cum ita « fuerint exorti, » ut, id est, qualiter « intereant in sæculum sæculi, » id est, in æternum : ipsi peribunt, « tu autem, Domine, » qui in mundo visus es humilis, permanebis « Altissimus in æternum ».

Et vere interibunt, « quoniam, » o « Domine, ecce inimici tui, » id est, gentiles « peribunt ; » vel ideo geminatur, ut rem quæ quasi incredibilis videatur, credibilem reddat. « Peribunt » dico, « et » hoc modo scilicet, « dispergentur omnes qui operantur iniquitatem ; » ad hoc quod dicit, « peribunt, » « dispergentur, » dicit cum a bonis separantur : Illi peribunt, « et cornu meum, » id est, altitudo mea, quæ est « sicut unicornis, » quia ad unum tendit, scilicet ad ipsum Deum ; unde dicitur : Unam petii a Domino, « exaltabitur, » recipiendo immortalitatem et impassibilitatem. « Et senectus mea, » id est, mea novissima, scilicet ea quæ sequuntur post hanc vitam, erit « in misericordia uberi, » id est, in abundanti remuneratione : sicut econtrario senectus impiorum erit in malitia uberi. Dico « senectus mea erit in misericordia uberi « et » jam « oculus meus » interior « despexit inimicos meos, » et cognoscens vitam illorum esse inutilem, et potentiam brevem, « et ab insurgentibus in me malignantibus, » id est, contra me, « audiet auris mea » hoc quod sequitur.

« Plantati. » Pars tertia. Scilicet « justus florebit, » in alia vita, « ut palma. » Bene palmæ justum comparat, quia sicut truncus palmæ turpis est inferius, in superiori vero sunt elatæ, pulchræ, florentes : sic justus exterius propter tribulationes in hac vita, quæ inferior est, turpis et pannosus, et contritus per multas tribulationes, in alia vero vita floresset « et multiplicabitur » ineffabili gloria æternæ beatitudinis, « sicut cedrus Libani » quæ altior crescit aliis cedris, et est imputribilis : sic justus erit quando ditabitur altitudine et immortalitate. Et bene debent ibi multiplicari, quia hic sunt « plantati in domo Domini, » id est, firmiter radicati in præsenti Ecclesia, et propter hoc « florebunt in atriis domus Dei nostri, » id est, in superna Hierusalem, quæ propter amplitudinem per atria designatur. Vel in atrio domus Dei nostri, id est, in initio cœlestis habitationis, scilicet, in ipso judicio florebunt.

Et « adhuc, » id est, præter illas justitias quas modo habent justi, « multiplicabuntur » ipsi « in senecta uberi, » id est, in novissimis, ubi erit uber et copiosa misericordia Dei, « et » interim « erunt bene patientes, » non male, sicut faciunt hypocritæ, « ut annuntient, » id est, digni sint annuntiare aliis : istud scilicet, quia Dominus Deus noster est rectus retribuendo merita cujusque, et quia post retribuere merita, et non quantum exigerent merita ipsa, addit, « et non est iniquitas in eo, » quia etiam plus reddit unicuique quam promeruisset. Vel « rectus » est dum permittit suos tribulari, ut eos in alia vita remuneret, « et non est iniquitas in eo, » in hoc quod permittit malos in hac vita florere, quos in alia æterna damnatione damnabit.

IN PSALMUM XCII.

TITULUS. *Laus cantici David, in die ante sabbatum, quando fundata est terra*, vel *inhabitata*.

« Dominus regnavit, decorem. » Ad litteram : Terra fundata fuit in sexta feria, non quod ipsa tunc formaretur, sed quia in sexta feria factus est homo, quo facto, terra fundata est, id est, stabilis et possessa : quæ inanis esset et supervacue fundata, nisi haberet hominem possessorem. Vel in sexta feria inhabitata est ab homine quando factus fuit homo, non quod de hac litterali fundatione agamus, sed de designata per istam, scilicet de recreatione hominis, facta per sanguinem Christi in sexta ætate, scilicet in tempore gratiæ, quæ sexta ætas per sextam feriam designatur : sicut post sextam feriam sabbatum sequitur, ita post sextam ætatem vera requies sequitur. Titulus sic exponitur : Tractatus iste laus cantici dicitur, id est, laudabile canticum. Canticum dicitur, quia rem proponit exsultabilem, scilicet, fundationem Ecclesiæ et alias Christi potentias multas, in quibus ipse Christus laudabilis patet; unde dicitur « laus cantici » attributa David Prophetæ, qui hic loquitur ; « Cantici dico habiti in die

ante sabbatum, » id est, in consideratione diei primi sextæ ætatis : quæ dies ideo dicitur, quia in ea veram illuminationem recipimus ; quæ ætas est ante sabbatum, id est, ante requiem æternam, « quando, » id est, qua die, scilicet, in tempore gratiæ, fundata est terra, id est, reparatus est homo, per quem fundata, et stabilis facta est terra, quod inanis esset, nisi homo repararetur, quia cum omnia ad Dei laudem facta sint, a nulla creatura terrena, nisi homo viveret, laudaretur. Materia est Christus, fundator Ecclesiæ, de qua agit per multas commendationes, utens demonstrativo genere. Prævidens Propheta Christum esse venturum in humilitate, et propter hoc contemnendum esse a Judæis, multipliciter commendat eum, ut, cum venerit, non ei derogemus, sed honorem debitum persolvamus : et hæc est intentio, ut non propter humilitatem Christum contemnamus, sed eum Deum redemptorem credamus.

Ac si ita diceret Propheta : Vos quicunque videntes Christum in humilitate, nolite despicere : quia ipse qui humilis veniet, ipse idem « Dominus regnavit, » id est, per mortem suam mortis imperium, et fortem armatum, id est, diabolum, superavit. Et postquam eum regem determinavit, de quo ageret, commendat eum, dicens : Ille qui sic regnavit, « indutus est decorem, » id est, habuit sibi unitam Deitatem ; et hæc commendatio est prima pars psalmi. Et ipse idem Dominus « indutus est fortitudinem, » id est, potentiam, quia ipse semper et potenter sustinuit, et hæc est alia pars ; « et » per hoc quod talis fuit, « præcinxit se, » id est, præparavit se ad constitutionem Ecclesiæ. Dictum est ad similitudinem operarii, qui præcinctus expeditior est ad operandum.

Et ostendit in effectu quod præcinxit se. Vere præcinxit, « etenim firmavit » in fide « orbem terræ, » id est, Ecclesiam, collectam de toto circuitu terræ ; « qui » orbis est ita firmus, quod « non commovebitur » aliqua tentatione ; et hæc commendatio est aliqua pars psalmi.

Et « ex tunc, » id est, ex quo firmasti orbem terræ, est ipsa Ecclesia « parata sedes tua » in qua tu sedes et quiescis; sedes dico per ipsam fundationem tibi paratam, et ne per hoc temporalis esse intelligeretur, ostendit æternum, cum dicit, « tu es a sæculo, » id est, ab æterno, non in sæculo factus, sed factor sæculi. Vel ita sedes tua est parata, et ex tunc a sæculo etiam tu es.

Et hæc est commendatio. Alia pars. Sed licet sic fundata esset Ecclesia, tamen « flumina, » id est, potentes hujus sæculi, « elevaverunt » o « Domine, elevaverunt flumina vocem suam, » id est, comminationem suam contra illam sanctam Ecclesiam tuam, et contradictionem suam. Quod bis dicit « elevaverunt, » notat perseverantiam ipsorum potentium contra Ecclesiam.

« Elevaverunt » etiam ipsa « flumina fluctus suos, » id est, persecutiones suas et turbationes suas contra Ecclesiam. Flumina dico concitata « a vocibus, » id est, ab admonitionibus « aquarum multarum, » id est, populorum multorum. Concitant enim sæpe minores fortiores ad persecutionem Ecclesiæ.

Et non tantum flumina elevaverunt fluctus contra Ecclesiam, sed etiam sunt factæ « elationes maris, » id est, universi populi, « mirabiles, » id est, infinitæ, intolerabiles, et « in » omnibus istis elevationibus « altis » est « mirabilis Dominus » sedando hujusmodi elevationes, vel quia non permittit fidelem suum aliqua hujusmodi tentatione devinci. Et in his tribus versibus, qui continent victoriam Christi, est quinta pars psalmi.

« Testimonia tua, » id est, prophetiæ et scripturæ aliæ, « sunt facta nimis credibilia, » id est, multum, dum quidquid in eis promissum fuit, te veniente impletum est, et hæc commendatio est sexta pars psalmi. Et etiam, o Domine « domum tuam, » id est, Ecclesiam præsentem, in qua tu habitas, « decet sanctitudo, » id est, ipsius domus est ei decens ornamentum, sicut dicitur : Regiam domum decent pallia ; et hoc « longitudine dierum, » id est, in æternum : et hæc commendatio est septima pars psalmi.

IN PSALMUM XCIII.

TITULUS. *Psalmus David quarta sabbat.*

« Deus ultionum Dominus. » Psalmus iste convenit David Prophetæ, qui hic loquitur, habitus de rebus significatis per res factas in quarta sabbati. In quarta, enim fecit Deus luminaria, per quæ significantur sancti viri lucentes in Ecclesia, de quibus in hoc psalmo agitur. Et sunt quædam tenebræ in hoc mundo, veluti quod homines non putant Deum non curare hæc terrena, cum videant a superbis viduas, pupillos, et alios homines Dei, quorum ipse Dominus in lege præceperat misereri, multis modis vexari : quæ tamen tenebræ non obtenebrant, neque obscurant luminaria sanctæ Ecclesiæ, quia boni nunquam inducuntur in hunc errorem, quod Deum putent non disponere terrena, sed mala hæc patienter sustinent, securi de remuneratione ; et semper lucent inter malos, præbentes exempla bonæ operationis, juxta quod dicitur : In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo. Materia sunt sancti, lucentes splendore virtutum inter mala hujus vitæ : et per oppositum, superbi illi qui, persequentes pauperes Dei, et tamen multiplici prosperitate florentes, causa sunt quare aliqui ducantur in errorem, et putent Deum non curare hæc terrena. In prima parte, increpat superbos illos, et comminatur eis æternum interitum. In secunda parte, quæ incipit : « Intelligite, insipientes in populo, » admonet erroneos, qui putant Deum hæc mundana non curare, ut intelligant, et justa dispositione hæc omnia ordinari cognoscant, minatur etiam eis quod quandoque arguantur, bonos vero ostendit a Deo nunquam derelinqui. In tertia parte, quæ incipit : « Quis consurget mihi, » demonstrat quod hic Deus suos adjuvat, et tandem digne remunerabit, et malis reddet secundum ini-

quitates ipsorum. Intentio est nos removere ab illo A errore, ne putemus Deum non curare.

Ac si ita diceret Propheta : Nolite putare Deum hæc mundana despicere et non disponere, quoniam « Deus ultionum Dominus » est; et ideo si eum non ordinare dicatis, puniet vos, quia ipse dominatur ultioni, per quod Christus intelligitur, cui omne judicium datum est, et ipse idem « Deus ultionum libere egit, » veluti cum vendentes de templo ejecit, et cum in omni tempore suæ militiæ immunem se a peccato custodivit.

Et tu, Christe, qui es Deus ultionum, qui humilem te ostendisti, « exaltare, » per resurrectionem, « qui judicas terram, » id est, universos de tota terra, et « redde retributionem superbis. »

Et quandoquidem superbe agunt, « usquequo, Domine, peccatores, usquequo peccatores gloriabuntur? » id est, permittis eos de malitia sua gloriari. Contra ipsam naturam videtur esse, quod et mala faciunt, et inde gloriantur; naturale enim est de malis compungi. Quod ingeminat, « usquequo peccatores, » notat assiduitatem malitiæ ipsorum.

Bene dico eos peccatores, quia ipsi peccatores « effabuntur » in manifesto, « et loquentur » inter familiares « iniquitatem, » sed « loquentur omnes qui operantur injustitiam. »

Supponit quam injustitiam, dicens, « populum tuum, Domine, humiliaverunt » contumeliis, « et hæreditatem tuam vexaverunt. »

« Viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt. » Quorum omnium in lege Dominus C præceperat misereri; vel viduam et advenam interfecerunt, et pupillum, possumus accipere allegorice.

Et cum hæc facerent, « dixerunt : Non videbit Dominus, » id est, Dominus eorum non attendet; et si etiam viderit, « non intelliget, » id est, non curabit « Deus Jacob » de istis pannosis, id est, fidelibus, non quod ipsi impii vocent eum Deum, sed hoc dicit Propheta ex se.

« Intelligite. » Pars secunda. Continuatio. Ipsi dicunt : « Dominus non videbit, » et hoc est, o vos « insipientes in populo, » id est, vos qui docetis populum sapientiam mundi, et tamen caretis vera sapientia, qui videntes superbos florere et populum Dei affligere, putatis Deum « hæc » mundana non disponere, « intelligite et » vos, « stulti, » qui, neque D in mundo sapientes estis, neque Deum judicem futurum attenditis, « aliquando, » scilicet visis miraculis, saltem « sapite » Deum hæc omnia disponere.

Bene debetis sapere Deum hæc omnia disponere, nam dicite modo : « Qui plantavit aurem, » id est qui dedit homini facultatem audiendi, « non, » id est nonne, « audiet? » Audiet utique, id est, intelliget. « Aut qui finxit oculum, » id est, qui ministravit visum, « non considerat » interiorem, sed exteriorem oculum? Faciet utique.

Et ille « qui corripit gentes » flagellis suis, « nonne arguet » impios de peccatis suis? Faciet utique. Et « qui docet hominem scientiam, » id est fidelibus suis dat veram cognitionem, nonne malos arguet? Vel, qui corripit gentes, id est, populum suum, si non parcit filiis ad correctionem, nonne gravissime arguet malos? Et ille qui docet hominem scientiam, nunquid ignorabit peccata nostra? Vos putatis eum ignorare peccata, sed certe « Dominus scit » etiam minutissimas « cogitationes hominum, » et hoc scit, « quoniam vanæ sunt. »

Cogitationes vestræ vanæ sunt, sed certe, o « Domine, beatus » est ille « homo, quem tu erudieris » virga tua, sicut pius magister discipulum, « et eum » quem tu « docueris de lege tua, » beatum dico, dando ei intellectum divinæ Scripturæ.

Ad hoc dico « docueris, » « ut mitiges ei, » id est, B ut mitigationem et patientiam ei facias, quia aliter non valebit scientia Scripturarum, nisi in eis addiscat esse patiens, ei dico presso « a diebus malis, » id est, a tribulationibus quæ in istis diebus inferuntur; « mitiges » dico, « donec fodiatur peccatori fovea; » ad litteram, scilicet quousque mortuus sepeliatur. Quandiu enim vivit, non cessat mala inferre. Vel, fodiatur peccatori fovea, id est, donec consumatur nequitia ejus : in quam sæpe incidit foveam, quia per suam nequitiam, per quam mala infert aliis, seipsum illaqueat.

Vere beatus quem tu erudieris, « quia Dominus a se non repellet plebem suam, » sed potius in angelorum societatem recipiet : « etiam in hac vita hæreditatem suam non derelinquet, » quoniam semper ei pro sua necessitate in tribulationibus assistat.

« Non derelinquet » dico, « quoadusque justitia » suorum, quæ in hac vita fuit conculcata, « convertatur in judicium, id est, quousque ipsi judicent alios. Et, ne paucos intelligeremus eos quorum justitia convertetur in judicium, dicit, « et qui juxta illam, » id est, qui sunt participes justitiæ. Alia translatio habet, « qui tenet illam, » « omnes » scilicet « qui sunt recti corde.

« Quis consurget. » Pars tertia. Continuatio. Dico quod Dominus plebem suam non derelinquet. Quis ergo erit meus defensor, et meus adjutor? Nullus equidem, nisi Deus; et hoc est : « Quis consurget mihi adversus malignantes, » id est, ad meum opus, ut me defendat a malis? « aut quis stabit mecum » D adjuvando perseverantem in certamine « adversus operantes iniquitatem? » scilicet qui mihi conferunt mala, ut me faciant patienter sustinere persecutiones eorum.

Dico « quis stabit mecum, » et tamen de viribus meis non præsumo, sed in Domino confido, nam « nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus, » id est, parum abfuit, quin « habitasset anima mea in inferno, » id est, in profunditate vitiorum, scilicet putassem quod Deus non curaret animam meam.

Dico, nisi Dominus adjuvisset, anima mea in inferno habitasset, sed cur te Dominus adjuvit? quia « si dicebam » per confessionem accusando me de peccatis, « motus est pes meus, » id est affectio mea a

via vera ad aliquod illicitum, ibi etiam, o « Domine, misericordia tua adjuvabat me » retrahendo a peccato, et me in bono opere confirmando. In hoc itaque magna consolatio nobis est, quia non tantum Deus fideles suos dum persistunt in virtute corroborat, sed etiam in lapsu visitat et confortat.

Dico, misericordia adjuvit me, quia « secundum multitudinem dolorum meorum, » id est peccatorum, de quibus doleo, « consolationes tuæ » existentes « in corde meo, lætificaverunt animam meam. »

Me lætificabis, sed malos non, et hoc est, « nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis? » id est mali, quos hic convenienti nomine nominat. Tibi dico « qui fingis laborem in præcepto, » id est, qui præcipis laborare in bonis operibus illos qui debent tibi adhærere; vel « qui fingis laborem in præcepto, ut tuum præceptum impleatur.

Ideo non adhæret tibi sedes iniquitatis, id est, ipsi mali, quia ipsi « captabunt in animam justi, » id est, frequenter volent seducere et sibi conformare « animam justi : » id est, si non possunt decipere, « condemnabunt sanguinem, » licet « innocentem. »

Ipsi captant animam justi, effundunt sanguinem, « et » hæc omnia « factus est mihi Dominus in refugium » ne cedam tribulationibus, « et » ipse « Deus meus » est factus « in adjutorium spei meæ, » id est, juvat me ab bene operandum, ut tamen requiem quam obtineo spe misericordiæ, obtineam rerum veritate.

Mihi factus est refugium, « et illis » qui effundunt sanguinem justorum, « reddet Dominus iniquitatem ipsorum, » id est, prout gesserunt, retribuet eis. Dicet aliquis : Non reddet eis mala, quia iniquitas eorum profuit sanctis; respondet : Non reddet secundum hoc quod profuit iniquitas eorum, sed secundum malam intentionem ipsorum, et hoc est quod dicit : « et in malitia eorum, » id est, malam intentionem ipsorum, « disperdet eos, disperdet illos Dominus Deus noster; » bis dicendo « disperdet, » certos nos de eorum perditione constituit.

IN PSALMUM XCIV.

Titulus. *Laus cantici ipse David.*

« Venite, exsultemus Domino. » Psalmus iste canticum dicitur, quia proponit nobis magnam exsultationem, scilicet tempus gratiæ, in quo in terram promissionis, videlicet in requiem æternam, intratur. Dicitur « laus, » quia laudabilis ille ostenditur, per quem aditus intrandi in requiem nobis præparatur : quæ laus cantici, id est, laudabile canticum, convenit David Prophetæ, qui hic loquitur. Materia est ipse Christi adventus, quo nobis æterna requies acquiritur. Modus : In prima parte, admonet Propheta secundum se Judæos specialiter, quasi unus de illis eis compatiens, ut Christum salvatorem suum venerentur et adorent, ponendo multas causas quare eum recipere debeant. In secunda parte, quæ incipit : « Nolite obdurare corda vestra, » inducit Propheta ipsum Deum commonentem ne indurarent A corda sua sicut patres eorum, sed potius cognoscant Christum visitatorem suum. Intentio sua est removere Judæos a duritia sua, et ne sibi reddant Deum iratum sicut fecerunt patres eorum.

Ac si ita commoneret eos Propheta : Vos nolite esse increduli sicut fuerunt patres vestri, sed « venite » per Christum ad fidem, et « exsultemus, » id est; cum exsultatione serviamus huic « Domino » et etiam « jubilemus Deo, » id est, quia ipse est Deus « salutari nostro, » ipsi Christo, qui nos salvat et redimit de manu diaboli : et ideo bene debemus jubilare ei.

« Jubilemus » dico, et etiam « præoccupemus faciem ejus, » aliquando venturi judicis, « in confessione, » scilicet prius confiteamur ei peccata nostra B quam ipse ad judicium veniat; « et in psalmis jubilemus ei, » id est, jucunditatem quam mente concipimus, bonis operationibus judicemus.

Ideo debemus ei jubilare et exsultare « quia » ipse est « Deus » noster, id est, creator omnium : ipse est etiam « magnus, » id est, omnipotens « Dominus, » quia omnibus dominatur : « et rex magnus super omnes deos » gentium; vel angelorum.

Et alia causa est quare debemus jubilare ei, « quia in manu, » id est, in potestate « ejus sunt omnes fines terræ, » id est, homines totius orbis : « et » ipsius sunt « altitudines, » id est, exaltationes, potentiæ, dignitates, « montium, » id est, potentium hujus vitæ. Nullus enim potest elevari in hoc sæculo, nisi eo permittente.

C Alia est causa, « quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam manus ejus fundaverunt, » ad litteram : vel allegorice, per mare possumus accipere amaricantes hujus vitæ qui Dei sunt et qui Dei permissione sæviunt, et ipse fecit illud, id est, ordinavit ipsorum malitiam; unde dicitur : Faciens pacem, et creans malum (*Isa.* XLV) : et « siccam, » id est, illos qui sunt sicci a fluctibus hujus mundi et sitientes imbrem justitiæ; unde alibi : Anima mea sicut terra sine aqua tibi (*Psal.* CXLII).

Et quia tam potens est, ergo vos Judæi, qui a Deo recessistis in regionem longinquam dissimilitudinis, « venite » passibus fidei, « adoremus, » id est, singulari veneratione Christum colamus, id est, eum D summum bonum reputemus, « et procidamus, » id est, humiliemur in concupiscentiis nostris, nos ipsos pulverem et cinerem reputemus, « et ploremus » pro peccatis nostris, non ad conspectum hominum, sicut hypocritæ, sed « ante Dominum; » et hoc debemus, quoniam ipse est ille « qui fecit nos; » ideo etiam « quia ipse est Deus noster » factus per carnem assumptam : quasi ideo hoc debemus, quia et creator et recreator noster est.

Et ideo debemus, quia « nos » sumus « populus pascuæ ejus, » quia nos reficit spiritualibus donis, et etiam corpore suo et sanguine; « et » etiam sumus « oves, » id est, simplices et innocentes, quod est « manus ejus, » id est, operatio ipsius, quia solius Dei opere innocentes possumus esse.

Dico quia estis populus et oves, hac conditione, « si audieritis vocem ejus » qui prius locutus patribus in prophetis, « hodie, » id est in hoc tempore gratiæ, quando nobis loquitur per proprium Filium. Unde Apostolus : « Quandiu hodie nominatur inter vos? » Dico et vocem ejus audieritis, tunc scilicet « nolite obdurare corda vestra. » Vel ita : Quandoquidem vos estis populus pascuæ et oves manus ejus, ergo « si vocem ejus audieritis, hodie » ut supra, « nolite obdurare corda vestra. »

Pars secunda. « Nolite obdurare, » sicut obduraverunt, patres vestri, et hoc est, « sicut in irritatione secundum diem tentationis » factæ « in deserto, » id est nolite sequi diem tentationis, ut Deum in deserto, « ubi tentaverunt me patres vestri, » cordibus dubitantes de potentia mea, et tunc probaverunt me esse Deum, et quia « probaverunt et viderunt, » audierunt « opera mea, » id est, manna plui illis, et alia multa signa feci eis.

Et quia sic me tentaverunt, ergo « fui offensus generationi illi quadraginta annis : » tot enim annis morati sunt in deserto; « et dixi » eis per Moysen et alios electos meos : « Semper isti » homines « errant » et non inscii, sed « corde, » quia in conscientiis suis errasse se intelligunt.

Et licet dixissem eis ita, « isti » tamen « non cognoverunt vias meas, » id est, non approbaverunt præcepta mea; et ideo « si introibunt in requiem meam, » id est æternam patriam significatam per terram promissionis, non erit ibi aliquis bonus, « ut » ego « juravi in ira mea, » scilicet, eos non introituros in requiem meam. Figura aposiopesis, id est, defectio orationis.

IN PSALMUM XCV.

TITULUS : *Psalmus David quando domus ædificabatur post captivitatem.*

« Cantate Domino. » Psalmus iste convenit David prophetæ qui hic loquitur, respicienti eum statum, scilicet ad tempus gratiæ; quando ædificata est domus, id est Ecclesia, post captivitatem diaboli, a quo propter peccatum captivum tenebatur genus humanum. Tangit historiam quando, post captivitatem Babyloniæ, templum Salomonis reædificatum est, non tantum de historia, sed de significato intelligimus Prophetam egisse. In hoc psalmo, est materia primus et secundus Christi adventus. Modus : in prima parte monet quascunque gentes, non tantum Judæos, sicut in præcedenti psalmo fecit : « Cantate huic Domino, qui venit ad nos » respectu primi adventus. In secunda parte, quæ incipit : « Afferte Domino, patriæ gentium; » monet non tantum cantare, sed etiam afferre, et bene operari ad gloriam hujus Domini, et hoc respectu secundi adventus. Intentio est in istis admonitionibus, scilicet ut cantemus et bene operemur ad gloriam istius Domini.

Ac si ita diceret Propheta : Nolite cantare Domino canticum vetus, ut laudetis eum pro solis bonis temporalibus, sed potius « cantate Domino canticum novum, » id est, laudate eum amore justitiæ, scilicet quia per Filium suum nobis justitiam contulit; nec dico solis Judæis, sed « cantate, omnis terra, » tam gentiles quam Judæi, cantate « Domino. »

Tertio ponens « cantate Domino » Trinitatem indicat. « Et benedicite nomini ejus. » Solum enim nomen Dei habemus, nondum etiam rem : quod nomen multum valet, non quia prolatum, sed quia creditum. Ille benedicit nomen Domini, qui bene vivendo dat aliis exemplum bene vivendi, sicut econtrario ille dicitur maledicere nomen Domini, ex quo alii trahunt sibi exemplum male vivendi. Dico, « cantate, et benedicite, » et « annuntiate salutare ejus, » ipsum Filium Dei, per quem genus humanum salvatur, et in domum Dei reædificatur, et hoc « de die in diem, » id est, assidue, vel de die, id est, de Veteri Testamento, in quo aliqua fuit illuminatio, eundo in diem, id est in Novum Testamentum; annuntiate salutare ejus, scilicet comprobate Christum regem esse et salvatorem omnium, per auctoritatem Veteris et Novi Testamenti.

Ostendit quid debeant de illo salutari annuntiare, et inter quos, cum dicit : « Annuntiate gloriam ejus » salutaris, id est, ipsum Christum gloriosum prædicate, quia Dei Filius fuit, et hoc « inter gentes, » nec dico paucas gentes, sed « in omnibus populis mirabilia ejus, » partum Virginis, qui mortuos suscitavit.

Et bene debetis ei cantare « quoniam » ipse est « magnus » secundum potentiam, « et Dominus » omnium, « et laudabilis, » secundum misericordiam : et hoc « nimis, » quia nullus potest perscrutari quanta sit potentia vel misericordia ejus. « Terribilis est » etiam timore futuri judicii « super omnes deos » quos gentes putant, et etiam super omnes creaturas angelicas deificatas.

Vere ipse est Deus terribilis super deos gentium, « quoniam omnes dii gentium dæmonia » sunt; iste « autem Dominus » de quo loquitur, « cœlos fecit » materiales, vel quoscunque altissimos viros.

Item propter hoc debetis cantare ei, quia hanc utilitatem inde habetis, confessionem et pulchritudinem, et tandem magnificentiam. Hoc dicit : « In conspectu ejus, » id est cum ipse aliquem oculo misericordiæ respicit. Inde procedit « confessio, » quia confitetur ille peccata, et deinde « pulchritudo, » id est, ornatus in multis virtutibus, et tandem « in sanctificatione ejus, » id est in sancta habitatione, scilicet cœlestis Hierusalem. Unde alia translatio dicit : « in sanctuario ejus, sanctimonia, » id est, omnis puritas. Tunc enim neque ira, neque talis motio aliqua erit in sanctis Dei, sed puritas et vera charitas regnabit; et in sanctificatione ejus erit « magnificentia, » quia tunc erunt immortales, et impassibiles, et socii angelorum.

« Afferte. » Pars secunda. Quandoquidem tanta est utilitas in conspectu ejus, ergo vos « patriæ gentium, » id est vos gentes de quacunque patria, « afferte Domino gloriam, » id est gloriosum

ostendite eum bonis operibus vestris, « et honorem, » id est gratiarum actionem de collatis beneficiis; « afferte » et « gloriam nomini ejus, » ampliando quidem nomen et famam ejus, id est, ipsi Domino gloriam conferamus. Ter ponens : « Afferte, » significat Trinitatem.

Hoc modo afferte Domino gloriam, scilicet « hostias, » id est facite vos ipsos hostias dantes passioni ad honorem Dei, « et » sic « introite in atria ejus, » id est, in collegia sanctorum, qui dicuntur atria, quia Deus in eis habitat; et « adorate Dominum in atrio sancto ejus, » id est in cœlesti habitatione.

Ego dico, « adorate, » et utinam « universa terra commoveatur » ad pœnitentiam « a facie ejus, » id est ad cognitionem ipsius, et vos commoti « dicite in gentibus, » id est, ad gentes commovendas; et dat eis materiam quid dicant, hoc scilicet, « quia Dominus regnavit » a ligno; ita dicit alia translatio : et hic habemus auctoritatem a Propheta passionis Christi.

Probat per effectum quod regnavit Dominus, dicens, « etenim correxit, » id est, corrigendo de peccatis ad justitiæ opera direxit, « orbem terræ, qui non commovebitur » a fide, aliqua tribulatione, quod ait Apostolus : Neque mors, neque vita poterunt nos separare a charitate Christi. Dicite etiam ad commovendam terram, quia iste Dominus « judicabit, » veniens secundo, « populos in æquitate, » id est unicuique reddens pro merito.

Et ideo « lætentur cœli, » id est altiores sancti, « et exsultet terra, » id est, humiliores sancti; « commoveatur mare, » id est amaricantes in hac vita præ timore futuri judicii; « et plenitudo ejus, » id est singula vita, id est homines pro singulis vitiis moveantur ad compunctionem, et quanto magis necesse est ut commoveantur, dico « lætentur; » et ita erit, quia « campi, » id est humiles et fructificantes, « gaudebunt » de puritate suæ conscientiæ; « et omnia quæ in eis sunt, » id est omnes sensus eorum, quia secundum omnes sensus et omnes virtutes, gaudebunt hic spe futuræ salvationis.

Et tunc, id est cum ipse judicabit, « exsultabunt omnia ligna silvarum, » id est gentes, quæ prius erant silvestres et incultæ, « a facie Domini, » id est propter præsentiam qua fruentur : « quia venit, » nec dico de primo adventu, sed « quia venit judicare terram.

Et ipse « judicabit orbem terræ, » id est homines collectos de toto circuitu terræ, « in æquitate, » id est singulis reddens pro meritis; « et populos » quoscunque « in veritate sua, » id est secundum hoc quod unusquisque eorum veritatem sibi commissam dispensavit. Vel orbem possumus accipere ad litteram, quem judicabit Dominus, quia veniens ad judicium, igne purgabit sordes elementorum, quas ex hominum iniquitatibus contraxerunt.

IN PSALMUM XCVI.

TITULUS : *Psalmus ipsi David, quando ei restituta est terra ejus.*

« Dominus regnavit, exsultet terra. » Psalmus iste convenit David, id est, Christo, non quod Christus hic loquatur, sed quia de eo agitur. Psalmus dico habitus, quando ei terra restituta est, id est, homines, quos perdiderat per idololatriam, ad cultum Dei sunt revocati, id est restituti Christo. Materia est Christus Ecclesiam sibi constituens. Modus : in prima parte ostendit eum Regem esse, et commendat eum multis modis, quasi utens demonstrativo genere et in eadem parte, ut eum talem adorent, non sua sculptilia. In secunda parte, quæ incipit : « Audivit, et lætata est Sion, » quasi conversos admonet ut exsultent, et odio diabolum habeant. Intendit homines ab idololatria revocare et ad cultum unius Dei permanentis in sæcula advocare.

Vox Prophetæ, quasi diceret : O vos gentes, quæ hactenus in idolorum cultura permansistis, nolite deinceps colere idola, sed solum Christum colite, quia ipse « Dominus regnavit, » id est regnum sibi et in Judæis, et gentibus acquisivit; et ideo « exsultet terra » Judæa, quæ suscepit istum Regem. « Lætentur » etiam « insulæ multæ, » id est ecclesiæ per remotissimas partes constitutæ, quæ contunduntur fluctibus hujus mundi, nec tamen submerguntur, sicut insulæ maris. Describit istum Dominum, qualis sit malis, et qualis sit bonis, dicens : « Nubes et caligo in circuitu ejus, » id est obumbrans eum, non quod in ipso remaneant, quia ipse est lux in tenebris lucens, sed ipsi habent lippientes oculos, ne possint solis claritatem intueri, et dicitur hoc ex sola similitudine alicujus rei, quæ propter nubem non posset videri. Quantum ad bonos, « justitia et judicium » est « correctio sedis ejus, » id est aliqui corriguntur, et fiunt seges ejus per judicium, id est per discretionem boni, et mali quam habent, et faciunt justitiam, quia bonum exsequuntur, et malum vitant.

Et ostendit quomodo corrigantur sui, quia « ignis, » id est charitas, quam emittit Spiritus sanctus, de quo ipse Christus ait : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat » : « præcedet ante ipsum, » id est parabit ipsi Domino. Nullus enim est dignus in quo habitet Dominus, nisi prius a Spiritu præparetur sancto; « et » ille ignis « inflammabit » amore Dei « inimicos ejus, » illos scilicet qui prius erant inimici « in circuitu, » id est ex omni parte.

Per alias partes commendat eum sic : « Fulgura ejus, » id est miracula quæ ipse fecit in mundo, « alluxerunt orbi terræ, » id est, resplenduerunt per totum mundum, et « terra vidit » hoc, id est terreni cognoverunt hoc, « et commota est » ad pœnitentiam.

Et tunc « montes, » id est potentes hujus sæculi, « fluxerunt » a vitiis suis « sicut cera, » fluxerunt; dico, montes « a facie Domini, » id est, propter cognitionem Dei, et non tantum montes, sed « omnis

terra » fluxit « a facie Dei, » id est, de universa terra homines.

Alluxerunt miracula, et « cœli, » id est sancti apostoli et prædicatores « annuntiaverunt justitiam ejus, » quomodo ipse justificat hominem; et tunc « omnes populi, » id est aliqui de omnibus populis, « viderunt gloriam ejus, » id est cognoverunt eum gloriosum esse.

Et quandoquidem ipse talis est, ergo « confundantur, » id est digni sunt confusione, « omnes qui adorant sculptilia, » id est imagines pictas, « et qui gloriantur in simulacris suis.

Vere debetis illa idola dimittere et ipsum Christum adorare, quia et ipsi angeli adorant eum, et hoc dicit sub quadam admonitione : « Omnes angeli cœlestes, adorate eum. »

Pars secunda. Ego sic admoneo adorare, et hanc admonitionem « audivit Sion, » id est, Ecclesia de Judæis « et lætata est. »

« Et » etiam « filiæ Judæ, » id est, gentiles, facti filii Christi, qui de tribu Juda fuit, vel, filiæ Judæ, id est, confessionis filiæ « exsultaverunt » de reparatione sua, quam intellexerunt esse factam per Christum; « exsultaverunt, » dico, « propter judicia tua, Domine, » scilicet cæcitas ex parte in Israel contigit, ut plenitudo gentium intraret, et alia quæcunque Dei judicia.

Ideo exsultaverunt, « quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, » id est, habitantes super omnem terram, et « exaltatus es super omnes deos » gentium, vel angelicas creaturas, et hoc « nimis » inscrutabiliter.

Et quia ipse talis est, ideo vos « qui diligitis Dominum, odite malum, » id est, adversarium istius Domini, etsi ipse corporibus possit inferre mala, tamen « Dominus custodit » contra tribulationes « animas sanctorum suorum » ne incorporentur a diabolo, et tandem « liberabit eos de manu peccatoris, » id est, de potestate diaboli.

Et debetis diligere Dominum, quia in ipso Domino, id est, in Christo « justo est orta lux, » id est, cognitio Divinitatis per fidem « et rectis corde orta est lætitia » de puritate suæ conscientiæ.

Et quia lux orta est justo, ergo vos, « justi, lætamini » non in mundanis, sed « in Domino, et confitemini memoriæ sanctificationis ejus, » id est, laudate eum, quia memor fuit ut vos sanctificaret.

IN PSALMUM XCVII.

Titulus : *Psalmus David.*

« Cantate Domino. » Psalmus iste convenit David prophetæ, qui hic loquitur. Materiam habet primum et secundum Christi adventum. Modus : in prima parte monet homines cantare Domino, respectu primi adventus, et supponit causas. In secunda parte, quæ incipit : « Jubilate Deo, omnis terra, » monet homines jubilare Deo, et actione et contemplatione agere, respectu secundi adventus. Intentio est in ipsis admonitionibus ut Deo cantemus. et licet de eis agat tantum per totum contextum, tamen psalmus iste ab alio « Cantate » divisus est :

Quasi ita diceret Propheta : Nolite Domino tantum cantare propter antiqua beneficia, scilicet quia vos de Ægypto eduxit, et alia vobis mirabilia ostendit, sed « cantate Domino canticum novum, » id est, laudate eum de reparatione facta per Filium, et bene debetis, « quia » ipse « fecit » nobis multa « mirabilia. »

Inter cætera mirabilia Dei, unum ponit insigne dicens « salvavit sibi dextera, » sicut alia translatio dicit « salvavit eum dextera ejus, et brachium sanctum ejus. » Per dexteram et brachium ejus ipsam divinitatem, scilicet Verbum Dei, accipimus, quod vocatur dextera secundum operationem, brachium, propter fortitudinem, scilicet quia in ipsa humanitate Christus quæ fecit, non aliena, sed propria sua virtute fecit. Verbum autem illud Christum salvavit, quia et immunem a peccato custodivit, et mortuum eum vita æterna suscitavit.

Et ipsum brachium, scilicet « salutare suum, » id est, Jesum, per quem salvavit genus humanum, « notum fecit Dominus » Pater, ut in Christi humanitate cognosceret divinitatem, et idem salutare « revelavit justitiam suam, » id est, non per figuras, sed manifeste demonstravit, et hoc « in conspectu gentium, » scilicet ut eum gentes per fidem cognoscerent. Idem qui vocatur salutare quia salvat genus humanum, vocatur justitia, quia homines justificat

Et per hoc quod notum fecit salutare, ille qui videbatur oblitus, differendo misericordiam, recordatus est misericordiæ suæ et veritatis suæ, « et hoc » « domui Israel, » id est, ad opus Judæorum. Idem beneficium Dei, quod vocat misericordiam, quia ex sola Dei benignitate est datum, vocat veritatem, quia in ipso completæ sunt promissiones Dei.

Et non tantum domui Israel, sed etiam omnibus gentibus; unde dicit, « termini terræ, » id est, homines positi in remotissimis finibus terræ, et hoc non in loco uno, sed « omnes viderunt, » id est, cognoverunt « salutare Dei, » facti « nostri » per assumptam humanitatem.

« Jubilate. » Pars secunda. Et quoniam recordatus est misericordiæ et alia fecit, ergo « omnis terra jubilate » huic « Domino, » id est, ineffabilem jucunditatem de ipso mente concipite; « cantate » ei etiam mente et voce, et exsultate, » id est, gaudium mentis in ipso corpore ostendite; « et psallite, » id est bene operamini operatione spiritali.

« Psallite » dico « in cithara, » id est, ut a spirituali operatione ad activam descendatis, veluti si proximum pio ac fideli amore diligatis, etiam de rebus propriis serviatis, etiam cantantes « in cithara et voce psalmi, » id est, ut ab actuali operatione ad spiritalem et contemplativam ascendatis. Sicut per citharam activam operationem, ita per psalterium et vocem psalmi spiritalem accipimus. Cantantes etiam « in tubis ductilibus » : per tubas quibus fiebat exhortatio ad bellum, vel monitio ad solemnia, intelligimus exhortationem prædicationis; ductiles erant,

quia ac puro argento erant, quod non crepabat dum malleo cuderetur, sed bene ducebatur, et dilatandum est. Ac si breviter diceret : Prædicate et exhortamini alios ad bellum, et ut agant solemnia, « et » prædicationem vestram dilatate cantantes etiam in « voce tubæ corneæ, » id est ut cornu comparabiles sitis duri, nec propter aliquam tribulationem a prædicatione veritatis cessantes. Cornu quidem ex carne excrescit in quamdam duritiem, cui bene comparantur illi qui, licet in carne fragili vivant, tamen duri ac patientes fiunt laborum. Unde Apostolus : « In carne, ambulantes non secundum, carnem militamus. »

Dixit « jubilate, » modo dicit quare faciendum sit, scilicet quia conspicitis, quasi jam præsentem videtis, ipsum Regem in judicium venientem, hoc dicit : « Jubilate in conspectu regis Domini, » et quia jam quasi veniens conspicitur, ideo « mare, » id est omnes amaricantes, « moveatur » ad pœnitentiam, « et plenitudo ejus, » id est plenitudo vitiorum sit eis causa quare potius moveantur. Moveatur et contremiscat « orbis terrarum : » ad litteram, qui etiam in adventu ipsius judicis cremabitur, « et omnes qui habitant in eo » moveantur ; hoc est quod dixerat « mare et plenitudo ejus. »

Dico « mare moveatur, flumina » autem, id est sapientes viri, qui alios potant spirituali doctrina, « plaudent manu, » id est, cum exsultatione bene operabuntur « simul, » id est tendentes in unum, scilicet ad ipsum Deum ; tenentes unam fidem, « montes » sancti in virtutibus eminentes, et bene stabiles « exsultabunt a conspectu Domini, » id est quia conspiciunt Dominum remuneratorem suum : bene dico, « a conspectu Domini quoniam » ipse Dominus jam « venit judicare terram, » id est, omnes de quacunque parte terræ, quasi in præsenti est quod judicabit.

Et ipse « judicabit orbem terræ, » id est omnes malos, de omni circuitu terræ congregatos, « in justitia » unicuique reddens pro meritis, « et populos » ad bene vivendum collectos, scilicet bonos judicâbit « in æquitate, » item illis faciens pro meritis.

IN PSALMUM XCVIII.

TITULUS : *Psalmus David.*

« Dominus regnavit, irascantur populi. » Psalmus iste convenit David prophetæ, qui hic loquitur. Materia est Christus, potens Rex. Modus : in prima parte, ostendit eum Regem, et demonstrat eum modis pluribus veneratione dignum, et admonet infideles, et maxime Judæos, ut eum venerentur. » In secunda parte, quæ incipit : « Tu parasti directiones, » ostendit quæ munera conferat suis, et supponit admonitionem, ut hunc adoremus. In tertia parte, quæ incipit : « Moyses et Aaron, » ostendit quod priores patres huic Regi servierunt, et multas utilitates inde habuerunt, et deinde supponit admonitionem, ut hunc adoremus, non novum regem sentiamus. Intendit nos a perfidia revocare et ad Christum adorandum concitare.

Quasi diceret : « Nolite » Christum contemnere, quia ipse « Dominus regnavit, » id est, devicto diabolo, regnum sibi in Judæis et gentibus obtinuit : modo deridens inimicos Christi, qui aliquando solebant irasci ei, « irascantur populi » quasi stultos se possunt reputare, qui aliquando irascebantur ei, « Dominus « dico » regnavit, qui » Dominus « sedes super cherubin » id est, quiescis super ordines angelorum, ut Dominus eorum. Item deridens inimicos ejus, dicit : « Moveatur terra, » quasi stultissimi sint, qui aliquando moti sunt contra eum omnes ordines angelorum.

Dico « Dominus regnavit, « qui « Dominus » habitavit » in Sion corporaliter, qui Dominus « magnus » fuit et miræ potentiæ : per hoc plane determinavit se de Christo dicere, quia ipse in Sion habitavit præsentia corporis, « et » iste Dominus est « excelsus super omnes populos, » quia nullus altus nisi per eum.

Et quoniam ipse talis est, « confiteantur » ergo omnes gentes « nomini tuo, » id est laudent et dilatent nomen tuum et famam tuam, nomini dico « magno, » scilicet quod ampliandum et laudandum est, « quoniam » magnum est et multum valens bene credentibus, cui confitendum est quoniam illud nomen « est terribile » impiis timore futuri judicii, « et sanctum » est bonis, quia per ipsum sunt sanctificati : et ipse Dominus « diligit judicium, » id est ut homines juste judicent, vel, « judicium, » id est quamcunque animæ discretionem, quod facere et « honor regis » est, ut rex judicium diligat, et hæc quoque est una commendatio Christi.

« Tu parasti. » Pars secunda. Continuatio : Et « tu » quidem qui talis es, « parasti directiones, » id est, homines intus per gratiam tuam aspirando præparasti ut dirigantur ad virtutes, et etiam fecisti directiones, non solum parasti, sed « judicium, » id est, ut ipsi juste discernant quid sit bonum et quid sit malum ; « et » hanc aliam discretionem, scilicet « justitiam » id est, ut bonum cognitum faciant, et malum dimittant, « fecisti, » dico, « in Jacob, » id est in fideli populo, qui benedictionem sicut Jacob accepit.

Et quia Christus exhibet hæc munera suis, ideo vos « exaltate » ipsum Christum factum « Dominum Deum nostrum » per assumptam humanitatem, « et adorate scabellum, » id est, humanitatem ipsius quæ fuit scabellum, id est, requies et sedes « pedum ejus, » id est, stabilitas divinitatis, « quoniam » illud scabellum « sanctum est, » id est, Christi humanitas ; vel sic intransitive, « scabellum pedum, » ut per pedes accipiamus ipsam humanitatem, per quam venit ad nos calceata divinitas quæ fuit scabellum, id est, prorsus subdita deitati.

« Moyses. » Pars tertia. Et bene debetis eum adorare, quia ipse non est recens Deus, sicut quidem dicunt, sed ipse est cui « Moyses et Aaron in sacer-

dotibus ejus. » Licet enim Moyses sacerdos non fuisset, tamen etiam sacerdotem eum dicit, quia et pro populo invocabat sicut et alii sacerdotes, et ipsos sacerdotes constituebat et ungebat. « Et » ipse « Samuel, » licet non fuisset de tribu Levi, unde alii sacerdotes, tamen fuit « inter eos qui invocant nomen ejus, » quia sacerdos fuit ipsius.

Isti servierunt Domino, et hoc inde commodum habuerunt, quod ipsi « invocabant Dominum, et ipse audiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos. » Ideo in nube loquebatur, quia obscurum erat quod dicebat eis; quia futurum erat, scilicet adventus Christi. Quæ nubes Christum signabat, qui est nobis umbratio et refrigerium contra æstum hæreticorum, et ipse etiam per columnam significatur, nam ipse est columna, quæ universam sustinet Ecclesiam.

Ipse loquebatur ad eos, et ipsi « custodiebant testimonia ejus, » id est, communia præcepta legis, in quibus testabatur eis quod esset faciendum « et » quid non, et singulare « præceptum » de officio sacerdotali « quod dedit illis. » Vel per testimonium possumus accipere cæremonias quas faciebant, quæ erant signa et testimonium mirabilium quæ fecerat eis Dominus : veluti cum ipsi comedebant agnum, comedebant azymos panes, tenebant in manibus baculos, signum erat et testimonium in conspectu filiorum Israel, qui hæc non viderant eductionis de Ægypto.

Ipsi custodiebant testimonia, et « tu, Domine Deus noster » factus, quia incarnatus, « exaudiebas eos » in necessitatibus eorum, « Deus, tu » etiam « propitius fuisti eis, » condonans peccata, « et ulciscens etiam aliquando in omnes adinventiones eorum, » id est, peccata quæ Deus in illis non fecit, et ipsi adinvenerunt, ut per illas ultiones corrigeres eos et probares.

Quoniam Moyses et Aaron servierunt ei et has utilitates inde habuerunt, ergo vos alii « exaltate, » id est, altum, omnipotentem bene serviendo ostendite « Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus, » id est, in Ecclesia, extra quam non est locus orationis, « quoniam sanctus » est « Dominus Deus noster. »

IN PSALMUM XCIX.

TITULUS : *Psalmus David in confessione.*

« Jubilate Deo. » Psalmus iste dicitur psalmus in confessione, quia Propheta qui hic loquitur, materiam habet utramque confessionem. Modus : in prima parte, monet nos ad confessionem laudis, scilicet ut Deum laudemus, et ponit causas quare hoc facere debeamus. In secunda, quæ incipit : « Introite portas ejus, » monet nos ad confessionem peccati, scilicet ut nos de peccatis accusemus, et eum solum medicum attendamus. Intentio est nobis quamdam generare temperantiam, scilicet ne solam nostram fragilitatem et peccata attendamus, quæ nos præcipitarent in desperationem, sed Dei beneficia et pietatem, ut per ea tollatur desperatio. Item nec solam attendamus Dei misericordiam et pietatem, quæ in nobis faceret negligentiam et elationem, sed contra nostras respiciamus miserias et fragilitates, ut propter hoc operemur et Deo placere studeamus.

Et ad confessionem laudis sic admonet : O « omnis terra, jubilate Deo, » id est, ineffabilem jucunditatem de ipso mente concipite; et « servite Domino » huic, ad laudem ipsius bene operantes : et hoc non coacti, vel cum aliqua tristitia, sed « in lætitia, hilarem enim datorem diligit Deus. »

« Introite. » Ponit causam et magnam utilitatem eorum, quare Deum laudare debeant. Continuatio. Bene debetis ei servire in lætitia, quia per hoc intratis in conspectum ejus. Hoc dicit : « Introite » ad ipsum Deum, « in conspectu ejus » mansuri « in exsultatione, » in cujus conspectu æterna lætitia fruemini, et quia ibi lætitiam habebitis, hic cum lætitia servire debetis.

« Scitote, » item propter hoc vigilare debetis, « quoniam ipse est Dominus Deus, » id est, Creator omnium, secundum primam creationem. « Ipse » etiam « fecit nos » in creatione, quæ potius valet in nobis quam etiam prima creatio; « et non ipsi » fecimus « nos, » quia nihil boni habemus ex nobis.

« Nos » etiam sumus « populus ejus, » id est, præceptis ejus instructi, ad jure vivendum collecti; « et oves, » id est, simplices et innocentes, quod ipse in vobis operatus est : oves dico « pascuæ ejus, » id est, quas ipse reficit spiritualibus bonis, et cibo corporis, et sanguinis sui, et pastu divinæ Scripturæ.

« Introite. » Pars secunda. Et quia populus ejus et oves estis, ideo « introite portas ejus in confessione, » id est, confitemini peccata vestra : et per hoc « introite portas, » id est, initia perveniendi ad veram vitam; scilicet misericordias ejus introite, et confitendo peccata vestra, intrate in « atria ejus, » id est, in collegia sanctorum apostolorum et aliorum sanctorum, scilicet conformando vos sanctis in plenitudine justitiæ, et tunc « confitemini » Domino « in hymnis, » id est, in laudibus. Tunc enim possumus Dominum laudare acceptabiliter, cum prius peccata confessi sumus.

Dico « confitemini, » nec apud vos tantum, sed « laudate » apud alios « nomen ejus, » dicentes « quoniam Dominus » iste « suavis est » et dulcis gustantibus, et « misericordia ejus » est « in æternum, » id est, ea quæ iste Dominus per misericordiam suam largitur, ducunt homines ad æternitatem. « Et veritas ejus, » id est ea quæ complent promissiones Dei, per quæ verax apparet Deus, sunt « in generatione et generationem, » id est, æterna sunt : idem accipimus per misericordiam et veritatem, sed diversis modis.

IN PSALMUM C.

TITULUS: *Psalmus ipsi David.*

« Misericordiam. » Psalmus iste est David prophetæ, qui loquitur, vel cujuscunque justi perfecti. Materiam habet perfectam conversationem, quam in seipso ostendit. Modus : in prima parte ostendit se juste vivere, et malorum consortium devitare. In alia parte, quæ incipit : « Oculi mei, » ostendit se bonorum consortio adhærere. Intendit nos per hoc ad habitum perfectæ conversationis invitare : et, antequam de hac conversatione agat, præmittit causam quare talem eligat conversationem, scilicet quia Deum attendit non tantum pium, sed etiam justum. Si enim tantummodo pium attenderet, pro nihilo laboraret, cum Deum omnia ex pietate condonare putaret : sed quia justum cognoscit, et de peccatis vindicaturum intelligit, timendum reputat, et omnibus modis placandum; et inde dicit : o Domine, ego cantabo tibi misericordiam et judicium, id est laudabo te de hoc quod tu habes facere misericordiam aliis, et judicium, quia punis pro peccatis.

Præmissa causa, incipit jam ostendere suam justitiam; ac si diceret : Quia non tantum misericordem, sed etiam judicantem intelligo, ideo « psallam, » id est, bene operabor, et per hoc venies ad me, ut in me habites. Et « quando » tu « venies ad me, » id est, te esse mei possessorem et inhabitatorem, in quo hoc « intelligam? In via immaculata, » id est, quia incedo immaculate, scilicet per bona opera incedo, et intelligo quod tu ad omnes venis inhabitandos, qui per « immaculata » opera incedunt.

Dixi « psallam, » et jam sum operatus. Et hoc dicit « perambulabam, » id est pertransivi voluntate hæc mundana, quæ in natura sui semper sunt transitoria, hoc est : non reputavi me hic habere manentem civitatem, sed semper appeto cœlestem, et hoc « in innocentia cordis mei. » Sed non tantum abstinui manus ne nocerent proximo, sed etiam voluntatem : et hoc « in medio domus meæ, » id est, congregationis fidelium, inter quos unus eram : cum dicit « in medio, » notat quod omnibus in semetipso proponebat exemplum bene operandi.

Præter hoc etiam « non proponebam ante oculos meos » interiores, aliquam « rem injustam » ut mihi placeret aliqua injustitia, sed potius « facientes » actualiter « prævaricationes, » id est aliquas offensiones contra præceptum legis « odivi. »

Et etiam « cor pravum, » id est homo pravi cordis, scilicet malevolus alicui, « licet non actu malitiam » suam exsequatur, « non adhæsit mihi, » id est, non placuit mihi, nec fuit mihi familiaris : « declinantem » vero « a me, » id est moribus meis assentire vitantem, ipsum dico propter hoc « malignum; » si apud aliquos prætendebat justitiam suam, « hunc non cognoscebam » justum esse, sicut alii putant, nec vitam ipsius approbabam.

« Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar » diligenti exhortatione, ut ab errore suo retraherem.

A Homo vero qui « superbo oculo » apparebat, « et insatiabili corde, » id est avaro, « cum hoc non edebam » cibum corporalem, vel potius spiritualem, scilicet Dominici corporis refectionem. Sunt enim manifeste isti mali a cibo bonorum separandi; unde enim Apostolus : « Cum hujusmodi nec cibum sumere. »

Pars secunda. « Oculi. » Isti non placebunt mihi, sed « oculi mei, » id est, affectiones meæ, erant « ad fideles, » non unius loci, sed « terræ, ut sedeant mecum, » id est ut similes mihi fiant et quiescant in delectatione justitiæ, sicut ego. « Ambulans » autem « in via immaculata, hic mihi ministrabat. » Sunt enim eligendi mundi et honesti viri qui ministrent in domo Domini.

B « Qui facit superbiam. » Non dico in aliqua parte domus Dei, quia mali supportantur in Ecclesia a prælatis, ut corrigantur et desistant, sed « non habitabit in medio domus meæ, » id est congregationis fidelium. Cum dicit, « in medio, » dat intelligendum quod talem non faciet sibi familiarem, nec prælatum in domo Dei constituet, a quo alii vel malum exemplum, vel malam accipiant doctrinam : non tantum « qui facit superbiam, » sed etiam « qui loquitur iniqua, » scilicet qui consuescit in maliloquio; licet his et sibi similibus directus appareat, tamen « non direxit in conspectu oculorum meorum, » scilicet ut mihi placeret.

« In matutino. » Ponit causam quare istorum fugiat societatem, quia quandoque videt eos æternaliter consortio bonorum separandos; ac si dicC ret : Ideo separabam me a talibus, quia « interficiebam, » id est interficiendo intelligebam « omnes peccatores terræ in matutino, » id est, in judicio, quando vera lux incipiet oriri bonis, non interficiendos, qui aliquando ad misericordiam possent revenire, sed « ut disperderem, » id est disperdendos cognoscerem « de civitate Domini, » id est de superna Hierusalem, « omnes operantes iniquitatem. » Non dicit qui operati sunt, sed qui in hoc persistunt : vel possumus peccatores hic accipere dæmones ipsos et suggestiones immissas a diabolo : et tunc ita continuabitur. In aliis non placebant mihi mala, sed potius in me ipso interficiebam omD nes peccatores terræ, id est omnes suggestiones mihi immissas a diabolo : et hoc in matutino, id est, in ipso initio, dum ipsæ suggestiones incipiunt oriri, scilicet, non perducebam ad actum id quod suppetebant suggestiones. Ad hoc interficiebam ut disperderem, ne deinceps radicarent de civitate Domini, id est de anima mea, quæ est munita Dei habitatio, omnes operantes iniquitatem, id est, dæmones, ne dehinc habitaculum in me haberent, qui dicuntur peccatores et operarii iniquitatis, qui causa sunt totius peccati.

IN PSALMUM CI.

TITULUS : *Oratio pauperis, cum anxiatus fuerit et coram Domino precem suam effuderit.*

« Domine, exaudi orationem meam. » Psalmus

iste dicitur oratio, quia in prima parte continet orationem, et alia quæ postponuntur causæ sunt quare sit orandum. Nominantur autem multi libri respectu primarum partium, veluti quidam liber Moysi vocatur Genesis, quia in principio exponitur generatio cœli et terræ; et hæc est oratio David prophetæ pauperis, vel alicujus veri pauperis, in hac consideratione habitus, cum precem suam ante Deum effuderit. Preces illæ dicuntur effundi coram Deo, quæ nullis cogitationibus præveniuntur, nullis omnino obstaculis diaboli impediuntur, sed pura devotione ad ipsum Deum diriguntur. Loquitur hic pauper David, vel quilibet alius, non pro una persona, sed pro singulis : pauper etiam ipse anxius propria delicta et totius humani generis miserias, et Deo preces suas humiliter deferens. Modus : in prima parte, quasi deprecatione utens, non excusat se, sed quasi reus facit orationem, et quasi miserum se confitetur, ut per hæc misericordiam moveat in judice. In secunda parte, quæ incipit : « Percussus sum ut fenum, » enumerat miserias quas patitur genus humanum. In tertia parte, quæ incipit : « Tu autem, Domine, » ostendit confidentiam quam habet, quia miseriis istis eripiatur. Et per quem? scilicet per Christum. Et filii servorum Dei cum ipso habitabunt, et semen eorum in sæculum dirigetur. Intentio est nos invitare ut sic pœniteamus, ut peccata nostra et alia deploremus.

Ab oratione sic incipit : « Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus, » id est, interior intentio, sive cum voce fiat, sive non, « ad te perveniat, » id est, nullis obstaculis impediatur quin ad tuam præsentiam conscendat.

Dico, « clamor perveniat, » et cum pervenerit, non remaneat inexauditus. Hoc dicit, « non avertas faciem tuam, » id est, præsentiam tuæ cognitionis « a me, » sed meam humilitatem et fragilitatem respice, et « inclina ad me » infirmum « aurem tuam, » id est, condescende meæ infirmitati « in quacunque die tribulor, » et hic notat se sæpe tribulari. Vix enim cessant justo tribulationes et tentationes diaboli.

Quasi diceret : Sæpe tribulor, et in tribulationibus invoco, et « in quacunque die invocavero te, velociter exaudi me. »

Et opus est ut exaudias, quia « dies » humanæ vitæ « mei » acti in peccatis et miseria, qui sunt « sicut fumus; » sicut enim fumus ex igne, et quanto magis accendit, tanto magis evanescit, ita mali actus humanæ vitæ ex ardore concupiscentiarum procedunt, et oculos cordis excæcant; et quanto magis ascendunt, tanto magis a dignitate veri luminis deficiunt. Dies, dico, « defecerunt » quia nihil veræ utilitatis attulerunt, « et » item propter hoc opus est exauditione tua, quia « ossa mea aruerunt, » animæ scilicet robora, id est, ipsa ratio aruit, id est, consentiens voluptati carnis, deficit a robore suo, scilicet a contuitione veri boni. « Sicut cremium. » In hoc maxima notatur ariditas, quod ipsa anima, A perdita pinguedine propria et illuminatione Dei, implicita multis peccatis, digna et habilis reputetur cremari.

« Percussus sum. » Pars secunda. Bene dico quod dies defecerunt, quia ego, qui eram secundum naturam et primam creationem, « ut fenum » viride et floridum, « percussus sum » a diabolo, quasi a malo falcatore, dum me et parentes meos ad peccatum impulit, per quæ perdidi virorem meum et flores justitiæ; et tunc « aruit cor meum, » carens illuminatione, gratia interiora fovente; ideo aruit, « quia oblitus sum comedere panem meum, » id est, ut contemplatione Dei, quæ esset perfecta refectio, fruerer.

Ecce incipit ostendere pœnitens iste satisfactionem pro delictis, dicens « a voce, » quasi dicat : B Ego percussus sum a diabolo, oblitus sum comedere panem meum, et ideo certe gemui, et interim quod gemitus in vocem prorupit, et deinde corpus ita maceravi quod ossa feci adhærere cuti. Hoc dicit « a voce gemitus mei, » id est propter nimium gemitum « adhæsit os meum carni meæ, » id est, cuti meæ, vel interim gemui pro peccatis meis et proximorum, quod os, id est, fortior pars corporis mei, scilicet Ecclesiæ, adhæsit, id est, condescendit condolendo et commiserando carni meæ, id est, mollioribus et infirmis de Ecclesia, sicut Apostolus dicit : Quis infirmatur, et ego non infirmor? Et « similis factus sum pelicano solitudinis » quia genus est pelicani quod habitat in stagnis, ad cujus differentiam hic C dicit « solitudinis. » Istius talis est natura quod, fugiens aliarum avium « societatem, » solitariam sibi eligat vitam, et semper macer existat. Huic comparat se pœnitens, qui loquitur secundum quædam membra sua, scilicet eremitas, qui et solitudinem eligunt, et ibi multa se macie affligunt. « Factus sum, » secundum alia membra, « sicut nycticorax » quæ habitat « in domicilio, » scilicet nec prorsus remota est. Nycticorax quædam avis est, id est, corvus nocticorax, ut alii dicunt, noctua, quæ avis sibi escam in nocte acquirit, et est valde odiosa hominibus, quia dum cantat, mortem minari intelligitur; nec prorsus remota est a conversatione hominum, nec ex toto cum eis habitat. Huic comparabitur iste generalis pauper, qui loquitur de se secun- D dum membra illa quæ nec ex toto conversationem reliquerunt, nec omnino cum eis habitat, veluti boni viri, qui in sæculo habitantes, sæculari conversationi non consentiunt; et hi sunt quasi nocturna avis, quia in nocte vigilant et orant, velut quod in die faciunt, ita est quasi in nocte fieret, quia fugiunt conspectum hominum et in abscondito faciunt bona opera sua : sunt etiam infesti hominibus, quia minantur eis mortem, cum nolunt in eis capere exemplum bene vivendi.

Similis factus sum istis, et propter hoc etiam « vigilavi, » id est, sollicitus et curiosus fui de correctione mea et proximorum, meorum. « Et factus sum sicut passer solitarius, » qui, fugitans laqueos, nidi-

ficat in tuto loco, scilicet « in tecto. » Item, secundum quosdam de corpore suo comparat se pauper iste pœnitens passeri, in tecto habitanti : quales sunt monachi et boni canonici, qui comparantur passeri, quia calidi sunt in vitandis laqueis diaboli ; et sunt solitarii, quia dimissis diversitatibus hujus sæculi, solam unionem Ecclesiæ sequuntur : qui habitant in tecto, id est, in tuto loco, scilicet in consortio bonorum, per quorum exemplum et admonitiones tuti sunt ab expugnatione inimici.

« Tota die. » Adhuc enumerat miserias quas humanum genus patitur ; quasi diceret : Ego vigilabam et talem me faciebam ; et tunc « exprobrabant » mihi inimici mei, » id est, opprobria dicebant mihi, et hoc « tota die, » id est assidue. Etiam amici ; hoc est quod dicit : « qui laudabant me, » veluti simulati amici, « adversum me jurabant. » Per simile dicit ; quia sicut aliqui, cum persistunt contra aliquem, contra eum jurant, ita isti persistunt in derisione bonorum.

Ideo exprobrabant, non quod in me malum viderent, sed « quia cinerem, » id est, minutissima peccata, quæ sunt reliquiæ majorum peccatorum ; « manducabam, » id est, consumebam « tanquam panem, » quia tantam refectionem inde habebam, quantam ex pane. Per cinerem ideo accipimus reliquias peccatorum, quia cineres sunt reliquiæ carbonum, per quos intelliguntur peccata quæ exurunt corda. « Et poculum meum cum fletu miscebam. » Ad litteram, flebat quidem justus iste, attendens has necessitates comedendi et bibendi ex peccato evenisse Adæ ; vel poculum accipiamus Dominicum calicem, qui cum lacrymis et compunctione accipiendus est.

Ideo sic faciebam, quia quasi præsentem videbam iram futuri judicii ; et hoc est : « a facie iræ tuæ, » id est, propter præsentiam futuræ iræ, in qua damnabis malos ; et a facie « indignationis, » id est, correctionis tuæ, quam in hac vita facis, non ad damnandum, sed ad purgandum prædestinatos. Et bene dico quod per indignationem corrigis, « quia elevans » me in prosperitatibus hujus vitæ, « allisisti me » multis tribulationibus. Hoc dicit pauper, qui hic loquitur non secundum omnia membra, sed secundum quædam.

Bene dico me considerare futuram iram quasi præsentem, quia « dies mei » mihi nihil utilitatis afferentes, quia dies sunt « sicut umbra, » quia hic non habetur vera illuminatio ; in qua declinatione, quæ ex peccato est, cognosco futuram iram ; dies « declinaverunt, et ego sicut fenum arui. »

« Tu autem. » Pars tertia. Ego miserias sustineo, sed « tu, Domine, in æternum permanes, et memoriale tuum, » id est, illud insigne factum, scilicet redemptio humani generis per Filium propter quam tu teneberis in memoria hominum « in generatione » præsenti duratura, « et generatione » subsequente.

A Et « tu » qui æternus es, qui videris dormisse, dum distulisti misereri, modo « exsurgens, misereberis Sion, » id est, Ecclesiæ, et secure dico « misereberis, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus, » id est, aptitudo temporis, in quo debet misereri. Ingeminando, desiderium quod habet ex illa miseratione notat. Vere « misereberis Sion », quoniam servis tuis, » id est, apostolis et aliis prædicatoribus, quorum est Ecclesiam Dei ædificare, « placuerunt lapides, » id est, vivi homines, qui sunt solidi et stabiles et in fide et in bonis operibus, et apti ut ponantur in ædificio ejus Sion, scilicet Ecclesiæ. « Et » illi servi « miserebuntur » exhortando et condolendo de peccatis, « terræ, » id est terrenorum, qui debent esse « ejus » Sion.

B Servi miserebuntur « et » per hoc « timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ, » id est, quicunque bene regunt suam terrenitatem, « timebunt gloriam tuam, » id est, te, quia gloriosum cognoscent.

Ideo timebunt, « quia Dominus ædificabit » virtutibus « Sion, » id est, Ecclesiam, « et videbitur » tandem a suis « in gloria sua, » id est in æternitate ; vel in præsenti gloria videbitur a suis, id est, agnoscetur a suis gloriosus.

Vere ædificabit, quia « respexit » et respiciet audiendo « in orationem humilium » qui nihil de se præsumunt, sicut respexit orationem publicani et pharisæi ; dico « respexit, » et etiam habuit vultum
C acceptabilem ; et hoc est, « non sprevit precem eorum. » Dicendo minus, plus intelligit ; vel, non sprevit orationem pro se factam, et non spernet precem factam pro aliis ; vel respiciet, et non ad horam, sed nunquam spernet.

Dixi quia respexit, modo dicturus quomodo respexit, scilicet per adventum Filii. Quia dicturus rem magnam est et in memoria tenendam, admonet, dicens : « Scribantur, » id est memoriæ firmiter commendentur « in generatione altera, » id est in posteris nostris, ut ipsi sciant « hæc » quæ dicturus sum ; et pro his laudabit Dominum populus qui creabitur.

Hæc scilicet scribantur, « quia » Dominus « pro-
D spexit, » scilicet illos qui procul erant a cognitione Dei, scilicet gentiles misericorditer visitavit « de excelso sancto suo, » id est, de humanitate Filii sui, quæ fuit excelsa, quia ab omni peccato immunis, et ipse « Dominus in terram aspexit, » id est illos qui culta erant terra, sicut Judæi quos propinquos visitavit ; sicut Apostolus ait Veniens, evangelizavit his qui prope erant et his qui longe (*Eph.*, II) : et hoc « de cœlo, » de ipsa scilicet humanitate Christi, in qua ipsa celata fuit divinitas.

Ad hoc prospexit « ut » per ipsum mediatorem Filium « audiret gemitus compeditorum, id est, eorum qui non lasciviunt per plateas hujus vitæ, sed sunt ligati præceptis Dei : ad hoc audiret, « ut » ipsos « filios interemptorum, » id est, patrum mor-

tuorum in peccatis, « solveret » a vinculo peccatorum pro quibus gemebant.

Ad hoc solum, « ut » ipsi soluti « annuntient in Sion, » id est, in præsenti Ecclesia, « nomen Domini, et in Hierusalem, » id est in futura, quæ est visio pacis, « annuntient laudem ejus » Domini, id est, laudabilem ostendant.

Dico annuntient, et hoc non paucis, sed « in conveniendo populos in unum, » id est congregando, id est in congregatione populorum. Vel « in conveniendo, » id est alloquendo, « populos in unum, id est ducendo eos in unam voluntatem et fidem : « et » etiam conveniendo « reges, » id est majores, ad hoc « ut serviant Domino. »

Dominus aspexit terram, et « ipsa respondit ei » vocanti, assentiens suæ vocationi, et subserviens, et ambulans « in via, » id est in præceptis Dei bona operatione : via dico « virtutis suæ, » id est in qua se ostendit virtuosam, quia nulla tribulatione ab ea separari potest; unde Apostolus : Neque mors, neque vita poterunt nos separare a charitate Dei, (*Rom.*, VIII) : respondit dico, ita dicens : Domine, « nuntia mihi, » id est, fac me intelligere « paucitatem dierum meorum, » id est brevitatem humanæ vitæ; ut ea cognita festinem ad vitam æternam.

Et me currentem ad vitam æternam « ne revoces » a cursu illo, hoc est ne subtrahas gratiam; quia tunc subsisterem ego « in dimidio dierum meorum » tantum, id est solam humanam vitam actam in temporalibus bonis haberem : quæ vita dicitur dimidia, id est imperfecta. Vel dies possumus hic accipere vitam justorum, quia in ea habetur vera illuminatio, ut sic dicatur : Ne revoces me a cursu æternæ vitæ, ut tantum sim in dimidio dierum meorum, id est ut solummodo habeam præsentem vitam justorum, quia ipsa est dimidia, id est imperfecta et inutilis, nisi æterna vita succedat. Dies mei sunt dimidii, sed « anni tui, » id est æternitas; quam designat nomine anni, non propter mutabilitatem, quæ ibi nulla est, sed propter longitudinem; sunt « in generatione » præsenti « et » durabunt in « generatione succedenti, » hoc est, æterni sunt.

« Initio tu, Domine, terram fundasti. » Bene dico quod anni tui sunt æterni, quia tu, Domine, nec initium habuisti, nec finem habebis : qui quod initium non habuisset, ostendit, cum dicit eum terram fundasse : ex quo constat quod ipse ante terram fuit, et inde dicit : « Domine, tu terram fundasti, » et hoc « initio, » id est, in prima creatione « et cœli » materiales « sunt opera manuum tuarum, » quia tu eos fecisti : sed ideo ita expresse dicit « opera manuum tuarum, » quia quod dignius opus est, ascribitur personæ artificis.

Ostendit Deum sine fine esse, quia post omnia erit, cum dicit : « Ipsi » cœli « peribunt : » non quod substantia pereat, sed qualitates mutabuntur. Hæc quidem inferiora, quæ ex nostra habitatione corrumpuntur, per ignem purgabuntur : ipsum etiam firmamentum mutabitur, quia stabile fiet, dico « cœli peribunt, tu autem, Domine, in æternum permanens. » Ostendit quomodo peribunt, dicens : « Et omnes sicut vestimentum veterascent, » quia secundum corruptionem hominum ipsa elementa corrumpuntur : veluti terra, quæ jam minus fertilis est quam prius, aer minus salubris.

« Et » tu « mutabis eos sicut opertorium » mutatur, quando recipient aliam qualitatem : et illa immutatione permanens immutatio erit, et hoc dicit : « Et mutabuntur, » id est in illa immutatione permanebunt : non erit, sicut quidam hæretici voluerunt, quod aliquando redirent elementa ad pristinam faciem, et item homines ad habitationem terræ. Ipsos mutabis, « tu autem idem es, » id est immutabilis; « ipse, » id est omnipotens : « et anni tui » in quibus tu vivis, « non deficient, » quia æterni sunt. Vel possumus cœlum et terram intelligere allegorice, ut sic dicamus : Dico, « ne revoces, » et securus sum, propter bona initia quæ tu jam fecisti, quod non revocabis : quia, o Domine, tu fundasti terram, id est, Ecclesiam, initio, id est per Filium, vel a primo justo Abel; et cœli, id est, altiores viri in Ecclesia, qui continent secreta cœlestia, sunt spiritualia opera manuum tuarum in quibus maxime appareret Dominus laudabilis. Ipsi cœli peribunt morte temporali, tu autem, Deus, permanes : et omnes illi veterascent, senescent et corrumpentur corpore, sicut vestimentum quod atteritur, et tum immutabis eos, quando indues eos incorruptione et immortalitate, sicut opertorium vetus renovatur; « et mutabuntur, » id est, illa nova immutatio permanebit in eis, tu autem idem es, et anni tui non deficient.

Anni tui sunt æterni, in qua æternitate « habitabunt filii servorum tuorum, » id est imitatores sanctorum Apostolorum; « et semen eorum, » id est bona operatio ipsorum, « dirigetur » a te de virtute in virtutem, in præsenti et « in sæculum » futurum dirigetur : quia tunc non cessabunt a laude Dei, et hic ostenditur lætus finis pœnitentium, sicut in aliis pœnitentialibus.

IN PSALMUM CII.

TITULUS : *Psalmus ipsi David.*

« Benedic. I. » Psalmus iste convenit David prophetæ, qui hic loquitur. Materiam habet laudes Dei. Modus : in prima parte, exhortatur ad laudandum Deum, propter collata beneficia. In secunda, quæ incipit : « Notas fecit vias suas, » ostendit laudes Dei in beneficiis prioribus collatis patribus. In tertia, quæ incipit : « Benedicite Domino, omnes angeli ejus, » ostendit Deum laudari ab angelis et ab omnibus creaturis. Per hæc omnia intendit nos invitare ad laudem Dei.

Ac si diceret : O « anima mea » quæ multis curis implicita es, et aliis impedimentis sæculi, dimissis omnibus istis, « benedic Domino, » id est lauda Dominum, et amplifica laudes ejus, et secundum omnes vires; et hoc dicit, « et omnia quæ intra me sunt » benedicant « nomini sancto ejus. »

Et hoc quia videt maxime faciendum, et in hoc perseverandum, ingeminat dicens : « Benedic, anima mea, Domino; » et supponit causas, dicens : « Et noli oblivisci omnes retributiones ejus, » id est beneficia quæ ipse reddit contra malefacta quæ facimus ei.

Exsequitur retributiones illas, cum dicit « qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, » scilicet condonat tibi peccata; et alia retributio, cum dicit « qui sanat omnes infirmitates tuas, » hoc est, ita stabilem te facit, ut jam tentationibus diaboli, nec aliquo gravi peccato permittit te impediri. Vel, « sanat infirmitates tuas, » quia tandem liberabit te a corruptibilitate.

Aliud item beneficium quod dicit « qui redimit » per pretium sanguinis sui « vitam tuam, » id est, ipsam animam « de interitu, » id est ne tandem æternaliter pereat : « qui » etiam « coronat te » in præsenti « in misericordia et miserationibus, » id est multis beneficiis per misericordiam collatis. Possunt hæc dici de futura vita, sic : Qui redimit, id est qui liberat de interitu vitam tuam, ne audias sententiam cum malis : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » Qui coronat te, quia ibi ornabit te misericordia et miserationibus, id est per misericordiam beneficiis datis.

Item alia retributio, cum dicit « qui replet » in hac vita « desiderium tuum in bonis, » quia multiplicat justitias tuas pro voto tuo, vel de alia vita dicatur, ubi desiderium justi in nullo fallitur, « renovabitur » etiam in hac vita, « ut aquila juventus tua. » Natura aquilæ est ut in senio tantum ei excrescat rostrum et ungues quod non possit se cibo reficere; ascendit autem et tunc adversus solem, donec pennæ suæ calore exurantur, et deinde decidat in vivam aquam, unde exiens, acuit ad petram rostrum et ungues, et postea cibum capiens, juvenescit. Ita nos occupati multis peccatis, cum tenemur in vetustate Adæ, accedimus ad Christum, qui est verus sol, cujus calore et infusione gratiæ peccata nostra exuruntur; et inde aquis baptismi lavamur, inde rostrum incurvum, id est malam consuetudinem nostram illidimus et confringimus petræ, id est Christo, cui nos conformantes, vetustatem deponimus et juvenescimus : vel possumus dicere de tali vita, ubi juventus nostra renovabitur, quando impassibilitate et immortalitate induemur.

Bene dico, replet desiderium, quia ipse est « Dominus faciens misericordias; et » etiam faciens « judicium, » id est vindictam « omnibus injuriam patientibus. » Unde Apostolus : « Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus (*Rom.* XII; *Ezech.* IX; *Deut.* XXXII). »

« Notas. » Pars secunda. Dico replet desiderium tuum, et ipse Dominus « fecit Moysi notas vias suas, » id est, præcepta sua : et per ipsum Moysen notas fecit « filiis Israel, » id est populo Judaico, « voluntates suas, » id est quid Deus vellet facere populum illum.

Et ipse « Dominus » est « miserator, » id est exhibens multos effectus misericordiæ, id est, multa beneficia quæ confert nobis sine merito nostro, « et » idem Dominus est « misericors » in natura sua; « longanimis, » quia exspectat nos diu ad pœnitentiam; « et » idem ipse est Deus « multum misericors, » quia quotidiana et innumerabilia peccata condonat nobis.

Et cum Dominus hæc beneficia faciat nobis, anne « in perpetuum irascetur nobis? Non : » quia licet in præsenti videatur iratus, dum permittit nos tribulari, tamen ira illa non erit perpetua, sed tandem eripiet nos ab omni pœna : et non tantum non irascetur, sed, quod minus est, « neque in æternum comminabitur. » Qui enim modo minatur nobis, dicens : Nisi conversi fueritis, morte moriemini, quandoque blandus et mitis apparebit nobis.

Bene dico quod Dominus longanimis sit et misericors, quia « non fecit nobis secundum peccata nostra, » scilicet originalia, ut nos damnaret, sicut peccata exigerent; « neque » etiam « retribuit nobis secundum iniquitates nostras » actuales, quæ exigerent ut nos semper in majores vitiorum profunditates dejiceret.

Bene dico « non retribuit secundum iniquitates, » « quoniam » potius contrarium fecit; « corroboravit, » id est immutabiliter dedit « misericordiam suam, » remissionem peccatorum, et alia quæcunque beneficia, « super timentes se, » id est de supernis venit illa misericordia. Vel cum dicit « super, » possumus intelligere quod amplior sit illa misericordia quam dignitas accipientium. Et hanc scilicet misericordiam dedit « secundum altitudinem cœli a terra, » quia sicut cœlum altius et dignius est quam terra, et irrigans facit eam fructiferam, ita misericordia Dei dignior quam sint illi qui recipiunt, et pluens spirituali rore, corda eorum fructificare facit.

Bene dico quod Deus « corroboravit misericordiam, » scilicet quia « longe fecit a nobis iniquitates nostras, » in tantum « quantum ortus distat ab occidente. » Bene quidem nos comparat occidenti, quia dum in peccatis fuimus, quasi occidens eramus : quia cognitione et splendore veri Solis, qui est Deus, non illuminamur; remotis vero iniquitatibus, quasi oriens facti sumus, quia jam splendore Solis justitiæ irradiamur.

Dico « longe iniquitates fecit, » et etiam postea cum deliquimus, « misertus est Dominus timentibus se, quomodo miseretur pater filiorum. » Sicut enim pater aliquando blande consolatur filios, aliquando pie voto recordationis castigat, ita Deus se timentes ideo quidem miseretur « quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, » id est, de fragili materia nos cognovit esse, quia nec per nos tentationibus possumus resistere.

Bene dico cognovit nos figmentum, quia confortando nos, « recordatus est » qui videbatur oblitus, dum nos permisit in peccatis detineri, « quoniam » secundum nos « pulvis sumus, » scilicet nos colli-

gati vinculo fidei vel charitatis, nec etiam per nos sufficientes vento diaboli, et quia « homo » est « sicut fenum, » id est res quæ cito deficit et arescit; « dies » etiam « ejus, » hominis, velut fortitudo et splendor quæ est in juventute « efflorebit, » privative dicitur, scilicet efflorebit et marcescet : « sic, » id est tam leviter, « tanquam flos agri; » vel, « efflorebit, » proprie, sed hoc transitorie : et hoc est quod dicit, « sic tanquam flos agri. »

Et recordatus est « quoniam spiritus, » id est anima spirans in ipso homine, « pertransivit in illo, » id est non permanet in eadem cognitione, sed semper transit ad diversa; sed « etiam » ille spiritus « non subsistet, » id est, non permanebit in homine, quia per mortem discedit ab omni homine; « et amplius » in hac vita « non cognoscet locum suum, » non vivificabit corpus hoc mortale.

Homo quidem sic fragilis est; « misericordia autem Domini ab æterno et usque in æternum, est » permansura « super timentes eum. »

Misericordia est super timentes eum, « et » per illam misericordiam « justitia illius » est « in filios filiorum : » et per ipsam misericordiam justificabuntur, non tantum præsentes filii, sed etiam succedentes. « Justitia illius est in filios filiorum » : non omnibus data, sed « his qui servant Testamentum ejus, » id est, his qui sollicite et bona voluntate legem Dei perscrutantur.

« Et » post inquisitionem « memores sunt mandatorum ipsius, » non tantum ad audiendum vel retinendum, sed « ad faciendum, » id est, complendum « ea. »

Dixi, Dominus misericors est et justificat; sed tamen ipse « Dominus paravit sedem suam in cœlo, » id est, in summis sanctis, in quibus sedeat judicans; « et regnum ipsius omnibus dominabitur, » quia nullus poterit resistere imperio ejus. Postquam monuit nos multis beneficiis Dei laudare ipsum, admonet etiam nos per terrorem judicii, quod mali effugere non possunt, ut a laude ipsius non desistamus.

« Benedicite Domino. » Pars tertia. Quandoquidem Dominus talis est, ergo vos, « omnes angeli ejus, benedicite » huic « Domino. » Non propter hoc utitur Propheta verbo imperationis, quia propter suum imperium laudent angeli, vel cessent a laude Dei : sed videns assidue laudare Deum, gaudens de illa laudis familiari dilectione, admonet Deum laudare, et determinat quos vocet angelos ejus, dicens : « potentes virtute; » quasi diceret : Vos, dæmones, qui irrecuperabiliter cecidistis per superbiam, non moneo Deum laudare, sed illos qui in obedientia perstiterunt, et ideo perseverant persistentes in charitate multa. Quos dicat potentes virtute, determinat, dicens : « facientes, » id est adimplentes, « verbum illius, » id est, mandatum Dei, non quod elementari voce illis præcipiatur, sed hoc faciunt quod Deum velle intelligunt. « Facientes verbum » dico « ad audiendam vocem, » id est, ad hoc ut faciant et intelligant faciendam ab omnibus vocem « sermonum ejus, » id est, mandatorum Dei; vel « facientes verbum illius, vos dico paratos et intentos ad audiendam vocem sermonum ejus, id est, ut intelligatis quid vobis præcipiat Deus.

Nec tantum moneo unum ordinem angelorum laudare Deum, sed « omnes virtutes ejus, » id est, omnes ordines angelorum, « benedicite Domino. » Licet angeli unius ordinis proprie virtutes dicantur, tamen virtutes commune nomen accipitur omnium ordinum. Vos dico, « ministri ejus qui facitis voluntatem ejus. » Complent enim angeli in terra hoc quod Deum velle intelligunt : veluti Gabriel angelus missus ad Mariam virginem (*Luc.* I).

« Benedicite Domino, omnia opera ejus, » id est, præbete mihi materiam benedicendi Dominum : et tu, « anima mea, benedic Domino, » considerans ea quæ sunt « in omni loco dominationis ejus. » Mali enim, quos exspectat per misericordiam Dominus, sunt mihi causa benedicendi Domino. Vel sub alia constructione potest legi sic : Omnia opera ejus existentia in omni loco ejus dominationis, benedicite Domino, quasi si aliquid extra dominationem ejus est, illud non sit mihi materia benedicendi Domino : et propter omnia hæc opera, « benedic, anima mea, tu Domino. »

IN PSALMUM CIII.

TITULUS : *Psalmus ipsi David.*

« Benedic. II. » Hic loquitur Propheta, et habet materiam Creatorem et universam creaturam. Ostendit enim quomodo Deus hæc creata in mundo disposuit; non tamen quod de sola materiali dispositione hic agatur, sed per istam materialem intellexit Propheta aliam spiritualem, quam facit Deus in animabus fidelium, sicut ipse in aliquibus locis innuet, quæ spiritualis dispositio hic accipitur in materia, sicut et spiritualis dispositio in anima. Modus : in prima parte, ostendit quomodo Deus disposuit cœlum materiali dispositione, et quod mystice in eo intelligamus, legendo exponemus. In secunda parte, quæ incipit : « Hoc mare magnum, » ostendit quomodo Deus disposuerit. In tertia parte, quæ incipit : « Sit gloria Domini in sæculum, » ostendit Deum laudandum propter hujuscemodi dispositionem, et admonet alios ad laudandum Deum : et hæc est sua intentio.

Ad quod ut ipse aliis in se exemplum præbeat, sic exhortatur animam suam : « Benedic, anima mea, Domino, » quasi diceret : considerans mirabilia quæ fecit Dominus, lauda eum et aliis notifica. Est autem Deus laudandus pro recreatione magis quam pro ipsa prima creatione. Modo facit apostrophen ad ipsum Deum, dicendo sic : O « Domine Deus, » bene debet te benedicere anima mea, quia tu « es magnificatus, » id est, magnus a fidelibus tuis judicatus : non enim Deus in natura sui potest vel magnificari, vel minorari, sed fidelibus suis tanto major et minor apparet, quanto magis in cognitione ipsius multiplican-

tur, et hoc « vehementer, » id est, inscrutabiliter. Nullus, quantumcunque perfectus, potest magnitudinem Dei comprehendere. Cum dicit, « Deus meus, » innuit quod ipse Deum sibi valde familiarem habet, et ideo idoneus sit qui debeat benedicere Dominum.

Bene dico quod magnificatus sis, quoniam tu, Deus, omnia creasti, et hoc est, « confessionem et decorem, » id est, creaturas istas quæ dicuntur confessio et decor, quia decorum ostendunt creatorem suum, vel quia ipsæ res, quantum ad naturam suam, quæ creatæ sunt, pulchræ et decoræ sunt. Hanc tamen confessionem « induisti, » nudus quidem et inornatus, et nulli cognitus erat Deus antequam creaturas faceret, sed eas postea induit, quia per eas cognitus et ornatus apparuit. Tu dico, « amictus B lumine, » id est, creaturis per habitationem tuam, qui verum lumen es, factus luminosus, « sicut vestimento, » quia ipsius creaturis ornaris. Allegorice, hic per confessionem possumus accipere fideles, qui Dominum confitentur et laudant. Decori sunt secundum munditiam vitæ suæ, in quo etiam decorem ejus cui serviunt maxime ostendunt : eisdem est Deus amictus, ipsis, dico, lumine, id est, luminosis, secundum cognitionem quam habent de Deo habitatore, quia sunt ornamentum Dei, sicut vestimentum alicujus hominis; unde Propheta : « Vivo ego, dicit Dominus, quia his omnibus sicut vestimento indueris. »

« Extendens cœlum. » Ostendit dispositionem cœli, per quam Deus magnificatus apparet. Dico, induisti C confessionem, tu « extendes cœlum sicut pellem; » sicut enim pellis totum animal involvit, ita cœlum totum mundum includit : tu dico, « qui tegis superiora ejus » cœli materialibus « aquis : » unde alibi (*Gen.*, I) : Aquæ super firmamentum. Allegorice, per cœlum possumus intelligere divinam Scripturam, quæ continet arcana cœlestia : quæ sicut pellis extenditur, quia nos undique munit et protegit. Cujus Scripturæ superiora teguntur aquis, quia ipsæ Scripturæ portant nobis quasi in manifesto aquas baptismi, ut in ipsis peccata deponamus, et Spiritum sanctum recipiamus. Attendendum quod litteram secundum figuram legimus, et ex aliquibus verbis allegoriam trahimus aliquando. Vel possumus accipere « superiora ejus, » Scripturæ ipsa altiora præcepta, D scilicet dilectionem Dei et proximi, quæ tegit Deus aquis, id est, replet spiritualibus gratiis.

Ostendit alias dispositiones : « extendens cœlum » dico, tu « qui ponis nubem ascensum tuum; » ad litteram ita erat, quia angelus nuntiaturus patribus nostris voluntatem Dei, in nube descendebat et ascendebat; unde in alio psalmo dicit : « In columna nubis loquebatur ad eos (*Psal.* XCVIII, *Num.* XXII). Et adhuc magnificum Deum ostendit, cum dicit : « Qui ambulas super pennas ventorum, » id est, citius perficis voluntatem tuam quam venti perficiant aliquem propositum cursum; vel quia tu Deus ubique es. Venti scribuntur pennati et a divinis poetis, propter agilitatem. Allegorice, per nubem significamus Christum et alios sanctos, per quorum conformitatem ad Deum ascendimus : per ventum pennatum, animas fideles accipimus, quæ agiles sunt, et mentis agilitate ad Deum contemplandum volant, et pennatæ sunt multis virtutibus : super quos ambulat Deus, quia et in ipsis est, et melior omnibus, et per ipsum adjuvantem ipsi promoventur.

Alia dispositio, in qua magnificus et laudabilis apparet Deus : quod dicit : « qui facis spiritus, » id est ipsas angelicas creaturas, « angelos tuos, » id est ipsos nuntios. Spiritus enim nomen est ipsius substantiæ, angelus vero nomen officii : « et ignem urentem, » id est, ipsum ordinem angelorum, scilicet seraphim, qui *ardens* interpretatur, facis « ministros, » id est per ipsos dispensas et comples voluntatem tuam in mundo. Ad allegoriam sic dicamus : Qui facis spiritus, » id est spirituales viros, angelos tuos, » quia per ipsorum « prædicationem, annuntias nobis tuam » voluntatem : et ministros tuos facis ignem urentem, id est, accensos et plenos dilectione Dei, ut etiam alios urant et accendant ad dilectionem Dei.

Ostensa creatione et dispositione cœli, ostendit terræ creationem et dispositionem, in qua similiter magnificandus cognoscitur Deus et laudabilis. Ac si diceret : Item propter hoc es magnificatus, quia tu es ille « qui fundasti terram super stabilitatem suam, » id est, stabilem et firmam eam fecisti. Stabilitatem terræ accipimus ad litteram, intelligentes ipsius gravitatem, et aeris circumfusi sustentationem : quæ terra « non inclinabitur in sæculum sæculi, id est, non destruetur. Licet enim aliquando qualitas mutetur, substantia tamen nunquam peribit. Per terram intelligimus Ecclesiam, quæ fundata est super stabilitatem suam, id est, Christum, et ipsa Ecclesia non inclinabitur in sæculum sæculi, quia nunquam aliqua violentia diaboli destruetur.

Terram fundasti, « ejus » terræ « abyssus, » scilicet Oceanus, est « amictus sicut vestimentum, » id est, undique circumdans « super montes ipsius terræ » stabunt aquæ diluvii; ascenderunt enim aquæ diluvii super altissimum montem quindecim cubitis (*Gen.* VII). Cum dicit Propheta de aquis diluvii, quæ præterierant tempore suo, quasi de futuro annuntians : « Super montes stabunt aquæ, » innuit bis se potius de significato quam de figura nunc agere, et ideo inquirimus per omnia allegoriam : et secundum hoc quod terram accipimus Ecclesiam, sic dicetur : Ecclesia non inclinabitur in sæculum sæculi, licet abyssus profundissimi, in vitiis scilicet, sint amictus ejus, hoc est vestimentum, id est, persequentes Ecclesiam, et undique eam persecutionibus circumdantes, sicut aliquis vestimento circumdatur; et non tantum super minores in Ecclesia, sed etiam super montes, id est, super majores in Ecclesia, veluti super ipsos apostolos, stabunt assidue impugnantes aquæ, id est, persecutores demergere volentes, veluti Nero, qui corporaliter Petrum et Pau-

lum occidit. Aquæ stabunt, sed ipsæ aquæ « fugient ab increpatione tua, » sicut ipsæ aquæ diluvii recesserunt et fugerunt, a Deo missis ventis increpatæ; et ipsæ aquæ « formidabunt, » id est formidantes se ostendent, recedentes in locum pristinum; « a voce tonitrui tui, » id est, propter magnum ventorum flatum. Allegorice sic : Persecutores Ecclesiæ fugient, id est, cessabunt a persecutione sua, « ab increpatione, » id est, propter admonitionem tuam increpantem eos : et formidabunt ab his quæ fecerunt, territi a voce tonitrui tui, id est, propter comminationem futiri judicii.

Dico, aquæ fugerunt; quibus fugientibus « ascendunt montes, et descendunt campi, » id est, alti apparent, non omnes in eadem altitudine, vel in eadem humilitate, sed « in locum quem fundasti eis, » prout tu disposuisti eos. Vel ad allegoriam sic : Cessantibus persecutionibus, montes, id est, prælati in Ecclesia, ascendunt, eminent et manifeste prædicabunt : et campi, id est, humiles, descendunt, id est humiliter obedient suis prælatis, et non omnes in eodem ordine, sed in locum quem fundasti eis, quia altiores sunt in Ecclesia alii quam sint alii.

Aquæ fugient, et illis « posuisti terminum » suum littora, « quem non transgredientur : » et ad quid hoc fiat ostendit, dicens : » Neque convertentur operire terram, » id est non amplius diluvium occupabit terram totam. Similiter ad allegoriam : Posuit Dominus terminum persecutoribus, quem non transgredientur, quia nulli licet insanire, nisi quantum permittit Deus; neque deinceps operient terram, id est, nulla violentia destruent Ecclesiam.

Dico, « terminum posuisti, » tu « qui emittis fontes in convallibus, » quia de montibus fluunt fontes in valles; et « aquæ » fluentes « pertransibunt » de loco ad locum « inter medium montium, » quia a nullis potest retineri cursus eorum. Similiter mystice emittit Dominus fontes, id est, doctrinas fluentes de montibus, id est, de sanctis apostolis et aliis perfectis viris in Ecclesia, in convalles, id est, humiles et simplices viros edocendos et confirmandos; et illæ aquæ, hoc est doctrinæ, pertransibunt de regione in regionem, et hoc inter medium montium, id est, superborum, quia nullo modo superbi et potentes hujus vitæ poterunt doctrinæ Dei cursum suum exstinguere. Vel « inter medium montium, » id est, sanctorum apostolorum et aliorum perfectorum, quorum auctoritatibus ipsa doctrina circumfulcitur et custoditur.

Aquæ dico ad litteram pertransibunt, et inde « potabunt omnes bestiæ agri, onagri » autem, id est silvestres asini, « in siti sua, » id est quod naturaliter habent, « exspectabunt. » Licet enim onagri sitiant naturaliter, tamen ita fatui sunt, quod videntes aquam, differunt sitim suam exstinguere. Ita allegorice de aqua, scilicet de doctrina Dei, potabunt omnes bestiæ agri, id est, agrestes et bestialiter viventes de omni genere hominum, veluti gentiles; onagri autem, id est, Judæi, pigri et fatui in siti sua, id est, licet naturaliter sitiant, et sibi promissum Messiam dicant, tamen videntes ipsum, et ejus doctrinam audientes, non exstinguunt sitim suam, quia ipsum Christum Redemptorem non credunt, sed exspectabunt converti ad ipsum usque in finem temporum.

Dico, aquæ pertransibunt inter montes, ad litteram, et « super ea, » scilicet, montes et aquas, « volucres cœli habitabunt, et dabunt voces suas de « medio petrarum. » Similiter, ad allegoriam volucres cœli, id est, spirituales viri, qui semper cœlum petunt, habitabunt super ea, quia reficient se illa cœlesti doctrina et auctoritate sanctorum montium, et sic refecti, dabunt voces suas, id est, laudes Deo, « de medio petrarum, » id est, secundum auctoritatem sanctorum apostolorum et aliorum perfectorum.

De montibus mittis fontes in convallibus : « montes » autem, ad litteram « rigans de superioribus « tuis, » id est, pluvia de cœlo veniente. Vel si hic habemus, suis, erit in superiori littera, qui emittit : et quia sic rigas montes et valles, ideo « satiabitur « terra de fructu operum tuorum, » id est, quem fructum tu operaris. Ita ad litteram : Cum montes, id est altiores in Ecclesia, compluant et irrigent inferiores sua doctrina, ipsos montes irrigat Deus propriis donis et inspirationibus suis, et per hoc, terra, id est sancta Ecclesia, satiabitur et replebitur de fructu, id est virtutibus operum tuorum, id est quas tu operaris in eis.

Bene dico « satiabitur fructu, » quia tu Deus es « producens fenum, » ad litteram, « jumentis, » id est unde jumenta pascantur, « et herbam » producens « servituti hominum, » quia pascuntur inde oves et boves, et alia pecora quæ serviunt hominibus : vel ad allegoriam ita : Ecclesia satiabitur, quia tu Deus es producens de ipsa Ecclesia fenum, id est, corporale subsidium, « servituti hominum, » id est rationabilium. Facit enim Deus ut aliqui in Ecclesia beneficiis eleemosynarum sustentent fatuos, et inutiles, et bonos, et rationales in Ecclesia : præcipitur enim nobis (*Luc.* VI *et* XI) dare eleemosynam omni petenti.

Ad litteram, quasi diceret : Adhuc tu, Deus, de terra producis fenum jumentis, etc., « ut » per hæc culta tua « educas panem, » scilicet, frumentum et talia, « de terra, » « et panis » ad hoc educitur, ut « confirmet cor hominis, » ut educas de terra vinum, « vinum cor hominis lætificet, » sicut realiter videmus potos homines vino lætari.

Et ideo producis fenum et alia prædicta facis, ut educas oleum de terra, ad hoc « ut in oleo » homo « exhilaret faciem » suam. Natura enim olei est, ut multum foveat carnem, et reddat hilarem, « et panis cor hominis confirmet. » Possumus ad allegoriam ita dicere : Tu producis fenum, hoc est corporalem sustentationem, ad hoc ut educas de terra, id est de fidelibus illis qui aliis bona sua communicant, panem, id est refectionem in contemplatione

Dei. Cum enim aliis bona sua distribuunt, se dignos efficiunt, quibus Deus cognitionem sui largiatur : et ad hoc item producis fenum, ut ipsi capiant vinum, id est, Dominicum sanguinem, et illud vinum lætificet cor hominis interius. Lætantur qui cognoscunt digne refectos Dominico poculo. Item ad hoc educit fenum, ut ipsi qui fenum ministrant, ungantur oleo, id est, Spiritu sancto : et ut exhilaret Dominus faciem eorum interiorem in oleo, id est, quia exsultantes et lætantes facit eos Dominus per inhabitantem Spiritum. Dixit superius « ut educas » panem, et panis ille cor interioris hominis confirmet : confirmantur enim bonis operibus, quibus præbet cognitionem sui.

Animalia ita beneficiis Dei satiantur, et præter hoc etiam « ligna campi » ad litteram, beneficiis Dei « saturabuntur : » ministrat enim Deus et arboribus succum, et humores alios, per quos vivunt et fructum faciunt : saturabuntur « etiam cedri « Libani quas plantavit » Dominus, quoniam digniores et pulchriores inveniuntur cunctis aliis arboribus, ideo speciale opus Dei dicuntur. « Illic, » id est in ipsis cedris « passeres nidificabunt. » Ecce nec hoc sine dispositione Dei fit.

Herodius avis dicitur, cujus habitatio in aquis est, et putatur eadem esse quæ est fulica ; unde habet alia translatio ; « fulicæ domus eorum ; » et secundum hoc dicemus ita : Passeres nidificabunt in cedris ; « eorum » passerum « est dux, » id est delectans eos et reficiens ; « domus herodii, » hoc est, aqua ad quam veniunt passeres, ut inde se reficiant et balneent ; « montes excelsi » sunt « refugium cer- « vis, » ut, quibus naturaliter placent montana, et cum venatores eos insequuntur, fugiunt ad montes ; « herinaceis, »id est, hirsuto animali, est « petra refugium. » Dicitur etiam herodius avis non aquatica, sed valde rapax et infesta hominibus, et habitat in petra ad quam refugit, et secura est, si ingruat ei necessitas : et secundum hoc dicetur, « domus herodii, » in qua habitat herodius, « dux est, » id est, securitas et defensio eorum, id est, herodiorum. Ad allegoriam ita dicemus : Non tantum illi perfecti viri pane Dei et aliis beneficiis Dei saturabuntur, sed ligna etiam campi. Alia translatio dicit : « silvæ, » id est, silvestres et inculti gentiles conversi ad Deum, « saturabuntur pane Dei » et aliis spiritualibus donis : et cedrus Libani, potentes, et alti, et candidati in dignitatibus hujus sæculi, quas Dominus plantavit, quibus Dominus dedit illas divitias, non ad superbiendum vel ad opprimendum innocentes, sed ut ostentent et defendant suis divitiis Ecclesiam. Possunt quidem divitiæ digne haberi ; unde Apostolus : Præcipe divitibus non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (*II Tim.* VI) non dixit prorsus abjiciant divitias, sed ne superbiant. Illic, id est in cedris, sub potentibus hujus vitæ, passeres, id est humiles, qui se parvi faciunt, veluti monachi et boni canonici, qui faciunt nidos, id est cellas suas in beneficiis principum et potentum Ecclesiæ patronorum ; passeres, id est humiles, illi videlicet in cedris, id est sub potentibus hujus vitæ, « nidificabunt. » Herodii autem domus, id est, aqua baptismi, est dux eorum passerum, quia ducit eos passeres ad vitam æternam, vel secundum sententiam qua diximus avem rapacem herodium, dicemus : Passeres illic nidificabunt in cedris, sed domus herodii, id est petra, quæ est Christus, dux eorum herodiorum, id est, rapacium et pecorum hujus vitæ, quos ducit Christus et regit, si ipsi ad eum convertantur. Montes excelsi, id est apostoli et alii perfecti viri, sunt cervis, id est illis hominibus qui vitant lutosa loca et spinosa, hoc est peccata, refugium, quia hi tales refugiunt ad auctoritatem apostolorum, quia per eorum exempla fidem suam custodiunt et tuentur. Herinaceis vero, id est, hirsutis et spinosis in peccatis, est petra, id est, Christus, refugium, cujus ducatu securi sunt ab impugnatione diaboli.

Præter has dispositiones, alias « fecit » Deus, « lunam » materialem, duraturam « in tempore, » id est, quandiu tempus erit, fecit « et » solem, qui « sol cognovit occasum suum, » quia per solem et lunam fecit Deus vicissitudines temporum.

Positis vicissitudinibus noctis et diei, ostendit quæ Deus disposuit facienda in nocte, et postea quæ in die. Quasi diceret : Sol cognovit occasum, quo occidente, « posuisti tenebras, » veluti prope initium noctis : « et » deinde « facta nox, id est illa major « obscuratio, » in ipsa nocte « pertransibunt om- « nes bestiæ silvæ » de loco ad locum. Est enim dispositione Dei tempus illud idoneum in quo illæ bestiæ sibi quærant victum.

Ostendit de quibus dixerat bestiis, scilicet, « catuli leonum » et ipsi leones pertransibunt, et similiter aliæ bestiæ « rugientes » et clamantes ad Deum, ad hoc pertransibunt ut « rapiant sibi escam et quærant » eam « a Deo. » Non enim habent sibi cibum, nisi Dei permissione. Puniens enim Deus alicujus pauperis delicta, permittit ovem suam vel aliquid tale a lupo consumi.

« Ortus est sol, » ostensa dispositione noctis, ostendit dispositionem diei ; quasi diceret : Ita fit in nocte, cum autem « ortus est sol, et congregati sunt » catuli leonum, « et in cubilibus suis collocabuntur. »

Orto sole, et ita bestiis collocatis « exibit homo ad opus suum et ad operationem suam » continuandam « usque ad vesperam. » Possumus ita dicere ad allegoriam : Christus factus est refugium herinaceis, id est, peccatoribus ; per hoc quod fecit lunam, id est, Ecclesiam, quæ licet crescat et decrescat sicut luna, tamen durabit in tempore. Sol, id est Christus, qui est verus sol, « cognovit occasum, » id est, præscivit mortem suam ; et per hoc mortuus fuit, quia tu, Deus, » posuisti tenebras « ignorantiæ in cordibus Judæorum, dum Christum medicum suum non cognoverunt. Et facta est nox, id est excæcatio, in cordibus ipsorum, dum Christum in

mortem dederunt, et in ipsa nocte pertransibunt A omnes bestiæ silvæ, id est dæmones late discurrent, putantes, mortuo Christo, quem videbant causam totius justitiæ, suæ potentiæ omne humanum genus derelictum fuisse. Determinat per quasdam partes quas hic accipiat bestias, cum dixit : Catuli leonum, id est, minores dæmones, et mali eorum ministri, qui pertransibunt rugientes, id est, frendentes ad aliquos devorandum : ad hoc pertransibunt, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi, scilicet aliquos quos possint sibi incorporare, et hoc « a Deo : » nullum enim nisi Dei permissione possunt devorare. Permisit autem Deus justo judicio Judam diabolo incorporari, et alios similiter. Ex morte Christi ita fuit, sed postquam ortus est sol, id est resurrexit Christus, qui quasi sol oriens mundum illuminavit, B tunc congregati sunt dæmones : non quod localiter convenissent, sed per simile dicit : quia sicut aliqui fugientes præsentiam alicujus potentis victoris, ita dæmones, qui Christi esse volebant dimissis, recesserunt ad suos ; et tunc in malitia pertinaces, « in cubilibus suis collocabuntur, » id est, quiescent in illis qui sunt proprie cubilia eorum, scilicet in illis qui obdurati et perseverantes in peccatis, nullo modo ad fidem volunt accedere : illi collocabuntur in cubilibus suis ; homo autem rationalis exibit ad opus, id est, manifeste operabitur : opus dico suum, hoc est, rationali viro congruum, videlicet bonum opus, et ad operationem suam continuandam usque ad vesperam.

Quandoquidem, o Deus, hæc omnia perfecta fecisti, et corporaliter, et spiritualiter, ergo, o « Domine, magnificata sunt opera tua, » id est mirabilia, et magnifica sunt cognita, et « quam » magnificata ineffabiliter : ideo dico magnificata, quia « in sapientia, » id est sapienter « fecisti omnia » : omnia enim ineffabili Dei providentia sunt disposita ; ideo etiam sunt magnificata, quia « terra repleta est possessione tua » multitudine habitantium.

Pars secunda. « Hoc mare magnum. » Quasi dicat : Cœlum et terram, Domine, sic disposuisti, et « hoc mare : » ita dicit, quasi præsens ostendat : mare dico « magnum » in sui natura, et « spatiosum, » id est amplum « manibus » navigandum, D in quo similiter possunt navigare multi ; « illic, » id est in hoc mari sunt « reptilia, » id est marina monstra, « quorum non est numerus » certus apud aliquem hominem.

Reptilia non possunt numerari, sed hoc unum possum de illis dicere quod illa reptilia pusilla et magna sunt : hoc est quod dicit : « animalia pusilla cum magnis : » et quamvis tot sint monstra in mari, tamen « illic naves pertransibunt » illæsæ.

In illo mari est « draco ille » mirabilis, infinitæ magnitudinis, qui Leviathan appellatur, « quem tu formasti ad illudendum ei (*Job.* III), » ad hoc ut ei illudatur. Licet enim tantus sit et voracissimus (*Isa.* XXVII), tamen ante eum naves illæsæ, Deo illum urgente, prætereunt ; « et hæc omnia » scilicet draco et animalia « exspectant a te ut des illis escam in tempore. » Vel possumus sic continuare : Tu Deus, qui fecisti æterna in sapientia, fecisti manibus tuis hoc mare. Allegorice, per mare hoc sæculum accipimus, quod est magnum et spatiosum manibus operantium, quia semper patet laborantibus : illic, id est, in hoc mari, sunt reptilia, id est, dæmones et eorum ministri, quorum non est numerus, reptilia, scilicet animalia pusilla et magna, sunt enim dæmones alii majores aliis, non substantia, sed potestate. Illic, id est in hoc mari, scilicet in mundo, pertransibunt naves, id est Ecclesiæ, quæ contunduntur hujus mundi fluctibus, tamen non submerguntur. Et alibi, id est, in hoc mundo, est draco iste, id est, principalis diabolus, scilicet, Beelzebub, qui per Leviathan significatur, quem prima creatione creasti bonum, post casum vero formasti ad illudendum, id est, illusibilem fecisti : illud enim ei etiam meretrices facient, quas in fœdis vitiis illaqueatas cum fortius tenere putat, ipsæ ab illius manibus elabuntur, et per pœnitentiam in Christi corpus traducuntur, et hæc omnia, scilicet draco, et alia exspectant a te ut des illis escam in tempore opportuno. Opportunum enim tempus habuit, cum Dominus Judam in manibus illius tradidit. Hæc omnia a te exspectant escam, et « dante te illis » escam, ipsi « colligent » tam animalia quam homines, « te » autem « aperiente manum tuam, » id est, dante te auxilium, « omnia implebuntur bonitate, » id est liberatione et auxilio, per bonitatem Dei sibi impensa ; quia neque dæmones sibi conformare homines, Deo præbente auxilium, neque ipsa animalia poterunt corporaliter nocere.

Te dante implebuntur bonitate ; at si ipsi præsumant, tu avertes te ab eis, et sic turbabuntur ; et hoc est, « avertente autem te faciem tuam, id est subtrahente gratiam, « turbabuntur, » id est, cognoscent se nihil esse, et « auferes spiritum » ab eis superbiæ, qui est « eorum, » scilicet quem non ex Deo, sed ex se habent, « et deficient » a superbia præsumptionis « et in pulverem suum revertentur, » id est, movebuntur. Vel, allegorice, revertentur in pulverem, cum redeunt ad humilitatem, et nihil ex se faciunt, sed materiam unde sunt, cinerem et pulverem esse, cognoscunt.

Ipsi moriuntur, et tu « emittis Spiritum tuum, » sanctum Spiritum, vel angelum. Canet enim tuba, vocans mortuos ad judicium, « et » tunc « creabuntur, » id est, immutabuntur, « et renovabis faciem terræ. » Vel ad allegoriam, secundum hoc quod dicimus pulverem redigi ad humilitatem, sic dicemus : Ipsi revertentur ad pulverem, id est, ad humilitatem, et tu, emitte Spiritum sanctum tuum in corda eorum, et per hoc recreabuntur ad bene operandum, et sic faciem terræ, id est mentem eorum, qui prius terrenis inhiabant, conformando, novam terram facies.

« Sit gloria. » Pars tertia. Continuatio : Quando

quidem Dominus hæc omnia operatur, ergo « sit gloria Domini in sæculum, » id est vos omnes ostendite Dominum gloriosum, et hoc non ad tempus, sed in sæculum, id est in æternum, et debetis glorificare eum, quia ipse et multa opera fecit, et ea bona, et hoc dicit : « Lætabitur Dominus in operibus suis; » ostendit esse bona opera, de quibus lætabitur Deus.

« Lætabitur in operibus suis, « his scilicet, quod in respectu ejus terra tremuit, montes fumigant, et hoc est, « qui respicit terram, » id est visitat misericorditer minores de Ecclesia, « et facit eam tremere » de peccatis : qui « tangit » etiam aliqua persecutione, vel comminatione « montes, » id est potentes, « et fumigant, » id est, lacrymosa compunctione peccata plorant.

Et quia tantus est Dominus, quidquid faciant alii, ego « cantabo Domino » voce et devotione : hoc est « in vita mea, » id est non ad horam, sed in tota vita mea. Et etiam « Psallam, « id est, bene operabor « Deo meo, » id est non ad laudem meam, sed ad honorem Dei mei : et hoc « quandiu sum. »

Et non tantum cantabo mihi, sed etiam annuntiabo aliis. Et utinam hoc tale « eloquium meum sit ei jucundum : » ei quidem erit meum eloquium jucundum, « ego vero delectabor in Domino. » Et hic notatur familiaris vicissitudo inter Deum et hominem : si enim habeat homo delectationem in Deo, et ipse Deus statim delectabitur in homine.

« Ego delectabor in Domino , » et utinam alii peccatores fiant mihi similes; et hoc est « deficiant peccatores a terra, » id est a terrenitate, ut jam terrenitatem non appetant; « et iniqui » convertantur, « ita ut non sint » quod non sint quod prius erant : et pro his omnibus beneficiis Dei, « benedic, anima mea, Domino. »

IN PSALMUM CIV.

TITULUS. *Alleluia.*

« Confitemini. » Notandum quidem quod alleluia non est vox humana, sed prophetæ et alii sancti viri, sicut beatus Joannes raptus in extasi (*Apoc.* XIX), audierunt cantantes alleluia angelos : nec potest aliqua una voce vox illa interpretari : et in hac voce alleluia continetur utrumque et nomen Dei, et laus : nec simpliciter, sed cum exsultatione. Quod dicit, IA, nomen Domini est; quod dicit ALLELU, laudem cum exsultatione designat. Cuicunque autem psalmo talis titulus præscribitur, in eo facta Dei laudabilia continentur. In hoc autem psalmo continentur laudabilia opera Dei, quæ et materia sunt psalmi. Quæ si attendamus, Deum omnium creatorem cum maxima exsultatione laudabimus, et hæc omnia beneficia fecit Deus illi populo ut per hæc omnia commoneret et invitaret eos ad quærendum eum spiritualiter, sicut in ultimo versu dicit : « Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant. » Et inde ponit admonitionem in prima parte, ut omnes moniti per hæc corporalia beneficia spiritualiter quærant Dominum. In secunda parte, quæ incipit : « Mementote mirabilium ejus, » ponit mirabilia quæ fecit Deus patriarchis. In tertia parte, quæ incipit : « Et vocavit famem, » ostendit quomodo liberavit Jacob et filios suos, præparans eis locum in Ægypto per Joseph. In quarta parte, quæ incipit : « Et firmavit eum super inimicos ejus, » ostendit mirabilia quæ fecit Ægyptiis pro liberatione populi sui. In quinta parte, quæ incipit : « Et eduxit eos cum argento et auro, » ostendit quanta virtute Dominus populum suum ab Ægypto eduxerit, et eos in terram promissionis introduxerit ; et in ultimo admonet eos ut per hæc omnia Deum quærant. Intendit homines admonere ad laudem Dei. Titulus sic legitur : Psalmus iste dicitur alleluia, hoc est talia beneficia Dei continet, pro quibus laudandus sit Deus cum exsultatione.

Vox Prophetæ sic invitantis ad laudem Dei : Vos omnes, attendentes beneficia quæ fecit Deus populo suo, « confitemini Domino, » id est laudate Dominum, « et invocate nomen ejus : » non invocate eum propter aurum vel propter divitias, sed ut sit inhabitator vestri, neque hoc etiam sufficiat vobis, sed « annuntiate inter gentes opera ejus, » id est solliciti sitis, ut de vestra; sic de salute aliorum, attendentes hoc Dei præceptum : Qui diligit eum, diligat et proximum suum.

Dico « confitemini Domino, » ita scilicet, « cantate ei » mente et voce, « et psallite ei » bona operatione. « Narrate » etiam « omnia mirabilia ejus : » non quod omnia possint narrari, sed omnia quæ narrabunt, mirabilia Dei sunt. Ad hoc respicit quod dixit : « Annuntiate inter gentes opera ejus, » et si hoc feceritis, revera laudamini, et illam laudem nolite attribuere vobis, sed « laudamini in nomine sancto ejus, » id est ut de vestra laude nomen Domini et amplietur, et gloriosum ostendatur. Et ita dico « in nomine sancto ejus, » scilicet « quærite Dominum, » non remuneratorem in temporalibus, sed ut seipsum reddat vobis pretium vestri laboris. Et hoc facite cum lætitia : et hoc est, « lætetur cor » quamvis caro molestia affligatur, mens tamen « quærentium Dominum » lætetur, « Quærite Dominum » dico, « et confirmamini » quærendo eum, ut neque mors, neque vita possit vos separare a charitate Christi (*Rom.* VIII), et hic determinat quomodo oporteat quæri, dicens : « Quærite faciem ejus semper, » id est ut hic præsentiam cognitionis ejus habeatis, et tandem facie ad faciem videatis.

« Mementote. » Pars secunda : Dico, « quærite, » et ad hoc ut quæratis « mementote mirabilium ejus quæ fecit (*Gen.* XI *et* XX), » veluti quod patres vestros Rubrum mare sicco vestigio transire fecit, et « prodigia ejus, » veluti signa quæ fecit Ægyptiis (*Exod.* IX) pro patribus illis ; « et judicia oris ejus, » id est, præcepta legis, quæ licet Moyses dixisset, non tamen sunt accipienda quasi a Moyse, sed quasi ex

ore ipsius Dei : si quis enim Dei beneficia attendat, spiritualiter quæsivit et ei in fide servivit.

Ita et vos facere debetis, vos dico « semen Abrahæ, servi ejus, » et etiam « filii Jacob, electi ejus; » et ita si vos similes Jacob fueritis inter electos Dei ponemini.

Ideo etiam mementote, quia « ipse » est « Dominus Deus noster; » et ideo, quia « judicia ejus, » id est præcepta ejus sunt notificata « in universa terra, » veluti per Christum et apostolos ipsius completum est, sicut et ipse Psalmista dicit (*Psal.* XVIII) : « In fines orbis terræ verba eorum. »

Ideo quoque mementote, quia « memor fuit » in ipsa impletione « testamenti sui » illius promissionis quam fecit Abrahæ, dicens : « Tibi dabo terram lacte et melle fluentem (*Exod.* XIII), » quæ terra figura fuit terræ viventium : quæ promissio in figura completa fuit, quando nostra humanitas in Christo veram requiem obtinuit, et per ipsum jam imitatores Abrahæ, id est justi, saltem spe eadem requie utamini, testamenti dico mansuri « in sæculum, » id est æternaliter. Fideles enim sine successione illam terram possidebunt, testamenti dico, scilicet « verbi quod » Dominus « mandavit, » id est hominibus tradidit, duraturam « in mille generationes, » id est semper, finitum nomen pro infinito. Vel, « verbi, » id est præcepti Abrahæ, cum dixit : « Exi de terra tua, et de cognatione tua (*Gen.* XII), » quod præceptum in significato, manet « in mille generationes : » ibi enim spiritualiter omnibus fidelibus præceptum est exire de terrenitate sua et blandimentis suæ cognitionis.

Testamenti dico, « quod » ipse « disposuit ad Abraham, et » memor fuit « juramenti sui, » id est firmæ, et cum juramento promissionis, id est immutabilis factæ « ad Isaac, » ubi dixit ei Dominus : « In Isaac vocabitur tibi semen (*Gen.* XXI). »

« Et illud » testamentum « statuit in Jacob, » quia eamdem promissionem fecit Jacob ita quod esset ei « in præceptum, » scilicet, ut propter illam promissionem serviret Deo, quasi per præceptum Dei, et per legem moneretur; « et Israel, » id est ipsi facto Israel, id est videns Deum multiplicatione virtutum, statuit « in testamentum æternum, » quia promissio illa et immutabilis et æterna erit fidelibus.

« Disposuit, » statuit, dicens : « Tibi dabo terram Chanaan, » id est terram promissionis, quam Chanaan filius Noe prius inhabitavit. Chanaan interpretatur descensus vel humilis : inde dicit : « Tibi dabo terram Chanaan, » id est terram quæ per humilitatem acquiritur, hoc est, cœlestem Hierusalem. Terram dico, « funiculum hæreditatis vestræ, » id est quæ dividitur singulis tribubus per funiculum : ita et terra viventium quasi funiculo distribuitur, quia unicuique secundum dispositionem Dei.

Hanc terram promisit, « cum » illi quibus promisit « essent numero brevi : » et ita brevi, quod « paucissimi, et incolæ ejus » terræ, qui quasi extranei ibi habitabant. Cum autem impossibile videretur, ut tam pauci in tanta terra dominarentur, videtur potius promissio facta de terra significata, quàm de terra illa.

« Et » licet promisisset eis, tamen illi « pertransierunt » quibus ipsa promissio facta fuit, sine illius promissionis adeptione, « de gente » una « in gentem » alteram : « et » non tantum in uno regno, sed « de » uno « regno ad populum alterum. » Ivit enim Abraham de terra Chanaan in terram Ægypti; et cum Abraham et alii, quibus illa promissio facta fuit, terram promissam non obtinerent, ut Deum dicamus veracem in promissis, de significata terra intelligamus promissionem factam maxime.

Et cum pertransirent, « non reliquit hominem nocere eis, et reges » qui voluerunt eis nocere « corripuit pro eis. » Sicut Pharaonem, qui abstulerat Abrahæ Saram (*Gen.* XX), et Abimelech, qui abstulit Isaac Rebeccam (*Gen.* XXVI).

Dicens eis regibus : « Nolite tangere christos meos : » Non quod illi haberent materialem unctionem, sed spiritualem : « et nolite malignari, » id est maligne agere « in prophetis meis. »

« Et vocavit, » Pars tertia. Hæc facit patriarchis et prophetis : « et » etiam præter hæc « vocavit famem, » quasi famulum, « super terram » Chanaan. Et per illam famem « contrivit omne firmamentum panis, » quia panis defuit qui eos confirmaret. Et hoc contigit in tempore Jacob (*Gen.* XLII).

Et ut de fame illa illos liberaret, « misit ante eos virum, » scilicet Joseph, qui « Joseph venundatus est in servum » in Ægypto (*Gen.* XXXIX).

Et tunc Ægyptii « humiliaverunt in compedibus pedes ejus, » quia uxor domini sui, qui Phutiphar dicebatur, imposuit illi crimen adulterii, ad quod impia eum cogere volebat (*Ibid.*). Licet enim hoc dicas, tamen non est contrarius Moysi. Joseph quidem placuit [principi carceris,] et præfecit eum aliis captivis, quia utrumque potuit fieri, et ut prius in compedibus poneretur, et postea carcerario complaceret. In illa captione « ferrum, » id est dura anxietas, « pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus, » id est donec exposuit somnia, ipse, tamen non ex se.

Dico, verbum ejus non ex se exposuit, sed ex Deo, et hoc est, « eloquium Domini inflammavit eum, » id est spiritus prophetiæ illuminavit eum. Et quia ita exposuit somnia, « misit rex » Pharao, « et solvit eum » a reatu (*Gen.* XLI), ne a domino suo adulterium illi imponeretur, et non quilibet rex, sed « princeps populorum » multorum, « et dimisit eum » ex toto liberorum.

Et post « constituit eum dominum domus suæ et principem omnis possessionis suæ. »

Ad hoc « ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, » id est Joseph, vel Pharaonem de divinatione somniorum, « et » etiam « senes ejus » reverendo « prudentiam doceret » eamdem, ut scirent exponere somnia. Pharao enim, non attendens quod Joseph ex divina inspiratione hoc haberet, putabat

quod ex humano ingenio hoc haberet, et alios docere posset.

Dominus misit Joseph, « et » per eum « intravit Israel in Ægyptum (*Gen.* XLVI), » id est Israeliticus populus, « et Jacob accola fuit in terra Cham » quam Cham filius Noe prius habitavit.

« Et » ibi « auxit populum suum vehementer » quantum ad numerum. Pars quarta. « Et firmavit eum super inimicos ejus, » quia invitus Ægyptiis eduxit suos Deus, et illos multis afflixit modis.

« Et convertit cor eorum » Ægyptiorum, « ut odirent populum ejus (*Exod.* I), » id est Dei, « et dolum facerent in servos ejus » vel labore aggravando, vel pretium subtrahendo.

Et quia dolum ita faciebant, ideo « misit Moysen servum suum » ad Pharaonem (*Ibid.*), « et per ipsum Aaron quem elegit. »

Et « posuit in eis, » id est in Moyse et Aaron legatis suis, « verba signorum suorum et prodigiorum in terra Cham. » Per illos legatos suos comminatus fuit Ægyptiis, quod nisi dimitterent populum suum, faceret in eis signa, velut tenebras, et alia minora, et prodigia de occisione primogenitorum, et talium.

Minatus fuit per illos signa, et complevit, quia « ipse misit tenebras » super Ægyptios (*Exod.* X), quæ etiam palpari possent, « et » sic « obscuravit. » Et hoc modo complendo, « non exacerbavit sermones suos, » id est non fecit videri acerbos et falsos : acerbi enim et rejiciendi videntur, si non prout ipse ordinaverat, implentur.

Et « convertit » etiam « aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum. »

« Et edidit terra eorum ranas » cum tanta copia, quod nec thalamus inde evacuari poterat (*Exod.* VII et VIII) : et hoc « in penetralibus regum ipsorum. »

Et ipse « dixit, » id est voluit, « et venit cynomyia, » id est musca canina « et ciniphes, » id est culices, qui intrabant in oculos ejus (*Exod.* VIII) : et hoc non in paucis locis, sed « in omnibus finibus eorum. »

Pluvias « etiam eorum posuit grandinem » et cum grandine « ignem comburentem, » id est fulmina (*Exod.* IX). « in terra ipsorum. »

Et eo igne « et grandine percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit lignum » pomos et alias arbores « finium eorum. »

« Dixit » etiam, id est voluit, « et venit locusta et brucus, cujus non erat numerus (*Exod.* X). »

Locusta et brucus « comedit omne fenum in terra eorum, et comedit omnem fructum terræ eorum » quod cynomyia et ciniphes facere non poterant.

« Et percussit omne primogenitum in terra eorum (*Exod.* XII), » id est in hominibus et aliis animalibus, « primitias omnis laboris eorum » in primitivis frugibus.

« Et eduxit populum. » Pars quinta. Et hic contra plagas, quas enumeravit Ægyptiis factas, enumerat A beneficia facta Judæis. Sic percussit Ægyptios, « et eos, » id est, suos, qui captivi ab Ægyptiis tenebantur, « eduxit » de Ægypto « cum auro et argento, » quia vasa argentea et aurea ab Ægyptiis asportaverant, quæ ab ipsis præcepto Domini erant mutuati. Noluit eam Dominus ut populus suus pretium suæ servitutis amitteret : « Et non erat in tribubus eorum infirmus, » quod valde mirabile fuit quod in tanta multitudine nullus infirmaretur.

Et tunc « Ægyptus, » id est, illi qui in Ægypto remanserant, « lætata est in profectione eorum, » postquam suos in mari periisse cognovit. Et quare lætata est? « Quia timor eorum, » scilicet Judæorum, « incubuit super eos, » id est, Ægyptios : timuerunt enim ne redirent Judæi, et omnes residuos B Ægypti occiderent.

Eduxit (*Exod.* XI), et « expandit nubem in protectionem eorum » qua protegeret eos contra solis æstum, et inimicos excæcaret : « et » ipsam nubem eamdem faciebat « ignem, ut luceret eis per noctem. »

« Petierunt » etiam carnes (*Exod.* XVI), « et venit coturnix, et pane cœli saturavit eos, » manna veniente ab aere. Manna nominat nomine significati, id est, Christi, qui vere est panis cœli, de quo pascuntur angeli : quod manna significavit hunc panem, id est, corpus Christi, quo fideles reficiuntur.

« Dirupit petram, et fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina (*Exod.* XVII), » quæ eos sequebantur per desertum.

C Hæc omnia fecit eis, non pro meritis eorum, sed « quoniam memor fuit verbi sancti sui, » id est, promissionis suæ quam Abrahæ fecerat : « verbi » dico, « quod habuit ad Abraham puerum suum, » dicens ei : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII). » Si enim omnes gentes destruxisset, promissio facta Abrahæ impleri non posset : quia Christus de Judæis natus fuit.

« Et » ideo « eduxit populum suum cum exsultatione » de loco ad locum, « et electos suos in lætitia. »

« Et dedit illis regiones gentium, » quia gentes terram promissionis possidebant : quibus fugatis, « possederunt » Judæi « labores » eorum « populorum. »

D Et hæc omnia beneficia fecit eis Deus, « ut custodiant justificationes, » id est, ut juste vivant secundum mandata « ejus, et legem ejus requirant, » id est, intelligant in figuris veteris legis vel Testamenti, aliud esse intelligendum et inquirendum.

IN PSALMUM CV.

TITULUS : *Alleluia.*

« Confitemini II. » Volunt quidam hic bis poni, « alleluia, » sed beatus Hieronymus dicit quod quicunque psalmus habet in principio, « alleluia, » in fine quoque habet « alleluia, » et ita dicemus quod alterum alleluia sit de præcedenti psalmo, alterum de sequenti. In præcedenti psalmo enumeravit bene-

ficia quæ fecit Deus filiis Israel, nulla eorum peccata enumerans : in hoc autem psalmo ostendit miserationes quas fecit Deus ipsis peccantibus : et quia de illis miserationibus laudandus est Deus, psalmus iste Alleluia intitulatur. Materia sunt ipsæ Dei misericordiæ, ipsis peccantibus exhibitæ. Attendens autem, quod loquitur conversis a peccatis, illas Dei misericordias exhibitas peccantibus : et etiam ipsum Deum quandoque vindicasse de ipsis peccantibus, invitat perversos in hac prima parte ad confessionem peccatorum, ut Dei misericordia digni inveniantur. In secunda parte, quæ incipit : « Patres nostri in Ægypto, » ostendit eos peccasse, et contra esse eis misericordiam Dei exhibitam. In tertia parte, quæ incipit : « Cito fecerunt, » ostendit quod in deserto contra Deum peccaverunt : ostendit etiam quod de quibusdam Deus se vindicavit, et tandem per Moysen placatus fuit. In quarta parte, quæ incipit : « Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, » ostendit eos idolum adorasse, et per Phineen iram Dei erga eos placatam fuisse. In quinta parte, quæ incipit : « Et irritaverunt eum, » ostendit eos sic peccasse, quod etiam secum Moysen peccare fecissent, et eos filios suos et filias suas dæmoniis immolasse, et quod Deus eos propter peccata in manus peccatorum dederit. In sexta parte, quæ incipit : « Salvos fac nos, » orat ut Deus Ecclesiam de cunctis gentibus congreget ad laudem Dei. Intendit autem quoscunque invitare ad laudem Dei, id est, cantare alleluia, et invitat perversos ad conversionem.

Et sic incipit : « Confitemini » peccata vestra « Domino, » ut consequamini veniam, « quoniam bonus est, » id est, misericors : et videte ne securi bonitate ipsius, ducamini in negligentiam confessionis, « quoniam misericordia ejus est in sæculo » tantum. Nisi enim hic conversi fueritis, misericordiam non invenietis, quia tunc est tarda pœnitentia, et non est acceptabilis.

Nec dico tantum de eo quia bonus, et in hac vita misericordia ejus, quia potentias et laudes ejus enumerare non possum; et hoc est : « Quis loquetur potentias Domini, » et quis « faciet auditas omnes laudes ejus? » Nullus utique.

Potentias et laudes nullus potest enumerare, sed hoc unum quod illi « qui custodiunt judicium, » id est, illi qui habent discretionem, quid sit bonum, quid malum, « et faciunt justitiam, » id est, qui exsequendo bona, mala deserunt : et hoc « in omni tempore, » id est, assidue, illi sunt « beati. »

Hic faciens se unum de illis, incipit orare pro illis, quasi jam conversis. Continuatio : Dico, « confitemini, » ita orantes : « Memento nostri, Domine, in beneplacito, » id est, in Filio, quem et ex solo beneplacito tuo, non ex hominum meritis, ad redemptionem hominum misisti : « beneplacito » dico « populi tui, » id est, per quem populus tuus tibi reconciliatus est; et quomodo dicat « memento » ostendit dicens : « Visita nos in salutari tuo, » id est, Filio, qui faciat salvationem quam tu prævidisti.

« Visita » dico « ad videndum in bonitate electorum tuorum, » id est, ut habeamus bonitatem illam quam habent electi tui, scilicet justitiam : et etiam « ad lætandum in lætitia gentis tuæ, » id est, ut lætemur de cognitione tui, sicut et gens tua facit : ad hoc videamus, ad hoc lætemur, « ut lauderis cum hæreditate tua, » id est, ut tu lauderis a nobis, et nos propter te laudemur, qui sumus hæreditas tua, scilicet ut videntes alii opera nostra bona glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est (*Matth.* v).

Ideo peto, « memento, visita, » quia « nos peccavimus cum patribus nostris; » id est, ubi patres nostri, ut Adam et alii, peccaverunt, nos peccavimus in eis, qui eramus in lumbis eorum. Vel, cum patribus peccavimus, id est, similibus peccatis et turpi vita Deum offendimus; « injuste egimus, » quantum ad cultum Dei; « iniquitatem fecimus, » erga proximos.

« Patres nostri. » Pars secunda. Bene dico cum patribus, quia patres nostri peccaverunt : et ipsa peccata exsequitur, dicens : « Patres nostri » habitantes « in Ægypto, non intellexerunt mirabilia tua, » id est, non attenderunt Deum has plagas immittere Ægyptiis propter liberationem populi sui, sed putabant hæc evenire per naturas rerum Ægyptiis : et, quod magis mirum est, « non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ, » id est, plagarum per multam misericordiam tuam, ut populum tuum liberares ab Ægyptiis immissarum. Si enim non attribuerent Deo, recordari deberent quia mirabilia erant.

Non fuerunt memores, « et irritaverunt » Deum « ascendentes in mare, » quia cum venissent ad mare, et hostes a tergo insequentes vidissent, putaverunt quod Deus eos ab hostibus liberare non posset, de cujus potentia dubitandum non erat, quia in Ægypto multis portentis manifesta fuerat; sed dixerunt : Ideo eduxit nos ut interficeremur, melius autem esset ut in domibus nostris moreremur. « Mare » dico « Rubrum, » et ideo hoc ponit, quia ipsa qualitas maris terrebat eos, quæ rubedo maris ex ipsius terræ qualitate procedit. « Ascendentes » dicit propter situm loci, quia Ægyptus est humilis terra; et licet irritassent, tamen « salvavit eos propter nomen suum » ampliandum, scilicet « ut notam faceret potentiam suam. »

Et ut ipsam misericordiam Dei graviorem habeamus, modum salvationis ostendit, dicens : « Et increpavit mare Rubrum, et exsiccatum est et deduxit eos in abyssis, » id est in profunditate illius maris, « sicut in deserto, » quia sicco vestigio eos transduxit (*Exod.* XIV).

Et salvavit eos de manu odientium, » id est Ægyptiorum « et redemit, » id est liberavit « eos de manu inimici, » id est de potestate Pharaonis. Dicendo, « redemit, » nomine significati de significante loquitur; per hoc enim pretium sanguinis significatur, quo

redempti sumus de manú inimici, id est diaboli.

« Et operuit aquas tribulantes eos, » scilicet Ægyptios, ita quidem quod « unus ex eis non remansit » qui non mergeretur.

« Et » tunc ipsi ita educti « crediderunt in verbo ejus, et laudaverunt laudem ejus, » id est eum propter laudabilia facta sua.

« Cito fecerunt. » Pars tertia. Crediderunt, laudaverunt, et hoc « cito fecerunt, » id est transitorie, quia « obliti sunt operum ejus » quæ in eis in omni potentia ostenderat, « et non sustinuerunt consilium ejus, » quia cum Deus vellet eis differre cibum per quoddam consilium, id est providentiam, ut probaret eos, illi non sustinuerunt, sed statim murmuraverunt.

« Et concupierunt » non solum naturalem cibum, ut panem et aquam, quæ bene possent in deserto sufficere, sed « concupiscentias, » id est delicatos cibos, scilicet aves et hujusmodi, et hoc « in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso » dubitantes de potentia ejus.

« Et » licet sic tentarent Deum, tamen « dedit eis petitionem ipsorum » et hoc usque ad plenitudinem; et hoc est, « et misit saturitatem in animas eorum (*Exod.* xv). »

« Et » tamen nondum cessaverunt, sed « irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini, » qui sanctificatus fuerat, et unctus in sacerdotem præcepto Domini, illum sacerdotem Domini nolebant suscipere, sed irritabant inde Moysen, dicentes eum non præcepto Domini hoc egisse, sed quia fratrem suum exaltare volebat (*Num.* xvi).

Et propter illam irritationem « aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron, » id est deglutivit Abiron, et suam familiam, et se super eam conclusit.

« Et in synagoga eorum, » id est in congregatione consentiente istis præceptis, ut tollerent sacerdotium ab Aaron, scilicet Chore et filiis suis, « exarsit ignis » in tantum, quod « flamma combussit peccatores. » Cum enim Chore cum illis thurificaret, ignis conversus est, et combussit eos: qui ignis signum fuit ardoris concupiscentiæ ipsorum. Invidentes enim Aaron, volebant ex se aliquem constituere sacerdotem.

« Et » propter hoc « vitulum fecerunt » conflatilem « in Oreb, » in loco illo, quando Moyses in montem ascendit ad Dominum. Coegerunt enim Judæi Aaron, ut faceret eis vitulum conflatilem (*Exod.* xxxii), et ipse consensit eis, partim coactus, partim cupiditate pecuniæ; « et adoraverunt sculptile » illud.

« Et » ita « mutaverunt gloriam suam, » id est Domini, qui erat gloria eorum, « in similitudinem vituli comedentis fenum. » Honorem debitum non attribuerunt vero vitulo, sed simulacro vituli.

Sic agendo « obliti sunt Deum, qui salvavit eos » ab Ægyptiis, « qui fecit magnalia, » id est magna facta, « in Ægypto » ad eos liberandos, et illa fuerunt facta miranda; et hoc est: « mirabilia in terra Cham » in eadem Ægypto; vel per « mirabilia » possunt intelligi beneficia quæ fecit eis Deus in Ægypto. Obliti sunt « terribilia » facta « in mari Rubro, » quia cum hostes essent in mari involuti, timere potuerunt ne sibi idem contingeret.

« Et » tunc Dominus « dixit, » id est disposuit, « ut disperderet eos, » id est dignos judicavit disperditione: et disperdidisset, « si non Moyses electus ejus stetisset in conspectu ejus « orans pro populo illo, « in confractione, » id est tempore confractionis futuræ illis. Vel, in confessione, id est humilitate, quia humiliavit se pro eis in conspectu Domini, dicens: Domine, dele me de libro tuo potius quam populum istum deleas (*Ibid.*). Sicut ergo Dominus erga illos oratione Moysi placatus est, sic est intelligendum eum singulis diebus peccatis nostris oratione fidelium placari: nec tamen per hoc divina providentia mutatur, quia sicut Dominus prævidit se placandum, sic prævidit hoc futurum oratione fidelium: et si orationes non fierent, ipse non placaretur. Et licet Moyses, ne commune exitium Dominus faceret deprecaretur, tamen ipse zelo Dei commotus, multos occidit: sicut etiam judices hodie Ecclesiæ non peccant, licet, zelo Dei commoti, de malis vindictam faciant.

« Stetisset. » Ad hoc, ut averteret iram ejus, » id est Dei, « ne disperderet eos, » id est ne faceret eis communem interitum (*Num.* xiv).

Pars quarta. « Et » licet Deus beneficia fecisset eis, tamen « desiderabilem terram, » scilicet promissionis, quam Deus promiserat, « habuerunt pro nihilo, » quia non crediderunt promissioni Dei.

« Non crediderunt verbo ejus » de promissione illa: quia reversis exploratoribus suis, cum nuntiarent terram illam satis bonam esse, et in ea viros quorum unus centum Judæorum posset occidere, « et » ideo murmuraverunt in tabernaculis suis dicentes: Quæramus ducem nobis, et revertamur in Ægyptum, melius enim esset nobis adhuc in servitute quam in pugna istorum perire (*Num.* xxvi): « non exaudierunt vocem Domini » quia dubitaverunt de terra illa quam Deus eis promiserat.

« Et » tunc Dominus « elevavit manum suam, » id est paravit se ad vindictam faciendam « super eos, ut prosterneret eos in deserto. »

« Et » non tantum eos, sed « ut dejiceret semen eorum in nationibus, » id est per diversas nationes: et ita dejiceret, ut non essent similes, quia eorum generatio superbiam generabat; sed potius « dispergeret eos in regionibus, » id est per longinquas regiones.

« Et » merito disperdiderunt (*Num.* xv), quia ipsi « initiati sunt, » passive, id est consecrati, ut alia translatio habet, « Beel, » id est idolo illi, « phegor » illius loci, scilicet Priapo, qui est deus tentiginis: phegor namque tentigo interpretatur, vel Beelphegor, id est deus tentiginis. « Vel initiati sunt » potest legi active; sic « initiati sunt, id est devoverunt se

illi idolo. « Comederunt sacrificia mortuorum, » id est idolothyta, scilicet carnem sacrificatam simulacris mortuorum.

« Et » tunc » irritaverunt eum in adinventionibus suis, » in hoc quod sunt commisti Madianitis, quia prohibitum erat ne cum extraneis mulieribus commiscerentur, quarum consilio adoraverunt Beelphegor; « et » ideo « multiplicata est in eis ruina, » quia ab ipsis multi sunt interfecti.

« Et » tunc in illo periculo « stetit Phinees » purus mente, quia non peccavit cum aliis, « et placavit » Dominum perfodiendo Judæum cum Madianite commistum. « Et » tunc « quassatio, » id est ruina, « cessavit, » scilicet quam patiebantur.

« Et reputatum est ei in justitiam in generatione et generationem usque in sempiternum; » hoc quod zelo Dei percussit *illum*, non est illi reputatum in homicidium.

« Et irritaverunt. » Pars quinta. Et licet Deus sic vindicasset in eos, ipsi tamen non cessaverunt, sed etiam ipsum Moysen secum peccare fecerunt : et hoc est, « et irritaverunt eum ad aquas contradictionis, » ubi Moyses ejecit eis aquam de petra (*Num.* xx), juxta terram promissionis, quando jurgati sunt filii Israel, dicentes quod non posset aquam de petra producere, « et vexatus est Moyses propter eos, » id est turbatus est ab illis, « quia exacerbaverunt spiritum ejus, » id est eum iratum pro sua incredulitate fecerunt et acerbum.

« Et » quia commotus fuit ab illis, « distinxit in labiis suis, » id est aliter et nimis confidenter locutus fuit ad illos quam consuevisset; veluti quidam dicunt, præsumptuose dixit : Nunquid poterimus vobis educere de petra aquam? etc. Et iterum aliud peccatum enumerat, dicens : « Non disperdiderunt gentes quas dixit, » id est præcepit, « Dominus Deus illis » ut disperderent. Præcepit enim Dominus ut disperderent illas gentes de terra Chanaan, scilicet promissionis, ne eorum consuetudinem addiscerent, et per illam ad culturam idolorum moverentur.

Non disperdiderunt, sed potius « commisti sunt inter gentes » terræ illius, « et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum, » quia Judæi offenderunt Deum. Aggravat malitiam eorum, dicens : « Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis. » Nam si isti sunt idololatræ qui hircos immolant, multo magis illi qui filios. Nec immolaverunt filios suos deprehensos in peccatis, sed « effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. »

« Et » dum ipsi ita interficerent filios suos, ipsi interius interfecti sunt : et hoc est, interfecta (infecta) est terra, » id est ipsi terreni interfecti sunt inter se « in sanguinibus, » suis : « et in » hujusmodi « operibus eorum est contaminata, » id est alii exemplo eorum sunt male operati. « Et » etiam ipsi utrique « fornicati sunt » a Deo, et adhærendo dæmoni adultero, et hoc « in adinventionibus suis » et traditionibus seniorum : quia, dimissis præceptis Dei, sequebantur traditiones suas.

« Et tunc iratus est Dominus, » id est exhibuit effectum irati « in populum suum, » et hoc « furore, » id est gravi ira, « et abominatus est hæreditatem suam, » jam non curans eos quasi hæreditatem defendere. « Et » ideo « tradidit eos in manus gentium, » quia tunc sunt a Philisthæis devicti « et dominati sunt eorum qui oderunt eos, » scilicet Philisthæi et alii.

« Et tunc tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt, » id est multum afflicti « sub manibus eorum : » Dominus tamen « sæpe liberavit eos. »

« Ipsi autem » hanc liberationem non attendentes, « exacerbaverunt eum in consilio suo, » id est consulte, « et humiliati sunt in iniquitatibus suis, » id est propter iniquitates suas sunt afflicti multis modis.

« Et cum » ipsi ita « tribularentur, vidit » Dominus, et misertus est eorum « et audivit orationem eorum, » id est liberavit eos, et quia tribulabantur, et quia clamabant ad eum. « Et memor fuit Testamenti sui, » id est promissionis factæ Abrahæ (*Gen.* xxii), in cujus semine non impleretur promissio quam Deus fecerat, nisi eos servaret. « Et pœnituit eum, » id est immutatum factum est « secundum multitudinem misericordiæ suæ, non pro meritis eorum, sed secundum misericordiam suam, quæ multa est.

« Et dedit eos in misericordias, » sicut Petrum, et Paulum, et Stephanum, et alios quibus peccata condonavit; et in eis multitudinem justitiæ multiplicavit; et hoc est, « in conspectu omnium qui ceperant eos. » Quæ enim gentes prius habuerunt Judæos captivos, modo conversæ, receperunt eos magistros, ut Petrum et alios. Vel, « in conspectu omnium qui ceperunt eos, » in conspectu dæmonum, quæ prius captivos tenebant eos.

« Salvos fac. » Pars sexta. Continuatio. Quandoquidem, o Domine, tot beneficia fecisti patribus nostris, ergo fac eadem et nobis; et hoc est, « salvos fac nos, Domine Deus noster, et congrega nos, » id est fac nos convenire in nomine fidei : « congrega » dico « de nationibus, » id est de diversis gentibus, vel, auferendo de nationibus, scilicet de imitatione gentium.

Ad hoc congrega « ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua, » ut gloriosi appareamus de hoc quod te laudamus, et tantum valet hæc optatio quantum enumeratio.

Et inde dicit, quia nos ita, Deus, congregabis, « benedictus » sit « Dominus Deus Israel, » id est benedictione incipiente « ab » hoc « sæculo, et » perdurante « in » aliud « sæculum; et populus omnis, scilicet gentilis, quia adhuc est carnalis, « dicet, Fiat, fiat, » id est, benedictus sit Deus.

IN PSALMUM CVI.

TITULUS. *Alleluia.*

« Confitemini. III. » Si habeatur aliud alleluia,

præcedentis psalmi est, secundum Hieronymum. In primo « Confitemini » ostendit beneficia facta electis Israel : in secundo misericordias quas fecit peccantibus : in hoc autem ostendit beneficia quæ fecit Deus universali Ecclesiæ, de Judæis atque gentibus de quatuor partibus mundi congregatæ ; et quia psalmus iste laudabilia Dei beneficia continet, ideo intitulatur « Alleluia. » Materia sunt ipsa beneficia. Modus : In prima parte agit de ignorantia ; ostendit quomodo Deus errantes in infidelitate peccati et ignorantia perducat in Ecclesiam suam : ex similitudine illius, qui errantes in solitudine ad civitatem reduxit. In secunda parte, quæ incipit : « Confiteantur Domino, » ostendit quomodo Deus introductos in Ecclesia satiet divino verbo, et vincula peccatorum ipsorum disrumpat, sicut si aliquis homines introductos in civitatem bene pasceret et reficeret. In tertia parte, quæ incipit a secundo « Confiteantur, » ostendit quomodo satiati per verbum divinum fastidiant aliqui, quod quidem mortale est eis quia non possunt cibum sumere, nisi Deus reficeret eos, ut jam divinum verbum eos resumere delectet. In quarta parte, quæ incipit a tertio « Confiteantur, » ostendit quomodo Deus rectores Ecclesiæ periclitantes multis tempestatibus et procellis hujus sæculi, sicut rectores navium fluctibus maris, procellam amoveat, auram immittat, et tandem in portum voluntatis deducat. In quinta parte, quæ incipit ab ultimo « Confiteantur, » ostendit justo Dei judicio Judæos esse excæcatos, et plenitudinem gentium subintrasse, et eos maximos fructus Domino reddidisse. Intentio est ut cantemus alleluia, id est, ut Deum laudemus.

Vox prophetæ sic admonentis : Attendite beneficia, quæ facit Dominus Ecclesiæ, et utroque genere confessionis « confitemini Domino, » accusantes vos de peccatis vestris, et laudantes Deum pro multitudine beneficiorum suorum : et debetis confiteri « quoniam » ipse est « bonus, » id est misericors, et condonat peccata confitentibus : et hoc facite in præsenti, dum tempus est miserendi, « quoniam misericordia ejus » est « in sæculum, » id est in hac vita est locus misericordiæ, post hanc restat judicium.

Ego moneo vos confiteri et hoc idem quod dico ego, « dicant » omnes alii « qui redempti sunt a Domino, » scilicet, exhortentur alios confiteri et Deum laudare. Et bene debetis hoc dicere, quia hi sunt « quos redemit » Dominus prætioso sanguine Filii sui « de manu inimici, » id est de potestate diaboli : nec pauci redempti, sed « eos congregavit » Dominus in unione fidei « de regionibus » diversis.

Bene dico, « de regionibus, » quia congregati sunt a « solis ortu, » id est ab orientali regione, « et occasu, ab aquilone, » id est a septentrione, « et mari, » id est a merediana plaga. Per mare, quod est in circuitu universæ terræ, quamlibet mundi partem possumus designare.

Ostendit unde eos redemit ; quasi diceret : Bene dico quod eos redemit, quia ipsi « erraverunt, » dæmonibus et non Deo obedientes ; « in solitudine, » id est soli a Deo, scilicet manentes in infidelitate ; « et » etiam « in inaquoso, » id est in siccitate et ariditate divinæ doctrinæ, scilicet non habebant qui eos perfunderet, et irrigaret, et fructificaret rore cœlestis doctrinæ : et quia erant in solitudine et sine doctrina, ideo « non invenerunt viam civitatis » per quam possent accedere ad civitatem : non dico qualemcunque civitatem, sed habitaculi, » id est in qua habitandum est fidelibus, id est Ecclesiæ. Dico non invenerunt illam viam, licet essent « esurientes et sitientes » viam qua possent venire ad veram beatitudinem : sicut mundani philosophi, qui diversis rationibus sollicite inquirebant quid esset summum bonum, et qua via possent venire ad veram beatitudinem. Vel, « esurientes et sitientes » naturaliter verum bonum. Omnes enim naturaliter tendunt ad verum bonum, sed non vera via : quia quidam per potentiam, quidam per dignitatem, quidam per divitias, aliis quoque diversis modis : et licet esurirent et sollicite inquirerent, tamen « anima, » id est sapientia, « eorum in ipsis defecit » quia sibi, et non Deo, sapientiam attribuebant, et ideo eorum sapientia nullum profectum habuit, sed prorsus inutilis inventa, defecit ; qui vero per potentias et alia hujusmodi inquirunt, deficiunt, quia recta via non incedunt.

« Et » quia sic defecerunt, hac necessitate coacti, « clamaverunt ad Dominum, » divinæ quidem gratiæ aspiratione admoniti ; « et » ipse « eripuit eos » quasi quadam violentia de necessitatibus eorum, » id est, de ignorantia et errore solitudinis, et ducens in Ecclesiam, sapientiam veram ministravit eis : « eripuit » dico « cum tribularentur, » id est cum maxime angustiarentur ignorantia et aliis necessitatibus peccati.

« Eripuit » dico, « et » deinde « deduxit eos in viam rectam, » id est, cognitionem Christi et catholicæ fidei inspiravit eis : ad hoc « ut irent » per bonam operationem « in civitatem, » id est Ecclesiam sanctam « habitationis » in qua habitandum est.

« Confiteantur. » Pars secunda. Propter hæc prædicta beneficia Dei dico « Confitemini : » et item propter hæc quæ sequuntur « Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus, » id est, fideles laudent Deum, habentes causas laudandi misericordias Domini, mirabiliter impensas « filiis hominum. » « Confiteantur Domino misericordiæ ejus, » id est, homines laudent Deum pro misericordiis quas fecit eis, pro mirabilibus, et hæc mirabilia facta filiis hominum.

Ideo debent confiteri et laudare, « quia satiavit » Dominus verbo doctrinæ spiritualis, per quam in Ecclesia sua eos composuit « animam inanem, » id est vacuam ab omni vera cognitione, veluti fatuos et non fatuos, et simplices ; sed « et animam esu-

rientem, » sicut philosophos, « satiavit bonis, » id est, replevit spirituali sapientia.

« Satiavit » dico ipsos « sedentes, » id est, commorantes « in tenebris, » id est, in ignorantia, a qua nullo modo per se possent exire : « et » sedentes « in umbra mortis, » id est, in turpi vita, quæ esset excæcatio eis, et umbra ducens ad mortem : ipsos dico « vinctos in mendicitate, » id est, indigentia totius boni; « et ferro, » id est, duritia peccatorum.

Ideo erant in mendicitate, « quia exacerbaverunt, » id est, acerba judicaverunt, fugiendo « eloquia Dei, » id est, præcepta Dei : quia si aliquis monebat eos de charitate vel aliquo tali, reputabant fugiendam, et in nullo moneri voluerunt : lex tamen naturalis indicabat eis hoc non esse faciendum. « Et consilium Altissimi, » scilicet cœlestia appetere, hæc terrena non curare, Christo nostro Redemptori adhærere, « irritaverunt, » id est, quantum ad se vanum fecerunt, cum in nullis Christo assentire voluerunt, nec ipsum esse Redemptorem crediderunt : vel spernentes consilium Altissimi, ut prædictum est, irritaverunt, id est, ad iracundiam Deum provocaverunt.

« Et » quia sic irritaverunt, ideo « cor eorum, » id est, anima eorum, « est humiliatum in laboribus, » id est, in conatibus suis : quia quantumcunque conarentur, et laborarent per se ad inquisitionem beatitudinis venire, tamen cor est humiliatum, quia defecerunt. Vel, cor est humiliatum et afflictum in laboribus, » id est, multis miseriis, quas Deus immittit ad correctionem electorum. « Et infirmati sunt, » a præsumptione, id est, cognoverunt se nihil posse per se, « nec fuit » inter eos « qui adjuvaret, » id est, qui posset eos liberare de tenebris et ferro quibus ipsi tenebantur, quia nec ipsi seipsos poterant expedire, nec dii eorum.

« Et » hac necessitate coacti, « clamaverunt, » inspirati quidem a Domino, « ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos, » mendicitate, tenebris et aliis malis in hac parte positis, quæ per hoc nominat « necessitates, » quia per se nullo modo poterant inde egredi. Ostendit quomodo liberavit : quasi diceret : Dico « liberavit, » et hoc modo : « eduxit eos de tenebris » infidelitatis, quia fecit fideles ; « et umbra mortis, » quia jam non inquinaverunt vitam suam in turpibus factis ; « et vincula eorum, » id est, duritiam peccati, qua prius tenebantur ligati, « disrupit, » quia cordibus compunctionem immisit, et ad pœnitentiam eos adduxit.

« Confiteantur. » Pars tertia. Quasi diceret : Sicut propter beneficia Dei prædicta dignum est ut confiteantur Domino, ita pro eis quæ sequuntur « confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. »

Et debent confiteri, quia cum anima eorum abominata sit omnem escam, Dominus aufert non tantum illam satietatem, sed omnia mala quæ inde A eveniunt : et ea quæ de ipso fastidio proveniunt, prius ponit dicens : « quia contrivit, » id est, annihilavit, « portas æreas, » id est, iram et concupiscentiam destruxit in eis, quæ sunt portæ ducentes ad interitum æternum : æreas vocat, quia cum sint naturaliter in homine, vix aliquis potest dominari. « Et vectes ferreos, » id est, suggestiones diaboli, quibus firmatur et corroboratur in malum : et ira, et concupiscentia quæ nobis fuerunt ad bonos usus data, scilicet ut irascamur malis, bona cupiamus. Quos vectes « confregit » Dominus, quia fideles suos fortes fecit, ut possent superare quamlibet tentationem diaboli.

Portis confractis, et vectibus destructis, « suscepit eos » Dominus ad justitiam de via iniquitatis, B id est, de turpi vita, quam in peccatis ducebant : « via » dico « eorum, » id est, quam ipsi non a Deo, sed a se habebant. Bene dico iniquitatis eorum, habebant « injustitias, et propter » illas « sunt humiliati, » id est, afflicti a Deo, ut per hoc recognoscerent peccata. Vel ideo suscepit eos, quia ipsi sunt humiliati, id est, humiles facti, et affligentes se in conspectu Domini propter injustitias, id est, quia cognoscunt se Deum in multis peccatis offendisse.

Ideo habuerunt prædictas portas, et via ipsorum fuit iniquitas, quia « anima eorum abominata est omnem escam, » id est, omnem refectionem spiritualis doctrinæ, « et » propterea « appropinquaverunt usque ad portas mortis, » id est, fere venerunt in desperationem, quæ recta via ducit homines ad C æternam mortem.

Hac necessitate coacti, « clamaverunt ad Dominum : » nec tamen clamare potuissent, nisi præventi divina misericordia « cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. » Hic quoque accepit necessitatem, peccata in hac parte posita, veluti quod dixit superius, portas, vectes, et similia.

Hoc modo liberavit : « misit Verbum suum, » id est, Filium suum fecit incarnari, « et » per hoc « sanavit eos, » id est removit ab eis fastidium divini verbi. Vel, verbum, id est, præceptum divinum, et imperium suum, et sanavit eos : sicut in Evangelio dicitur : « Dic tantum verbo, et sanabitur puer meus (*Luc.* VII) : » et ita liberatis, et a fastidio sanatis, « et eripuit eos de interitionibus eorum, » id D est de æterna damnatione, quæ proveniret ex illo fastidio sicut mors corporalis procedit ex fastidio cibi corporalis.

« Confiteantur Domino. » Pars quarta. Continuatio : Sicut monui propter cætera beneficia prædicta ut confiteantur, ita et propter ea quæ modo dicentur, dignum est ut « confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum, » sicut supra expositum est.

Dico « confiteantur, » et sacrificent Deo, non dico hircum vel aliquod tale, sed laudem, et hoc est, « sacrificium laudis, » id est dictis et factis ostendant Deum laudabilem, secundum hoc : « Luceant opera vestra bona coram hominibus, ut videntes

opera vestra, et glorificent Patrem vestrum (*Matth.* v,) « et annuntient opera ejus » Dei, veluti quod peccata dimittit et alia cuncta bona facit, et hoc faciant « in exsultatione, » exsultandum quidem est illis, qui hæc opera Dei attendunt.

Dico « annuntient, » neque hoc omnibus præcipio, sed rectoribus Ecclesiæ, de quibus dicit, « qui descendunt, » de sublimitate suæ contemplationis, « mare, » id est, istud sæculum, quod multis fluctibus agitatur; ad quod descendunt « in navibus » regendis, id est in Ecclesiis, quæ circumdantur et contunduntur fluctibus et seditionibus hujus sæculi, veluti naves fluctibus maris; ipsi dico qui descendunt, « facientes operationem, » scilicet prædicationis et confessionis, et alia Dei beneficia dispensantes « in aquis multis, » id est, in multis populis.

« Ipsi » rectores Ecclesiæ, qui ita descendunt, « viderunt opera Domini, et mirabilia ejus, » id est mirabiles operationes ejus cognoverunt « in profundo » cordis : vel, factas in profundo, id est, inscrutabili consilio Dei.

Bene dico « opera, » quia hæc opera Dei inter cætera cognoverunt quod ipse « dixit, » id est voluit, « et spiritus procellæ, » id est diabolus, qui omnem movet procellam, id est, tempestatem tentationum hujus vitæ, « stetit, » id est, horruit contra rectores Ecclesiæ, et in ipsis procellam suam commovit : « Et » per hoc « fluctus ejus » procellæ, id est, adversitates vel tempestates, et prosperitates, quæ maxime concutiunt corda hominum, « sunt exaltati, » id est, multiplicati in eis : tentat enim diabolus ipsos rectores Ecclesiæ, et per suas proprias prosperitates et proprias similiter adversitates.

« Fluctus sunt exaltati, » et per hoc illi rectores, quos illi impellunt fluctus, « ascendunt usque ad cœlos, » scilicet per multas prosperitates ducuntur in nimiam altitudinis elationem; « et descendunt usque ad abyssos, » quia, depressi in multitudine adversitatum, ducuntur usque in desperationem : et per hoc « anima eorum tabescebat, » id est, deficiebat, « in malis, » id est propter mala quæ in ipsis movebant tentationes deficiebat, quia nihil boni facere valebant.

« Etiam turbati sunt, » id est, ignorant quid faciendum sit eis, sicut rectores navium turbantur in mari, ingruente vehementi tempestate; « et moti sunt » ad iram adversus subditos, « sicut ebrius, et sic omnis sapientia eorum devorata est, » quia in nullis bene utuntur ratione, neque cum utuntur prosperis, neque cum franguntur adversis.

Quia necessitatibus coacti sunt, « et » ideo « clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eduxit eos. » Ostendit quomodo eduxit eos, dicens : « Et statuit procellam ejus, » maris, id est, tentationes et tumultus hujus sæculi, « in auram » suavem, quæ bene recrearet eos, id est, gratiam spiritualem, scilicet ubi prius regnabat procella et persuasio diaboli, modo posuit Deus Spiritum sanctum, qui intus refoveret eos : « et » per illam auram « siluerunt fluctus ejus » maris, vel spiritus maligni qui prius impetum immittebant : quia inhabitante eos Spiritu sancto, jam nullus fluctus, nullus impetus diaboli potuit dominari eis.

« Et lætati sunt quia siluerunt, et » sic « deduxit eos in portum voluntatis eorum, « id est, in quantam voluerunt securitatem.

« Confiteantur. » Pars quinta. Et sicut in aliis proposuit admonitionem laudis prosequentibus beneficiis, ita hic, cum dicit : « Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum, » ut supra.

« Et exaltent eum in Ecclesia plebis » et tota congregatio populi laudent eum communiter, et etiam illi prælati; et hoc est : « et in cathedra seniorum laudent eum, » id est, illi qui habent magisterium super alios.

Exaltent, laudent, ideo quia ipse « posuit flumina in desertum, » id est, doctrinas Evangelii posuit in gentes, quibus corda eorum irrigantur; « et exitus aquarum, » id est, ipsam doctrinam manifeste exeuntem de Judæa per prædicationem apostolorum posuit « in sitim, » id est, in gentes, qui interna aspiratione cœlestem doctrinam sitiebant.

« Terram vero fructiferam, » id est Judæam, quæ prius erat fructifera, posuit « in salsuginem, » id est, in sterilitatem. Per salsuginem sterilitas intelligitur, quia si salsugo terræ misceatur, eam penitus sterilem facit : et hoc fecit « a malitia, » id est, propter malitiam « inhabitantium in ea, « hoc est, justo judicio suo excæcavit Judæos, et gentes introduxit.

« Posuit dico. » Continuatio. Judæam posuit in salsuginem. « Desertum » autem, id est gentiles, qui prius erant deserti a cognitione Dei, « posuit in stagna aquarum, » id est in Ecclesiam, quæ est locus in quo loco stant aquæ, id est baptisma. Vel, in stagna aquarum posuit, id est, in ea stare fecit et perseverare aquas, id est spirituales doctrinas : « et » eamdem « terram » quæ prius erat « sine aqua, » id est gentiles, posuit « in exitus aquarum » ut etiam de ipsis ad alios doctrina proflueret.

« Et illic, » id est, in aquis illius, « collocavit » Deus « esurientes, » id est, desiderantes refici spiritualibus doctrinis : « et » ipsi collocati « constituerunt civitatem, » id est, Ecclesiam, « habitationis, » id est, in qua sola habitandum est.

« Et » ipsi ibidem positi, « seminaverunt agros, » id est, converterunt quosdam sine multo labore seminando verbum Dei; « et plantaverunt vineas, » id est, quosdam cum magno labore ædificaverunt; et ipsi seminati « et » plantati, « fecerunt fructum nativitatis, » id est, doctrinam magistrorum sunt in operibus imitati. Ille facit fructum nativitatis, cui si prædicatur castitas, caste vivit : ille non facit fructum nativitatis, in quo si plantatur castitas verbo prædicatoris, ipse tamen fornicationem reddit : sicut ager qui, recepto frumento, zizania reddit, et ita non facit fructum nativitatis.

« Et benedixit » Deus « eis, » id est, multiplicavit

virtutibus; « et multiplicati sunt » numero « nimis, » multum : vel, « nimis, » id est, supra numerum electorum : sicut : Tantum multiplicati sunt pisces, quod scissum est rete, et illi qui superflui erant, exierunt (*Luc.* v; *Joan.* xxi) : secundum quos figurati hæretici, qui ab Ecclesia recedunt. « Et jumenta eorum, » id est, simplices de Ecclesia, « non minoravit, » id est, non fecit minoris pretii quam essent illi sapientes, sed potius in eis virtutes multiplicavit.

Ipse benedixit eis, « et » tamen « pauci facti sunt » ad comparationem malorum; « et vexati sunt a tribulatione malorum, et » etiam vexati sunt a « dolore » quem habebant propter peccata aliorum.

Propter hoc « contentio est effusa super principes, » id est, super hæresiarchas, qui contendunt contra Ecclesiam Dei : vel, « super principes, » id est, super potentes hujus sæculi, « et eos » principes « fecit » Deus « errare in invio et non in via, » id est, extra fidem : et non ita ut revocentur, sed ita quod ultra non erunt in via, id est, in catholica fide, quæ est via vitæ.

Istos excæcavit, « et » e contra « adjuvit pauperem » verum « de inopia, » id est, supplevit ejus inopiam de cognitione sui, conferens ei sapientiam, ut posset resistere hæreticis : « et » per ipsum pauperem « posuit familias, » id est, plures congregationes in Ecclesiis, faciendo eas « sicut oves, » id est innocentes.

Et hoc quod Deus ita adjuvat pauperem, excæcat principem, « videbunt recti et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum, » id est obstruet : quia jam nihil poterit oblatrare, cum suos complices in invio videat permanere.

Quando quidem tanta bona facit, ergo « quis » est « sapiens? » Si quis dicat, Ego sum sapiens, tunc scio quia « et custodiet hæc » quæ prædicta sunt, commendando memoriæ quod Deus pauperes adjuvat, divites excæcat : « et » tunc « intelliget misericordias Domini, » scilicet, quod Deus facit non per merita hominum, sed per misericordias suas. Alleluia.

IN PSALMUM CVII.

Titulus. *Canticum psalmi ipsi David.*

« Paratum cor meum, Deus. » Psalmus iste convenit David, id est, Christo, qui hic loquitur : qui dicitur canticum, quia proponit magnam exsultationem, scilicet Christi glorificationem, quam propheta hic exsultanter annuntiat. Psalmus dicitur, quia ipsius Christi bonam operationem proponit, scilicet humiliationem, qua genus humanum, id est dilectos suos, liberavit. Ex qua humiliatione, id est operatione, processit illud canticum, quia ex militia Christi, digne et tam diligenter peracta, processit glorificatio ipsius. Attendendum quod in hoc psalmo novis verbis non utitur propheta, sed primam partem quæ est : Ut liberentur dilecti tui, mutuat de psalmo illo : « Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea (*Psal.* LVI). » Illud vero quod sequitur postea, mutuat de psalmo illo : « Deus, repulisti nos (*Psal.* LIX). » Ideo autem voluit ex diversis psalmis istum psalmum componere, quia vidit partes illas psalmorum in Christo convenire : et quæ per se ad laudem Dei grata erant, conjuncta gratiora fuere. Ideo etiam in Ecclesia ex diversis psalmis vel laudibus antiphona vel cantus aliquis conjungitur. Materia hujus psalmi est glorificatio Christi et passio. Modus : In prima parte ostendit glorificationem, et inserit aliquid de humiliatione. In secunda parte, quæ incipit : « Ut liberentur dilecti tui, » humiliationem exsequitur, et inducit ipsum Deum promittentem liberationem electorum, quæ completa fuit per ipsum Christum. Intentio est invitare nos, ut exemplo sui humiliter patiamur, et ipsa patientia virtutem et securitatem nostram Deum faciamus. Unde dicit in fine psalmi : « In Deo faciamus virtutem, » etc. Et iste Psalmus est unus de illis qui Christum Deum et hominem demonstrant. Ubi enim eum ostendit exaltatum super cœlos, ostendit eum vere Deum esse : nam si tantum homo fuisset, nullatenus ita exaltatus fuisset. Ubi autem eum humiliatum ostendit, eum verum patet fuisse hominem.

Volens ergo Christum dignum glorificatione ostendere, promittit se in omni humilitate Deo obedientem, dicens : O « Deus, cor meum est paratum » cantare tibi : et ut ostendat se paratum esse ultra modum aliorum hominum, ingeminat, dicens : « paratum cor meum, » id est, sic est paratum cor meum, ut nullo modo peccato impediatur : cor est paratum, et ad quod est complebo, quia « cantabo » devotione spirituali et contemplatione laudabo te; « et psallam » tibi, id est, bene operabor ad honorem tuum; « in gloria mea, » id est, in psalterio et cithara, id est, in humanitate : quæ humanitas est gloria mea, quia per obedientiam quam in ea Deo exhibui, me dignum gloria demonstravi. Vel « psallam, » id est, bene operabor in gloria mea, id est, in consideratione futuræ gloriæ quam exspecto.

Dico « psallam in gloria mea, » et o gloria mea, id est, « psalterium et cithara, exsurge » id est, cresce in bona operatione. Psalterium vocat Christus suam humanitatem, secundum hoc quod de superioribus resonat, scilicet quod divina præcepta spiritualiter implet, sicut fuit ante tempus passionis. Citharam vocat eamdem humanitatem secundum mortificationem carnis, sicut fuit in passione : ideo dico exsurge ad bene operandum, quia per hanc bonam operationem certus sum de mea resurrectione : et hoc est, « exsurgam diluculo » id est, in mane resurgam.

Et post resurrectionem « confitebor tibi, Domine, in populis, » id est, multos Judæorum de populis faciam tibi confiteri et laudare te : « et in nationibus, » id est, in Gentibus, quæ tales remanent quales sunt natæ « psallam tibi, » id est, faciam te bene operari.

Ideo confitebor tibi, « quia misericordia tua, »

est, Filius tuus, per quem misericorditer reparas genus humanum, « magna est super cœlos, » id est, super cœlestes creaturas, scilicet super ipsos angelos, qui per ipsum subsistunt « et veritas tua, » id est, Filius tuus, qui te veracem esse ostendit quia per ipsum promissiones tuæ impletæ sunt in mundo, est magna « usque ad nubes » constituendas, id est, sanctos prædicatores, qui compluunt Ecclesiam cœlesti aqua.

Et quandoquidem misericordia tua magna est super cœlos, ergo « tu, Deus, exaltare super cœlos » id est, duc hominem tibi unitum super omnem angelicam creaturam. sicut in ascensione completum est : « et » per hoc « gloria tua, » id est, fama tua, erit « super omnem terram, » quia tu gloriosus apparebis per totum mundum.

Pars secunda. Et ut tibi sit gloria, libera de potestate inimici dilectos tuos : nisi enim ipsi auferantur a jugo diaboli, Deus in omnibus creaturis suis nullam gloriam habebit : et « ut liberentur dilecti tui, salvum fac » me resuscitando, per cujus resurrectionem futura est dilectorum liberatio. Dilectos vocat a Deo præelectos, nec aliorum petit liberationem. Ipse enim sciebat qui essent dilecti, et pro ipsis orabat : Ecclesia vero, quia non cognoscit determinate qui sunt salvandi, pro omnibus orat indiscrete. « Salvum fac » dico, « dextera tua, » id est, potentia tua, « et exaudi me » precantem de dilectorum liberatione, scilicet et per meam resurrectionem, et per meam orationem libera dilectos.

Peto ut salvum me facias, ut sic liberentur dilecti : et de mea liberatione bene certus sum et de ipsorum salute, quia « Deus locutus est in » me speciali « sancto suo; » scilicet locutus est : « Exsultabo et dividam Sichimam, » id est, humeros, scilicet gratiam meam diversis conferam, per quam faciam humerosos et fortes ad labores sustinendos. « Et convallem tabernaculorum, » id est, humiles in tabernaculis meis militantes, « dimetiar, » id est, in partem mihi assumam.

Etiam « Galaad, » id est, acervus testimonii, sicuti sancti martyres qui dant seipsos morti pro testimonio veritatis, « est meus, » id est, in numero salvandorum repositus. « Et meus est Manasses, » id est, illi qui obliti sunt veteris vitæ sicut Psalmista alibi dicit : Obliviscere populum tuum et domum patris tui (*Psalm.* XLIV). « Et Ephraim, » id est, fructificantes in bonis operibus, est « susceptio capitis mei, » id est, divinitatis meæ, quia in illis qui sunt ita fructificantes quiescit et delectatur ipsa Divinitas. Vel, « Ephraim, » id est, spinea corona, quæ est fructificatio, quia acquirit Deo coronam de circuitu totius mundi : non est dedecus et depressio mea, sicut quidam dicunt, sed susceptio capitis mei, id est facit meum caput, id est, meam altitudinem, suscipi per totum mundum et jucundum haberi.

« Juda est rex meus, » id est, Christus, quem ego constitui super omnes fideles, est de tribu Juda. « Moab, » id est, abutens lege, id est, gentiles, qui sine lege erant, sunt « lebes spei meæ, » id est, seipsos bene decoquentes, et facientes dulces cibos, de quibus ego mihi refectionem capiam. Vel, « Moab, » id est, diabolus, qui est abutens lege et sine Patre Deo : est lebes, id est, coctio et ustio spei meæ : quia per illas exustiones purgantur illi quos ego spero me habiturum.

Adhuc de verbis Dei. Et quia meus est Galaad, et alios tales habeo, ergo « extendam calceamentum meum, » id est, sanctum Evangelium quo calceantur pedes, id est, affectiones evangelizantium, ne pungantur spinis concupiscentiæ, neve aliquo luto inquinentur : extendam dico « in Idumæam, » id est, terrenis, velut in gentibus faciam annuntiari Evangelium : et per annuntiationem Evangelii « alienigenæ, » scilicet Allophili, id est, potione et gloria hujus vitæ cadentes, « sunt mihi facti amici, » id est obedientes.

Ostensis promissionibus Dei, resumit verba Christus, quasi ita dicat : quandoquidem Deus dicit : « Extendam calceamentum meum in Idumæam, » sed « quis deducet me in civitatem munitam, » id est, ut ego faciam de Idumæis civitatem contra diabolicas tentationes munitam? et « quis me deducet usque in Idumæam? » id est, inter terrenos, id est, ut ab eis nomen meum cognoscatur, et in ipsis civitatem constituere valeam. Vel, « quis deducet me in civitatem munitam? » id est, inter terrenos, qui sunt modo civitas contra me munita, ut annuntiatione mei munitiones perversæ illius civitatis destruantur : et « quis deducet me usque in Idumæam, » id est, ut Idumæos mihi acquiram? Vel aliter : « quis deducet me in civitatem munitam? » id est, in infernum, qui est munita civitas, ad retinendos homines in captivitate, ut spoliem eum de animabus fidelium : et quis postea deducet me usque in Idumæam, ut ipsos terrenos post triumphum meæ victoriæ acquiram? Nullus utique, nisi tu Deus; et hoc est quod subdit :

« Nonne tu, Deus, » utique tu, qui contrarium tamen videris facere : « qui repulisti nos, » id est, videris repulisse me et meos, dum permittis vilissime tribulari : et in hoc videris repulisse, quia « non egredieris, Deus, » ulterius « in virtutibus nostris, » id est, non apparebis deinceps manifestus in nostris exercitibus, sicut fecisti antiquis Patribus. Alia translatio habet, « in exercitibus. »

Dico, non egredieris, nec nos petimus, sed potius da tribulationem : et « de » ipsa « tribulatione da nobis auxilium, » id est, ut ipsæ tribulationes quas patimur, nobis ad futuram gloriam auxilientur : ideo peto auxilium de tribulatione non humanum auxilium, « quia salus hominis, » id est, subsidium, quod potest homo præstare, est « vana, » id est, transitoria.

« In Deo. » Et quia salus hominis est vana, ideo « faciemus virtutem in Deo, » id est, ipsum Deum reputabimus virtutem et constantiam nostram, nihil in nobis confidentes, sed omnia a misericordia Dei sperantes. « Et ipse ad nihilum deducet inimicos

nostros, » id est, faciet inimicos nostros nihil contra nos proficere, et nos eorum persecutiones nihilipendere.

IN PSALMUM CVIII.

TITULUS. *In finem psalmus David.*

« Deus, laudem meam. » Psalmus iste convenit David, id est, Christo : habens materiam passionem suam, de qua loquitur : dirigens nos « in finem, » id est, in Christum. Modus : in prima parte ponit malitiam Judæorum, ipsius Judæ specialiter et aliorum, quam in ipsum Christum exhibuerunt. In secunda parte, quæ incipit : « Constitue super eum, » ponit maledictiones triginta, sicut et Dominus Jesus triginta denariis venditus fuit. In tertia parte, quæ incipit : « Et tu, Domine, fac mecum, » petit suam glorificationem, interserens aliquid de sua passione, et aliquid de persecutorum maledictione. Intentio est ut cum videamus illos qui Christum persecuti sunt, sic maledictos, a justorum persecutione cessemus.

Et sic loquitur Christus ad Patrem : « O Deus, » contra hoc quod inimici mei loquuntur mihi impie, tu « ne tacueris laudem meam, » sed fac me cognosci, et laudari per totum mundum : ideo facias hoc, « quia os peccatoris, » id est, Judaici populi, qui populus peccator est in turpi vita, « et os dolosi » populi, qui dolose machinatur mortem meam, et dicit dolos sicut : « Magister, quid est maximum in lege mandatum? (*Matth.* XXII), » et similia, « est apertum super me, » id est, ad meam depressionem. Cum dicit, « apertum est, » notat eos multa mala locutos contra eum fuisse.

Et ipsi « locuti sunt adversum me lingua dolosa, » dicentes : « Magister, scimus quia verax es » (*Marc.* XII), « et » tandem in passione « circumdederunt me sermonibus odii, » scilicet quos proferebant contra me, non propter meritum, sed propter odium, dicentes apud Pilatum : « Crucifige, crucifige eum » (*Luc.* XXIII) : « et expugnaverunt me, » secundum dicta eorum putaverunt convictum de reatu, eo quod verum eis dixeram, dicendo me esse Filium Dei. Vel « expugnaverunt me » quantum ad exteriorem hominem, dantes me morti : et hæc omnia « gratis, » id est, sine meo merito. Vel, « expugnaverunt, » id est, impugnaverunt, me spernendo, colaphizando.

Vere « gratis, » quia pro beneficiis hæc omnia mihi faciebant ; et hoc est : « detrahebant mihi pro eo ut me diligerent, » id est, pro eo facto pro quo me diligere deberent. Et etiam « posuerunt adversum me mala pro bonis, » id est, in ipso facto in quo quærebant mihi mortem, id est, cum ego quærerem eorum salutem : « et odium pro dilectione mea, ego autem orabam » pro eis. Ultimum genus malitiæ notat in eis. Malum namque est pro bonis bona non reddere ; pejus, pro malis mala reddere ; pessimum, pro bonis mala reddere. E contrario ponit in Christo optimum genus bonitatis, qui pro se persequentium salute orabat.

« Constitue. » Pars secunda. Et quandoquidem populus iste ita obstinatus est in me persequendo, nec me vult habere caput et regem suum, ergo « constitue, » o Domine, « super eum » populum « peccatorem, » id est diabolum, qui singularis peccator est, et est causa totius peccati. « Super eum, » ut dominetur ei : « et » ipse, « diabolus » scilicet, « stet a dextris ejus, » id est, non occupet solam carnalitatem, quam per sinistram, sed etiam ipsam rationem, quam per dexteram designatur : ita, ut neque per rationem aliquid boni agat. Vel, « stet a dextris ejus, » id est, quæcunque operabitur, suggerente diabolo, putet dextera et bona. Attende quod hæc imprecatio non est ex voto malevolentiæ, sed Christus consentiens divinæ justitiæ, ponit sub deprecatione, quæ valet quantum et enuntiatio, quod videt illis futurum.

« Cum judicatur. » Constitue peccatorem, et eo constituto, « exeat » a consortio justorum « condemnatus, » vel Judas, vel Judaicus populus, « cum judicatur, » id est, judicabitur, in futuro judicio : in quo judicio certum est quod Judas et ejus consentanei a sanctorum consortio sejungentur. Vel, cum judicatur occulto judicio in hac vita, exeat a consortio sanctorum condemnatus, veluti Judas qui, tradito Domino, ab apostolorum societate sejunctus est. « Et oratio ejus fiat in peccatum. » Judæ oratio in peccatum fuit, quando in desperationem cecidit ; veluti cum Dominum audiret resurrexisse, dixit : « Peccavi, tradens sanguinem justum, » ductusque desperatione, laqueo se suspendit. Potest quoque communiter dici et de Juda, et de malo populo illo Judæorum. « Fiat oratio ejus in peccatum, » id est, ad æternum interitum ; quia, sicut dicit Augustinus, oratio quæ cum Christo fit, ad salutem est : quæ sine Christo est, ad damnationem. Similiter et nostra oratio fit in peccatis, si habentes erga proximum odium vel iram, vel alias injustitias, dicamus : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Debemus autem saltem nostro fratri odium vel iram, et talia quæ non sunt exigenda, condonare, ut oratio nostra Deo acceptabilis sit, sicut in Evangelio dicitur : « Cum offers munus tuum ante altare, si recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid justæ querelæ adversum te, dimitte munus tuum, et vade prius reconciliari fratri tuo, etc. » (*Matth.* VI). Licet autem nobis quædam juste repetere, quamvis melius esset omnia condonare ; unde Apostolus : « Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. » (*I Cor.* VI et X.)

« Fiant dies ejus pauci, » id est, paucis diebus maneat inter apostolos ; « et episcopatum ejus accipiat alter, » id est, apostolatum, scilicet Matthias. Hoc specialiter de Juda dicitur, de quo et beatus Petrus in Actibus apostolorum hunc versum exposuit, dicens : Suppleamus locum ipsius, sicut præcepit Spiritus sanctus, cum dicit : Episcopatum ejus accipiat alter (*Act.* I).

« Fiant filii ejus, » Judæ, vel populi Judaici « orphani, » patre carnali, vel Deo patre spirituali ; « et

uxor ejus, » Judæ, vel totius populi Judæorum; « vidua, » vel maritis carnalibus, vel ipso Deo marito spirituali et vero consolatore. Licet in Evangelio non legatur, tamen credimus Judam uxorem et filios habuisse.

Propter hæc mala « transferantur filiis ejus, » scilicet, Judæ, vel communiter totius populi, de regno suo ; « nutantes, » instabiles et vagi, videlicet, translati, nullius terræ dominium obtineant ; « et mendicent, » id est, deserti a Deo, indigeant etiam exterioribus : « transferantur » dico, nec hoc fame, vel voluntarii, sed vi expellantur. Hoc est quod dicit : « Ejiciantur de habitationibus suis, » sicut completum est per Titum et Vespasianum.

« Scrutetur etiam fenerator, » id est, diabolus, qui dicitur fenerator quia vitia commissa alicui multiplicata requirit, quia in ipsis etiam multiplicari facit, et pro ipsis pœnas solvit ; « omnem substantiam ejus, » Judæ et aliorum Judæorum. Substantiam eorum accipit rationem, per quam ipsi debent vivere, et in bonis operibus sustentari : hanc scrutatur diabolus, quando a bono eos retrahit, et rationem eorum in pravos usus convertit. Vel « substantiam ejus, » diaboli, id est, malitiam, in qua et per quam ipse subsistit. « Scrutetur, » id est, diligenter inquirat, ut pro singulis malitiis quas exercuerunt, reddat eis diabolus multiplices pœnas. « Et alieni diripiant labores ejus, » sicut Romani in possessionibus eorum hæreditaverunt. Vel, « alieni, » id est, gentiles, diripiant labores ejus, id est, legem Domini, in qua prius Judæi laboraverunt.

Et cum his modis conteratur populus ille, « non sit illi adjutor, » id est, non sit aliquis populus qui insurgat ad defensionem ejus : vel ipse Deus, qui aliorum miseriis moveri solet et adjuvare, non sit adjutor illi populo, nec etiam filiis eorum. Et hoc dicit : « non sit qui misereatur pupillis ejus. »

« Non sit qui misereatur, » sed potius « fiant nati ejus » populi « in interitum, » id est, moriantur morte temporali. « In generatione una deleatur nomen ejus, » id est, non habeant regenerationem quam habent Christiani ex unda baptismi, sed unam solam generationem, scilicet carnalem, quam quicunque solam habent, æternæ patriæ habitatores non erunt : eadem sententia potest haberi, si de Juda specialiter dicatur : vel hæc alia, « in generatione una deleatur nomen ejus, » id est, non habeat multam successionem filiorum, sed sine prole filii ejus moriantur.

Et propter hæc mala « iniquitas patrum ejus, » id est, originalia peccata, « redeat in memoriam, » id est pœna eos affligat pro peccatis patrum suorum, non solum pro propriis commissis : « redeat » dico « in conspectu Domini, » id est, in judicio in quo Dominus ab omnibus conspicietur : propter hoc dicit, « redeat in memoriam, » quia videtur Dominus oblitus omnium peccatorum eorum in hoc dum non punit eos. « Et peccatum matris ejus, » id est, Synagogæ, in qua sunt carnaliter multi, « non deleatur, » sed potius pro peccatis Synagogæ filii deleantur : et accipitur hic speciale illud peccatum, de persecutione justorum; unde et alibi dicitur : Veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ (*Matth.* XXIII).

« Peccatum matris non deleatur, » sed potius « fiant contra Dominum semper, » scilicet ut sicut in hac vita sunt contrarii Domino per similitudinem vitæ, ita in alia vita erunt contrarii ; quando Dominus in gloria quiescet cum suis, ipsi torquebuntur æternis suppliciis. « Et dispereat de terra » viventium « memoria eorum, » scilicet quod nullus justorum aliqua pia affectione moveatur super eos. Hæc oro eis « pro eo » facto, « quod non est » populus ille « recordatus facere misericordiam, » id est aliquid pro quo deberet misericordiam invenire. Recordatus ideo dicit, quia etsi prius non fecisset misericordiam, posset tamen postea resipuisse, et misericordia fecisse. Vel ideo dicit « recordatus, » quia si alii fecissent mala Christo, ipsi deberent defendere, de quorum progenie ipse erat, et quos præsentia sua ipse visitaverat.

« Non est recordatus facere misericordiam, » sed potius « persecutus est hominem inopem, » id est, nulla temporali copia abundantem, « et » me « mendicum, » id est, aliunde necessaria petentem, sicut ipse aquam mendicavit a mulicre Samaritana (*Joan.* IV) : « et » me « compunctum corde, » id est, dolentem de peccatis eorum : nec sunt persecuti ad hoc ut aliquid de temporalibus mihi auferrent, sed « mortificare, » id est, ad hoc ut me mortificarent. Vel si « compunctum » proprie accipiamus, scilicet dolentem de propriis peccatis ; dicemus non de propria persona Christi, sed de suis. Sic persecuti sunt me inopem hominem et meos; hoc est quod subdit : « compunctos corde. »

« Et dilexit maledictionem, » veluti cum dixit : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII) : » « et veniet ei » populo illa maledictio, quia etiam propter illud peccatum sunt adhuc hodie excæcati filii eorum. « Et noluit benedictionem, » quando cæcus illuminatus dixit eis : « Nunquid et vos discipuli ejus vultis fieri? Maledixerunt ei, et dixerunt : Tu discipulus ejus sis, nos discipuli sumus Moysi (*Joan.* IX). » Et ipsa benedictio « elongabitur ab eo » populo, quia, excæcatis Judæis, transibit illuminatio ad gentes.

« Et induit » populus ille « maledictionem, » id est peccatum meæ mortis; « sicut vestimentum, » quia putabant tamen apparere vicinis valde ornati et decori. « Et ipsa maledictio intravit in interiora ejus, » jam valens ad mortem eorum : « sicut aqua » penetrans ad interiora; « et sicut oleum in ossibus ejus : » quia sicut oleum hilarem et lætam reddit faciem, ita ipsi læti de mea morte fuerunt. Tunc fuit peccatum illud quasi vestimentum accedens ad eos, quando persuadenti diabolo assenserunt. Tunc fuit quasi aqua penetrans ad interiora, quando laboraverunt, et corporaliter quæsierunt ut me morti trade-

rent. Postquam vero perfecerunt, jam gaudentes et exhilarati de morte mea, fuit eis quasi oleum.

Dico quod populus ille induit maledictionem, et illa maledictio, scilicet peccatum illud, fiat eis excæcatio; et hoc est : « fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, » contegantur et contineantur in tenebris illa maledictione : « et » etiam fiat eis obduratio; et hoc est : « sicut zona qua semper præcingitur, » id est, sic sit circumdatus illa maledictione, ut expedire se ab ea non valeat. Vel ita, sicut eis mors mea fuit quasi zona, qua solent homines præcingi ut ad opus sint expeditiores, ita mors mea sit eis sicut zona propter hoc quod morti me tradiderunt, ut semper sint parati et prompti ad omne malum opus faciendum.

Ego hæc mala imprecor eis, et « hoc » est « opus eorum, » id est, hoc exigunt opera eorum, « qui mihi » existenti « apud Dominum, » consubstantiali mihi Filio Dei, « detrahunt » dicentes : Hic homo non est a Deo, non est Filius Dei. Vel, qui detrahunt mihi, et hoc putant esse apud Dominum, id est, placere Domino; « et » hoc exigit opus eorum « qui loquuntur mala adversus animam meam » et qui imponunt mihi crimina, dicentes me esse potatorem, malevolum, et similia. Vel, « loquuntur adversus animam meam, » id est, adversus vitam meam, veluti cum dicerent : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX). » Ideo dicit, « adversus animam meam, » et non adversus corpus, quia quanquam dicebant eum pauperem filium pauperæ, non erat hoc malum, quia veritas hoc exigebat.

« Et tu, Domine. » Pars tertia. Continuatio : Ipsi loquuntur hoc adversus animam, sed contra eos tu, Domine, me adjuva; et hoc est : « Et tu, Domine, Domine. » In repetitione suam devotionem ostendit : « fac mecum, » id est operare pro me, scilicet ad utilitatem meam. Vel, fac mecum, id est, ego operor, et tu operare, « propter nomen tuum » ampliandum, et etiam propterea « quia suavis est misericordia tua : » quid me fecisti propter misericordiam tuam incarnari, pati; hæc fuit mihi suavis res, id est, placuit mihi.

Hoc scilicet « fac mecum, libera me » de conformitate malorum, et ne possint me retinere in morte, sicut ipsi volunt : et opus est, « quia ego sum egenus et pauper. » Pauper fuit quantum ad opes humanas, quibus caruit : egenus, quia aliunde petiit. « Et cor meum turbatum est, » timore mortis, juxta illud : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV) : » et hoc « intra me, » id est, non ex necessitate, sed ex mea voluntate. Vel, « intra me, » quia et tristis est anima, non tamen manifesto eis.

Cor meum conturbatum est ab eis, et ego « sum ablatus, » id est, raptus a Judæis, et datus in mortem : « sicut umbra cum declinat, » scilicet, ita leviter ut umbra recedit veniente lumine, nullam vim ostendens, ita raptus ab eis, nullam ostendi potentiam, sed humiliter sustinui : et primitus ante passionem « sum » ego « excussus sicut locusta, » scilicet fugi mànus eorum, fugiendo de loco ad locum, nolens eis causam peccati ministrare, sicut locusta de loco ad locum saltando vadit.

Et « genua mea, » id est apostoli, qui me per mundum debebant portare, et ex quibus debebam fortis apparere « sunt infirmata, » id est debilitata « a jejunio » cum non essem cum eis, quia divini verbi refectionem non habebant : quoniam non legitur Christum in carnalibus genibus fuisse infirmatum. « Et caro mea immutata est, » de vita ad mortem, « propter oleum » remotum scilicet, quia non habui gratiam spiritalem ad defensionem contra inimicos, quam prius habueram. Vel, propter oleum mutata est caro, id est datus sum in mortem propter oleum mittendum, id est propter Spiritum sanctum mittendum. Vel, caro est mutata de mortali ad immortale propter oleum, id est propter divinitatem sibi unitam.

« Et » propter hæc mala ego « sum factus oppro brium illis, » id est inferebant mihi opprobria; « viderunt me, et moverunt capita sua, » in signum meæ derisionis.

Ipsi hoc faciunt, sed tu, « Domine Deus meus, adjuva me, » ne in passione deficiam; « salvum me fac » resuscitando : et hoc « propter misericordiam tuam, » quia hoc exigit misericordia tua, ut justo ita subvenias.

« Et sciant » tandem omnes, « quia manus tua est hæc, » id est operatio tua dedit me in mortem, « et tu, Domine, fecisti eam, » operationem : scilicet ita est tua, quod tu eam operatus est omnino in me.

Dico « salvum me fac, » et securus sum quod facies, quam « illi maledicent, et tu benedices, » id est multiplicabis virtutes, dabis etiam resurrectionem : et quia tu benedices, ideo « confundantur, » id est confusionem habeant, « qui insurgunt in me; servus autem tuus, » scilicet ego, « lætabitur » de resurrectione facta per ipsum.

Et non tantum insurgentes, sed etiam detrahentes; et hoc est : « induantur pudore » illi « qui detrahunt mihi, » habentes erubescentiam de detractione sua facta mihi, « et » induantur tantum « confusione sua » ut « operiantur » ea « sicut diploide; » id est sicut diplois est duplex vestimentum, ita confusio eorum sit duplex; et interius, id est in anima, et exterius in corpore : quia licet se excusent in verbis exterius, conscientia tamen mala confunduntur interius.

Ipsi quidem operiantur confusione, ego autem « confitebor Domino, » id est faciam meos confiteri Domino, « nimis, » id est multum; et hoc est : « in ore meo, » id est meorum : quia quod annuntiabunt ore, perficient opere. Vel, « in ore meo, » id est palam : et hoc non coram paucis, sed « in medio multorum laudabo eum. »

Eum quidem laudare debeo, « quia astitit a dextris pauperis » mei, id est, qui me semper in bonis ope-

ribus conservavit : astitit dico, « ut salvam faceret a persequentibus animam meam » ne vel eis cederem, vel in morte me possent detinere.

IN PSALMUM CIX.

TITULUS. *Psalmus David.*

« Dixit Dominus. » Psalmus iste convenit David, prophetæ qui hic loquitur. Materiam habet Christum secundum utramque naturam. In prima parte agit de utraque. Ubi enim dicit : « Dixit Dominus Domino meo, » Deum eum significat, secundum quam naturam Christus omnium hominum fuit Dominus. Ubi vero ipsum Deum inducit Christo dicentem : « sede a dextris meis, » etc., de ipsa humanitate agit. In secunda parte, quæ est. « Tecum principium in die virtutis, » agit de sola Christi deitate, et hoc per verba ipsius Dei Patris : quia ibi Pater ostendit eum et sibi coæternum et ex se genitum. In tertia parte, quæ incipit : « Juravit Dominus, » resumens verba Propheta, loquitur de ipsa Christi humanitate, alta tamen semper dicendo. Vel si quid dicit de passione, sicut ibi : « De torrente in via bibet, » causa exsultationis facit. Intentio est nos admonere, quasi utens demonstrativo genere, ut Christum sic emendatum, dignum judicemus honore, et ei debitum honorem exhibeamus.

Et ut ostendat se de corde suo hoc non prophetasse, inducit ipsum Deum Patrem de Filio cum Filio loquentem, sic dicens : « Dominus » Pater « dixit, » id est ab æterno disposuit, « Domino meo » Jesu Christo Filio suo. Ubi dicit, « meo, » notat eum sibi familiariorem esse quod Patrem per assumptam humanitatem, et tamen vocat Dominum secundum deitatem. Unde ipse Christus dicit his qui solum hominem eum putantes, dicebant filium David : « Quomodo ergo Dominum eum vocat, dicens : Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis (*Matth.* XXII) : » per hoc innuens se non solum hominem, sed etiam Deum, secundum quod et David et omnium aliorum Dominus erat. Cum dicit Patrem Dominum, et Filium Dominum, notat in utroque æqualem potentiam. Dixit Pater, et ecce quid dixit : « Sede a dextris meis, » id est expleta militia tua, et peracta obedientia, quiesce in potioribus bonis meis. Licet autem non legamus quod Pater ad Filium dixit per hæc verba, tamen scimus ea ita fuisse disposita, quia sic videmus impleta.

Sede tandiu a dextris meis, « donec » ego « ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, » id est donec inimici tui, scilicet persecutores, qui modo videntur habere Dominium, et putant se facere posse contra voluntatem tuam, plenarie subjiciantur tibi, quasi scabellum sub pedibus, scilicet, usque ad diem judicii, in qua subditi erunt tibi. « Donec » dicit, non quod postea non sedeat, sed quia tunc omnibus apparebit gloriosus, de quo quidam modo dubitant. Vel per pedes humanitatem Christi intelligimus, per quam deitas ad nos venit et nobis innotuit, cui humanitati omnes in judicio erunt subditi, quia illam humanitatem hoc promeruisse intelligent, ut ei omnis honor et gloria conferri debeat, et omnis ei creatura subjici debeat et oporteat.

Verba prophetæ. Dominus Pater dixit : « Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum : » et vere inimici tui tibi subjicientur, quia Dominus Pater dabit « virgam, » id est regiam potestatem, qua confringas inimicos, et conserves tuos : cujusmodi potestatem significat sceptrum in regibus : « virgam » dico « virtutis tuæ, » id est in qua apparet virtus tua : quia quos defendes, nullus poterit impedire ; et contra, quibus nocebis, nemo poterit defendere. Et hanc virgam « emittet Dominus ex Sion » ut sua prædicatio de Sion exeat ; unde propheta : « De Sion exibit lex (*Mich.* IV). » Transieris ad gentes, ut ipsæ gentes Christi regimini subjiciantur : et quia emittet, o Christe, « dominare. » Alia translatio habet, « dominabis : in medio inimicorum tuorum, » id est in communi omnium, ut qui prius inimici, sese tibi ex propria voluntate subjiciant : tu, dico, quasi medius, ad quem homines ex omni gente conveniant.

« Tecum principium. » Quasi diceret : « tecum » est mihi « principium in splendoribus sanctorum, » id est in Spiritu sancto, qui diversis splendoribus sanctos decorat. In hoc est nobis principium « in die, » id est in claritate « virtutis tuæ, » id est deitatis. Ac si diceret : Identitas est mihi, et Spiritui sancto tecum. Nec moveat quemquam per splendores pluraliter accipi spiritum, cum Joannes dicat, et spiritus missi in omnem terram. Vel aliter. « Tecum principium. » Pars secunda. Verba Patris ad Filium. Continuatio : Dico « a dextris meis, » et merito propter dignitatem divinitatis ita sublimandus est in assumpta humanitate, quam mihi est principium tecum, id est tu es principium et creator omnium rerum, et sine initio, et ego similiter : non dicit, tibi est principium mecum, ne videretur designare immortalitatem in Filio. Cum dicit, mihi est tecum, notat diversitatem personæ. Cum dicit, principium sumus, notat coæternitatem : et quod ego sum principium tecum, apparebit in die, id est in æternitate beatitudinis : quia dicitur dies, propter splendorem veræ cognitionis : die dico virtutis tuæ, id est in qua apparebit virtus tua, qua tuos coronabis, malos damnabis, etc. « In die virtutis tuæ » dico, scilicet, in splendoribus sanctorum, id est sancti qui in hac vita sunt pannosi et hispidi, erunt immortales et impassibiles facti : et tunc erit verus splendor, quia tunc intelligent quomodo Filius in Patre, et Pater in Filio : unde Apostolus : « Videmus nunc per speculum et in ænigmate (*I Cor.* XIII), » etc. Dico mihi est principium tecum, et ego « genui te ex utero, » scilicet ex intima et secreta essentia mea ineffabili genitura, quam angeli quoque ignorare creduntur : et hoc non in tempore, sed « ante luciferum, » id est quam stella illa crearetur : et per hanc partem omnem creaturam intelligimus. Vel per luciferum intelligimus diabolum, qui cecidit

quia propter nimiam pulchritudinem superavit, scilicet ante genui te quam aliquam angelicam creaturam.

« Juravit Dominus. » Pars tertia. Continuatio. Propheta : Dominus dixit : « Sede a dextris meis, » etc. Et ipse idem « Dominus » Pater « juravit, » id est firmiter disposuit; « et non pœnitebit eum, » id est non mutabit sententiam, hanc scilicet « Tu es sacerdos in æternum. » Sacerdos dicitur, quia seipsum obtulit, et semper Deum Patrem interpellat pro nobis : et hoc « secundum ordinem Melchisedech : » quia sicut Melchisedech obtulit Abrahæ panem et vinum (*Gen.* XIV), sic Christus discipulis obtulit calicem et panem, id est corpus suum in qualitate panis et vini : et idem sacrificium per omnem Ecclesiam instituit. Sicut autem Melchisedech sine principio fuit et sine fine, non quod non habuerit, sed quia in Scriptura non legitur habuisse : et sicut Melchisedech sine patre fuit et sine matre, non quod non habuerit iterum, sed quia Scriptura non dicit; sic Christus secundum humanitatem non habuit patrem, et secundum deitatem non habuit matrem, et in aliis quoque multis assimilatur Christo. Unde Apostolus ad Hebræos scribens, ait : « Assimilatus autem Filio Dei (*Hebr.* VII).

« Dominus. » Convertit Propheta verba ad Patrem, ostendens humanitatis Christi altitudinem; ac si ita diceret Propheta : O Domine Pater, « Dominus, » id est Christus quiescens « a dextris tuis, confregit, » id est confringet, « reges, » id est superbos et potentes hujus vitæ, « in die iræ suæ, » id est in die judicii, quando apparebit ira sua, id est vindicta sua. Ideo per præteritum dicit « confregit, » quia raptus ad consilium Dei, jam viderat illud judicium, et tenebat mente quasi præteritum.

Dico quia confringet in judicio, iterum autem « judicabit » divino judicio occulto : quia quosdam illuminabit, quosdam excæcabit : et hoc non in paucis, sed « in nationibus » tam Judæorum quam gentium : ita quidem judicabit, scilicet « ruinas, » id est illos qui se cognoscunt ruisse per propria peccata et per peccata patrum suorum, « implebit » bonis, quia et illa removebit, et quod illis deerat, supplebit : « capita autem, » id est altitudines, et superbias « multorum » in hac vita superbientium, « conquassabit, » id est conteret et annihilabit, et faciet eos decidere de judicio in pejus : et hoc « in terra, » id est in hac præsenti vita, ubi Deus justo judicio excæcat malos.

Hoc merito suo dabitur Christo, et in hac vita judicare, et tandem manifeste : quia ipse Christus « in via, » id est in tempore militiæ suæ, in quo omni studio intendit ad Deum, « bibet, » id est gustabit, non ex coactione, sed ex voluntate, et quasi delectatione, « de torrente, » id est de ferventissima passione, et de miseriis hujus vitæ, quæ quasi torrens cum quodam impetu veniunt, et cito transeunt, scilicet libenter sustinebit mortem et alias miserias pro redemptione humani generis : « et propterea exaltabit caput, » id est suam altitudinem levabit et multiplicabit, quia propter hoc dabit « illi Deus nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, etc. (*Philip.* II).

IN PSALMUM CX.

TITULUS. *Alleluia.*

« Confitebor. » In hoc psalmo loquitur propheta non pro se solo, sed in persona fidelis populi. Materia est fidelis populus, spirituali esca pastus, et redemptus pretio sanguinis Christi. In prima parte dicit se in persona totius populi laudare Deum, ad similitudinem illorum qui cum David sunt, et ponit quasdam materias et causas suæ laudis. In secunda parte ponit simili modo, præter prædicta, materiam laudandi Deum. In tertia parte, quæ incipit : « Redemptionem misit populo suo, » ostendit quod Deus de manu inimici liberabit populum suum. Intentio est invitare nos ad cantandum alleluia, scilicet ut propter hujusmodi beneficia æternas Deo laudes decantemus.

Attendens autem Propheta se inter cæteros fideles jam beneficiis Dei pastum ac redemptum, dicit : « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, » id est nulla pars vacabit terrenis, sed totum cor occupatum erit laudibus Dei, et in hoc similis ero eis qui jam sunt « in consilio justorum, » id est sanctis angelis et aliis viris qui jam sciunt consilium et voluntatem Dei, et cum ipso judicant, « et » jam sunt in « congregatione justorum. » Bene quidem Propheta se similem eis dicit : quid enim amplius possunt illi facere, quam Deum in toto corde laudare ?

Ideo laudabo, quia « opera Domini » quæcunque sunt « magna » et mirifice facta : et illis quidem apparent magna, a quibus sunt « exquisita » eundo « in omnes voluntates ejus, » hoc est, illis magna apparent, qui attendunt quid velit Deus in unoquoque opere, quid, dum adversa dat alicui : quid, dum prospera.

Ideo dico magna opera Domini, quia « opus ejus » est « confessio, » id est bonum. Hieronymus ponit « gloriam et honorem : » bonum dico ita dignum, quod ipsum judicet, et confiteatur artificem suum, et laudabilem reddat : « et » est « magnificentia, » id est magnificum opus, « et justitia ejus » Dei « manet in sæculum sæculi » quia et bonos hic justificat, et in æternum remunerat; et malos hic excæcat, et in æternum damnat.

« Memoriam fecit. » Pars secunda. Præter hæc prædicta habeo materiam laudandi Deum, quod ipse « misericors et miserator Dominus dedit escam, » id est refectionem corporis et sanguinis sui, non omnibus valentem ad vitam, sed « timentibus se : » quam dando, « fecit memoriam mirabilium suorum, » patribus antiquis exhibitorum, complendo ex significatis quod præsignaverat in figuris : quia cum nobis escam Dominici corporis dedit, nos memores fecit

mannæ hanc escam præfigurantis (*Exod.* XVI), et aliorum Dei beneficiorum similiter.

Et hanc escam dando, « memor erit, » id est memorem se ostendet « Testamenti sui, » id est promissionis Abrahæ factæ (*Gen.* XXII) : Testamenti dico durantis « in sæculum. » Per illam enim escam accipiunt filii Abrahæ æternam benedictionem, in quo determinat quod illa esca sit cibus Dominici corporis, quia alia esca non daret vitam æternam Abrahæ promissam : et « virtutem, » id est efficaciam et completionem « suorum operum, » id est mirabilium patribus in figura ostensorum, « annuntiabit » per prædicatores « populo suo » qui annuntiabunt Christum, et finem legis esse, et completionem omnium promissorum Dei.

Ad hoc annuntiabit, « ut det illis » annuntiatoribus « hæreditatem gentium, » id est gentes in hæreditatem, sicut Petrus et Paulus habuerunt hæreditatem et possessionem in gentibus. Alia materia laudis : et etiam « opera manuum ejus, » id est divinitatis, sunt « veritas et judicium. » Veritas, quantum ad bonos, quibus complentur promissiones Dei : et judicium, quantum ad illos sunt opera illa, quos suo justo judicio damnat Deus.

Alia materia laudis : hoc etiam materia laudandi erit mihi, quia « omnia mandata ejus » sunt « fidelia, » id est credibilia : quibus credendum est, quia complent quod promittunt : « confirmata in sæculum sæculi, » quia non potest impediri aliquatenus quod promittunt quin fiat, et hic et in futuro. Vel, « confirmata in sæculum sæculi, » id est non perficientia in sæculo hoc quod promittunt, sed in futuro : ipsa mandata dico « facta in veritate » in completione promissionum, « et æquitate » quia nihil invenitur in eis iniquum.

« Redemptionem. » Pars tertia. Alia materia laudis. Continuatio : propterea etiam confitebor ei, quia ipse « misit redemptionem populo suo, » id est populum suum de servitute diaboli liberavit : et « mandavit » etiam, id est fecit annuntiari per prædicatores per mundum « Testamentum, » scilicet sanctum Evangelium, duraturum « in æternum, » quia æternos faciet justos.

Alia laus. « Nomen » etiam « ejus sanctum, » id est dulce et bonum gustantibus, non quia profertur, sed quia creditur, et credentes salvos facit et sanctos, « et terribile » malis respectu futuri judicii. Alia laus : Et « timor » illius « Domini, » quia cum timemus futurum judicem, et vindicaturum de malis, est « initium » veræ « sapientiæ, » quia hoc mala vitamus et bona facimus.

Et « intellectus » illius timoris, id est si quis bene intelligit quid sibi sit faciendum, est « bonus, » id est utilis : et hoc non intelligentibus tantum, scilicet sine actu, sed « omnibus facientibus eum » intellectum, id est ea complentibus quæ exigit intellectus. Vel, « facientibus eam, » id est sapientiam : et « laudatio ejus manet in sæculum sæculi, » quia et hic et in futuro laudabitur.

IN PSALMUM CXI.

TITULUS · — *Alleluia, reversionis Aggæi et Zachariæ.*

« Beatus vir. » Longe post tempus prophetæ, captivati sunt Judæi in Babyloniam. Cumque quidam rex motus pietate, attendens populum Dei esse, liberasset eos, præcepit ut redirent in terram suam, et templum Dei reædificarent : in qua reversione sua Aggæus et Zacharias, qui eam reversionem jam prophetaverant, cum vidissent templum reædificari, gaudentes de hoc et de sua reversione, laudes Deo decantaverunt : et secundum hanc historiam videtur Esdras propheta hunc psalmum intitulasse : non tamen quod de historia intelligeret, sed quod ipse Esdras cognovit prophetam intellexisse David in hoc psalmo, quemcunque beatum virum laudare Deum, de hoc quod Deus reduxit eum de Babylonia, id est de confusione peccatorum. Titulus ita legitur : Psalmus iste est allelnia, id est laus Dei, laus dico reversionis, id est habita in consideratione reversionis nostræ de Babylonia peccatorum ad cœlestem Hierusalem : « reversionis » dico « Aggæi et Zachariæ, » id est omnium justorum, qui per partem hic significantur. Secundum interpretationem etiam nominum horum justi bene possunt intelligi : Aggæus namque montanus interpretatur, per quem merito justi intelliguntur, qui sunt montes, id est alti in virtutibus. Zacharias vero solemnis interpretatur, per quem bene fideles intelliguntur. Materia est, ubi beatus de Babylonia reversus, Deum laudans pro reversione. Modus : In prima parte ostendit quid faciat vir beatus, et quid sibi fiat a Domino. In secunda, quæ incipit : « Exortum est in tenebris, » ostendit per adventum Christi, in quo homines illuminantur, accipere quæcunque habent dona gratiæ. In tertia, quæ est : « Peccator videbit, » ostendit malis contrarie evenire, quam illis qui per adventum Christi fuerunt illuminati. Intentio est persuadere Deum nobis laudandum, qui ita reducit fideles suos de Babylonia peccatorum.

Vox prophetæ, vel alicujus beati viri, sic dicentis : « Vir » ille « beatus » est, qui non per devia hujus mundi quærit beatitudinem, sed hac brevi et compendiosa via, scilicet « qui timet Dominum » vero timore. Et quare ideo qui timet est beatus? Quia ille timens « volet in mandatis ejus, » id est voluntatem habebit implendi præcepta ejus : et hoc « nimis, » id est valde. Ideo non dicit faciet, sed « volet : » quia si bona sit voluntas, et detur facultas, vere perficiet. Si autem non sit facultas faciendi, sufficit bona voluntas.

Ostenso quid faciat beatus, scilicet « qui timet et volet in mandatis, » ostendit quid fiat illi beato, sic : Ideo beatus erit, quia « semen ejus, » id est bona opera ipsius, « erit potens, » id est faciet eum potentem « in terra » viventium. Hic quidem bona operatio quasi impotens est, quia in timore semper sumus, ne eam diabolus impediat timentes : ibi autem nos nulla tentatio, nullus timor poterit impe-

dire. Ideo semen opera dicimus, quia, sicut ex semine fructum multiplicem exspectamus, sic ad hoc bona opera seminamus, ut ex eis fructum multiplicem in cœlesti colligamus. Ideo etiam dicitur beatus, quia « generatio rectorum, » id est, sequaces et imitatores justorum, « benedicetur, » id est, in virtutibus multiplicabitur.

Ideo etiam beatus erit, quia « in domo ejus, » id est in corde ipsius, in qua domo ipse quiescit a sæculari tumultu, est « gloria » de puritate suæ conscientiæ. Unde Apostolus : « Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I) » : « et divitiæ, » scilicet sapientiæ et charitatis. Vel divitiæ, id est observatio multorum mandatorum Dei : « et justitia ejus, » id est merces et retributio, quam accipiet pro justitia, « manet in sæculum sæculi, » quia æterna erit.

« Exortum est. » Pars secunda. Continuatio : Quasi diceret : Unde hoc proveniet alicui beato viro, quod hoc possit facere? Quia verum « lumen, » id est, Christus, « est exortum » corporaliter « in tenebris, » id est, in hoc mundo, qui ante adventum Christi tenebræ erant, quia in eo tenebræ et ignorantia veri boni regnabant. Unde Isaias : « Populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam (*Isa.* IX). » Et in Evangelio : « Et lux in tenebris lucet (*Joan.* I). » Lumen dico non valens omnibus, sed « rectis, » id est illis qui cor suum ad imitationem Christi volunt dirigere. Et quod est illud nomen? Scilicet ille qui « misericors » est in natura, « et miserator » in exhibitione, sicut fuit quando « seipsum exinanivit formam servi accipiens : » et » etiam est « justus, » id est puniens peccata. » Vel « justus (*Philip.* II), » quia fuit immunis a peccato : et per has determinationes Christum manifeste intelligimus.

Exorto lumine, « homo » factus « jucundus, » ille, scilicet, jucundus, « qui miseretur » in affectione super aliquem necessitatem patientem : quod satis est ad salutem, si ille miserans non habeat quod impendat : « et » cum opus est, si quid habet, « commodat, » id est, distribuit pauperi. Ideo tamen dicit « commodat, » quia licet non a paupere cui dat, a Deo tamen remunerationem exspectat, sicut ille qui pecuniam accommodat alicui. Vel, « miseretur, » id est, pecuniam suam indigenti ministrat, et commodat indigenti alicui, ut tamen eamdem pecuniam ab eo exigat. Hic talis « disponet, » id est disposite et ordinate faciet; unde Apostolus : Rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XII); » « disponet » dico « sermones suos, » id est opera sua : opera dico valitura « in judicio » futuro. Per sermones ideo accipimus opera, quia sicut sermones alicujus oratoris bene dispositi defendunt reum in judicio, sic opera justi, rationabiliter exhibita, defendunt reum in futuro judicio. Ideo sic disponet, « quia » scit quod ipse « non commovebitur in æternum, » id est, æternaliter gloriam Dei possidebit.

Et hic talis « justus » quia in hac vita a Domino videtur esse derelictus et oblivioni traditus, « erit in memoria » Domini, quod apparebit quando dicetur : « Venite, benedicti Patris mei, etc. (*Matth.* XXV). » Quæ memoria erit « æterna, » id est, conferens æternitatem, et iste talis « non timebit ab auditione mala » quando dicetur : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Ibid.*). » Ideo non timebit, quia « cor ejus semper fuit « paratum, » id est, instructum divina inspiratione, « sperare in Domino » et etiam « cor » illud sperans « est confirmatum » in spe, ut ab ea spe aliqua eum tribulatio dimovere non possit; et hoc est : « non commovebitur, donec despiciat inimicos suos, » id est, donec videat completum de inimicis, quod modo exspectat de eis, scilicet in pœnas eos dari : ideo dicit « donec, » quia tunc non erit spes, quando videbit quod non sperat unusquisque.

Et quia sperat, et quia confirmatum est, etc., ideo « dispersit » bona sua. Et notat providentiam sanctorum in faciendis eleemosynis, quia non uni omnia dant, ut divitem faciant, sed multis, ut multorum inopiam suppleant. « Dispersit » dico, et hoc non pro remuneratione temporali, sed « dedit, » id est, impendit gratis, et ministravit « pauperibus, » et hoc facere est « justitia ejus » quæ « manet in sæculum sæculi, » id est, retributio justitiæ æternam ei mercedem comparat : et « cornu ejus, » id est, exaltatio ipsius, quam in hac vita habuit in virtutibus, « in gloria exaltabitur » quia per illas virtutes immortalitatem et impassibilitatem recipiet.

« Peccator. » Pars tertia. Dico, justus exaltabitur, et hoc « videbit peccator » quia omnes suos Christum in judicio remunerantem videbunt : « et » tunc peccator ille, qui prius contra bonos in sæculo iram exercuit, « irascetur, » sibi ipsi irascetur; « dentibus suis fremet, » quia « ibi fletus et stridor dentium (*Matth.* XIII; *Luc.* XIII) : » quod dicit tunc irasci, fremere dentibus, per simile dicit, quia similem pœnam habebunt nequitiæ, quam hic exercuerunt : « et tabescet, » id est, deficiet, ideo scilicet, quia « desiderium peccatorum peribit, » quia desiderium quod habebant in hac vita, peribit : quia etiam terrena peribunt, quæ sola ipsi semper desideraverant : et contra, justi desiderium complebitur. Alleluia.

IN PSALMUM CXII.

TITULUS. *Alleluia.*

« Laudate, pueri, Dominum. » Hic loquitur propheta, habens materiam laudes Dei. In prima parte monet ad laudandum, et proponit materias laudis, scilicet, quia Dominus est excelsus super omnes gentes. In secunda parte, quæ incipit : « Quis sicut Dominus : » ostendit seipsum hoc facere quod alios monebat, scilicet, laudare Deum. Unde in principio dicit :

« Laudate, pueri, Dominum, » id est, in bona vita vestra Dominum laudabilem ostendite : nec malos moneo laudare, quia « non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV); » sed vos pueri, id est, puri et simplices; unde Apostolus : « Malitia parvuli estote (*I Cor.* XIV), » « laudate » etiam « nomen Do-

mini, » annuntiate facta ejus, in quibus ipse laudabilis apparet, et unde nomen suum, id est fama sua, semper multiplicabitur.

Dico « laudate nomen, » et hoc non ad horam, sed « nomen Domini sit » a vobis « benedictum » et ampliatum, incipiens « ex hoc nunc, » id est sine omni dilatione, « et » perduret ipsa benedictio « in sæculum » futurum, « usque, » id est, assidue, hoc est, et statim incipiat, et in æternum permaneat.

Dico semper benedicite, et illam vestram benedictionem per omnem terram dilatate; hoc est quod dicit: « a solis ortu usque ad occasum; » et per hoc intelligimus universam terram : appareat vestra annuntiatione « laudabile nomen Domini. »

Ponit causas et materias quare eum laudare debeant; ac si diceret : Ideo debetis laudare Dominum, quoniam iste « Dominus, » id est Christus, est « excelsus super omnes gentes, » quia ipse omnes gentes fecit : et non tantum super omnes gentes, sed « et super cœlos, » id est, cœlestes et angelicas creaturas, et « gloria ejus, » id est ipse gloriosus : quia ipse est etiam vita et refectio angelorum.

« Quis sicut Dominus? » Pars secunda. Et vere ipse laudandus est, quia nullus potest inveniri similis illi in aliqua dignitate. Hoc dicit sub interrogatione : « Quis sicut Dominus Deus noster? » Nullus utique : « qui » Dominus « in altis habitat, » id est, in sanctis per eminentiam virtutum : « altis, » qui ex sua habitatione alti fiunt : nec tamen eos despicit, si velimus humiliari ei : quia de illa altitudine sedis « respicit, » id est, misericordiam tribuendo, visitat « humilia, » id est eos, qui se volunt humiliari, « in cœlo, » id est, in cœlestibus creaturis : sicut angelos superbientes non respicit, sic angelos remanentes, qui humiles fuerunt, respexit, et in vera obedientia confirmavit, ut deinceps superbire non possint : « et » ea humilia, quæ sunt « in terra, » id est, humiles viros, respicit oculo misericordiæ : quia et peccata eis condonat, et confert justitias.

Respicit humilia quæ sunt in terra, conferens eis hanc utilitatem, scilicet « suscitans inopem, » id est illum qui se non reputat quidquam boni ex se habere « a terra, » id est, ab appetitu terrenorum. « Suscitans » bene dicit, quia homines sopiti erant, et quiescentes in amore terrenorum, quando Deus eos inde excitavit per Christum : etiam « erigens pauperem » spiritu, scilicet humilem, « de stercore, » id est de immunditia hujus vitæ : unde dicitur : « Computruerunt jumenta in stercore suo (*Joel.* 1). »

Ad hoc suscitat, « ut collocet eum » suscitatum « cum principibus, » id est, cum sanctis angelis et « cum principibus populi sui, » id est, cum sanctis apostolis, quos Dominus populo suo præfecit.

Ostendit per quid Deus pauperem suscitet, quia prædicatores suos, qui ante adventum ejus steriles fuerunt, modo fecundos faciet et bene fructificantes. Continuatio : Ille quidem est suscitans, « qui habitare facit in domo. » id est in Ecclesia, » sterilem, » id est prædicatores suos, qui ante adventum Christi, licet in arcano mentis suæ boni essent, steriles tamen erant, quia Deo filios non generabant: habitare dico in domo, ita ut « matrem filiorum, » quia multos Deo in fide parturiunt, et propterea « lætantem. » Cum dicit eos habitare in domo, notat curam administrationis et consolationis, quam habent sancti prædicatores in Ecclesia. Alleluia.

IN PSALMUM CXIII.

TITULUS. *Alleluia.*

« In exitu Israel. » In hoc psalmo loquitur propheta, et habet materiam beneficia Dei, quæ fecit Ecclesiæ, significata per illa beneficia quæ contulit antiquo populo. Dicuntur enim hic quædam quæ nos ab historia removent; sicut : « Montes exsultaverunt et colles. » In prima parte, proponit nobis beneficia quæ Deus facit Ecclesiæ, per figuras eas significans. In secunda, quæ incipit : « Quid est tibi, mare, quod fugisti, » facit quæstionem, quasi admirans : Quis potest facere populo suo tanta beneficia? Et solvit eam, ostendens a Domino esse factam : non tamen quod propheta miretur, sed nobis admirandum esse relinquit de bonitate Dei. In tertia parte, quæ incipit : « Simulacra gentium, » facit collationem de cultura deorum falsorum, gentium scilicet, et Christianorum : ostendens gentium culturam esse stultitiam, Christianorum autem esse utilissimam. Intendit nos admonere ut pro beneficiis illis in nobis completis, alleluia Domino decantemus, et ut ex historia tramus allegoriam.

Prius legamus historiam, sic : « In exitu Israel de Ægypto, » id est, quando Israeliticus populus exivit de Ægypto, scilicet de exitu « domus, » id est totius familiæ « Jacob. » De Ægypto, de qua exivit merito, quia scilicet « de populo barbaro, » id est, quia populus erat barbarus.

In exitu illo « Judæa » terra illa « est facta sanctificatio illius » populi; quia ibi potuerunt cæremonias illas et sacrificia Deo persolvere, in quibus illi populi sanctificabantur; « et Israel » est factus « potestas ejus » terræ, id est, potens in terra illa : et tunc apparuit Judæa quasi domina omnium terrarum.

Et quomodo exivit? Per hoc quod « mare » Rubrum « vidit, » id est, cognovit, faciem Dei et voluntatem, « et fugit » mare, id est, divisit seipsum : et quando venerunt ad Jordanem, tunc « Jordanis conversus est retrorsum, » quia fecit eis viam.

Et cum venerunt in Judæam, « montes, » id est, altiores in populo, ut Josue et Caleph, « exsultaverunt ut arietes, et colles, » id est, minores in populo, « sicut agni ovium. »

Ad allegoriam : Per Israel, populum Christianum intelligimus, qui bene dicitur Israel, id est, videns Deum per fidem : quando exiit de Ægypto, id est, de tenebris infidelitatis. Per domum Jacob intelligimus populum luctatorem contra vitia : qui bene dicitur Jacob, id est luctator, cum exiit de populo barbaro, id est de dominio vitiorum vel a consortio

dæmonum, qui dicuntur populus barbarus, quia sunt alienati a Deo.

Et postquam iste Israel exivit de Ægypto, Judæa, id est Christus, qui ideo per Judæam intelligitur, quia de tribu Juda natus est, a quo Judæa dicta, qui proprie etiam dicitur Judæa, quia confessio nostra est, quia eum nostrum Salvatorem intelligimus: et ipse Christus est terra nostra, per quem subsistimus, sicut et per Judæam Israeliticus populus: Judæa illa, scilicet Christus, facta est sanctificatio ejus Israel, id est Christiani populi: quia Christianus populus per Christum habet omnem sanctificationem: et Israel, id est, populus ille Christianus, est factus potestas ejus Judææ, id est, Christi, id est, ostendit Christum potentem, a quo fortitudinem illam accepit, ut tam firmiter stare et contra vitia pugnare possit.

Et per hoc ille populus factus est Israel, et exivit de Ægypto infidelitatis, quia « mare vidit et fugit, » id est, omnes amaricantes in peccatis, viderunt faciem Dei: et « Jordanis, » id est, aliqui fluentes variis desideriis in mare, id est, in mundum discurrunt: conversi sunt « retrorsum, » ita ut a peccatis cessent, et ad Christum, id est ad fontem suum, redeant, a quo in perfectione creati sunt.

Et tunc « montes » illi, id est altiores in Ecclesia, sanctificati a Christo, « exsultaverunt » de virtutibus suis, « sicut arietes, » quia sunt duces gregis, sicut arietes: « et colles, » id est illi minores, qui erant culti ab illis altioribus, facti per prædicationem eorum « sicut agni ovium, » id est innocentes, exsultaverunt.

« Quid est tibi, mare? » Pars secunda. Continuatio: Mare fugit priorem vitam, et, o « mare, » id est, o vos amaricantes in peccatis, « quid est tibi quod fugisti, » id est priorem consuetudinem dimisisti? « et tu, Jordanis, » quid est tibi « quia conversus es retrorsum, » ad Deum fontem tuum?

Et, o vos, « montes, » id est sancti apostoli, quæ causa fuit quare vos « exsultastis sicut arietes? et » o vos, « colles, » quid exsultastis « sicut agni ovium? » ponit solutionem.

Quæro cur fugisti? etc. Ecce causam. Ideo mare fugit, et cætera facta sunt (*Exod.* XVII), quia « terra, » id est terreni, « mota est » a veteri vita ad novam: et hoc « a facie Domini, » id est, propter faciem Dei, quam præsentem viderunt, scilicet cognitionem Dei habuerunt: et ne novum intelligeremus, dicit: « a facie Dei Jacob, » id est, ille Deus quem præsentem vidimus in corpore, fuit ille Deus quem adoravit Jacob.

« Qui » Deus ostendens nobis faciem suam per præsentiam corporis, « convertit petram, » id est, petrosos Judæos, de quibus dicitur: « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ (*Matth.* III), » id est, de his Judæis: convertit, dico, « in stagna aquarum, » id est, ut sint stagnum continens aquas, id est, fiant Ecclesia, in qua continentur aquæ baptismi: et non tantum convertit Judæos, sed etiam « rupem, id est, gentiles siccos et aridos a vero rore, et cognitione Dei, convertit « in fontes aquarum, « id est, ut ipsi gentiles fiant fontes et origo, ex quibus aquæ, id est doctrinæ, profluunt aliis.

« Non nobis. » Et quandoquidem, o Domine, ita convertis petram, et cætera beneficia facis nobis, ego, « Domine, » da nobis misericordiam et veritatem: et super illa misericordia tua « da gloriam nomini tuo, non nobis, » id est, fac nos intelligere misericordiam tuam nullo nostro merito nobis dari, sed propter nomen tuum ampliandum: ut inde nullam attribuamus nobis laudem et gloriam, sed totum ascribamus nomini tuo: in uno « non nobis, » Judæos intelligimus: in alio, « non nobis, » gentes, scilicet neque Judæi neque gentes præsumant sibi dari misericordiam secundum merita sua.

« Da gloriam, » dico, « super misericordia tua, » id est, de remissione peccatorum et aliis misericorditer impensis: « et veritate tua, » id est, de impletione promissionum: ita da gloriam nomini tuo, « ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum? » quoniam putant vel nos non habere Deum: vel, si habemus, impotentem eum putant, cum nos videant pauperes et pannosos.

« Deus autem. » Gentes putant nos non habere Deum, vel si quem habemus, putant eum esse impotentem, sed « Deus noster » est « in cœlo » quod apparet, quia « omnia quæcunque voluit fecit. »

« Simulacra. » Pars tertia. Deus noster est in cœlo, potens super omnia, sed dii « gentium, » qui sunt « simulacra, argentum » sunt « et aurum » secundum materiam. Ideo hæc duo dicit, quæ sunt pretiosiora metalla, quia si stultum est adorare aureas et argenteas imagines, multo stultius adorare ferreas, vel de quocunque vili metallo. Secundum materiam sunt argentum et aurum, secundum compositionem sunt « opera manuum hominum: » et in hoc notatur maxima eorum stultitia, quod ea quæ ipsi faciunt, quasi Creatorem suum venerantur.

Et ut maxime derideat idololatrarum stultitiam, describit simulacrorum impotentiam, dicens: « Os habent, » quod faciunt ejus artifices, « et non loquentur, oculos habent et non videbunt. »

« Aures habent, et non audient; nares habent, et « non odorabunt. Manus habent, et non palpabunt; « pedes habent, et non ambulabunt. » Non dico tantum non loquentur sicut homines, sed « non clamabunt » sicut quædam irrationabilia animalia: in quo maxime eorum deridet stultitiam, qui talia adorant, quæ nec clamare possint sicut asini vel quælibet irrationabilia animalia. Dico non clamabunt, ita quidem quod « in gutture suo » clament: quod ideo dicit, quia quandoque in hujuscemodi idolis loquuntur dæmonia.

« Similes illis fiant qui faciunt ea, » id est artifices idolorum: quod sicut illa non vident, nec alium habent sensum corporalem, ita factores idolorum priventur omni vigore animæ: « et » non solum qui

faciunt ea, sed « omnes qui confidunt in eis, » id est, qui ab eis quasi a Deo petunt auxilium.

Gentes sperantes in hujusmodi idolis nihil proficui habuerunt, sed « domus, » id est congregatio, « Israel, » id est Christiani populi, « speravit in Domino, » et ipse est « adjutor eorum » ad bene operandum, « et protector eorum est » contra mala.

« Domus Aaron, » id est congregatio sacerdotum, « speravit in Domino, » et non sine fructu, sed « adjutor eorum et protector eorum est. »

Quid per singula? Omnes de quacunque conditione « qui timent Dominum, speraverunt in Domino : » et auxilium in eo invenerunt, quia « adjutor eorum et protector eorum est. »

Et quod fuit noster adjutor, non fuit ex meritis nostris, sed per misericordiam suam « Dominus B memor fuit nostri, » quod maxime apparet ex hoc quod Filium suum pro nostra redemptione incarnari fecit, « et benedixit nobis, » id est, multiplicavit numero et virtutibus.

Et quibus nobis? « Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron : » et etiam « benedixit omnibus qui timent Dominum : » neque hoc tantum potentibus sæculi, sed « pusillis, » secundum statum humanum « cum majoribus, » vel pusillis et majoribus secundum merita.

Dominus hæc beneficia fecit nobis, et adhuc « adjiciat Dominus » benedictionem, vel filiorum successionem, « super vos, » conversos de Judæis : vel super nos conversos de gentibus, vel super majores, vel super vos pusillos adjiciat : « et super filios C vestros » benedictionem, vel filiorum successionem.

Dico « adjiciat, » et vere adjiciet, quia « vos » eritis « benedicti, » id est multiplicati in virtutibus : et hoc « a Domino, » id est, ad honorem Domini, non ad gloriam vestri : qui bene potest fideles suos benedicere, quia ipse est « qui fecit cœlum et terram, » ad litteram.

« Cœlum cœli, » id est, supremum cœlum, dedit « Domino, » id est Jesu, in quo ipse regnaret; « terram autem dedit filiis hominum, » in qua Deo militarent, et cœli habitationem promererentur. Per « cœlum cœli » possumus firmamentum intelligere, quod continet alios cœlos, scilicet regiones planetarum, de quo dejectus fuit diabolus. Vel per « cœlum D cœli » possumus intelligere aliud cœlum supra firmamentum, ad quod, ut dicit Hieronymus, anhelabat diabolus, et ideo fuit dejectus : quod cœlum Dominus dedit Christo. Allegoria : Per « cœlum cœli » possumus intelligere altiores in Ecclesia, qui alios continent et regunt : qui sunt dati Domino, quia in eis specialiter Dominus habitat. Per terram accipimus minores in Ecclesia, qui non tantum subditi sunt Domino, sed etiam filiis hominum.

Ad hoc precor ut adjicias, ut nos justificati digne possimus laudare te, quia in peccatis « mortui non laudabunt te, Domine, » placita laude, sicut dicitur : « Non est speciosa laus in ore peccatoris A (*Eccli.* xv). » Unde Psalmista alibi : « Peccatori dixit Deus : « Quare tu enarras justitias meas? (*Psal.* xlix) » « neque omnes, » id est non omnes illi, « qui descendunt in infernum. » Aliqui autem laudaverunt in inferno, sicut prophetæ, et alii justi ante adventum Christi.

Mortui non laudabunt, « sed nos qui vivimus, » vera vita, scilicet in virtutibus, « benedicimus Domino, » id est, incipientes « ex hoc nunc, » id est, ex hoc præsenti, et perseverantes in laudibus Dei solius, « usque in sæculum » futurum, id est, in æternum.

IN PSALMUM CXIV.

Titulus. *Alleluia.*

« Dilexi quoniam. » Loquitur propheta, et habet materiam seipsum, et alios conversos, et exauditos de peccatis, et orantes pro reliquo, id est, pro æterna vita : et in prima parte ostendit quod eum in peccatis fuisset, immisit Deus multas tribulationes, quæ coegerunt eum clamare pro peccatis, et clamans exauditus est. In secunda parte, quæ incipit : « O Domine, libera animam meam, » jam exauditus de peccatis, petit quod residuum sibi videt, scilicet vitam æternam. Intentio est ut pro tali liberatione Domino alleluia cum exsultatione cantemus.

Dum multis monitus tribulationibus clamarem ad Dominum pro peccatis, exaudivit me Dominus : et quoniam exaudivit, dilexi Dominum. Dicitur dilectio Dei duobus modis, liberalis et servilis. Servilis, cum pro bonis temporalibus Deum diligimus, quæ parum grata est Deo, quia etiam sic diligunt eum quilibet pessimi. Liberalis est dilectio, qua Deum propter seipsum diligimus, nec ab eo aliqua tribulatione sejungi possumus. Unde Apostolus : « Neque mors, neque vita, neque creatura alia potest nos separare a charitate Dei (*Rom.* viii). » Quæ dilectio est grata Deo : et hoc genere dilectionis justus ille tribulatus dicit se Deum diligere : ideo « dilexi, quoniam ipse exaudiet Deus, « id est, sicut ipse audivit, sic in exauditione perseveravit : « vocem orationis meæ. »

Ideo scio quod exaudiet, « quia inclinavit « jam » aurem suam mihi, » id est, condescendendo et humiliando suam clementiam et potentiam, me liberavit : « et » quia sic inclinavit, sic exaudivit, ideo « invocabo » eum, ut me perseverare faciat in custodia a peccatis : et hoc « in diebus meis, « id est, in hac fragili vita, ubi semper in timore sumus, et proni ad lapsum.

Ideo dico « exaudiet, invocabo, » quia habui multas tribulationes, in quibus clamavi : ita opus fuit mihi ut me exaudiret; et hoc est : « circumdederunt me dolores mortis, « id est animæ anxietates gravissimæ; « et pericula inferni, » id est, gravissima pericula et tribulationes corporis, quales in inferno mali sustinent : « invenerunt me, » id est, venerunt mihi : sed ideo invenerunt, quia quasi expositus sine adjutore jacens, et projectus in peccatis, nec suæ saluti providens.

Hæc me invenerunt et arripuerunt, et ego « tri-

bulationem » corporis,« et dolorem » animi « inveni, » id est, cognovi hæc mihi a Domino mitti ad correctionem. Invenire enim tribulationem est eam sibi a Deo immitti pro peccatorum correctione cognoscere : « et » cum inveni, monitus illis tribulationibus, « invocavi nomen Domini. »

« O Domine. » Pars secunda. Continuatio : Quandoquidem per tribulationem me monuisti, etiam invocantem me exaudisti de peccatis, fac quod residuum est, scilicet « libera animam meam » de omni impedimento sæculi, scilicet perduc in æternam requiem, juxta Apostolum : « Quis me liberabit de corpore mortis hujus (*Rom.* VII) ? » Dico « libera , » et scio quia liberabit ; et facit apostrophen ad auditores : quia « Dominus » est « misericors » in natura, « et justus, » corrigendo peccata : « et ipse Deus noster miseretur, » quia correctos salvat, faciens eos immortales. Alia translatio habet, « miserebitur. »

Et vere justus et misericors, quia ipse est « custodiens parvulos Dominus » a peccatis, id est, humiles qui se parvos faciunt : et inde in meipso argumentum ostendo, quia « ego sum humiliatus » parvulus factus ; « et » ipse « liberavit me » ab onere peccatorum.

Et quia sic me liberavit, o « anima mea, convertere » ab omni delectatione terrenorum, « in requiem tuam, » id est ad Deum, qui est vere requies tua, a quo profecta es creata in perfectione : et ad eum debes reverti, « quia Dominus benefecit tibi, » id est, dimisit peccata, fecit dignam gloria sua, et tandem faciet immortalem, impassibilem.

Vertit se ad auditores : vere benefaciet mihi Dominus, « quia eripuit, » id est, eripiet per violentiam « animam meam de morte, » id est, de omni timore mortis, et per hoc « oculos meos, » id est, affectiones, « a lacrymis, » quia non faciam unde ibi sit mihi lacrymandum. Unde dicitur : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum (*Apoc.* XXI) ; » et « pedes meos, » id est affectiones meas, « a lapsu » eripiet : quia ibi sic securi erimus, quia nullo peccato movebimur. In hac vita contrarium nobis est, quia hic semper in timore mortis sumus, et pro peccatis lacrymas fundimus, et semper proni ad lapsum sumus.

Et tunc « placebo Domino, » quia nullam ibi in me offensionem inveniet : sublatus de regione mortuorum, et positus « in regione vivorum, » id est sanctorum : per excellentiam dicit se placere Deo, quia cum hic nullus iustus sine peccato esse possit, Deo placere per omnia non potest.

IN PSALMUM CXV.

TITULUS. *Alleluia.*

« Credidi propter. » Vox est martyrum Domini, et loquitur quasi in una persona, omnium martyrum personam induens, et ipsi iidem sunt materia, martyrio suo mortem Domini imitantes. In prima parte ostendit martyr qui loquitur, cum ex se nihil A sit, nisi vanitas et mendacium, se a Domino tantum donum recepisse, ut Domino non timeat recompensare, quod ipse Christus mori voluit pro nostra salute. In secunda parte, quæ incipit : « O Domine, quia ego servus tuus, » ostendit se Christi servum esse, et in fide catholica permanere, et ideo martyrii sui utilitatem sibi provenire. Intentio est, ut laudemus Deum per hæc beneficia : et talem nobis constantiam dat, ut morte nostra mortem Domini recompensare velimus.

Dicit martyr qui loquitur, gratia Dei inspiratus : « Credidi » corde ; Unde Apostolus : « Corde creditur ad justitiam (*Rom.* X). » Bene incipit a « credidi, » quia nihil boni possumus facere, nisi credamus ; unde Apostolus : « Omne quod non est ex fide, B peccatum est (*Rom.* XIV) : » « propter quod, » id est, quia credidi « locutus sum, » quia, si opus fuit, veritatem non tacui : quæ confessio valet, testante Apostolo, qui ait : « Ore confessio fit ad salutem (*Rom.* X). » Locutus sum, « ego autem » non prædicatio mea : « humiliatus sum, » non mente, sed tribulatione corporali, et hoc « nimis » importabiliter, vel valde : licet essem multis miseriis afflictus, non cessavi tamen a prædicatione Dei. Unde Apostolus : « Teneor in vinculis, sed verbum Dei non potest alligari (*II Tim.* II). »

« Credidi, locutus sum, humiliatus sum, » et ita videor me dicere fortem, sed tamen quandocunque prudentius vidi naturam meam, intellexi me nihil C esse, nisi vanitatem ; et hoc est : « ego dixi, » id est, apud me intus tractavi : neque hoc imprudenter faciens, sed « in excessu meo, » id est, humanos affectus excedens ratione : dixi hoc, scilicet « omnis homo mendax, » scilicet qui homo tantum est.

Dixi, « credidi, locutus sum, humiliatus sum, » et quandoquidem Dominus hæc bona mihi contulit, ergo « quid retribuam Domino pro omnibus » beneficiis « quæ » ipse « retribuit mihi ? » non pro bonis meritis, sed pro malis dans bona.

Dico « quid retribuam, » « calicem salutaris, » id est, morte mea mortem Domini imitabor : et hoc non sic faciam ut non libens facere videar, sed « accipiam, » id est, magno desiderio appetam, calicem dico salutaris, id est Salvatoris, quem ipse D pro nostra redemptione sustinuit : cum dicit, « salutaris, » innuit quod et ipse per hunc calicem salutem assequatur : dico « accipiam, » « et » ut possim persolvere, « nomen Domini invocabo. » Per calicem ideo intelligimus mortem, quia cum quadam delectatione accipiunt eam sancti, et est eis perfecta refectio.

Invocabo nomen Domini, « reddam vota mea, » id est, complebo opere quod desideraveram, id est, meipsum, sicut desideraveram, passione finiam : et hoc « coram omni populo ejus, » ut alii in me exemplum capiant. Ideo sic reddam vota, quia « in conspectu Domini mors sanctorum ejus, » quæ est contemptibilis ad conspectum hominum, est « pretiosa, » id est placens. Vel mors sanctorum, quæ est in

conspectu Domini, id est placens ei, est pretiosa, id est sanguine Christi empta. Ad hoc enim mortuus est, ut et nos, si necesse est, pro eo moriamur : quod autem magno pretio emptum est, pretiosum est.

« O Domine. » Pars secunda. Hæc te tribuente sustinui, hæc passio mea, « o Domine, » utilis erit mihi, quia ego persisto in fide et servitio tuo. Et antequam ostendat utilitatem, ostendit se in Dei servitio permanere, cum dicit, « quia ego servus tuus » sum, id est, quia reputo te altissimum et Dominum meum ; et ut majorem ostendat humilitatem, replicat : « ego servus tuus et filius ancillæ tuæ, » Ecclesiæ scilicet, imitator antiquorum patrum.

Quia ita sum servus, ideo « dirupisti vincula mea, » id est, per martyrium dissolvisti me ab omni B vinculo peccatorum. Certum autem nobis est quod omnes hi qui in fide catholica pro Christo martyrium sustinent, etiam si criminalibus impediti sint, omnia tamen in martyrii sanguine diluuntur : cum dicit vincula sua disrumpi, quia Christi servus fuit, dat nobis intelligere quod si qui martyrium patiantur, qui non sint veri catholici, martyrium eorum non disrumpit vincula peccatorum : sicut plures pro hæresibus suis mortui sunt, et nihil profuit eis. Et quia scio quod vincula disrumpes, ideo « sacrificabo tibi hostiam, » non pecudum, sed « laudis, » id est, meipsum acceptabilem hostiam, mortificando in me omnia vitia « et » ut possim, « nomen Domini invocabo. » Hoc non est de Hebraica veritate, sed translatores apposuerunt ; et ideo Hieronymus in hoc loco et in aliis, ubi quid non est de Hebraica veritate, ponit asteriscum, id est signum prohibitionis ; obelum ponit, ubi per contrarium evenit, scilicet ubi aliquid invenit ablatum, quod retinet Hebraica veritas.

Laudes devoveo Deo, et illas laudes « reddam Domino, scilicet « vota mea : » et hoc in « conspectu omnis populi ejus, » ut aliis exemplum laudis exhibeam : et hoc faciam « in atriis domus Domini, » id est, in præsenti Ecclesia, quæ vocatur atrium propter amplitudinem domus, quia in ea Deus habitat. Vel per domum accipimus cœlestem domum : per atrium, præsentem Ecclesiam, quæ est atrium, id est introitus ad cœlestem patriam : et illa vota mea reddam ego jam spe « in medio tui, Hierusalem, » cœlesti.

IN PSALMUM CXVI.

TITULUS. *Alleluia.*

« Laudate Dominum, omnes gentes. » Habet propheta materiam, misericordiam et veritatem Domini, et admonet ad cantandum alleluia. Et inde dicit : « omnes gentes, » id est, omnes nationes, « laudate Dominum : » et vos, « omnes populi, » id est populi omnium gentium, quasi omnes Romani, vel Latini, vel Græci « laudate eum. » Vel, populos accipiamus, quicunque sub una lege vivunt ; gentes, homines unius civitatis : vel per gentes conversos, gentiles per populos intelligamus. Ponit materias laudis, dicens : « quoniam misericordia ejus, » id est remissio peccatorum, et aliæ gratiæ justificantes, « est confirmata super nos, » id est, ita firmiter nobis data, ut jam ipse diabolus insidiator non possit nobis diripere. « Et veritas Domini, » id est impletio promissionum, « manet in æternum » quia et hic incipit, et in æternum manebit et ultra.

IN PSALMUM CXVII.

TITULUS. *Alleluia.*

« Confitemini Domino quoniam. » In hoc psalmo habet propheta materiam bonitatem Dei : de hac sic agit : In prima parte ostendit Deum sic adjuvare suos, ut non timeant quid faciat homo, et etiam despiciat inimicos. In secunda parte, quæ incipit : « Bonum est confidere, » ostendit quod confidentibus et sperantibus in Domino faciat Deus, quod nullæ tribulationes possint eis nocere, sed etiam ulciscantur de inimicis suis, et etiam convertat eos : et si aliquando cadunt, Deus relevet eos. In tertia parte, quæ incipit : « Aperite mihi portas, » videns quasdam portas per quas ducitur ad Christum, qui est porta ducens ad æternam gloriam (*Joan.* x), petit ut introducatur in illas portas. In quarta parte, quæ incipit : « Benedictus qui venit in nomine Domini, » videns quemdam benedictum venisse in mundum, a quo alii benedicentur, monet alios fideles ut benedicti per hunc Dominum constituant ei diem solemnem. Intendit nos admonere ut pro hujusmodi C beneficiis laudes debitas Domino referamus, et est vox prophetæ vel alicujus justi, non pro se solo, sed in persona omnium justorum loquentis : « Confitemini Domino, » id est, laudate Dominum : et debetis, « quoniam » ipse singulariter « bonus » per se : et quicunque boni sunt, ex eo boni sunt : unde Christus cuidam adolescenti, vocanti eum bonum, et non intelligenti eum esse Deum, dixit : « Quid me vocas bonum ? Nemo bonus, nisi solus Deus (*Luc.* XVIII). » Etiam nolite negligentes esse ad confitendum, « quoniam misericordia ejus » tantum est « in sæcula, » id est, quandiu hoc sæculum durabit, quia post hanc vitam tarda est confessio.

Et hoc quod ego moneo, scilicet confiteri, « dicat nunc, » id est, in præsenti sæculo, « Israel, » id est D omnes subditi Christiani proponentes sibi hanc causam laudis, « quoniam » Dominus est « bonus » et « quoniam in sæculum misericordia ejus. »

Et non tantum subditi exhortentur se ad laudem Dei, sed etiam « domus Aaron, » id est tota electio sacerdotum et aliorum prælatorum, « dicat nunc, » exhortans ad laudem Dei, « quoniam in sæculum misericordia ejus. »

Et quid per singula ? « Dicant nunc » etiam « omnes » de quacunque gente, conditione, natione, « qui timent Dominum, » hoc dicant, « quoniam in sæculum misericordia ejus. » Bene dico quod sit bonus, quia in me patet, quia « invocavi Dominum de tribulatione, » id est, monitus fui invocare Dominum per

multas tribulationes, « et me » invocantem « exaudivit Dominus in latitudine, » id est, in amplitudine charitatis, ut etiam orarem pro inimicis. Vel, « exaudivit me, » jam positum spe in latitudine cœlestis patriæ.

Ipse exaudivit, et cum ipse « Dominus » sit « mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo » quantumcunque sæviat.

Et non tantum hominem non timebo, sed etiam quia ipse « Dominus » est « mihi adjutor, et ego inimicos meos » spirituales, id est dæmones, « despiciam, » quandoque videns eos in judicio Dei condemnari. Vel in hac vita despiciam inimicos, ut ita dicamus : Inimicos meos, id est ipsos dæmones, licet sint invisibiles, despiciam, id est, despicabiles ostendam, quia eorum tentationibus nullatenus acquiescam.

« Bonum est. » Pars secunda. Continuatio : Et quia Dominus me ita adjuvat, quod non timebo hominem, ergo « bonum est confidere in » isto « Domino quam confidere in homine, » quia in homine nullo modo confidendum est, neque in se, neque in alio, sed in solo Deo. Ille confidit in Domino, qui illum putat potentem et sufficientem ad remittenda peccata, et ad justitiam conferendam. Ille vero confidit in homine, qui putat se per solum arbitrium sine adjuvante gratia bene operari.

« Bonum est sperare in Domino, » id est, exspectare remunerationem suæ justitiæ, ab ipso Domino datæ, « quam sperare in principibus » sæcularibus, vel in sanctis angelis et aliis sanctis viris : quia neque angeli neque alii sancti possunt per se quidquam conferre. « Quam » electiva conjunctio est, et illud cui conjungitur, prorsus innuit esse auferendum.

Ideo dico « bonum est sperare in Domino, » et « bonum est confidere in eo, » quia ego probavi in me ipso, et ostendo certitudinem, quia « omnes gentes circuierunt me » blandimentis et minis, et etiam exteriora mea auferendo, « et » hoc « quia, » id est, quod « ultus sum in eos, » est factum « in nomine Domini, » non per me, sed per auxilium Domini. Ita quidem ulciscitur se justus in peccatores illos, quia sic convertit eos, ut mala quæ prius inferebant ipsi justo, modo in seipsos illa conferant, et pro peccatis illis se puniant : et hic notatur levior tribulatio.

« Circumdantes » etiam « circumdederunt me, » scilicet perseverantes, mihi in propria persona mala inferendo : « et in eos » tam graves persecutores « sum ultus, » sicut supra : « in nomine Domini. »

« Circumdederunt me » etiam « sicut apes » scilicet, tam acriter et tam amare, sicut apes pungunt aliquem : et bene comparat eos apibus, quia sicut apes pungunt aliquem, et pungendo frangunt aculeum, et inde moriuntur, vel inutiles remanent, ita persecutores justorum, vel interficiunt se interius, vel excæcant ad tempus. Vel, « circumdederunt me sicut apes » favum circumdant. Alia translatio habet, « favum, ad hoc circumdant, ut mel infundant, et augeant : ita ipsi circumdantes me ad tribulandum, auxerunt in me virtutes, » « et exarserunt sicut ignis in spinis. » Sicut spinæ dant igni fomenta, ut magis ardeat, sic spinæ, id est peccata eorum, præbent furori eorum majus incendium. Vel aliter : Sicut ignis in spinis, id est, sicut ignis spinas consumit, trunco, qui firmus et solidus est, non prævalet, sic tribulatio spinas, id est, peccata justorum delet, animæ firmitati non nocet. « Et in nomine Domini, quia ultus sum in eos. » Et hic modum gravissimæ tribulationis ostendit, et has persecutiones dicit se sustinuisse in persona aliorum justorum primitivæ Ecclesiæ.

Postquam ostendit se inimicos sic vindicare, ostendit quod si compellatur etiam ad casum, Deus relevat eum. Continuatio : Propter hoc etiam bonum est sperare, quia « impulsus sum » a diabolo et ministris ejus, « ut caderem » in peccatum. Tunc dicitur justus impulsus, quando dubitat an faciat : sic legitur de Marcello et Marco, qui pene per blanditias mulierum seducti sunt, sed Dominus per beatum Sebastianum suscepit eos ne caderent : et etiam « eversus » sum : et hoc dicit persona aliorum, scilicet, in actum peccati præcipitatus, ut caderem, id est, ut prorsus perirem ; « et » inde « Dominus suscepit me, » ex quo apparet quod ipse est « fortitudo mea, » faciens me fortem post lapsum ; « et laus mea Dominus, » in hoc facit me laudabilem, quod inimicis meis facit me resistere. Vel fortitudo contra hostes, laus, quantum ad hoc quod relevat a peccatis : « et » hoc faciendo, « est factus mihi in salutem » animæ. Cum dicit, « factus, » notat incarnationem divini Verbi, per quam hæc omnia nobis facta sunt.

Et quia Dominus est fortitudo mea, ideo « in tabernaculis justorum, » id est, in conscientiis ipsorum, in quibus habitat Deus, et in quibus ipsi militant Deo, est « vox exsultationis, » id est magna exsultatio, per quod Deo nostram voluntatem ostendimus, sicut aliquis amicus amico suo per vocem : « et vox salutis, » id est, ipsa exsultatio habetur in corde de salute, quam justi se habituros intelligunt.

Ideo exsultent justi in tabernaculis, quia « dextera Domini fecit virtutem, « id est, Filius suus, et potentia sua fecit me constantem contra persecutores : et ipsa eadem « dextera Domini exaltavit me » in virtutibus, multiplicando in ipsis virtutibus, custodibus me custodivit : et hoc est quod dicit : « dextera Domini fecit virtutem. »

Et quia « dextera Domini fecit virtutem, » ideo « non moriar, » id est, non cadam a concessis virtutibus, « sed vivam » vita animæ ; « et narrabo opera Domini, » id est, annuntiabo aliis.

Ideo « non moriar, sed vivam, » quia illa mala quæ mihi intulisse putatis ad meam destructionem, intulit Dominus ad correctionem ; et hoc est : « castigavit me Dominus castigans, » id est perseverans in castigando per frequentissimas tribulationes, « et » tamen « non tradidit me morti » animæ : unde Apostolus : « Ut castigati, et non mortificati. »

Pars tertia. Et quandoquidem ego vivo vita animæ, et sum castigatus multis tribulationibus, nec tamen mortificatus, ergo vos, apostoli sancti, et alii ministri sanctæ Ecclesiæ, « aperite mihi portas, » id est, dissolvite me per sacramenta Ecclesiæ, « et aperiendo sanctas Scripturas, quæ omnia sunt portæ « justitiæ, » id est, per quas homo plenas justificationes assequitur. Bene postquam se dixerat vivere, petit ut dissolvatur, quia necessarium est unicuique fideli ut a ministris sanctæ Ecclesiæ solvatur, ad hoc ut possit pervenire ad æternitatem : quod modo cognoscimus, quia Dominus Jesus postquam Lazarum vivificavit, præcepit ut solveretur (*Joan.* xi). « Aperite, » dico, et ego « ingressus in eas » portas, id est, jam absolutus et justificatus, « confitebor Domino, » id est, laudabo Dominum : et ego in has portas introductus, perveniam ad Christum Dominum, qui est vera porta, introducens conformes sibi ad vitam æternam : et quasi jam præsentem videns ipsum Christum, dicit de ipso : « Hæc » est « porta Domini, id est, per quam itur ad Dominum : nec quicunque per eam intrabunt, sed « justi intrabunt in eam, » id est, per eam portam intrabunt in requiem æternam. Vel aliter : Quandoquidem tribulationes vestræ non sunt mihi morti, sed castigationi, igitur vos persecutores aperite mihi portas justitiæ, id est, præparate mihi tribulationes, quæ me inducent in perfectionem justitiæ : et ego ingressus in eas portas, non murmurabo, sed confitebor Domino, id est, laudabo Dominum. Et quare in tribulatione laudabo? Quia hæc fuit porta Domini nostri Jesu Christi, quia per multas tribulationes Dominus Jesus intravit in gloriam Patris : et quia est « porta Domini, » ideo « justi intrabunt in eam, » id est, si qui volunt fieri justi, non fugiant passionem pro nomine Jesu Christi cum opus fuerit.

« Ingressus confitebor Domino, » et ideo, o « Domine, confitebor tibi, quoniam exaudisti me, » perducendo me ad portam, quæ est Christus ; « et factus es mihi, » per assumptam humanitatem, « in salutem, » id est animæ vivificationem.

« Lapidem. » Determinat quis sit factus in salutem, Christus scilicet, propter soliditatem lapis reprobatus. Et quibus ? Judæis scilicet et gentibus, qui per Christum lapidem angularem in unam fidem et institutionem conjunguntur. Continuatio : Factus est in salutem, Judæis scilicet et gentibus, et hic est lapis ille, « quem lapidem, » id est Christum, qui dicitur lapis propter soliditatem : quem Christum « ædificantes, » id est, Judæi, qui dicuntur ædificantes quia in carnalibus observantiis ædificabantur, scilicet abstinere a malo et servire Deo : quamvis non consummarent opus, ut perfecti invenirentur, nisi illi qui Christum Redemptorem exspectabant, sed quasi pueri, qui quasi per blanditias educantur, donec ipsi gravia sustinere possint et legem Dei adimplere : ita Judæi per hæc temporalia beneficia ædificabantur, donec ipsi aliquando cognoscerent veritatem, et ideo pro solis cœlestibus servien- A dum reputarent. Hic quidem lapis, quem reprobaverunt ædificantes, « factus est in caput anguli : » id est, sicut angularis lapis duos conjungit parietes, ita Christus duos conjungit populos, Judæos et gentes, in eamdem fidem. Cum dicit, « in caput anguli, » notat Christum esse omnem consummationem nostri ædificii et religionis, quasi lapis positus in consummatione anguli.

Dico lapidem reprobatum esse factum in caput anguli, et « istud, » id est, lapis iste vel hæc talis conjunctio populorum facta per lapidem illum, « est factum a Domino, » quasi nullus alius posset facere hujusmodi hominem, qui ex virgine nascitur, et immunem se custodit ab omni malo, et alia multa facit miranda, et ideo speciale opus dicitur : et con- B junctio populorum speciale opus Dei fuit, « et » istud opus Dei « est mirabile in oculis nostris » interioribus : quia si attendamus quod Deus Filium pro nostra liberatione fecit incarnari, etiam morti dedit, vere mirabilem intelligimus Dei operationem et bonitatem.

Dico « a Domino factum, » et « hæc dies » in qua natus est Christus et factus : vel in qua facta est prædicta conjunctio populorum, scilicet tempus gratiæ, est dies « quam fecit Dominus. » Licet Dominus omnes fecisset dies, tamen dicitur hanc specialiter fecisse, quia in hoc tempore specialiter nos illuminavit, et cordibus nostris lucem suæ cognitionis infudit : et ideo « exsultemus » secundum corpus, « et lætemur in ea » secundum animam : in C eadem gaudentes per puritatem nostræ conscientiæ, nos esse redemptos in hac die.

Dico « exsultemus, ita dicentes : « O Domine, salvum me fac, » id est, fac me participem hujus salvationis quam mundo attulisti, « O Domine, bene prosperare, » scilicet contra miserias quas hic sustinuisti, fac me quandoque vestiri immortalitate et impassibilitate.

Deinde pars quarta. Ac si diceret : Quia Christus factus est in caput anguli, ergo vos alii « constituite diem solemnem : » et ad hoc præmissæ sunt causæ ; quasi ita diceret : Ideo debetis ei diem solemnem constituere, quia ipse « qui venit « in mundum, nostra calceatus humanitate, est « benedictus, » id est omni perfectione virtutum plenus. « Venit » dico non D ad acquirendam gloriam suam, sicut Antichristus faciet, sed « in nomine Domini » ampliando.

A quo benedicto fuimus benedicti, et nos « benediximus vobis de domo Domini. » Qui enim extra domum sunt, id est Ecclesiam, non habent potestatem benedicendi. Dico nos benediximus, et nobis benedicentibus « Deus Dominus » benedixit, « et » per suam benedictionem « illuxit nobis » communiter nobiscum, id est, tenebras a nobis fugavit, et veram illuminationem cordibus nostris infudit. Credendum nobis est quod Christus ministris suis hanc potestatem dedit, ut quos ipsi benedicunt, sua sint etiam benedictione benedicti.

Et quia estis benedicti, ergo « constituite diem so-

lemnem in condensis, » id est, in magna frequentia populi, euntes « usque ad cornu altaris, » id est, ut de cibo altaris participemini. Vel ita ad allegoriam : « Constituite diem solemnem, id est, sabbatizate Domino in cordibus vestris, cessando a vitiis : et hoc « in condensis, » id est, multa virtutum frequentia, eundo usque ad cornu altaris, id est, ad imitationem altitudinis Christi, ut illum faciatis altare vestrum, super quem oblatæ preces vestræ recipiuntur.

Moneo alios ut Deo solemnitatem constituant, sed quidquid alii faciant, ego semper laudabo Dominum : hoc est quod dicit, conversione facta ad ipsum Deum, « Deus meus es tu, et confitebor tibi, » id est, laudabo te. Replicat idem ex nimia affectione, dicens : « Deus meus es tu, et exaltabo te, » id est, aliis annuntiabo altitudinem tuam et potentiam tuam per quam tu apud eos exalteris.

Dico, « confitebor et exaltabo » te : ideo quidem « confitebor » « et » exaltabo « tibi, quoniam exaudisti me » orantem pro peccatis, « et » quoniam « factus es mihi in salutem. » Hunc versum repetit ideo quia in eo pendet et versatur maxima causa quare Deum laudemus.

Et quandoquidem prædicta beneficia per bonitatem suam nobis fecit Deus, ergo « confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus, » in eodem finiens a quo incœpit, nos jugiter in laudibus Dei conversari. Alleluia.

IN PSALMUM CXVIII.

TITULUS. *Alleluia.*

Aleph.

« Beati immaculati. » Aleph non est titulus, sed alleluia est titulus. Psalmum istum distinxit propheta per viginti duas partes ad modum alphabeti Hebraici, quod habet viginti duo elementa, et unaquæque particula habet proprium elementum, secundum ordinem alphabeti, a quo singuli versus ipsius particulæ incipiunt : sed hujus primæ partis apud Hebræos incipiunt versus ab hoc elemento, quod est Aleph, secundæ partis a Beth, et sic in cæteris. Hoc autem impedivit hanc translationem et alios translatores, quod eadem identitas non potuit servari, ut vel apud nos, vel apud Græcos singuli octo versus ab eodem elemento inciperent ; ut autem idem intellectus, quem habuit propheta, scribens secundum ordinem alphabeti, dispositum esset fundamentum perfectæ doctrinæ, sicut est alphabetum totius doctrinæ, nihil obstitit. Sunt quidem istæ particulæ diversæ per octonarium, quia unaquæque continet octo versus, per quod nobis innuitur quod etsi aliquis non possit complere ea quæ in omnibus partibus continentur, tamen si ea compleat quæ in unaqualibet parte traetantur, per hoc ad octavam perducetur, id est ad æternam requiem, quæ post septem istos dies, per quos mundus iste volvitur, succedet.

In hoc psalmo habet propheta materiam, legem Dei, et in hoc nomine, lege, comprehendimus et naturalem legem, et legem quæ per figuras scribitur, scilicet legem Moysi, et Novum Testamentum. De hac materia agit, commendando eam, et ostendendo, quasi beatitudines Deus per ipsam legem : et hæc prima pars omnium aliarum prologus est, quia communiter ostendit hominem per legem beatum fieri : et quia ita communiter materiam totius psalmi comprehendit, nomen totius psalmi recipit, scilicet lex et doctrina vocatur, propter quod et Aleph præscribitur : Quod Aleph interpretatur *doctrina*, cæteræ vero partes, *beatitudinem*, quam hæc prima pars communiter præponit, diversis modis exsequitur : veluti illa pars, quæ est : « In quo corrigit, » ostendit quod Deus de confusione peccati liberet, et ad conversionem reducat homines per legem suam ; et in alia : « Retribue servo tuo, » ostendit quomodo Deus indigentias fidelium per ejusdem legis exsecutionem suppleat ; et in tertia, quæ est : « adhæsit paviménto, » ostendit quod Deus necessitates, quas corpus necessario portat, scilicet timorem lapsus, et tædium, et similia si qua sunt, per ejusdem legis observantiam auferat. Et quia Deus per misericordiam suam hujusmodi beatificationes facit, ideo huic psalmo titulus « alleluia » præscribitur. Intentio vero est nos ad cantandum alleluia Domino invitare.

Vox universalis justi, a primo justo usque ad ultimum justum, quasi ita dicentis : Fratres, custodite legem Domini, quia custodientes eam fient « immaculati » et per hoc « beati » : et inde dicit immaculati, id est, illi quibus peccata sunt remissa, et per hoc immaculati, quia sunt « in via » id est, in Christo, vel in lege Domini : sunt beati, scilicet custodia legis, et imitatio Christi est via ad beatitudinem : non illa quam quidam volunt : quidam enim quærunt venire ad beatitudinem per divitias, aut per potentias. Sed quia hæc sunt potius distortiones et devia, per hæc ad beatitudinem non possunt pertingere. Homines non ideo dicuntur immaculati, quod sine omni macula esse possint, quia solus Christus sine macula est, sed quoniam eis per confessionem remittuntur peccata : quia si diceremus homines sine peccato esse, contra Apostolum essemus, qui dicit : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est, quia in multis offendimus omnes (*I Joan.* I). » Ideo pluraliter dicit, « immaculati, » ut plures homines intelligamus immaculatos, et per hoc nos ipsos immaculatos fieri intelligamus : si enim immaculatus diceret, de solo Christo intelligi posset : et immaculati sunt beati, « qui ambulant in lege Domini, » id est, qui semper crescunt multiplicatione virtutum.

Sunt etiam « beati qui scrutantur, » id est, qui cum omni diligentia inquirunt « testimonia ejus, » id est præcepta ejus, quæ dicuntur testimonia, scilicet quia testantur quid sit faciendum, quid non. Ut si quis quærat an sit homicidium faciendum, per legem poterit testimonium cognoscere, quæ dicit : « Non occides (*Deut.* VI). » Præcepit etiam lex bonum fa-

ciendum, cum dicit : « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Matth.* XXII). » Vel, ideo dicuntur « testimonia, » quia certos nos faciunt de æterno bono. Ita dico scrutantes beatos fieri, si scrutentur ea non propter aliquod commodum temporale, sicut illi qui ad hoc addiscunt legem Dei, ut ab aliis pecuniam legendo eis, accipiant, sed qui scrutando præcepta, « exquirunt eum » Deum « in toto corde. » Summa breviter talis est : Illi sunt beati qui in præceptis Dei omnibus viribus suis Dei voluntatem inquirunt.

Illi qui ambulant in lege Domini sunt beati, quia illi « qui operantur iniquitatem, » scilicet maculati, « non ambulaverunt in viis ejus, » id est præceptis ejus. Vel vias possumus sanctos accipere, per quorum imitationem possumus ad Dominum pervenire.

Dico lex facit beatum, et lex illa custodienda est, quia « tu, » Domine, « mandasti custodiri » eam legem ; hoc est quod dicit : « mandata tua nimis, » id est, adeo ut non propter timorem dimittatur aliquid incustoditum, mandavit Deus custodiri legem suam per prophetas, et apostolos, et alios sanctos viros.

Et quandoquidem lex tua beatum facit, et tu, Domine, jubes eam custodiri, ergo, Domine, « utinam dirigantur viæ meæ, » id est operationes meæ, « ad custodiendas justificationes tuas, » id est cæremonias illas quæ justificant hominem spiritualiter intellectæ.

Ostendit quomodo possint viæ dirigi, scilicet, si ante oculos semper habemus mandata Dei. Continuatio : Dico « viæ dirigantur, quæ viæ diriguntur, « cum perspexero in omnibus mandatis tuis, » id est, per hoc viæ possunt dirigi, si semper habeam mandata tua præ oculis : et « tunc » cum hoc fecero, « non confundar » pro peccatis meis, quod confusibile aliquid faciam, ne de me dicatur : « Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare. »

Dico « non confundar, » sed potius « confitebor tibi, » id est, laudabo te « in directione cordis, » id est, in directo corde meo, et justificato a te : non arroganter in corde meo aliquid novi invenio, sed « in eo quod didici » a Spiritu sancto mihi interius loquente, vel a sanctis Patribus « judicia justitiæ tuæ, » scilicet judicia, quibus ipse hos damnat, hos justificat : quæ omnia ipse facit ex sua justitia, licet ab omnibus hoc ignoretur.

Dico « confitebor », et in obedientia tua perseverabo ; et hoc est : « justificationes tuas custodiam, » id est, in custodia mandatorum tuorum, quæ justificant hominem, permanebo : et ut possim permanere et custodire, o Domine, « non me derelinquas usquequaque, » id est, in alia parte. Ideo dicit, « usquequaque, » quia videt diabolum semper paratum subintroire, a quacunque parte Deus subtraxerit gratiam suam.

Beth.

« In quo corrigit. » Huic particulæ præscribitur Beth et interpretatur *confusio*. Quæ littera huic particulæ bene præscribitur, quia hic docemur quomodo homines de confusione, scilicet de priori vita, educantur et ad veram vitam convertantur.

Littera ad hoc. Continuatio : Dico « custodiam justificationes tuas, » ideo scilicet quia per ipsas justificationes erunt correctæ viæ meæ ; et hoc melius ostendit faciendo interrogationem et responsionem, cum dicit : « In quo corrigit adolescentior, » id est stultior et pronior ad peccandum, « viam suam, » id est operationem suam et consuetudinem nequitiæ suæ, in qua consuevit ; ponit excæcatis auditoribus per interrogationem responsionem, cum dicit : « in custodiendo sermones tuos ? » quia implet bene operando præcepta tua. Vel, « adolescentior, » id est populus innovatus, et adolescens factus ; in quo corrigit viam suam, id est, per quid est ita innovatus, in custodiendo sermones tuos ?

Et quia in custodia sermonum est correctio pravæ operationis, ideo « exquisivi te, » id est, legem tuam adimplevi, sed propter aliud, scilicet ut cognitio tui in me multiplicaretur, et hoc « in toto corde meo, » id est, quod nulla cordis particula vacabit ab inquisitione tui, et ideo, Domine, « ne repellas me a mandatis tuis, » sed potius in ipsis voluntatem tuam mihi aperi.

Dico exquisivi, et inventa abscondi et pronuntiavi, et delectatus sum, et exercebor, et considerabo, meditabor, non obliviscar : et per hæc omnia notantur exire de confusione, et valde perfecti esse, sicut in unoquoque octonario debet inveniri perfectio. Littera sic legitur : « In corde meo, » id est, in memoria mea « abscondi eloquia tua, » id est, præcepta tua, diligenter memoriæ commendavi ; sed plus notat cum dicit, « abscondi, » scilicet quod non manifestaret ea inimicis, sicut dicitur : « Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas spargere ante porcos (*Matth.* VII) ; » ideo abscondi, « ut non peccem tibi » qui prohibuisti præcepta tua dari canibus.

Ego abscondi, et, o « Domine, doce me » actu ipso « justificationes tuas, » id est, fac me operari sicut exigunt tua præcepta, quæ justificant hominem. Vel, doce me cui debeam revelare præcepta tua, cui non. Ideo sum ausus petere ut doceas, quia tu « es benedictus, » id est, laudatus tuis, et benignus tuis, id est exhibens tuis quidquid opus est.

Inimicis abscondi, amicis vero « pronuntiavi omnia judicia oris tui, » id est, quæ per os tuum, id est Filium tuum, locutus es : non quod omnia judicia Dei aliquis pronuntiare posset, sed quæcunque pronuntiabo judicia Dei sunt. Judicia hic accipit quidquid Deus occulto judicio agit : veluti quod quosdam damnat, quosdam eligit et justificat : et hoc « in labiis meis, » id est, convenientibus meæ operationi : quia quod ore doceo, hoc opere adimpleo.

Dico « abscondi, » et « pronuntiavi, » et propter hæc « delectatus sum in via testimoniorum tuorum, » id est, eundo in testimonia tua adimplenda, « sicut » aliquis carnalis delectaretur « in omnibus divitiis, »

id est, ideo sum delectatus in mandatis tuis, quia mihi sunt omnes divitiæ.

Non sum tantum delectatus, sed deinceps « exercebor in mandatis tuis » adimplendis, « et considerabo vias tuas, » id est, verum intellectum in præceptis tuis. Bene supponit, considerabo, postquam dixit, exercebor, quia non potest haberi verus intellectus, nisi præcedat bona operatio.

Dico considerabo, et « non obliviscar » cognitos « sermones tuos, » ideo quia semper « meditabor in justificationibus tuis, » id est, præcepta tua in quorum observatione invenitur justitia, semper habebo in assidua meditatione.

Gimel.

« Retribue servo tuo. » Hæc littera bene præscribitur huic parti. Gimel namque *retributio* interpretatur, et in hac parte magna Dei retributio ostenditur, scilicet, quomodo Deus jam exutus de confusione, sicut dictum est, et petentibus ipsum Deum indigentiam suppleat, et ad magnam perfectionem perducat.

Illam indigentiarum suppletionem ideo retributionem vocamus, quia prius Deus fidelibus suis tribuit, ut velint orare. Pro hac gratia retribuit Deus aliam gratiam eis, scilicet, indigentiarum suppletionem. Continuatio : Dico, meditabor in mandatis, et non obliviscar, et ideo, o Domine mihi « servo tuo, » id est, qui te solum Deum verum meum cognosco, et me servum : « retribue, » id est qui tribuisti ut te cognoscerem, fac mihi aliam retributionem, hanc scilicet, « vivifica me, » id est, facultatem bene operandi, quam perdidi in primo parente, mihi restitue : « et » sic vivificatus « custodiam sermones tuos, » id est, operabor secundum præcepta tua.

Et me justificato, et jam bene operante, « revela oculos meos, » id est, aufer velamen de interioribus oculis, ut possim plenum intellectum habere de lege tua, « et » tunc « considerabo mirabilia de lege tua, » id est, ea quæ significantur per figuras in Veteri Testamento positas, hoc est, considerabo Christum significatum per agnum occisum, et refectionem Dominici corporis, per manna significatum, et alia hujusmodi, quæ a nullo, nisi revelatis a Deo oculis, possunt intelligi.

Ideo debes revelare et vivificare, quia quantum potui me idoneum præparavi, scilicet quia « in terra, » id est, in hoc mundo, « sum incola, » id est, advenam me reputo, et nullam me habere manentem civitatem, sed semper ad veram tendo patriam, et ideo « non abscondas a me mandata tua. »

Et ideo revela, ne abscondas, quia « anima mea concupivit » maximo affectu « desiderare justificationes tuas, » id est, ut ipsa anima mea impletione sermonum tuorum reficiatur : et hoc non ad horam, sed « in omni tempore, » id est assidue.

« Ideo sic concupivi, ne ita mihi contingeret sicut contigit diabolo et aliis superbis. Quos « superbos » tu « increpasti » comminando æternam pœnam, flagellando quandoque in hac vita, in signum futuri judicii vel supplicii : et ipsi superbi sunt « maledicti, » id est reprobati : quia ipsi sunt, « qui declinant a mandatis tuis. » Illi dicuntur non superbe peccare, neque a mandatis Dei declinare, qui licet sibi peccandi voluntatem non proponant, tamen carnis fragilitate compellente quandoque peccant. Illi autem superbe peccare, et a mandatis Dei declinare dicuntur, qui ex voluntate animique delectatione peccant, et Dei mandata audire non curant, vel audita conculcant.

Anima mea concupivit, et ne fructum illius concupiscentiæ meæ mihi possint auferre, « aufer a me opprobrium » ne tribulatores possint inducere ad actum peccati, ex quo juste essem opprobrosus et derisus : « et » aufer etiam « contemptum, » ne me a bono incepto revocent, et segnem ad bene operandum efficiant. Hæc merito peto a me auferri, « quia exquisivi, » id est, ex omnibus aliis doctrinis elegi « testimonia tua » ad meam instructionem.

« Aufer » dico, et necesse est, « etenim principes, » id est potentes hujus sæculi, « sederunt, » id est, studiosi immorati sunt, « et adversum me loquebantur » oppugnantes veritatem quam proponebam, « servus autem tuus » non deficiebat, sed potius « exercebatur in lege tua, » id est, secundum præcepta tua loquendo et operando.

Ideo exercebar, « nam et testimonia tua meditatio mea est, » id est, frequenti meditatione habeo mandata tua, « et justificationes tuæ » sunt « consilium meum, » id est, semper deliberavi apud meipsum mandata complere : qui ante non proponit sequi justificationes Dei, ille cito movetur, si tribulatio superveniat.

Daleth.

« Adhæsit pavimento. » Daleth huic octonario præscribitur, quia *timor* interpretatur. Fidelis namque ille qui loquitur, de confusione jam retractus, jam fugatis indigentiis multis, Dei beneficiis repletus.

Attendens tamen corpus humanum semper pronum esse ad peccandum, et quasdam importare necessitates peccandi, timet relabi et contra has necessitates orat ad Dominum. Continuatio : Dico « anima mea concupivit, » consilium meum sunt justificationes tuæ, sed tamen « anima mea adhæsit pavimento, » id est, consensit olim corpori ad aliqua illicita : pavimentum dicitur a pavire, id est, percutere : quia tunc lapides pavimentum dicuntur, quando sunt contusi, et bene planati, ut non offendant pedes, et est subjectum pedibus ambulantium. Per hoc intelligitur corpus humanum, multis jejuniis et aliis afflictionibus sic contusum atque planatum, ut non offendat pedes animæ, et etiam ipsi animæ subjectum est. Sed quia natura corporis, quantumcunque afflicti, semper prona est ad peccandum, ideo etiam si anima consentiat corpori, statim præcipitatur in lapsum : et quia anima adhærens corpori, jam

ducta est in lapsum, ideo, o Domine, « vivifica me, » id est, restitue mihi facultatem, ne anima consentiat corpori : et hoc fac « secundum verbum tuum, » id est, secundum promissionem tuam : quia tu instituisti, ut « qui justus est, justificetur adhuc (*Apoc.* XXII). »

Licet autem pavimento adhæserit, tamen non debes me repudiare, quia tibi peccata mea revelavi : et hoc est : « vias meas, » id est peccata mea, in quibus incesseram, confitendo « enuntiavi » tibi, « et » tu « exaudisti me, » id est, peccata condonasti : et quia jam me exaudisti, dando veniam peccatorum, ideo, o Domine, « doce me justificationes tuas, » id est, fac me operari secundum præcepta tua.

Et postquam me docueris bene operari, « instrue me viam justificationum tuarum, » id est, da mihi verum intellectum in præceptis tuis ; « et » ego sic instructus, « exercebor » multiplici operatione « in mirabilibus tuis, » id est, in spiritualibus operibus et gratiis, per figuras veteris legis intellectis.

Alia necessitas corporis, pro qua timendum existimat fidelis qui loquitur. Continuatio : Dico « exercebor, » sed quandoque « anima mea dormitavit, » id est, aliquantulum pigra fuit, et hoc « præ tædio » jam divinum verbum fastidio habebat, sed tu, Domine, « confirma me » ne deinceps in tædium incidam : confirma dico « in verbis tuis, » id est, impletione mandatorum. Cum dicit, « dormitavit, » notat eum levius peccasse, quam diceret, dormivit.

« Confirma » dico, et ut possim confirmatus permanere, « viam iniquitatis, » id est diabolum, qui est via omnis iniquitatis, « amove a me » ne possit mihi prævalere, et in tædium retrudere, et in aliquod vitium mergere : « et de lege tua miserere mei, » id est per misericordiam da mihi implere quæ præcipiuntur in lege tua.

Et debes a me viam iniquitatis amovere, quia ego « elegi viam veritatis, » id est, Christum imitari, et legem ejus sequi : et « non sum oblitus judicia tua, » sed semper ea mecum tractavi.

« Non sum oblitus judicia tua, sed potius « adhæsi » quia firmus et stabilis fui, « testimoniis tuis, » id est præceptis tuis, quibus voluntatem tuam testaris : et ideo, « o Domine, noli me confundere, » id est, confusibilem reddere, sed fac me consummare quæ incœpi, ne dicatur de me : « Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare. »

Non tantum adhæsi testimoniis tuis, sed etiam « cucurri, » id est, expedite operatus sum « viam mandatorum tuorum, » id est mandata tua, quæ sunt via ad vitam : et hoc ideo, « cum, » id est, quia « dilatasti cor meum, » id est, ampliasti charitate, patientia, longanimitate, et similibus virtutibus.

He.

« Legem pone. » In hoc octonario petit fidelis ille qui loquitur, ut Christus veniat per novam legem suam, scilicet non solum per præcepta, sed et per gratiam adjutricem, et sensum præceptorum demonA strantem eis statuat : et ideo bene præscribitur huic parti, He, quæ littera interpretatur *esse*, quia in lege Christi invenitur verum esse, et vita animæ reformatur : et videtur vox illorum esse qui præsentem adventum Christi exspectabant, et magno desiderio exoptabant. Ordo quoque bonus est, quia postquam ostendit se conversum, et amotis indigentiis, Dei beneficiis repletum, contra necessitates quas corpus importabat, ostendit confirmatum se, et petit sibi legem dari, id est, ipsum Christum, quem videt sufficientem ad omnem justificationem.

Continuatio : Dixi noli me confundere, sed potius « pone mihi legem, Domine, » hanc scilicet, « viam justificationum tuarum, » id est ipsum Christum qui est via per quam justificantur fideles. Pone mihi le- B gem, ut ad imitationem ipsius vitam meam possim dirigere : pone dico legem, « et » ego « exquiram eam, » legem scilicet, ut in ea possim voluntatem Dei invenire : et hoc non ad horam, sed « semper. »

Dico « exquiram legem : » et ut possim exquirere, « da mihi intellectum, et » per hoc « scrutabor legem tuam, et » inquisitam « custodiam illam » adimplendo opere : custodiam dico « in toto corde meo » quia omnes vires ponam, ut possim mandata adimplere.

Dico « custodiam, » et ut custodire valeam, me positum « in semita mandatorum tuorum, » id est, in imitatione Christi, qui est semita recta, scilicet et angusta via : « deduc, » id est, fac semper promo- C veri ad Christi majorem imitationem, « quia ipsam » semitam « volui, » id est, ipsum Christum propter suam propriam dignitatem dilexi. Vel semitam accipiamus arctiora mandata, quia « in custodiendis illis est retributio multa. »

Et ut possim velle, tu « inclina, » id est, humilia « cor meum in testimonia tua » complenda, « et non in avaritiam, » id est, ut non observem mandata tua propter aliquod terrenum commodum.

Dico, non inclines in avaritiam, sed potius « averte oculos meos » interiores, « ne videant vanitatem, » id est, ne delectentur in his terrenis, quæ vana sunt et caduca, sed potius, « in via tua vivifica me, » id est, conforta liberum arbitrium, et spernere fac terrena et amare cœlestia.

Averte oculos, inclina cor, etc., « et statue, » id D est, stabile fac « eloquium tuum, » id est, fac ut stabiliter impleam ea quæ præcipis : fac mihi dico « servo tuo » et ideo sum dignus ut hæc mihi facias : et hoc in timore tuo, » id est, per hoc quod ego timeo te judicem, et te diligo. Qui enim sic Dominum timent, mandata ejus adimplent.

Statue eloquium, et « amputa, » id est, aufer « opprobrium meum, quod suspicatus sum, » id est, opprobrium suspicationis. Sæpius enim in suspicatione deceptus sum, suspicando eum bonum qui malus est, et e converso : ideo dico « amputa, » quia etsi ego veritatem non possim cognoscere, tamen placet mihi veritas : et hoc est : « quia judicia tua, » id est, ea

quæcunque tu disponis occulto judicio tuo « sunt A jucunda, » id est, amœna sunt mihi flagella quæ tu mihi ad correctionem immittis.

Dixi, « amputa opprobrium, » deduc, et quæcunque petivi fac : et ecce quidquid petivi habeo : et hoc est : « ecce concupivi mandata tua » adimplere : et qui sic cupit securus esse potest, quia obtinebit quod petit : dico concupivi, et de reliquo, Domine, « vivifica me, » id est, fac me perseverare in mandatis tuis : me dico positum « in æquitate tua, » id est, agentem secundum mandata tua, quæ solam æquitatem præcipiunt.

Vau.

« Et veniat. » In hac parte petit fidelis qui loquitur, qui jam in adventu Christi ipsius legem suscepit, ut ipse Christus sit ei contra hæreticos, atque B contra persecutores præsidium, qui statim in illos insurgunt, qui legem Christi recipiunt : et ideo huic octonario bene præscribitur Vau, quod interpretatur *ipse*, per quod Christum egregium adjutorium intelligimus, quem iste in hoc octonario postulat adjutorem.

Continuatio : Vivifica me dico, « et veniat super me, » id est, ita ut sit caput. Vel, super me, id est de cœlestibus veniens, « misericordia tua, Domine, » et quam postulet misericordiam, determinat, scilicet, « salutare tuum, » id est, Filius tuus qui salutem facit omnibus, qui sit mihi contra impugnatores præsidium. Vel, « secundum eloquium tuum » veniat, id est, instruat me de lege tua.

« Et » si ita veniet, tunc « respondebo verbum, » C scilicet filium tuum, « exprobrantibus mihi » ipsum filium, scilicet si aliquis exprobraverit mihi, Christum non Filium Dei, sed solum hominem crucifixum, etc., ostendam ei per rationes Filium Dei eum fuisse, et coæternum : et ideo sic respondebo, non quod confidam in viribus meis, sed « quia speravi in sermonibus tuis, » qui sunt mihi bona arma, qui dixisti : « Cum steteritis ante reges et præsides, nolite præmeditari quid respondeatis : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini (*Matth.* x), » et iterum : « Dabo vobis os et sapientiam (*Luc.* xxi).

Contra hæreticos respondebo : et, o Domine, provide ne per tribulationes auferatur mihi verbum tuum, et hoc est : « et ne auferas de ore meo, » id est, ne permittas auferri per tribulationes, vel per D blanditias, « verbum veritatis, » id est prædicationis, ut ego nunquam sileam apud quosvis prædicationem divini verbi : nec ad horam permittas auferri propter tribulationem sicut fecisti Petro, qui ad vocem ancillæ veritatem negavit (*Matth.* xxvi; *Marc.* xiv; *Luc.* xxii; *Joan.* xviii) : nec permittas « usquequaque, » id est, omni modo, omni tempore : nec debes auferre, « quia » ego « in judiciis tuis, » id est in tribulationibus quas mihi per judicia tua infers, « supersperavi, » id est, majorem fructum speravi, quam possit aliqua temporalis tribulatio promereri : Unde Apostolus : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam (*Rom.* viii). »

Dico, « ne auferas, « et » accepto ipso Christo mihi in præsidium, « custodiam legem tuam semper, id est, « in sæculum et in sæculum sæculi. » Legem Dei in hac vita custodit, qui proximum diligit, et pro inimicis orat, et similia. In alio sæculo custodiemus legem, quam nunc habent angeli, quia tunc, ut modo angeli, communiter laudabimus Deum, et etiam fratres nostros diligemus, sicut dicitur : Charitas nunquam excidet (*I Cor.* viii).

Ego dico « custodiam, et etiam jam custodivi. Hic notat se accepisse illud quod petebat superius, scilicet adventum Christi custodiam » : et hoc est : « ambulabam » de virtute in virtutem, accepto Christo hospite, existens « in latitudine, » id est, in multiplicitate charitatis et scientiæ : latitudine dico, ideo mihi data, « quia mandata tua exquisivi. »

« Respondebo exprobrantibus mihi verbum, » et etiam respondi ; et hoc est « et loquebar, » id est locutus sum, positus « in testimoniis tuis, » id est præceptis tuis : nec tantum in conspectu populi, sed « in conspectu regum, » id est principum mundanorum, prædicans verbum Dei ; « et non confundebar, id est, non erubescebam pro scandalo crucis. Vel, « non confundebar, » quod ego cederem eis, vel etiam tacerem pro eis.

« Loquebar et meditabar in mandatis tuis, » id est, cogitabam frequenter quomodo ea complerem, in quo notatur contemplatio : et hoc non faciebam coactus, sed quia « dilexi » ea mandata, ideo complevi.

Et non tantum meditabar, sed etiam opere complevi ; et hoc dicit : « et levavi manus meas, » id est, operationes meas extuli « ad mandata tua » complenda, « quæ dilexi, » quasi quod verbo docui, opere complevi : et hic notatur vita activa. Dico « levavi, » et hanc operationem perseveranter implevi ; et hoc dicit : « exercebor in justificationibus tuis, » id est, studebo ut eas sine omni dilatione possim implere.

Zain.

« Memor esto. » Justus qui legem Christi suscepit, et etiam ipsum Christum adjutorem contra hæreticos et persecutores, jam per hoc spem habet æterni boni. Orat in hoc octonario de completione illius spei, et ideo bene præscribitur huic particulæ Zain, quod interpretatur *ductæ*, vel *huc*, quia per hoc utrumque intelligimus, nos non habere hic manentem civitatem.

Continuatio : Exercebar, quia tu dedisti mihi spem in verbo tuo, id est, in promissione tua, qui dixisti : « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* viii). » Et illius « verbi tui esto memor servo tuo, » id est, ad honorem servi tui, complendo quæ promisisti, qui oblitus videris quandiu distulisti « in quo » verbo « dedisti mihi spem » æterni boni.

Quod « hæc » spes « consolata est me in humilitate mea, » id est, in dejectione primi parentis. Spes quidem, de qua hic agit, operatur in nobis patien-

tiam contra adversa, et probationem in adversis. Vel in hoc « consolata est me in humilitate mea, » id est, in tribulationibus, quia propter spem illam tribulationes illatas sustinui. « Consolata est » dico, « quia eloquium tuum, » id est mandatum tuum, « vivificavit me, » id est, dedit mihi vitam animæ. Qui enim vivificatur implendo mandata Dei, securus per hoc de æterno bono, jucunde miserias hujus sæculi sustinet.

Bene dico quod « eloquium tuum vivificavit, » quia cum inimici instarent, ego non defeci; et hoc est : « superbi inique agebant, » scilicet, mihi sine causa mala inferendo, « usquequaque, » id est, omnibus modis quibus poterant; ego « autem non declinavi a lege tua, » id est, nullo modo pro eis cessavi.

Et quare non declinavi? Quia, o « Domine, memor fui judiciorum tuorum » factorum « a sæculo, » scilicet, consideravi quod Deus a primo justo obedientes remunerat, negligentes damnat. Vel, « judiciorum a sæculo, » scilicet quod a sæculo, id est quod a primo justo, quia a domo Dei judicium incipit, juste judicas illos laborare, quos in alio sæculo vis remunerare. Unde dicitur : « Flagellat Deus omnem filium quem recipit (*Heb.* XII). » Et Salomon : Qui non erit in numero flagellatorum, excipietur de domo filiorum : « et » quia talia cognovi tua esse judicia, ideo « consolatus sum » in tribulationibus meis.

« Consolatus sum » de me, sed de peccatoribus dolui; et hoc est : « defectio, » id est, afflictio, « tenuit me, » afflictio et dolor dico, habita « pro peccatoribus : » non quia mihi mala inferentibus, sed quia « derelinquentibus legem tuam. »

Pro illis deficiebam, sed ut a me omne tædium auferrem, cantabam Domino psalmos et hymnos in corde meo; et hoc est : existenti « in loco peregrinationis meæ, » in hac vita, qua me peregrinum esse cognosco, « erant mihi cantabiles justificationes tuæ, » id est psalmi et hymni, qui hominem justificant pure cantantem, juxta illud Apostoli : « In hymnis et psalmis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo (*Col.* III). »

Ideo justificationes fuerunt cantabiles, quia, o « Domine, in nocte, » id est, in tempore persecutionis, « fui memor nominis tui, » id est, cognovi te esse Dominum, me servum, et justum esse quod Dominus corrigat; « et » ideo « custodivi legem tuam, » id est, patientiam Jesu, quæ in lege præcipitur. »

Et « hæc » nox, id est, tribulatio, « facta est mihi » non pro commisso meo, sed « quia exquisivi justificationes tuas » eas implere desiderans. Nota quod « hæc » non potest referri ad legem hoc in loco, quia, testante Augustino, in Græca translatione est lex masculini generis : istud vero pronomen « hæc » illic habetur feminini : quare ergo necessario ad « nox » secundum hoc quod significat peregrinationem, refertur.

Heth.

« Portio mea, Domine. » Hæc littera interpretatur *pavor*, quæ bene præscribitur huic octonario, quia hic fidelis qui loquitur ostendit magnum suum pavorem et sollicitudinem, scilicet se multum sollicitum inquirere et laborare quomodo ad rem speratam possit pervenire. Nota quia pavor est cordis trepidatio, non proveniens ex fortitudine.

Continuatio : Ideo exquisivi justificationes tuas, quia, o « Domine » tu es « portio mea, » scilicet, non elegi mihi in partem aurum, vel aliquid mundanum, sed te solum, qui es vera via ad beatitudinem : et quia te in partem elegi, ideo « dixi, » id est, deliberavi apud me ipsum, « custodire legem tuam, » id est, quod ego custodiam legem tuam complendo.

Nec tantum dixi, sed etiam « deprecatus sum faciem tuam » dari mihi, ut præsentem te videam facie ad faciem (*I Cor.* XIII), et cognoscam sicut cognitus sum : et hoc non parum sum deprecatus, sed « in toto corde meo, » id est, in tantum quod cor meum vacaret ab omnibus aliis, et tuam faciem obtinere quæreret : et ut ego ad illam faciem possim pervenire, « miserere mei, » id est, per misericordiam tuam condona mihi peccata, et confer mihi spirituales gratias, « secundum eloquium tuum, » id est promissiones tuas.

Et ut ostendat se dignum cui jure fiat misericordia, ostendit se conversum a perversa via, non ex levitate, sed magna cogitatione. Continuatio : Ideo, precor, miserere, quia « vias, » id est opera, « meas, » id est, quæ secundum me ago, quæ semper sunt in peccatis, « cogitavi, » id est, diligenti ratione inquisivi, et malas cognovi, et ideo « converti pedes meos, » id est affectiones meas, « in testimonia tua » complenda.

Dico « converti, » sic quod etiamsi veniant mala, « paratus sum ut custodiam mandata tua; » sed quia paratus sum, ideo cum mala veniunt, « non sum turbatus. »

Contra quid paratus? Contra peccata vel tribulationes, quæ me undique circumvallantes, volunt illaqueare; et hoc est quod dicit : « Funes peccatorum, » id est peccata, scilicet suggestiones carnis, quæ sunt funes quibus ligatur peccator, ne possit extendere se ad bonos actus : illi funes « sunt me circumplexi, » quia circumdant ex omni parte, « et » tamen « legem tuam non sum oblitus, » sed semper eam in mente habui. Unde Apostolus : « Video aliam legem in mente mea, repugnantem legi carnis meæ (*Rom.* VII). » Vel funes possumus dicere tribulationes, quibus illaqueantur homines; « peccatorum, » id est, quos funes peccatores immittunt.

Dico « non sum oblitus, » sed potius « media nocte surgebam ad confitendum tibi. » Ad litteram : Surgunt enim religiosi viri in nocte ad laudandum Deum, ex hoc loco facientes sibi exemplum, et quia media nocte percussis Ægyptiis, liberavit Dominus populum suum (*Exod.* XIII). Item, quia media nocte processerunt virgines illæ obviam sponso (*Matth.* XXV). Item quia media nocte dicitur, quod surrexit Dominus (*Matth.* XXVIII). Item quia media nocte venturus est judicare, quod tamen ignotum est : sed etiam ex verbis Evangelii perpendunt quidam, ubi

dicit : « Media nocte clamor factus est (*Matth.* XXIX). » Vel ad allegoriam sic : « media nocte, » id est, in majori tribulatione non pigritabar, sed surgebam, id est, ad bene operandum me erigebam, et in bona operatione ad confitendum, id est, ad laudandum te, intendens « super judicia justificationis tuæ, id est, quod per flagella, quæ judicas et permittis tuis inferri, fideles tuos justificas : vel, « justificationis tuæ, » id est, quæ per justitiam immittis.

Quid per singula? « Particeps ego sum omnium : » non dico Christi, quia præsumptio videretur, sed omnium « timentium te : » sic « timentium » dico, ut custodientes sint mandata tua, hoc est : » et custodientium mandata tua. » Cum dicit se participem, innuit nobis intelligendam unionem Ecclesiæ, qua omnes sunt ligati vinculo fidei et charitatis.

Et per hæc omnia, o Domine, ostendo meam sollicitudinem, et tu, « Domine, doce me justificationes tuas, » id est, fac me assuescere in mandatis tuis, et perseverare : et ideo secure hoc peto, quia « terra, » id est, universus mundus, « plena est misericordia tua, » quia per totum mundum jam fideles per misericordiam justificabuntur.

Teth.

« Bonitatem. » In hoc octonario ostendit fidelis qui loquitur, se non tantum patienter sustinere adversitates quæ sibi veniunt, imo jucundas esse : et ideo bene præscribitur ei hæc littera Teth, quæ interpretatur *bonum*, id est, jucundum, quia huic fideli jucundæ sunt tribulationes quæ inferuntur. Vel interpretatur *exclusio :* hic autem excludit fidelis qui loquitur, per suam patientiam, omnem tristitiam, et congruo ordine procedit : postquam enim aliquis in spe est constitutus, et ad perveniendum ad rem speratam sollicitus, restat ut quæcunque mala eveniant, » patienter sustineat.

Ideo secure dico, « doce me justificationes, » quia tu jam cœpisti : et hoc est : « bonitatem, » id est, bonas videri « fecisti » tribulationes « cum » me « servo tuo, » o « Domine : » ideo dico mecum quia ipse quantum valet ex parte sua operatur, et hoc « secundum verbum tuum, » id est, secundum legem tuam, quia lex ipsa me instruit ad hoc ut mihi jucundæ sint tribulationes.

Tu jam docuisti bonitatem, et adhuc, Domine, id est de reliquo, « doce me bonitatem, » id est, fac me talem, ut per amplitudinem charitatis jucundæ sint mihi tribulationes : « et » ut possim illam habere bonitatem, doce « disciplinam, » id est, mitte tribulationem ad meam correctionem : « et » ut illam suscipiam disciplinam, id est, ad correctionem mihi datam intelligam, doce me « scientiam, » id est, cognitionem utilium rerum, ut intelligam in peccatis me esse corruptibilem et miserum, et non posse ab his malis liberari, nisi per disciplinam tuam : et ponuntur ista retrogrado ordine : prius enim est scientia, deinde disciplina, ex qua procedit bonitas. Ideo dico « doce, quia in mandatis tuis credidi, » in quibus et bonitas, et scientia, et alia hujusmodi promittuntur.

Ideo, precor, doce disciplinam, quia « ego deliqui, » a quo delicto non poteram liberari nisi per disciplinam : « deliqui » dico « priusquam humiliarer, » id est, priusquam flagellis tuis me corriperes : et « propterea » quia me humiliasti, « custodivi eloquia tua, » id est, implevi mandata tua.

Et quia per tribulationem me fecisti custodire eloquium tuum, ideo « bonus es tu, et in » hac « tua » tanta « bonitate doce me justificationes tuas, » id est, fac me assuetum in mandatis tuis, ut si veniant mihi tribulationes, jam non commovear.

Et necesse est ut doceas, quia « iniquitas superborum est multiplicata super me, » id est, plures inferunt tribulationes quam humanitas possit sustinere : « Ego autem » per hæc omnia non sum fessus, sed potius « scrutabor mandata tua » et hoc non parum, sed « in toto corde meo. »

Multiplicati sunt, et hoc obstinato animo; et hoc est : « cor eorum, » quod deberet esse molle et misericordia erga compares commoveri, « est coagulatum, « id est induratum « sicut lac, ego vero » inter hæc omnia « legem tuam meditatus sum, » id est, in frequenti meditatione habui mandata tua, per quæ contra obstinatos resistebam.

Et quia legem tuam meditatus sum, ideo placuit mihi quod me humiliasti; et hoc est : « bonum mihi quia humiliasti me, » id est, jucundum est mihi, quod tribulationes mittendo me afflixisti; et hoc est : Bonum mihi immissa tribulatio, « ut discam justificationes tuas » impletione et cognitione.

Ideo dico quia ipsa humiliatio, quæ legem docet, sit bona, quoniam ipsa lex, quæ per ipsam humiliationem habetur, placens est et jucunda; et hoc est : « bonum mihi lex oris tui, » id est, Evangelium, quod tuo ore, id est Filii tui, locutus es, bonum dico « super millia auri et argenti, » id est, super quantascunque divitias hujus sæculi.

Iod.

« Manus tuæ. » Huic octonario præscribitur Iod, quod *principium* vel *scientia* interpretatur, quia fidelis qui hic loquitur, precatur Deum ut eum reducat ad principium suum, in quo creatus fuit, scilicet faciat ut immortalitati et impassibilitati conferat beatitudinem scientiæ, in qua creatus fuit, a qua cognoscit se dejectum per primi parentis inobedientiam.

Continuatio : Ideo bonum est quod humiliasti, ut per hoc revertar ad principium in quo me creasti; et hoc est : O « Domine, manus tuæ, » id est operatio tua, « fecerunt me, » quantum ad animam, « et plasmaverunt me, » quantum ad corpus. Licet Deus omnia fecisset, creatio tamen hominis attribuitur manibus Dei propter dignitatem : et quia me fecisti, cum non statim possim redire ad illam perfectionem in qua me creasti, « da mihi intellectum, » id est, illumina rationem meam, « ut » per hoc « discam

mandata tua, » id est, intelligam et impleam; per A quæ præcepta tandem potero redire ad perfectionem mei principii.

Ideo debes illuminare intellectum, quia « qui timent te, » id est sancti viri, fideles tui, « videbunt me » sic illuminatum, « et » inde « lætabuntur » et item propter hoc debes dare intellectum, « quia » ego « in verbo, » id est, in Filio « tuo, supersperavi, id est, magis a Filio tuo speravi bonum, quam meum meritum posset promereri. Vel, in verba tua, id est, in impletione verborum tuorum supersperavi. Vel, si hoc fructu peto ut des mihi intellectum, quia qui timent te modo servili timore, videbunt me, id est, attendent me illuminatum, et de peccatore justificatum, et facti imitatores lætabuntur.

Ideo peto ut des intellectum, quo possimus reverti B ad nostrum principium, quia cognosco patres et nos filios per inobedientiam ab illa dignitate dejectos esse : et hoc est, o « Domine, » ego cognovi quia judicia tua, » scilicet, quod primos parentes passibiles et immortales fecisti et miseriæ subditos, sunt « æquitas, » id est juste facta : « et » etiam « me humiliasti, » id est, in istis miseriis afflixisti, et hoc « in veritate tua, » id est, tuo justo judicio.

Per istud judicium sumus in miseriis, sed contra illas miserias « fiat misericordia tua » mihi « servo tuo, ut consoletur me » in miseriis : et hoc peto « secundum eloquium tuum, » id est, promissiones tuas, qui dixisti : Convertimini ad me, et ego revertar ad vos. Et alibi : « Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus (*Psal.* C cxxxi). » Viduam intelligit Ecclesiam.

Fiat misericordia ad consolandum inter mala, et etiam veniat misericordia, quæ facit nos vivere æterna vita; hoc est : « veniant mihi miserationes tuæ, » id est effectus piæ affectionis et misericordiæ tuæ, « et » per ipsam « vivam » æterna vita, reductus ad dignitatem mei principii, « quia lex tua meditatio mea est » id est, semper meditor de impletione tuæ legis.

Mihi veniant miserationes, « superbi » autem « confundantur, » id est, erubescentiam habeant de peccatis suis, « quia iniquitatem in me fecerunt » et hoc « injuste » sine commisso meo, « ego autem exercebar, » id est, exercebor « in mandatis tuis » ad- D implendis.

Confundantur superbi, et per hoc fiant « timentes te » et inquirentes testimonia tua, et sic « convertantur mihi, » hoc est, convertantur ita, quod sint similes mihi : « et qui noverunt testimonia tua » cognitione, licet non etiam cogitatione, convertantur mihi.

Dico veniant miserationes ut vivam, et ut vivere possim, « fiat cor meum, » Domine, « immaculatum » per remissionem peccatorum « in justificationibus tuis, » id est, « ut » per impletionem præceptorum « non confundar » cum impiis, quando dicetur eis : « Discedite a me, maledicti, » etc. (*Matth.* xxv).

Caph.

« Defecit in salutari. » In hoc octonario ostenditur fidelis qui loquitur, jam fessus longa militia, cupiens dissolvi et quiescere cum Christo, nec tamen adhuc recusans laborem : et ideo bene ei Caph præscribitur, quod interpretatur *incurvatus*. Congruus ordo videtur, ut qui jucundas habuit passiones, legem Dei obtinuit jugi meditatione, ut jam quiescere et principium naturale obtinere desideret.

Continuatio : Ideo opto ut veniant mihi miserationes tuæ, et vivam æterna vita, quia « anima mea » præ desiderio mei principii « defecit » ab omni jucunditate præsenti, eundo « in tuum salutare, » id est, Filium tuum : scilicet, ideo vilipendo hæc terrena, ut perveniam ad æternitatem, quam jam obtinet nostra natura in Domino nostro Jesu : « et in verbum tuum, » ipsum Filium, quem ante vocavit salutare, « supersperavi, » id est, majorem meredem meæ militiæ obtenturum me credidi, quam posset humanus homo promereri. Unde Apostolus : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* viii). »

Anima defecit ab omni appetitu terrenorum, et etiam « oculi mei » interiores, scilicet ratio bene illuminata, « defecerunt » ab omni consideratione et delectatione terrenorum, tendentes « in eloquium tuum, » id est, ad intuitionem tui eloquii, scilicet Filii tui, quo tu voluntatem tuam ostendis et eloqueris. Vel, « eloquium tuum, » id est, præceptum tuum : « oculi » dico « dicentes, » id est, tractantes apud se, « quando consolaberis me, » id est, quando perduces me ad optatum principium, ut cum Christo jam requiescam.

Ideo opus est mihi consolatione, quia hic mali per multa flagella me volunt a bono retrahere; et hoc dicit : « quia factus sum sicut uter in pruina : » comparans se utri, quod est corium mortui animalis, innuit suam mortificationem, scilicet quod jejunando et vigilando, et aliis similibus modis, carnem suam mortificet : et sicut uter bene retinet infusum liquorem, ita ipse bene custodiet infusam sibi prædicationem, et a Deo commissam : et sicut uter positus in pruina contrahitur et siccatur, ut jam liquorem commissum conservare non possit, ita fidelis iste positus inter malos, frigore infidelitatis et turpis vitæ maculis astrictos, multis persecutionibus cogitur dimittere et fundere liquorem divini verbi sibi commissi : et licet ita sim factus « sicut uter in pruina, » tamen « justificationes tuas, » id est præcepta tua, quibus homines justificantur, « non sum oblitus, » quin semper ea custodirem et adimplerem.

Et quandoquidem, o Domine, sum factus sicut uter, ergo « quot sunt dies servi tui, » id est, quandiu patiar ego istas miserias? id est, « quando facies judicium? » scilicet separationem, quod jam non possint mihi nocere, « de persequentibus me » qui in hac vita nobis sunt commixti et cohabitantes.

Et opus est ut facias judicium, quia « iniqui narraverunt mihi fabulationes : » in hoc comprehendit omnes rationes quibus hæretici et alii mali volunt justum reddere participem perversitatis : « sed » ea « non » fuerunt mihi complacita « ut lex tua » est mihi.

Ideo quia « omnia mandata tua » sunt « veritas, » id est, a me vera esse comprobata, cum dicta eorum fabulationes habeam : et cum non possint erga me fabulationibus suis proficere, ipsi « iniqui sunt me persecuti » multa mala inferendo, ut saltem per hoc me suæ voluntati subjicerent ; sed, tu Domine, « adjuva me. »

Et opus est ut adjuves, quia « me consummaverunt in terra, » id est perfecte reddiderunt me in amorem terrenorum, sicut ipsi volebant : ita tamen, quod « paulo minus, » id est parum defuit quin me in amorem terrenorum involverent. Vel, in terra, id est in hac vita paulo minus consummaverunt, id est fere interfecerunt me, « ego autem non dereliqui mandata tua. »

Non dereliqui mandata tua, et ideo, Domine, de futuro « vivifica me, » id est fac me perseverare in mandatis tuis : neque hoc peto confisus meis meritis, sed « secundum misericordiam tuam : » et sic vivificatus, « custodiam testimonia oris tui, » scilicet, præcepta evangelica.

Lamed.

« In æternum, Domine. » In hoc octonario ostenditur quod justus ille, qui modo ostendit se afflictum, cum intelligit Deum nondum velle perducere ad requiem optatam, non recusat, sed se ad labores sustinendos hic paratum ostendit : et ideo præscribitur huic octonario Lamed, quod interpretatur *cor servitutis*.

Continuatio : Ideo bene debeo custodire testimonia tua, Domine, quia « Verbum tuum, » id est Filius tuus, « permanet in cœlo, » id est in cœlestibus creaturis et « hoc in æternum. » Vel ideo debet custodire, quia etiam angeli custodiunt : et hoc est : Verbum tuum, id est impletio mandatorum tuorum, permanet in cœlo, id est in angelis, quia Dei mandata semper adimplent, et hoc in æternum.

Et non tantum in cœlo, sed etiam « veritas tua, » id est Filius tuus, permanet « in generatione » priorum justorum, « et generationem » justorum Novi Testamenti. Vel, veritas, id est, ipsa lex tua, permanet a generatione in generationem, id est a principio usque ad finem mundi : sicut in Abel et in aliis sanctis viris « fundasti, » id est, stabilem posuisti « terram, » id est Ecclesiam, « et permanet » quia nunquam ulla poterit prorsus tribulatione deleri.

Et non tantum terra, id est, communis Ecclesia tua dispositione est fundata, sed etiam « dies, » id est sapientiores viri, et illustriores in Ecclesia, qui alios illuminare possunt, « perseverant ordinatione tua » contra fluctus mundi, bene dico diem tua dispositione perseverare, terram autem fundatam esse, etc., « quoniam omnia serviunt tibi » in quo apparet te esse omnipotentissimum.

Tu talis es qui diem ita ordinasti, terram statuisti, et lex tua talis est, « quod nisi ipsa lex tua meditatio mea esset, » perirem in persecutione inimicorum « tunc, » id est, quando inimici persequuntur, « perissem in humilitate mea forte, » ideo dicit quasi per liberum arbitrium suum se habere hoc, ut eis cederet, vel non cederet.

« In æternum. » Præmissis quibusdam causis, quare debeat Deo servire, ostendit se cor servitutis habere. Continuatio : Quia meditatione tuæ legis me a perditione liberasti, et cætera prædicta fecisti, ideo « non obliviscar justificationes tuas in æternum, » id est per totam vitam meam, « quia in ipsis justificationibus vivificasti me, » liberando a conformitate malorum, et conferendo virtutes.

Et quid per singula ? « Tuus sum ego, » id est serviens tibi per omnia, et ideo « salvum me fac, » perducendo ad æternitatem, « quoniam justificationes tuas exquisivi » ad intelligendum et complendum.

Et necesse est ut salves, quia « peccatores exspectaverunt me, » scilicet opportunum tempus, et idoneas deceptiones quærendo, ad hoc « ut me perderent ; » sed tamen ego « intellexi testimonia tua » per quod contra hæreticos me munivi.

Et in ipsis testimoniis intellectis, scilicet « vidi finem omnis consummationis » virtutum, scilicet cognovi æternitatem esse finem, ad quam perveniatur ex perfectione virtutum, et ideo « mandatum tuum » speciale, scilicet de charitate, fuit mihi « nimis latum, » id est multum, quia ut possem pervenire ad æternitatem, dilatavit me usque ad inimicorum dilectionem. Vel aliter : in mandatis quæ dilexi, vidi finem omnis consummationis, id est cognovi quod omnis consummatio et perfectio sæcularis habet finem, sed mandatum tuum, id est præceptio charitatis, est nimis latum, id est dilatatur usque in æternum ; unde Apostolus : Charitas nunquam excidet.

Mem.

« Quomodo dilexi. » In hoc octonario ostenditur ille fidelis qui loquitur, intimo amore legem Dei diligere, et ideo super omnes inimicos quantumcunque astutos se in lege Domini intellectum habere, et ideo præscribitur huic parti Mem., id est *viscera*, per quod amorem intimum intelligimus. Ordo quoque bonus est. Postquam enim aliquis nactus cor servitutis, si intimum amorem adhibeat legi, ad magnum perfectionis cumulum perveniet.

Continuatio : Mandatum tuum est nimis latum, et « legem tuam » dilexi, et, « Domine, quomodo dilexi ? » Quasi non possum ostendere quantum diligam : ostendit tamen quædam indicia suæ dilectionis, cum dicit : « Tota die meditatio mea est. »

Et quia sic dilexi, sic in meditatione habui, ideo « fecisti me prudentem mandato tuo super inimicos meos » id est plus intellexi de lege tua quam ini-

mici : ideo dico super inimicos, « quia » mandatum tuum « est mihi in æternum, » id est ducit me ad æternitatem, quod non facit inimicis.

Non tantum super quoslibet inimicos me fecisse prudentem, sed etiam « super omnes docentes me intellexi, » id est super scribas et pharisæos et quoslibet alios, qui me sectam erroris volebant docere : ideo sic intellexi, quia assidue cogito de mandatis tuis : et hoc est, « quia testimonia tua meditatio mea est. »

Et inter cæteros doctores « intellexi super senes, » id est super antiquiores et altiores sapientes, et hoc ideo, « quia mandata tua quæsivi. »

« Super senes intellexi, » et « prohibui pedes meos, » id est affectiones meas, « ab omni via mala » eorum : ad hoc prohibui, « ut » opere « custodiam verba tua. »

« Custodiam, » et « non declinavi a judiciis tuis, » quia ita etiam custodivi, quod in nullo deviarem a præceptis tuis. Ideo non declinavi, « quia tu legem posuisti mihi » quæ me cohiberet perseverare in mandatis tuis.

Dico intellexi, et implevi, et aliis annuntiavi, in quo fuerunt « eloquia tua » dulcia « faucibus meis, » et « quam dulcia, » id est, infinite fuerunt dulcia : dulcia dico « super mel ori meo, id est plus quam mel sit dulce mihi gustanti.

Eloquia fuerunt mihi dulcia, et « propterea viam iniquitatis odivi » illam « omnem; » et ut hoc bonum comprobetur, ostendit auctoritatem præceptorum Dei, cum dicit : « a mandatis tuis, » o Domine, hoc « intellexi » quod viam iniquitatis odire debeam, et ideo odivi.

Nun.

« Lucerna pedibus. » In hoc octonario agitur de humilitate, quia ostendit se justus qui loquitur ex se nihil habere, sed omnia a Deo, etiam initium bonæ voluntatis, et ideo præscribitur huic parti Nun, quod interpretatur *unicus*, vel *pascua*, quia unus et solus est Deus, a quo recipit quidquid boni habet, et ipse idem ei est pascua, et plena refectio. Ordo quoque bonus est. Postquam enim ostendit se habere cor servitutis, et per intimum amorem assecutum se legis intellectum, etiam se a judiciis Dei non declinare, et viam iniquitatis habuisse odio : hæc omnia non sibi, sed gratiæ Dei attribuit.

Continuatio : Super senes intellexi, a judiciis autem non declinavi, viam iniquitatis odio habui, et hæc omnia non viribus meis, sed quia « Verbum tuum, » id est divinum mandatum, est factum « lucerna, » id est illuminatio qua possum mihi a laqueis diaboli cavere, quos mihi tendunt in tenebris hujus vitæ. Lucerna dico « pedibus, » id est affectionibus « meis » et voluntatibus, per quas anima nostra jam incedat ad bene operandum, quia nec bene velle possumus, nisi gratia Dei illuminemur. Voluntati nostræ est verbum lucerna, « semitis meis, » id est arctioribus operibus meis, verbum tuum, scilicet divinum præceptum, est mihi « lumen, » id est maxime illuminans. Quanto enim potius operatur aliquis, tanto magis illuminatur cognitione Dei. Vel, « Verbum tuum, » id est Filius tuus, factus lucerna per assumptam carnem. Sicut enim in lucerna habetur lumen et testa, ita in Christo divinitas lumen est, humanitas quasi testa continens lumen : quæ lucerna illuminat pedes meos, id est promovet ad hoc, ut possim jam bene velle : et idem verbum est factum lumen semitis meis, id est strictis et arduis operibus : non dicit lucerna, sed « lumen : » quia quanto arctiori semita Deo servit, tanto majus lumen habet, et cognitionem de ipsa divinitate recipit.

Et quia voluntas per te illuminatur, et in semitis lumen præbes, scilicet, quia ex te omnem habemus illuminationem, ideo « juravi et statui, » id est firmiter deliberavi « custodire judicia » quæ sunt justitiæ tuæ, id est, quæ tu facis per tuam justitiam. Custodit ille judicia, quia si habeat adversitates non frangitur, sed judicio Dei sibi dari intelligit. Si autem prosperitatem habeat, non extollitur, sed secundum Dei voluntatem dispensat : dico custodire, juravi etiam custodire, id est sicut deliberavi, ita stabiliter complevi.

Quia statui custodire, ideo « sum humiliatus, » id est afflictus « usquequaque, » id est ex omni parte et omni genere afflictionis, quia stabiliter observabam judicia et testimonia tua. Humiliatus sum, sed, tu « Domine, vivifica me » ne cedam affligentibus me « secundum verbum tuum, » id est secundum promissionem.

Dico humiliatus sum, et in ipsa humiliatione obtuli tibi sacrificia « oris mei, » id est laudes quæ erant oris mei : quia quod dicebam ore, complevi opere : et hoc « voluntarie, » id est bona intentione, pura voluntate : et quia in humilitate sacrificavi tibi, et voluntarie, ideo, o Domine, « beneplacita fac » mihi vota mea, « et judicia tua doce me, » id est fac assuescere et opere adimplere.

Et ideo opus est ut doceas, « quia anima mea, » id est vita animæ meæ « est semper in manibus meis, » id est operibus meis : quia si desinam bene operari, morietur anima mea. A similitudine boni militis dictum est, qui sibi in prælio vitam propriis manibus defendit : « et » ut animam meam custodire possim, « legem tuam non sum oblitus » quin tractem eam meditatione et impletione.

Dico « non sum oblitus, » et tamen « peccatores posuerunt laqueum mihi » per quem putabant me impellere, ut legem Dei darem oblivioni. Laqueum dicit, veluti minas, blandimenta, quascunque malas persuasiones et persecutiones : « et » licet ipsi ita mihi laqueum tenderent, tamen « de mandatis tuis non erravi » vel male intelligendo, vel contra operando.

« Non erravi, » sed potius « acquisivi in æternum, » bene exercendo ad intelligenda et complenda « testimonia tua : » « acquisivi » dico « hæreditate, » id est ad similitudinem hæreditariæ rei, scilicet ut fir-

miter possiderem, et a patribus meis et aliis talibus A reciperem ; ideo exquisivi, « quia exsultatio cordis mei sunt, » scilicet quantumcunque tribuler, tamen cum exsultatione mandata Dei adimplebo, securus de remuneratione.

Dico « exquisivi, » hoc modo, scilicet humiliando meipsum per omnia Deo : inde est quod dicit : « Inclinavi cor meum, » id est, voluntatem meam per omnia humiliavi, « ad faciendas justificationes tuas propter retributionem » duraturam « in æternum ; » sicut dicit beatus Hieronymus, ordinatum esse in Hebræo ; possumus tamen dicere : Custodiam justificationes tuas in æternum, id est, per totum tempus vitæ meæ.

Samech.

« Iniquos. » In hoc octonario ostendit justus, qui B paulo ante ostendebat suam humilitatem, se jam confirmatum sic, quod velit fugere consortia iniquorum : et ideo bene præscribitur huic parti Samech, quod interpretatur *firmamentum* vel *adjutorium* ; quasi diceret : Hic ubi dicis quod iniquos odio habeas, est audiendum et cum magna cura attendendum, quia magna est cautela adhibenda ad iniquos audiendos ; præcipitur enim in Evangelio, ut etiam inimicos diligamus (*Matth.* v). Sic ergo sunt diligendi, ut quidquid mali nobis faciant, non repercutiamus, sed pro eis oremus ; et quandiu in eis proficere putamus, divina admonitione eis insistamus. Si autem in eis nihil proficere valemus, nec salva religione cum eis habitare possumus, ab eorum familiaritate et habitatione separari debemus : pro quo C etiam patrem et uxorem relinquere debemus, si cum eis religionem Christianam servare non possumus, scilicet, si per eos ad culturam idolorum, vel aliquid simile impellamur. Nihil enim alicui proximo contra Deum debemus ; unde Dominus in Evangelio : « Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. (*Matth.* x.) »

Continuatio : Justificationes custodivi propter retributionem ; et ut ad illam possim pervenire, « iniquos odio habui, et legem tuam dilexi. »

Et cum iniquos devitem, et custodiam legem, « tu es adjutor meus » ad bene operandum, « et susceptor meus, » quia per Christi assumptam humanitatem, meam multum exaltasti : « et in Verbum tuum, » id est Filium, vel divinum præceptum quod complevi, D « supersperavi, » id est majus quoddam quam hæc præsentia essent. Vel, « supersperavi, » quia priori spei majorem addidi spem.

Iniquos odio habui, ita dicens : O vos maligni, declinate a me. Vel ita continuatur : Quia Deus est adjutor meus, et in verbum tuum supersperavi, ideo vos, « maligni, declinate a me, » id est separate vos a meo consortio, in quorum præsentia divinam non valeo religionem tenere ; « et » postquam declinaveritis, « scrutabor mandata Dei mei » libere. Dicit autem Apostolus de iniquorum vitatione : « Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita (*Tit.* III). »

Vos, « maligni, declinate, » sed tu, Domine, « suscipe me » in custodia, ne cedam inimicis, « secundum eloquium tuum, » id est secundum promissionem. Vel, « secundum eloquium, » id est, ut sequar præcepta tua, implendo ea : « et » tunc utinam « vivam » in anima, « et » cum exspectavero vitam æternam, « non confundas me ab » illa « mea exspectatione, » sed da obtinere quod spero.

« Non confundas » dico, sed potius « adjuva me » ad bene operandum, « et » per hoc « salvus ero » æterna salvatione, « et » per tuum adjutorium, ad hoc, ut ad illam possim pervenire salvationem, « meditabor in justificationibus tuis semper, » id est assidue. Qui enim secundum legem Dei vivit, etiam dum vivit, vel dormit, vel manducat, in lege Dei dicitur meditari.

Ideo « meditabor, » quia hoc attendo quod tu « sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia cogitatio eorum est injusta. » Si enim dicant se fragilitate peccare, vel Deum sibi per misericordiam indulgere, vel hæc terrena non curare, eorum cogitatio est injusta.

Et non tantum sprevisti tu, sed etiam ego sprevi ; et hoc dicit : « omnes peccatores terræ, » scilicet paganos, qui legem non habent scriptam, « reputavi prævaricantes, » saltem naturalis legis : et in hoc auget cumulum malorum, qui propter actum peccati prævaricatores sunt naturalis legis, vel Scripturæ, vel utriusque : et quia peccatores vidi esse prævaricatores, « ideo » ne essem prævaricator, « dilexi testimonia tua. »

« Confige timore tuo. » Quia vidit iste justus eumdem inimicum sibi insidiari, qui alios faciebat prævaricatores per suggestiones carnis, precatur Deum ut illum inimicum comprimat. Continuatio : Peccatores reputavi prævaricantes, et ne ego etiam sim prævaricator, « confige carnes, » id est carnalitates meas « tuo timore, » id est clavo timoris tui. Ideo, precor, confige, « a judiciis enim tuis timui, » id est ad considerationem futurorum judiciorum tuorum. « Confige » dicit, quia sciebat quod vetus homo figeretur in cruce, et destrueretur in passione Christi.

Ain.

« Feci judicium et justitiam. » Ain, quod interpretatur, *oculus*, ideo huic octonario præscribitur, quia hic ostenditur ille justus quemdam habere interiorem oculum bene illuminatum, scilicet quamdam sagacitatem ad repellendas calumnias iniquorum, et ad legem Dei defendendam contra eos : quæ sagacitas et justo necessaria erat. Mali enim quos odio habebant, multas in eos calumnias et criminationes inferebant.

Continuatio : Quia dilexit testimonia tua, et alios reputavi prævaricatores, ideo « ne tradas me calumniantibus me, » id est, ne permittas me calumniis eorum succumbere, quas multas mihi inferunt : quia prævaricantes reputavi, etiam me ab aliis separavi : nec debes tradere, quia « feci judicium, » id est

discretionem inter bonum et malum, « et justitiam, » quia deserendo malum, secutus sum bonum.

« Ne tradas calumniantibus ; » et si impulerint in aliquod malum, tu « suscipe » me « servum tuum in bonum » et quandoque fac cessare omnes calumnias eorum ; et hoc est : « non calumnientur me superbi. »

Et debes suscipere, quia « oculi mei, » interiores, defecerunt ab omni appetitu terrenorum, tendentes « in salutare tuum, » id est in salvationem tuam ; « et » ut ad illud perveniam salutare, tendunt « in eloquium justitiæ tuæ, » id est in præcepta tua complenda.

Quia oculi deficiunt, « fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, » hoc scilicet fac, « justificationes tuas doce me. »

Bene « dico cum servo tuo, » quia « servus tuus sum ego, » obediens tibi per omnia : ideo « da mihi » illuminatum « intellectum, ut sciam testimonia tua, » cognitione et impletione.

Et debes facere, quia « tempus » est hoc faciendi, Domine, scilicet ut des mihi intellectum legis tuæ, per quem eam possim defendere contra hæreticos, quia illi « dissipaverunt, » male intelligendo, et hæreses inducendo, et cæteris aliis modis, « legem tuam » corrumpendo. Vel tibi Domino opus est faciendi, ut des mihi intellectum, ad defensionem legis tuæ : et quia alii dissipaverunt legem tuam, « ideo » ego accensus zelo Dei, « dilexi mandata tua » ad defendendum ea, « super aurum, » id est, super omnem cupiditatem possessionis sæcularis, « et » super « topazion. » Topazius pretiosus lapis est, cujus natura est ut semper attrahat visum inspicientium, nec oculi inspicientium ejus possunt intuitu satiari : per quod intelligimus omne pulchrum visu hujus sæculi.

Et quia « dilexi mandata tua, propterea » non fui otiosus ab opere, sed « dirigebar » semper ad omnia mandata tua implenda, et econtrario, « omnem viam iniquam odio habui » juxta Evangelium : « Non potestis Deo servire et mammonæ. » (*Matth.* VI.)

Phe.

« Mirabilia testimonia tua. » Huic octonario bene præscribitur Phe, quod interpretatur *error*, quia in hac parte fidelis qui loquitur ostendit se dolere de errore illorum quos supra dixerat legem Dei dissipare, et ostendit eis convenienter legem Domini non dissipandam, sed amandam.

Quasi diceret : Non debetis dissipare, imo amplecti et custodire, quia, o « Domine, testimonia tua » sunt « mirabilia, » id est digna admiratione, quia observatores suos tales efficiunt quod cæcos illuminent, mortuos resuscitent, et hujusmodi alia ; et « ideo scrutata est ea anima mea. »

Anima scrutatur, et bene potest ad intelligendum proficere, quia « declaratio, » id est completio « sermonum tuorum, » velut adventus Christi et doctrina evangelica, quæ declarant et complent omnes prophetas : talis declaratio « illuminat » communiter omnem Ecclesiam, et ad fidem accedere facit ; « et intellectum » excellentem, qualem habent sapientiores Ecclesiæ, « dat parvulis, » id est, humilibus, qui parvulos se reputant, et nihil de se præsumunt, sed sunt parvuli malitia, sicut Apostolus præcepit : « Estote parvuli malitia. » (*I Cor.* XIV.)

Et quia solis parvulis dat intellectum, ideo feci me parvulum, scilicet « aperui os meum, » id est, desideria cordis mei dilatavi. Per os, cor intelligimus, quia jam desiderat refici beneficio spirituali. « Et attraxi Spiritum » sanctum, scilicet auram salubrem. Ille Spiritum acquirere laborat, et dignum se efficit, in quo habitet Spiritus sanctus, qui mandata Dei custodire desiderat. Ideo aperui, ideo attraxi, « quia mandata tua desiderabam, » ad intelligendum et complendum.

Et quia desideravi, et os aperui, ideo « aspice in me » oculo pietatis, scilicet ut mihi conferas aliquid boni ; « et miserere mei » delendo maculas, si quas in me invenis ; et hoc precor « secundum judicium diligentium nomen tuum : » id est sicut judicas miserendum aliis diligentibus nomen tuum, ita de me judica. Licet Deus fideles suos per misericordiam visitet et misereatur, tamen dicit « judicium, » quia intelligit in hac vita semper misericordiam judicio Dei conjunctam : quia aliquod meritum fidei est, quare Deus parcit ei.

Dico « aspice et miserere, » et « gressus meos, » id est, opera mea, « et dirige, » ut sint « secundum eloquium tuum ; et » per hoc « non dominetur mei omnis injustitia, » id est nulla iniquitas, id est peccatum quod habitat in nostro corpore mortali, jam non regnet, id est in nobis ut valeat nos impellere ad illicitos motus, sed potius ratione illuminata, fomes peccati comprimatur ; ideo sic dicit « nulla dominetur, » quia intelligit tantum valere ad damnationem, si una injustitia dominetur quantum si omnes dominentur.

Dico « gressus dirige, » ne dominetur injustitia, et etiam « redime me » per pretium sanguinis Filii tui ; redime me « a calumniis hominum, » id est a falsis criminationibus et inventionibus hominum, ne possint me conformare suæ nequitiæ, « ut » tunc libere « custodiam mandata tua, » qui modo impedior multis calumniis eorum.

Et ut possim custodire mandata tua, « illumina faciem tuam, » id est præsentiam tuam mihi manifestam ostende, non facie velata, sicut Moyses Judæos docebat (*Exod.* III), significans mentis eorum velamen, qui spiritualem doctrinam intelligere non possent : Christus vero doctor noster manifeste docuit veritatem, et cognitionem Dei fidelibus intimavit. Et hanc faciem, id est cognitionem, illumina « super » me « servum tuum, et » per hoc « doce me » intellectu et impletione « justificationes tuas. »

Et dignus sum ut doceas, quia multum doleo de aliorum errore ; et hoc dicit : « exitus aquarum, » id est, copiosus fletus exterius, et multos dolores inte-

rius, « deduxerunt, » id est, non tantum una hora, sed per multos dies fuderunt « oculi mei » interiores et exteriores, « quia non custodierunt legem tuam. »

Sade.

« Justus es, Domine. » Huic bene præscribitur Sade, quod interpretatur *consolatio*, quia justus ille, qui paulo ante ostendebat dolere se malorum errore, hic jam ostendit consolationem duplicem se habere ex justo judicio Dei. Cum enim Dei judicio se illuminatum agnoscit, magnam habet consolationem ad mala sustinenda et cœlestia speranda. Item dum malos justo Dei judicio excæcatos et reprobatos intelligit, in eisdem consolatur, intelligens se per eos examinandum et exprobrandum. Quod facit fornax auro, lima ferro, facit impius pio.

Continuatio : Hactenus dolui, et fuderunt lacrymas oculi mei; sed jam non doleo, sed potius consolor in hoc, attendens, quia, o « Domine, justus es » in natura, « et rectum judicium tuum, » quia quod alios eligis et illuminas, alios reprobas et excæcas, hoc justo judicio facis.

In hoc apparet quod rectum sit judicium, quia mandata quæ nobis proponis, facis a quibusdam recipi et a quibusdam rejici; et hoc dicit : « mandasti justitiam testimonia tua, » et hoc « nimis, » id est valde, scilicet per infinitos legatos : testimonia dico justitiam, id est, solam æquitatem præcipientia; « et veritatem tuam, » id est judicant et implent quidquid promittunt, et ideo bene deberent ab omnibus recipi.

Et licet testimonia tua et justa essent, et omnem promissionem complerent, tamen « inimici mei, » qui volunt mihi mala quia non sum eis similis, illa « verba tua » secundum completionem « sunt obliti, » quæ ratio rationalis eis persuadebat, et aliquorum prædicatio eis intimaverat : et quia hæc obliti sunt, ideo « zelus meus » quem habui erga eos pro contemptu testimoniorum, « fecit me tabescere, » id est deficere et macerari in corpore.

« Testimonia tua sunt veritas et justitia, » et ipsum « eloquium tuum » est « ignitum vehementer, » quia comburet vitia, accendetque hominem ad amorem Dei, « et servus tuus dilexit illud, » scilicet ego et mei consimiles.

Et quia dilexi, ideo « sum adolescentulus ego, » id est innovatus, scilicet exutus vetere homine, sum novi hominis membrum effectus : « et » quia sic sum innovatus, ideo a malis sum « contemptus, » vilis reputatus et tormentis affectus; et tamen « justificationes tuas non sum oblitus » quin semper meditarer et complerem.

Et bene dico complere et observare, quia « justitia tua » quam confert exsecutio præceptorum tuorum, est « justitia » ducens hominem « in æternum, et lex tua veritas » est, id est complens promissiones.

Contemptus sum, inquam, ego autem non subfugi; sed « tribulatio » corpori illata, « et angustia, » id est anxietas mentis « invenerunt me » paratum ad omnia sustinenda; et hæc omnia non fecerunt me paratum recedere a mandatis tuis, sed semper « mandata tua meditatio mea est. » Et quia justis hæc omnia a justo judicio Dei sibi dari intelligit, ideo in omnibus consolationem sibi accipit.

Ideo testimonia tua est mea meditatio, quia ipsa « testimonia tua » sunt « æquitas, » id est, nihil iniquum vel inhonestum præcipientia et ducentia « in æternum : » et ideo « da mihi intellectum » eorum, ut in ipsis consolationem accipiam, « et » per ipsa intellecta « vivam, » id est ad æternam vitam perveniam.

Coph.

« Clamavi. » Coph, id est *conclusio*. Hic enim agitur de beato viro ab hostibus circumquaque concluso graviter, qui aliunde nullum sibi sperans subsidium, clamorem suum dirigit ad Deum. Ordo quoque congruus, quia post passionem erroris accepta consolatione, cum a malis circumdatur, nihil aliud restat, nisi ut clamorem suum ad Dominum dirigat.

Continuatio : Quia tribulatio et angustia invenerunt me, ideo « clamavi in toto corde meo : Exaudi me, Domine; » et supponit de quo clamavit, scilicet ut « justificationes tuas requiram, » id est da mihi requirere ad intelligendas justificationes tuas.

Et non tantum clamavi ut requiram, sed etiam clamavi ut des custodire mandata; et hoc est : « Clamavi ad te, et » tu « salvum me fac, » hoc genere salvationis, scilicet « ut custodiam mandata tua. »

Et non tantum clamavi, sed etiam « præveni » alios « in maturitate, » quia cum alii in perfecta et matura ætate ad te venire soleant, ego puer et immaturus ad te festinavi. Vel, « præveni in maturitate, » id est ante adventum tuum, scilicet ante tempus plenitudinis et gratiæ, ad te promerendum « et clamavi. » Ideo præveni et clamavi, « quia in verbo tuo, » id est præcepto, vel Filio tuo « supersperavi. »

Præveni in maturitate, et etiam præveni alios in majori illuminatione, quia magis fui illuminatus aliis; et hoc est : « diluculo, » id est a principio meæ conversionis; cum verum lumen recepi, « oculi mei » interiores, et intuitiones meæ « prævenerunt » alios, tendendo « ad te » et ad hoc prævenerunt, « ut meditarer eloquia tua. » Vel si habeatur diluculum, id est tempus resurrectionis, prævenerunt oculi mei.

Et quia clamavi et præveni, « audi vocem meam, » ne frangar tribulatione concludentium : et hoc non secundum merita mea audeo petere, sed « secundum tuam misericordiam, » o « Domine, vivifica me » ne possim malis subsidere, et etiam in virtutibus multiplica me, et hoc fac « secundum judicium tuum. » Judicas enim, ut « qui justus est, justificetur adhuc. » (*Apoc.* XXII.)

Et opus est ut vivifices, quia « persequentes » et occidentes « me appropinquaverunt iniquitati, » quia me fere suæ nequitiæ conformaverunt, et eam mihi persuaserunt : « a lege autem tua » sic agendo « longe

facti sunt. » Quanto enim quis iniquitati appropinquat, et diabolo se alligat, tanto magis a Deo Deique lege fit remotior.

Ipse appropinquat iniquitati, sed « tu, Domine, es » mihi « prope » ad defendendum me contra eos; et ipsi sunt longe a lege tua ; mihi autem placet lex tua; et hoc est : « et omnes viæ tuæ » sunt mihi « veritas, » id est præcepta per quæ ad Dominum venitur, vera intelligo, et in nullo fallentia.

« Omnes viæ tuæ sunt mihi veritas, » et hoc « cognovi de testimoniis tuis, » scilicet « quia » tu « fundasti ea, » ita ut essent « in æternum, » id est ut perducerent homines ad æternitatem; et hoc cognovi ab « initio, » ab Abel et aliis justis, in quibus vidi Christum futurum, et Ecclesiam suam incommutabiliter fundaturum.

Res.

« Vide humilitatem. » Hic prænotatur Res, id est *caput* : hic enim de humilitate agitur, quæ est caput et custodia virtutum, quam servat justus ab hostibus conclusus, ut servat serpens caput, corpore ictibus exposito. Sicut enim serpens, si caput servat, etsi cætera membra truncantur, non interit : sic et humilitate servata, homo, etsi corpus tundatur, tamen vera vita non privatur.

Continuatio : Persequentes appropinquaverunt, et illis humilitatem exhibui, et hanc « humilitatem meam, » o Domine, « vide, » id est placeat tibi, « et eripe me, » ne me superet eorum persecutio, « quia legem tuam non sum oblitus » quam præcepisti de humilitate. « Qui se humiliat, exaltabitur. » (*Luc.* XIV *et* XV.)

« Vide et eripe me, » et « judicium meum, » scilicet quod ego decerno esse faciendum, veluti de fide tenenda et aliis similibus, quæ ex fragilitate humana non bene possum discernere : malum enim judico eum qui bonus est, et e converso, etc., tu « judica, » id est examina; hoc est, fac me in omnibus judicare recte; « et redime me, » id est libera me per pretium sanguinis Filii tui de potestate inimici, et « vivifica me » vita æterna, « propter eloquium tuum » datum de humilitate quam custodivi, sicut ipsum eloquium præcepit. Vel, « propter eloquium, » id est tuam promissionem complendam : tu enim in Evangelio promisisti, qui in monumentis sunt et bene egerunt, procedent in resurrectionem vitæ.

Me custodiente legem et mandata tua, vivificabis, sed « a peccatoribus longe » erit « salus : » et non eris inde culpabilis, sed ipsi, « quia justificationes tuas non exquisierunt. »

Ab illis longe erit salus, sed « vivifica me secundum judicium tuum, » id est secundum hoc quod judicas fideles tuos vivificandos : quod ideo secure peto, quia « misericordiæ tuæ » sunt « multæ, Domine, » id est, multas consuevisti facere misericordias fidelibus tuis a primo justo.

Et opus est ut me vivifices, quia « multi » sunt « qui persequuntur me » fugando de loco ad locum, « et tribulant me » verberando : « a testimoniis tamen tuis non declinavi. »

Ego « vidi prævaricantes, et tabescebam » dolore, « quia eloquia tua non custodierunt. »

Ego non declinavi, sed potius de declinatoribus dolui; et hoc est : Vidi illos prævaricatores, et sicut illos vidi, tu « Domine, vide » me promerentem in hoc, « quoniam dilexi mandata tua : » et contra hoc quod ego dolore tabescebam, tu « vivifica me » vera vita : et ad hoc non sufficiunt merita mea, sed hoc fac mihi « in misericordia tua. »

Merito dilexi mandata tua, quia « principium verborum tuorum » est « veritas, » sicut primo homini mandasti dicens : « De ligno scientiæ boni et mali ne comedas, et in quocunque die comederis ex eo morte morieris. » (*Gen.* I.) Hoc verbum verum fuit, quia damnatus fuit, quando de cibo vetito comedit. Et « omnia judicia justitiæ tuæ » quæ facturus es secundum justitiam tuam in novissimo die, separando bonos a malis, sunt manentia « in æternum, » id est impermutabilia, quia non redibunt ad vitam terrenam et cultum terræ post centum millia annorum, sicut Origenes et alii hæretici putaverunt.

Sin.

« Principes. » Hic bene præscribitur Sin, quod interpretatur *super vulnus*; quia hic fidelis, qui paulo ante suam ostendit humilitatem, ostendit gratas accipere tribulationes quæ curant vulnera animæ, et sunt ei quasi emplastrum super vulnus.

Continuatio : Multi persequuntur, et non qualescunque, sed « principes, » id est potentes hujus sæculi, « sunt » magis « me persecuti gratis, » id est sine causa : et tunc licet caro mea formidaret verba; tamen « cor meum, » id est voluntas et ratio mea, non formidavit eorum verba, sed a verbis tuis « formidavit, » qui dixisti : « Si quis negaverit me coram hominibus, ego negabo eum coram Patre meo » (*Matth.* X). Et item : « Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. » (*Matth.* X *et* XXIV.)

Et hoc faciens, « ego » fundatus « super eloquia tua, » id est timens eum qui corpus et animam simul potest perdere : qui fortassis viderer contristari pro persecutione malorum, « lætabor sicut » ille « qui invenit spolia multa. » Sicut aliquis hostis, devicto hoste, gaudens rapit spolia, sic et diabolus, quando de subditis sibi aliquos incorporat, id est præmium vitæ æternæ aufert.

Dico « lætabor, » et per hoc possum lætari, quia legem tuam dilexi : et ut ostenderet suam perfectam dilectionem, præmittit : « iniquitatem odio habui, et abominatus sum, » id est exsecrabilem eam habui, « legem autem tuam » non habui odio, sed « dilexi. »

Et quod legem dilexerim per hoc apparet, quia « in mea illuminatione laudem dixi tibi, » et hoc « septies, » id est semper, scilicet in toto tempore meæ vitæ, quæ per septem dies volvitur. Vel ad litteram : « Septies in die, » id est in horis constitutis ad memoriam septiformis Spiritus, ego dico, intendens

« super judicia justitiæ tuæ, » id est recognoscens omnes illas persecutiones immitti mihi tuo justo judicio, scilicet ad correctionem.

Et cum inter tribulationes essem, per hoc potui tibi laudem dicere, quia tranquillitas et pax magna erat mihi in mente, quia omnibus « diligentibus legem tuam est pax multa, » id est tranquillitas mentis, etsi non perfecta : quia licet exterius verberentur, tamen in mente non moventur. Unde scriptum est : Est et in hac vita multis requies data sanctis, quorum animas mundus non tenet occisas : « et » etiam « non est illis scandalum, » id est nunquam offensio nocet eis nec separat ab Ecclesia, quia nullam faciunt offensionem.

Ideo etiam laudem potui dicere, iniquitatem odio habere, quia ego, o « Domine, exspectabam salutare tuum : » nos exspectamus Christum venturum in extremo judicio, antiqui vero patres exspectaverunt primum adventum ejus : nisi enim exspectaremus eum secundo venturum, neque legem diligeremus, neque iniquitatem odio haberemus, exspectavi ; « et mandata tua, » id est præcepta moralia, ut « non occides, non furaberis, » et similia, « dilexi. »

Et non tantum dilexi mandata tua, sed etiam « anima mea, » id est ratio et voluntas, « custodivit testimonia tua, » id est præcepta tua veteris legis, scilicet figuras ipsas : non quod homo Novi Testamenti ex actu impleat, sed tamen servat ea, sciens ea esse probationem et testimonium suæ legis, velut ipse Dominus per testimonium ipsorum prophetarum comprobavit resurrectionem, loquens discipulis in via (*Marc.* XVI ; *Luc.* XXIV) : « et dilexit ea vehementer. »

Dico « dilexi mandata, » et non tantum hoc, sed et « servavi mandata tua, et » etiam « testimonia » cum mandatis, ut ostendat se utrumque Testamentum, Vetus et Novum, pariter observare : ideo servavi « quia omnes viæ meæ, » id est, omnia opera mea, sunt « in conspectu tuo, » id est, tu dirigis vias et opera mea : opera nulla dicuntur in conspectu Dei esse, nisi solius justi.

Tau.

« Appropinquet. » Huic octonario præscribitur Tau, id est, *consummatio* : hic enim justus iste, qui superius legem Dei se custodisse ostendit, consummationem precatur, ut oratio sua ad Dei conspectum perveniat, ut et ipse Deus per carnem assumptam factus Pastor suus, se ovem, commisso primi parentis in deserto errantem, ad verum et perpetuum ovile reducat. Ordo quoque congruus est : postquam enim beatus homo ad hoc perductus est ut tribulationes sibi medicamentum faciant, nihil aliud restat nisi ut ad promissum præmium pervenire contendat.

Continuatio : Quia dilexi et servavi mandata, ideo, o « Domine, deprecatio mea appropinquet » tibi, ita ut sit « in conspectu tuo, » id est ipsa oratio mea faciat me appropinquare tibi : non localiter, sed similitudine justitiæ, a quo dissimilis factus sum multiplicitate injustitiæ : et ut possim appropinquare, « da mihi intellectum » non in mundanis scientiis, sed « juxta eloquium tuum, » id est de cœlestibus, quem intellectum docent eloquia tua.

Non tantum appropinquet, sed etiam « intret, » mansura, « postulatio » id est oratio « mea in conspectu tuo : » hæc scilicet postulatio intret, « eripe me » de ergastulo carnis et de corpore mortis hujus, et hoc « secundum eloquium tuum, » id est secundum promissionem tuam, qui dixisti in Evangelio : « Qui fecerit ea quæ ego præcipio, manifestabo ei meipsum. » (*Joan.* XIV.)

Dico « da intellectum, » et « cum docueris me justificationes tuas, » id est cum dabis intellectum, « eructabunt labia mea hymnum, » id est ex abundantia magnæ saturitatis laudem dicam tibi.

Et non tantum tibi in meipso laudem faciam, sed et « lingua mea » aliis « pronuntiabit eloquium tuum, » quod eloquium bene pronuntiandum est, « quia omnia mandata tua » sunt « æquitas, » id est nihil injustum præcipientia.

Et ut possim intrare in conspectu tuo, et hæc alia fiant, « fiat manus tua, » id est Filius tuus, « ut salvet me, » id est, salvator meus fiat, nobis etiam hoc tempore : fit enim quotidie Christus salvator peccata remittendo, et spirituales gratias conferendo : quod mihi merito fiat, « quoniam mandata tua elegi. »

Ideo etiam manus tua salvet me, quoniam ego « concupivi salutare tuum, Domine, » id est, salvari per Filium ipsum, quem ego cognovi salvatorem omnium : « et » etiam ideo debeo salvari, quia non tantum legem dilexi, sed etiam ipsa « lex tua meditatio mea est, » de cujus impletione sollicite meditor.

Ego concupivi salutare, nec frustra, quia per te Salvatorem « vivet anima mea » æterna vita : « et » in illa vita « laudabit te » juxta illud : « Beati qui habitant in domo tua, Domine ; in sæcula sæculorum laudabunt te. » (*Psal.* LXXXIII.) Et ad hæc ut anima mea ad illam vitam perveniat, « judicia tua, » id est correctiones, scilicet flagella quæ mihi ad correctionem immittis, et suscipienda judicas ; quia « flagellat Deus omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII) : » « adjuvabunt me » quia peccata per illa punientur, et ego probatus efficiar.

Et ut anima mea vivat illa vera vita, ad quam ego per me non possum pervenire, tu, Domine, « quære » me « servum tuum » aspirando, vocando, virtutes multiplicando, quia ego « erravi sicut ovis quæ periit, » id est erravi in peccatis primi parentis, recedendo in regionem dissimilitudinis : et dignus sum quem quæras, « quia mandata tua non sum oblitus. » Sicut enim Deus negligentes se, negligit, ita quoque requirentes se requirit.

IN PSALMUM CXIX.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« Ad Dominum cum tribularer. » Singulis quindecim

psalmorum præscribitur titulus iste : qui singuli docent nos quasdam virtutes, quæ sunt nobis certissimi gradus, per quos in supernam Hierusalem ascendamus. Fecit similiter Salomoni in templo Domini quindecim gradus, per quos ascenderetur de primo tabernaculo in Sancta sanctorum, præfigurans in ipsis viam ad supernam civitatem, quam propheta demonstrat in istis quindecim psalmis. Per hunc numerum quindecim, qui componitur ex septem et octo, voluit figurare et propheta qui hic loquitur, et Salomon in suis gradibus, completionem Veteris Testamenti, quod per septenarium habetur posse ascendere ad supernam Hierusalem. Per septem, Vetus Testamentum intelligitur. Lex enim illa octavam diem, id est æternam requiem, non dabat, nec de ea agebat, sed de significatione illius quietis: et in hoc erat totus finis, quia lex præcipiebat in sabbato feriari (*Lev.* XXIII), quod erat signum futuræ quietis. Per octo, Novum Testamentum accipimus, quia in ipso jam requiem veram obtinemus. Accepit enim in Christo resurgente nostra humilitas æternam beatitudinem, et nos, qui membra ipsius sumus, jam in spe habemus, et tandem perfecte cum ipso regnabimus post septem dies, quibus volvitur iste mundus. Nota quia in his quindecim gradibus notatur Novum et Vetus Testamentum : in præcedentibus septem, Vetus designatur Testamentum, et intitulamur : « Canticum graduum » tantum ; in octo vero sequentibus Novum Testamentum ostenditur, qui intitulantur, « Canticum graduum Salomonis. » Titulus sic legatur : Psalmus iste, qui est canticum, quia magnam proponit exsultationem, scilicet quomodo possimus ascendere ad cœlestem habitationem, et recipere quod amisimus in primo parente : quod canticum est graduum, id est unum ex illis qui nobis proponunt gradus : ponunt autem singuli psalmi singulos gradus ; et ipse gradus, id est ipsa virtus quæ in unoquoque ostenditur, est propria materia ipsius psalmi. In hoc autem psalmo primum gradum ponit, scilicet vitia devitare, mundum mente abrenuntiare : quia etsi quis mundo utatur, sit tamen non appetitor : unde Apostolus : « Qui habent uxores, sint tanquam non habentes : et qui gaudent, tanquam non gaudentes. » (*I Cor.* VII.) Vox prophetæ ostendentis se ipsos gradus ascendisse : nec tantum de se solo dicit, sed et de similibus sibi. Intendit autem alios invitare, uti exemplo sui conscendant istos gradus. Duas partes in hoc psalmo facit. In prima parte ostendit se, cum clamaret, esse exauditum, et orare ne deinceps impellatur ad peccandum. In secunda, quæ incipit : « Heu mihi ! » gemit et deplorat se tandiu inter malos peregrinum et incolam esse.

Acsi ita diceret : Fratres, cum vos tribulamini in multiplicitate peccatorum, clamate ad Dominum, et ipse vos exaudiet, exemplo mei, qui « cum tribularer » multis vitiis hujus sæculi appetitu, attendens hoc esse damnosum, « clamavi ad Dominum et exaudivit me. »

A Postquam exaudivit eum Dominus, et peccata dimittendo, et ab amore terrenorum removendo, quia vidit sibi multa imminere quæ iterum possent eum ad postposita impellere, veluti linguam dolosam, quæ ipsum primum parentem dejecit a sua perfectione, precatur Deum ut liberet eum, ne amodo retrahatur ad peccandum ; quasi diceret : « Domine » qui jam de præteritis me exaudisti, deinceps « libera animam meam a labiis iniquis, » id est manifeste mala persuadentibus ; « et a lingua dolosa, » id est quæ aliquam inducit auctoritatem, vel rationem, per quam decipiat. Locutus fuit diabolus Evæ lingua dolosa, dum ei persuadere comestionem cibi vetiti voluit : apposuit et dolum per quem persuasit, dicens : « Similes eritis ipsi Deo. » (*Gen.* III.)

B Ad se convertitur se consulendo, in quo notatur magna ipsius diligentia, et quam magna cautela sit adhibenda contra linguam dolosam, quasi diceret : O anima mea, quæ gravissima tentatione, scilicet lingua dolosa, tentaris, « quid detur tibi? » id est quid potest tibi dari? « aut quid apponatur tibi, » id est? quod exemplum potest tibi proponi, quod sit valens tibi « ad linguam dolosam ? » id est contra linguam dolosam, ne seducaris lingua dolosa.

Ecce quid datur tibi : « sagittæ acutæ, » id est divina præcepta, quæ cito transfigunt corda hominum, dantur ei arma contra linguam dolosam : sagittæ dico « Potentis, » id est ipsius Dei : et per hoc innuit quod ipsæ sagittæ faciant homines potentes

C contra linguam dolosam : sagittæ dico dantur « cum carbonibus desolatoriis. » Carbones dicit sanctos, quia ipsi aliquando fuerunt exstincti, sed postea per Christum facti sunt ardentes, et alios ad dilectionem Dei accendunt, qui dicuntur desolatorii, comburentes et consummantes ædificia, hoc est vitia, si ad eorum exemplum nos volumus informare : et istud est quod apponitur nobis ad linguam dolosam.

« Heu mihi ! » Pars secunda. Quasi diceret : Licet sim exauditus de tribulatione, habens sagittas et carbones contra linguam dolosam, tamen adhuc est « mihi heu ! » id est magnus gemitus, « quia incolatus meus prolongatus est, » id est peregrinatio et exsilium meum a vera patria nimis producitur : non quod vita hominis longa sit, sed quia jam vel-

D let dissolvi et esse cum Christo (*Philip.* II) ; et ideo est mihi « heu ! » quia « habitavi cum habitantibus Cedar, » id est cum illis qui manent in tenebris. Cedar enim tenebræ iuterpretatur ; et ideo dico heu mihi ! quia, « anima mea multum incola fuit, » id est multam gravitatem passa est in hoc exsilio.

Ideo dico quod gravis est animæ meæ hæc peregrinatio, quia et illi cum quibus eram, et pacem odio habebant, quam ego quærebam, et me impugnabant ; hoc est : « cum illis qui oderunt pacem eram pacificus, » quia cum ipsi essent seditiosi, non maledicebam eis, sed orabam pro eis ; tamen non tacebam quin prædicarem verbum Dei ; et « cum loquebar illis » verbum veritatis, « impu-

gnabant me » multis tribulationibus, et hoc « gratis, » id est sine aliquo meo merito. Vel « gratis, » quia nihil profecerunt.

IN PSALMUM CXX.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« Levavi oculos meos. » In hoc psalmo habet materiam secundum gradum : hic enim ille justus qui superius a vitiis exivit, et mundo renuntiavit ; ostendit se ad sanctos intentiones suas dirigere, ut per eorum intercessionem divinum sibi auxilium acquirat, quo factus justus contra omnium tentationes resistat. Intendit propheta per suum exemplum alios invitare, ut per eosdem gradus ascendant. In prima parte, levans oculos ad sanctos, petit per eorum intercessionem auxilium Domini sibi dari. In secunda parte, quæ incipit : « Dominus custodit te, » affirmat se illud habere auxilium, et ostendit quod sibi valeat.

Acsi propheta ita invitaret alios, dicens : O fratres, qui jam peccata exuistis, levate oculos vestros interiores ad sanctos Dei, ut per eorum intercessionem auxilium Domini recipiatis, et hoc exemplo mei, qui « levavi, » id est erexi « oculos meos, » id est intentiones meas, « in montes, » id est in sanctos angelos et alios sanctos, assistentes præsentiæ Dei, « unde, » id est a quibus, « veniet auxilium mihi. »

Dico quod ab illis auxilium mihi veniet, sed tamen non ab illis quod ipsi dent, sed potius « auxilium meum » erit « a Domino, qui fecit cœlum et terram, » in quo apparet ejus auxilium esse valens et forte ad custodiam.

Dico auxilium erit mihi a Domino, et, o anima mea, ille « qui custodit te, » id est Deus, cujus auxilium sanctis orantibus recepisti, « non det pedem tuum, » id est affectionem tuam, « in commotionem » ut non commoveris ad aliqua illicita : « neque » etiam « dormitet » , id est non permittat te negligenter operari. Tunc enim Dominus custos noster dicitur dormitare, dum permittit nos negligenter operari. Sicut Dominus dormivit in navi (*Matth.* VIII), illis negligentibus et securis pro tranquillitate maris : motis autem illis et clamantibus tempestate maris, evigilavit Dominus, et diligenter eos custodivit.

Vere tibi non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel, quia ita facit omnibus qui sunt Israel ; et hoc est : « ecce non dormitabit » id est, non permittit Israel negligenter operari ; « neque dormiet, » id est non permittit pedem in commotionem dari, ut ad aliquod vitium impellatur.

Pars secunda. « Dominus custodit te. » Continuatio : Ego precor ut Dominus non det pedem tuum in commotionem, et ita erit, quia « Dominus custodit te » in bonis quæ habemus, et « Dominus » est « protectio tua » contra mala « super manum dexteram tuam » id est, super spiritualem operationem tuam, quam ipse custodit, ne de bono declinet ad malum. Manus sinistra hominis vocatur operatio hominis, propter temporale commodum : manus vero dextera spiritualis est operatio, non facta nisi pro cœlesti præmio.

Et quia Dominus est protectio super manum tuam, ideo « per diem, » id est tempore prosperitatis, « sol, » id est, quantumlibet altissima prosperitas, « non uret te, » id est non auferet tibi aliquod bonum, nec perducet te ad elationem ; « neque luna, » id est gravissima adversitas, quæ solet quosdam urere, sicut luna exurit homines in nocte, non uret te « per noctem, » id est in tempore adversitatis, dum maxime urgebit ipsa adversitas ; id est neque in prosperis extolleris, neque in adversis frangeris. Vel ita secundum Augustinum, qui per solem accipit Christum secundum divinitatem, et per lunam eumdem secundum humanitatem.

Continuatio : Quia Dominus custodit te, ideo per diem, id est, in cognitione illius illuminationis quam habebis de ipsa divinitate, sol, id est divinitas Christi, non uret te, id est, non permittet te errare in cognitione suæ divinitatis : neque luna, id est ipse Christus secundum humanitatem, non uret te per noctem, id est, in cognitione humanitatis, ut de ipsa humanitate male te sentire permittat.

Quid per singula ? « Dominus custodit te ab omni malo, » id est ab omni peccato : et quia videt mala imminere per quæ solet homo impelli ad peccatum, dicit sibi ipsi : « Dominus » qui custodit te, deinceps « custodiat animam tuam. »

Hoc modo scilicet : « Dominus custodiat introitum tuum, » vel cum duceris ante reges et præsides, non taceas veritatem, nec cedas minis eorum : « et exitum tuum, » id est quando duceris ad mortem, non neges veritatem timore mortis : et hoc faciat incipiendo « ex hoc nunc, » id est ex hoc præsenti, « et usque in sæculum, » id est quandiu durabit sæculum istud.

IN PSALMUM CXXI.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« Lætatus sum. » Hic habemus tertium gradum gaudium illud quod habet fidelis iste qui loquitur, de hoc quod cognoscit se iturum in domum Domini super cœlestem Hierusalem ; et jam in ea spe habitat, et ad hujusmodi gradum intendit invitare alios. In prima parte, dicit se lætari de illa cœlesti domo quam ipse inhabitaturus est, et ostendit magnam dignitatem illius civitatis, ut ad desiderium illius maxime corda commoveat. In secunda, quæ incipit : Rogate quæ ad pacem, » dicit ipsis civibus quod multa bona de ipsis loquitur. Ordine quoque bono incedit. Debet enim qui sanctorum intercessione sibi divinum auxilium acquisivit, exsultare et lætari spe æternæ habitationis.

Ac si ita diceret : Vos exuti a vitiis, qui jam divinum auxilium sanctorum intercessione accepistis, gaudete de securitate æternæ habitationis, exemplo mei, qui « lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi » a Spiritu sancto, vel a quolibet prophetarum, ut a

Moyse poterat vel David accepisse : hæc quidem sunt mihi dicta : « In domum Domini ibimus, » id est ad cœlestem habitationem perveniemus, ego et alii mihi consimiles, qui jam, vitiis relictis, sanctorum intercessione divinum acceperunt auxilium sicut ego. Licet ego dicam quasi futurum; « in domum Domini ibimus; » tamen jam inhabito mente in illa domo : hoc est, « pedes nostri, » id est nostræ affectiones, « stantes erant, » id est firmiter collocatæ et bene erectæ, o « Hierusalem » cœlestis, « in atriis tuis, » id est in tua amplitudine. Hierusalem determinat se non dicere de terrestri, sed de cœlesti Hierusalem.

Quasi diceret : o Hierusalem, nos stabimus in atriis tuis, et hæc « Hierusalem » est « quæ ædificatur ut civitas » quotidie vivis lapidibus; « ut civitas, » quia cives illi cœlestes coeunt ad conservandam unitatem, ut jure vivant et unicam Deo laudem faciant. « Cujus » civitatis « participatio, » id est cujus cives sunt participes « ejus » rei, quæ tendit « in idipsum, » id est in immutabilitatem scilicet ipsius divinæ essentiæ, quæ est refectio omnium habitantium in illa civitate. Vel cujus civitatis participatio, ita dico quod sit ejus civitatis, id est communiter omnium, est tendens in idipsum, id est in rem quæ omnino immutabilis est, scilicet « in idipsum, » Deum scilicet, et ipse Deus participatio est illius civitatis : et eo bono illi cives participant, quamvis non æqualiter.

Et bene dico quod nos « in domum Domini ibimus, quia illuc, » id est ad illam cœlestem habitationem « ascenderunt tribus, » non quæcunque, sed « tribus Domini, » id est tribus illæ quæ in multa sollicitudine Deo servierunt : et determinat quæ sint tribus Domini, scilicet « testimonium Israel, » id est illi qui bona conversatione testantur se Israel esse : ad hoc ascenderunt, ut laudaretur ibi nomen Domini. Hoc dicit : « ad confitendum nomini Domini, » juxta illud : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. » (*Psal.* LXXXIII.) Non propter hoc dicit, « ascenderunt, » quod tempore David prophetæ aliqui adhuc ascendissent, sed tamen ideo per præteritum annuntiat quia certus erat, per merita patriarcharum et aliorum justorum, quod ipsi in adventu mediatoris essent ascensuri ad illam cœlestem Hierusalem.

Et vere ascenderunt, quia et ibi etiam judices constituti sunt; hoc est : « quia illic, » id est in illa habitatione « sederunt » quasi judices, « sedes, » id est illi in quibus sedet Deus et quiescit in hac vita : sedebunt, dico « in judicio » futuro, ut ipsi judicent, scilicet consentiendo divinæ sententiæ; judicabunt enim sancti nationes : judicabunt quidem ipsi dico prælati « sedes super domum David, » id est super familiam Christianorum fidelium, quos ipsi ad salvationem judicabunt.

« Rogate. » Pars secunda. Quasi diceret : Vos tribus, quæ jam ibi sedetis, « rogate, » id est petite et impetrate nobis precibus vestris et meritis ea « quæ sunt » utilia « ad » consequendam « pacem Hierusalem : » sic rogate, id est quærite, « et » per hoc erit « abundantia » omnibus « diligentibus te. »

Et ut per nostram abundantiam ad tuam possimus pervenire habitationem, « fiat » nobis « pax, » id est quies et mentis tranquillitas : et hoc « in virtute tua, » id est in charitate, quæ specialiter in te regnat, « et in turribus tuis, » id est, sanctis apostolis et aliis qui se exposuerunt morti pro defensione Ecclesiæ, « sit abundantia » virtutum vel acquisitorum prædicatione sua, ut cum multis filiis Deo se præsentent in judicio.

Non tantum precor ut sit pax et abundantia in turribus tuis, sed etiam bene loquar de te aliis : hoc est, « loquebar pacem » aliis « de te, » id est in te pacem abundare, nec ad tuam tranquillitatem inquietos, et sine pace vera hic viventes posse pervenire : et hoc loquebar « propter fratres meos et proximos meos » scilicet ut in eis talem ponerem pacem, qua possent pervenire ad supernæ civitatis pacem et habitationem. « Fratres » accipit magis sibi adjunctos et similes in bonis operibus; « proximos, » quoscunque Christianos.

Et non tantum verbo loquebar de te, sed etiam opere et labore « quæsivi bona tibi, » id est, multos cives attraxi : et hoc ideo quia domus Dei es : hoc est quod dicit : « propter domum Domini Dei nostri. »

IN PSALMUM CXXII.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« Ad te levavi oculos meos. » Sicut in aliis dictum est, et hoc præmisso psalmo ostendit se fidelis loqui et gaudere de habitatione cœlesti : et hic familiaris jam factus ipsi Deo, dirigit oculos ad ipsum, positus inter molestias hujus vitæ. In prima parte, ostendit oculos ad Deum se dirigere. In secunda parte, quæ incipit : « Miserere nostri, Domine, » precatur misericordiam. Intentio est nos hortari ad hunc gradum, et specialiter in primis istis septem loquitur de Veteri Testamento.

Quasi ita diceret : Vos positi in tribulatione, levate oculos vestros ad Deum, sicut ego « levavi oculos meos » interiores « ad te, » o Deus, qui potens es exaudire; hoc notat, dicens : « qui habitat in cœlis. » Ille dicitur oculos ad Deum dirigere qui, non confidens in his terrenis, in solo Domino fiduciam ponit.

Ostendit quomodo oculos dirigat ad ipsum Deum : « Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, » ut aliquod ab ipso beneficium accipiant : vel, si puniantur a domino, ut liberentur.

Et « sicut oculi ancillæ » similiter sunt « in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri, » vel a tribulationibus liberando, vel quæcunque beneficia faciendo. Postquam dixit de servis, ideo supponit de mulieribus, ut in eo sexu salvatio futura intelligatur : per mulieres, quæ naturaliter fragilis sunt corporis, accipimus non solum feminas, sed etiam aliquos fragiles viros : iterum inter viros accipimus quasdam robustas mulieres : et sicut domina promptior ad mise-

rendum quam dominus dicitur, ita Deus comparatur dominæ, quia cito movetur erga fragiles : comparatur et domino, cum permittit bene torqueri robustiores, unicuique faciens secundum suam possibilitatem : unde Apostolus : « Fidelis Deus, qui non patietur tentari supra id quod potestis. » (*I Cor.* x.)

« Miserere nostri, Domine. » Pars secunda. Quandoquidem oculos nostros ita ad Dominum dirigimus, ideo, « Domine, miserere nostri, miserere nostri. » Ideo binam precatur misericordiam, quia binam ponit miseriam, scilicet secundum corpus et secundum animam. « Miserere » dico, « quia multum repleti sumus despectione » secundum corpus.

Ideo quoque « miserere, » quia non tantum corpus, sed etiam « quia anima nostra multum repleta est » despectione. Nec tantummodo dicam repletam, imo ipsa est facta « opprobrium abundantibus » in divitiis. Divites enim opprobriosos et stultos judicant bonos, quia non quærunt divitias sicut ipsi faciunt : « et » est facta « despectio superbis, » mente elatis ; despiciunt enim eos, cum pro cœlestibus, quæ æterna putant, contemnunt.

IN PSALMUM CXXIII.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« Nisi quia Dominus. » Hic habemus quod justus ille, qui in alio psalmo ad Dominum erigebat oculos, inter angustias de liberatione clamabat, liberationem quam accepit, vel aliquod aliud bonum quod habet, non sibi, sed omnia misericordiæ Dei attribuit : et intendit ad eumdem gradum cæteros invitare, ut omnia attribuant misericordiæ Dei. In prima parte ostendit a Domino solo se habere quod tribulationibus possit resistere. In secunda, quæ incipit : « Benedictus Dominus qui non dedit, » de sua liberatione gratias agit Domino.

Quasi ita diceret : Vos qui inter angustias liberationem accepistis, liberationem vestram Domino ascribatis, exemplo nostri, qui Domino bene confitemur : « quia nisi » esset hoc, quod « Dominus erat in nobis » confirmans nos, « cum exsurgerent homines in nos, deglutissent nos, » id est incorporassent nos sibi « vivos, » id est, scientes : quia quamvis cognosceremus malum esse, tamen oporteret eis nos consentire præ magnitudine tribulationum : et hoc « forte, » id est, et posset fieri, vel non fieri : et sicut nos dicimus, ita « dicat Israel, » id est vir videns Deum, « nunc, » id est sine dilatione, ita dicens : « Nisi quia Dominus erat in nobis cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos. »

In principio defecissemus, et multo magis « cum furor, » id est impetus « eorum irasceretur, » id est exardesceret « in nos, aqua, » id est inundantia tribulationum, « absorbuisset nos, » id est irreparabiliter sibi attraxisset : et hoc « forsitan, » id est ita contigisset vere, nisi quia Dominus erat in nobis.

« Nisi quia Dominus erat in nobis, » aqua absorbuisset nos, sed quoniam fuit in nobis, « anima nostra, » quocunque modo corpus tractaretur, « pertransivit » illæsa « torrentem, » id est impetuosam tribulationem. Ego dico, Domino auxiliante, anima nostra pertransivit, et « forsitan » diceret aliquis quod sine Domini auxilio « anima nostra pertransisset aquam, » id est inundantiam malorum, « intolerabilem, » quantum ad humanas vires, quod impossibile apparet ex hoc quod aqua illa intolerabilis est.

« Benedictus Dominus. » Pars secunda. Et quia per eum transivimus, ideo sit « benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem » ut caperent nos et incorporarent, « dentibus, » id est corrosionibus, et feritate « eorum, » quia sicut feræ volunt nos dilaniare.

« Non dedit » dico, sed potius « anima nostra sicut passer erepta est de laqueo, » id est, deceptione « venantium, » id est, quærentium opportunitatem decipiendi me.

Et non tantum anima nostra est erepta, sed « laqueus, » id est ipsi illaqueantes nos, « est contritus, » quia ipsi tandem duplici contritione conterentur, « et nos liberati sumus, » id est in magna dignitate a Deo constituti.

Et hoc « adjutorium nostrum » quod ita sumus liberati, non est a nobis, sed quia sumus « in nomine Domini, » qui nos bene potest custodire, quoniam ipse est « qui fecit cœlum et terram, » vel ad litteram, vel ad allegoriam.

IN PSALMUM CXXIV.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« Qui confidunt in Domino. » Hic habet materiam hunc gradum, scilicet confidentiam : intendit etiam alios ad eam invitare. In prima parte, ostendit quid faciat ipsa confidentia, scilicet quod in Domino confidentes nihil potest separare a charitate Christi. In alia, quæ est : « Benefac, Domine, » precatur bona confidentibus in Domino. Ordo congruus est. Postquam a Deo liberationem recepit, et omnia misericordiæ Dei attribuit, justum est ut in ipso firmissime confidat.

Quasi ita diceret : Vos qui beneficia vestra misericordiæ Dei attribuitis, deinceps confidite in Domino, quia ullus eorum « qui confidunt in Domino » non per præsumptionem, sed « qui habitat in Hierusalem, » id est qui justus est, scilicet habitat spe in cœlo, vel devote in Ecclesia, « non commovebitur in æternum » a Christo vel a bono proposito per aliquas tribulationes, « sicut mons Sion, » id est ipse Christus, qui corporaliter in monte Sion habitavit.

Ideo confidens ipse non commovebitur, quia « montes, » id est angeli, vel apostoli, et alii sancti viri meritis, precibus et exemplis sunt « in circuitu ejus, » munientes hujusmodi confidentes contra hostes : « et » etiam ipse « Dominus » est « in circuitu populi sui, » ut eum muniat et protegat « ex hoc nunc et usque in sæculum. »

Et licet ad præsens permittat eos tribulari, tamen revera est in circuitu ejus, quia non relinquet fideles suos in potestate inimicorum, ne et ipsi compellantur peccare; et hoc est, « quia non relinquet Dominus virgam, » id est potestatem « peccatorum super sortem justorum, » id est super religionem, quam justi faciunt suam sortem : ideo non relinquet, « ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. » Si enim mali super justos potestatem haberent, justos ex necessitate peccare compellerent.

« Bene fac. » Pars secunda. Continuatio : Dixi quia Dominus non relinquet, et tu, o « Domine, » sicut cœpisti, « bene fac, » id est, persevera custodiendo, et alia bona faciendo « bonis, » id est illis qui sequuntur præcepta tua; « et rectis corde, » illis qui nulla angustia peccare coguntur.

Istis bene faciet Dominus; « declinantes autem, » id est propter aliquas tribulationes a mandatis Dei deficientes, « adducet Dominus in obligationes, » id est multis peccatis permittet alligari « cum operantibus iniquitatem, » id est sicut facit alios operarios iniquitatis : « super Israel » autem, id est, super virum videntem Deum, erit « pax, » partim in hac vita, et summe in alia. Cum malis mala annuntiat, nos bene ad confidentiam cohortatur, ne mala cum diffidentibus patiamur.

IN PSALMUM CXXV.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« In convertendo. » Hic habet materiam propheta exspectationem futuræ liberationis per adventum Christi, in quo fideles et priores justi, qui adhuc per culpam originalis peccati a diabolo, tam vivi quam mortui, tenebantur, liberati sunt : et hæc exspectatio finis fuit omnium justorum sub Veteri Testamento : per quod patet quod alii sex præcedentes gradus ad homines Veteris Testamenti specialiter diriguntur. Intendit propheta invitare homines Veteris Testamenti, ut in adventu Christi spem suæ liberationis apponant. In prima parte ostendit justos illos tantam in adventu Christi habuisse consolationem, ut etiam inimici eorum consolationem laudarent. In secunda, quæ incipit : « Convertere, Domine, » precatur Deum ut et ipse in adventu Christi partem liberationis habeat, quia lætum videt finem liberatorum.

Quasi diceret : Exspectare debetis, fratres, consolationem in adventu Christi, quia « in convertendo Dominus, » id est dum Dominus convertit, « captivitatem Sion, » id est, illorum qui sunt speculatio, et provident sibi, « facti sumus sicut consolati, » id est sicut illi qui consolationem accipiunt venientibus bonis.

« Tunc, » id est, in illa conversione captivitatis, « os nostrum » scilicet cor ipsum, « est repletum gaudio : et » non tantum cor, sed etiam « lingua nostra » exterior, est in « exsultatione, » id est exsultanter annuntiavit aliis liberationem quam videt per adventum Christi fieri : per præsens et præterium, propter certitudinem rem futuram annuntiat.

« Tunc » etiam, id est quando Dominus convertet captivitatem nostram, « dicent » aliqui « inter gentes » hoc « magnificavit, » id est magnifice disposuit « Dominus facere cum eis. » Intelligentes enim quod homines a peccatis per Christum liberentur, cognoscent eos esse Dei filios, et tandem in angelicis manibus in perpetuam requiem deportandos.

Ipsi dicent : « Magnificavit Dominus facere cum eis, » nec in hoc sunt fatui vel insipientes, quia ita verum est, sed et « magnificavit Dominus facere nobiscum, » id est discrevit quod magnos nos faceret, et nos hoc sperantes, « facti sumus lætantes. »

« Converte, Domine. » Pars secunda. Continuatio : Et quia « magnificasti facere nobiscum, » ideo, o « Domine, converte captivitatem nostram, » qua frigore peccati obligati sumus : sic converte, ut perveniamus ad cursum bonæ operationis : ita converte « sicut torrens » qui est ligatus frigore hiemis, convertitur « in austro, » in vento illo calido, ita ut per austrum, id est per calorem Spiritus sancti convertatur frigus, id est pigrities peccati, a nobis.

Dico « converte, » quia tunc, id est facta conversione, « metent » illi « in exsultatione, « id est, exsultanter recipient mercedem vitæ æternæ, « qui seminant » bona opera sua, unde multiplicem fructum exspectent, « in lacrymis, » id est in mœrore et tristitia hujus vitæ.

Qui sunt illi qui metent in exsultatione? Illi scilicet qui ibant ad æternam civitatem per bona opera sua, et non cessantes ad horam, sed « euntes » assidue : « ibant » dico, « et flebant » pro morte et miseria hujus vitæ : ipsi dico « mittentes semina sua, » id est bona opera sua, vel specialiter eleemosynas.

« Euntes ibant : » venientes autem, id est appropinquantes morti, « venient » usque ad judicium cum exsultatione, portantes, id est, perferentes Domino « manipulos suos, » id est bona opera sua, unde remunerationem recipient.

IN PSALMUM CXXVI.

TITULUS : *Canticum graduum Salomonis.*

« Nisi Dominus ædificaverit. » Sicut septem prædictos gradus specialiter ad homines Veteris Testamenti direximus, ita octo istos futuros ad homines Novi Testamenti proprie referimus. Et dicuntur hi gradus specialiter Salomonis, id est pacifici, scilicet Christi, qui verus pacificus fuit, quia ipse reconciliavit Deum hominibus, et pacem fecit inter Judæos et gentes. Unde Apostolus dicit : « Qui fecit utraque unum. » (*Ephes.* II.) Hujus autem pacifici proprie dicuntur isti gradus, quia per præsentiam corporis manifestum auxilium humano generi contulit, et in seipso exemplum totius justitiæ ostendit, et alios per gradus virtutum ad cœlestem Hierusalem ascendere docuit. In hoc psalmo loquitur hominibus qui in adventu Christi, quem alio in psalmo dicit cum magna exsultatione exspectari, abundantiam benefi-

ciorum receperunt, veluti sancti apostoli fuerunt : et intendit ab eis auferre omnem præsumptionem, scilicet, non præsumant tales esse qui possint ædificare per se, vel ædificata custodire : nec putent se securos ante secundum adventum Christi, quia nullus in hac vita potest esse securus, in qua statim quilibet labitur ad peccatum.

Quasi ita diceret : Vos qui in adventu Christi multa beneficia accepistis, etiam aliorum ædificatores constitistis, nolite de vobis præsumere, quia nihil potestis per vos, nisi Dominus faciat; hoc dicit : « nisi Dominus ædificaverit domum, » hoc est, nisi Dominus interna inspiratione aliquem præparet suæ habitationi, « in vanum laboraverunt qui ædificant eam, » id est qui ad eam ædificandam laborant : « non enim qui plantat, aut qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus. » (*I Cor.* XIII.)

Dico per se non potest aliquis ædificare, nec per se ædificata custodire, hoc est : « nisi Dominus custodierit civitatem, » id est ipsam Ecclesiam, quæ dicitur civitas, quia de multis collecta est et bene munita virtutibus; « frustra vigilat qui custodit eam » civitatem. Cum dicit « vigilat, » innuit nobis curam et sollicitudinem quam pastores Ecclesiæ qui vigilant ad greges custodiendos habent. Unde in Canticis : « Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. » (*Cant.* III.)

Quandoquidem solus Deus ædificat et custodit, ergo « vanum est vobis surgere, » id est de securitate æternæ beatitudinis præsumere : quia quicunque est in hac vita, pronus est ad lapsum : unde dicitur : « qui stat, videat ne cadat. » (*I Cor.* X.) « Vanum est, » dico, « ante lucem surgere, » id est ante secundum Christi adventum, in quo vera lux et manifesta cognitio unicuique erit. Vel, « ante lucem, » id est ante cognitionem quam recipit unaquæque fidelis anima post dissolutionem tantum. Ante lucem surgere vanum est, scilicet « postquam sederitis, » id est sessionem et dejectionem hujus vitæ transieritis, tunc « surgite, » id est securi estote. Vobis dico ut surgatis, « qui manducatis panem doloris, » id est quibus miseriæ hujus mundi sunt refectio, sicut panis alicui.

Dico « surgite postquam sederitis; » et quasi diceret aliquis : Quando erit perfecta illa sessio? « cum » Dominus « dederit dilectis suis somnum, » id est mortem : et cum dederit, « ecce » apparebit « hæreditas Domini » scilicet Filii, id est justi Viri : qui filii sunt « merces, » id est remuneratio quam Dominus dedit Christo pro expletione suæ obedientiæ : merces dico « fructus, » id est ipsius Christi, qui fuit fructus ipsius « ventris » virginalis. Ubi dicit : « Ecce hæreditas, » incipit de secunda parte, in qua ostendit magnam dignitatem eorum qui sunt hæreditas Domini. In prima parte dissuadet a præsumptione.

Dico, filii erunt merces, et ipsi « filii excussorum, » id est prophetarum, qui dicuntur excussores, quia rem latentem, scilicet reprobationem humani generis excusserunt et manifestaverunt, erunt ita « sicut sagittæ in manu Potentis. » Sicut enim sagittarius dirigit sagittam quo vult, nec ipsa aberrat, sed percutit quem vult, ita Deus potens dicitur sagittarius, quia sagittas suas, id est sanctos apostolos et alios legatos mittit, in quos remotas partes ipse eligit, et per hos corda hominum divino amore transfigit. Et non tantum apostoli sunt beati, et illi alii qui susceperunt adventum Christi, sed etiam omnes illi qui eos imitantur : hoc est, omnis ille « vir » est beatus, « qui implevit desiderium suum ex ipsis, » hoc est, vitam suam instituit ad modum eorum : et vere beatus, quia « non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta, » id est in publico. Vel per portam possumus Christum accipere, qui est porta per quam itur ad vitam, sicut ipse ait : « Per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* X); » ut sic dicamus : « Cum loquetur inimicis suis, » id est hæreticis, « in porta, » id est in Christo, scilicet de ipso Christo agens, non confundetur, quod aliquem errorem de ipso loquatur, vel aliquo modo ab hæreticis convincatur.

IN PSALMUM CXXVII.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« Beati omnes. » In hoc psalmo habet materiam hunc gradum scilicet timorem Domini, et intendit admonere ad eumdem gradum illos quos de præsumptione superius admonuit. In prima parte ostendit quid efficiat timor Domini. In secunda parte, quæ incipit : « Benedicat tibi Dominus ex Sion, » ponit orationem quæ bona, scilicet ipsum Deum timentibus, exoptat.

Quasi diceret : Vos qui bona Christi recepistis, nec etiam præsumitis, timete Dominum, quia « omnes qui timent Dominum » casto timore, « beati » sunt, id est illi « qui » eum timent, « ambulant in viis ejus, » vel in præceptis, vel imitatione.

Vere beatus eris, « quia manducabis, » id est refectionem tibi capies, « labores manuum tuarum, » id est opera manuum tuarum facta cum magno labore : et quia hoc manducabis, « beatus es » in hac vita, « et bene tibi erit » in futura. Quod prius pluraliter de Ecclesia loquitur, ad multitudinem personam respicit; quod autem de eadem Ecclesia postmodum in singulari numero loquitur, ad Ecclesiæ respicit unitatem. Et etiam in hoc beatus eris, quod « uxor tua, » id est animalis natura tua, quæ debet subjici viro, id est rationi per quam regatur, erit « abundans » bonis fructibus et operibus, « sicut vitis : » uxor dico, posita « in lateribus domus, » id est in vicinitate bonæ conscientiæ « tuæ, » quia bona vicina erit viro suo, id est rationi : et per hoc non seducetur ipsa uxor, sicut Eva seducta fuit : conscientiam domum vocamus, quia in ea hospitium Domino præparamus. Vel per uxorem possumus accipere sapientiam, ut sic dicamus : Uxor tua, id est sapientia, quæ fovet et nutrit virum, sicut uxor, est

abundans bonis fructibus, quia facit te operari sicut vitis : uxor dico posita in lateribus domus tuæ, id est duobus Testamentis : quia per sapientiam quam habet in ipsis Testamentis, et se et ipsum virum bene facit operari, et alios docet bene operari : quæ duo Testamenta sunt latera, id est sustentamenta bonæ conscientiæ, et hoc est domus tuæ.

In hoc etiam beatus eris, quia « filii tui, » quos tu generas Deo prædicatione et exemplo, erunt « sicut novellæ olivarum, » id est sicut novellæ olivæ : quia, sicut novellæ semper virides sunt, id est magis fructificant, quam aliæ, sic filii tui et virentes erunt virtutibus et fructificantes bonis operibus : filii dico positi « in circuitu mensæ tuæ, » id est divinæ Scripturæ, ut tua doctrina reficiantur. Vel, « in circuitu mensæ tuæ, » id est altaris, ubi Dominici corporis refectione cibantur. Ideo melius eligit has duas arbores quam alias fructiferas, quia per vitem austeritatem justitiæ, per olivam suavitatem misericordiæ intelligimus : quæ duo unusquisque fidelis debet habere in se : quibus duobus Samaritanus legitur infudisse in vulnera illius « qui descendit ab Hierusalem in Hiericho, et incidit in latrones (*Luc.* x). »

Bene apparet quod beatus eris timens Dominum quia « ecce sic, » sicut dictum est, « benedicetur homo qui timet Dominum. »

« Benedicat tibi. » Pars secunda. Et in hac optatione ostendit affectum quem habet erga timentes Dominum. Continuatio : Dico sic benedicetur, et o tu homo, timens Dominum, « benedicat tibi Dominus ex Sion » veniens, quia natus carnaliter fuit in Sion. Vel, « ex Sion, » id est ex hoc quod tu factus ex Sion, id est speculans æterna : « et videas bona Hierusalem » cœlestis scilicet, perducat te ad illa bona Dominus : videas dico « omnibus diebus vitæ tuæ, » id est in æternitate.

« Et » non tu solum hoc videas, sed etiam « videas » in illa Hierusalem, « filios filiorum tuorum, » id est imitatores illorum, qui tua prædicatione generati sunt. Et quid per singula? Videas « pacem super Israel, » id est æternam tranquillitatem, quæ est « super, » id est, major etiam quam aliquis vir videns Deum valeat promereri.

IN PSALMUM CXXVIII.

TITULUS : *Canticum graduum Salomonis.*

« Sæpe expugnaverunt. » Postquam de præsumptione et Dei timore præmonuit, admonet de tolerantia, et eumdem gradum habet materiam. In prima parte admonet homines Novi Testamenti ad tolerantiam, per exemplum omnium justorum a primo justo. In secunda, quæ incipit : « Confundantur et convertantur retrorsum, » obstinatis malum precatur : per quod nos ad tolerantiam hortatur, ne cum impiis in adventu judicis condemnemur.

Quasi diceret : Vos qui jam de vobis non præsumitis, dum filiali timore Deum timetis, cum mali vos persequuntur, tolerantiam habeatis exemplo mei, quia « sæpe expugnaverunt me, » id est sic tribulationibus affecerunt ut etiam quandoque occiderent : et hic loquitur in persona omnium justorum Novi Testamenti : et hoc « a juventute mea, » id est a tempore primi justi, a quo incœpit Ecclesia : et sicut ego dico, sic « dicat » omnis « Israel, » id est vir videns Deum, « nunc, » id est statim in hoc præsenti : ideo dicit « nunc, » quia futurum est quando non clamabit Israel de sua impugnatione, scilicet quando erit in cœlesti Hierusalem.

Hoc scilicet dicat : « Sæpe expugnaverunt me a juventute mea » et vere sæpe, « etenim non potuerunt mihi » prævalere, quia si me semel occidissent, non esset pugnandum ultra cum eis.

Dico « expugnaverunt, » et hoc non tantum in faciem, ut me manifeste oppugnarent, sed « peccatores fabricaverunt, » id est multa mala intulerunt « supra dorsum meum, » id est supra illos de Ecclesia qui per se non habent verum lumen, sed sequuntur alios et hoc diu ; et hoc est : « prolongaverunt iniquitatem suam. »

Illi superbe Ecclesiam persecuti sunt, « Dominus » solus « justus concidet, » id est ad humilitatem reducet, « cervices, » id est altitudines et superbiam « peccatorum, » scilicet illorum omnium qui Ecclesiam persequuntur.

Pars secunda. Dico « concidet cervices peccatorum ; » qui autem sunt obstinati, scilicet illi « omnes qui oderunt Sion, » id est Ecclesiam, obstinate, « confundantur » cum dicetur : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* xxv) : » « et convertantur retrorsum, » id est priventur a potestate quam in hac vita super justos obtinent.

« Fiant » etiam « sicut fenum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit. » Superbi qui se in altum erigunt, merito feno tectorum comparantur, quia sicut fenum tectorum se in altum erigit, et tamen sine radice est, ita se ipsi erigunt : et antequam evellantur, id est moriantur, arescunt bonis animæ, quia rationem cœlestis doctrinæ non quærunt nec diligunt. « De quo feno, » id est de quibus malis, « non implebit manum suam » angelus, « qui metet, » id est separabit bonos a malis : « et sinum suum » inde angelus, « qui manipulos colliget, » id est congregabit bonos (*Matth.* xiii). Per manum intelligitur opus, per sinum quies. Ideo angeli dicuntur portare in manibus illos qui boni fuerunt operarii, et in sinu illos qui fuerunt contemplativi.

Ideo non colligentur ab angelis, quia in hac vita non receperunt benedictionem ab apostolis vel ab aliis sanctis viris ; et hoc est : illi « qui præteribant, » id est apostoli et alii sancti viri, qui contemnentes terrestria, prætereunt ad cœlestia ; « non dixerunt » eis : « Benedictio Domini super vos, » id est multiplicatio virtutum ; et etiam non dixerunt : « Benediximus vobis » ex parte nostra, ita quod « in nomine Domini » vos benedicamus, id est quod de vestra benedictione nomen Domini honorétur.

IN PSALMUM CXXIX.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« De profundis. » In hoc psalmo gradus et materia est pœnitentia. Hanc ideo post multos gradus virtutum ponit, ut indicet nobis quod quantumcunque aliquis in virtutibus profecerit, tamen necessaria est pœnitentia ad impetrandam Dei misericordiam, quia nullus tam justus est quin aliquas habeat maculas, quæ semper sunt delendæ medicamento pœnitentiæ. In prima parte pœnitens iste precatur Deum ut exaudiat eum clamantem de peccatis, nec judicet eum secundum iniquitates suas. Et postquam sic deprecatus est per suas miserias, captat benevolentiam per bona judicis, et ostendit lætum finem suæ pœnitentiæ, scilicet se Dominum sustinere et in ipso sperare, ex quo maxime potest per pœnitentiam persuadere. In secunda, quæ incipit : « A custodia matutina, » monet alios justos, ut et ipsi in Domino spem suam ponant. Intentio est invitare ad pœnitentiam.

Quasi ita admoneret eos : Vos, fratres, qui tolerantiam habetis, quique cæteros prædictos gradus ascendistis, pœnitentes de peccatis, clamate ad Deum exemplo mei, qui « clamavi ad te, Domine, de profundis, » id est de profunditate iniquitatis, scilicet propter hanc profunditatem in qua me esse cognovi, clamavi. Intelligit justus hanc profunditatem quælibet levissima peccata : etiam totam hujus vitæ conversationem, in qua nemo potest sibi abstinere a peccato : et quia sic clamavi, intende; et quia hæc talia cognovi profunda esse, ideo « Domine, exaudi vocem meam; » quasi diceret : Dignum est ut me clamantem ita exaudias.

Nec tantum dico exaudi, sed etiam intende mihi, ut non tantum peccata pro quibus clamo dimittas, sed etiam me in omnibus bonis multiplices et custodias; hoc dicit : « Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. »

Ideo peto ut exaudias et peccata dimittas, quia si observaveris iniquitates, Domine, Domine, » ut secundum eas judicare velis, « quis sustinebit » judicium tuum, ut per merita possit salvari? Nullus utique.

Si iniquitates attendas, nullus poterit portare judicium, sed quia propitius es, ideo sustinemus. Hoc dicit : « quia apud te propitiatio est, » id est quia ex misericordia condonas peccata; « et » item « propter legem tuam, » scilicet evangelicam doctrinam, quæ nos docet propitiationem tuam, « sustinui te, » o « Domine, » id est quantæcunque darentur tribulationes, nunquam a te discessi, sed semper fidem tenui et legem tuam complevi. In hoc versu facit sibi benevolum judicem, quem prius deprecatus fuerat, cognoscens suas iniquitates.

Non tantum propter propitiationem et legem, sed etiam « in verbo ejus sustinuit anima mea, » id est in Filio ejus, quem incarnandum pro nostra redemptione cognovi, causam sustinendi cognovit : et quia sic sustinui, sic clamavi, ideo « speravit anima mea in Domino. »

« A custodia. » Pars secunda. Et sicut anima mea speravit, ita « Israel, » id est vir ille qui pœnitens de peccatis, clamavit, adversa sustinuit, « speret in Domino » et hoc « a custodia matutina, » id est a primo adventu Christi, qui mane vocatur, quia per illum lux nobis veræ cognitionis innotuit : in qua luce adhibenda est custodia, ut ibi fidem recipiamus, Christum nostrum Salvatorem intelligamus. Vel, « a custodia matutina, » id est a tempore resurrectionis, in quo Christus a militibus custoditus, mane resurrexit : « usque ad noctem, » id est usque ad mortem.

Ideo juste debes sperare, quia « apud Dominum » est « misericordia, » quia gratis condonat peccata : « et redemptio » est « apud eum, » quia ipse dedit sanguinem Filii sui, pretium nostræ redemptionis : redemptio dico « copiosa, » qui non tantum levia et originalia peccata relaxat, sed quantumcunque magna.

« Et » quod illa redemptio sit apud eum, hoc apparet in effectu, quia « ipse redimet Israel » omnem, scilicet videntem Deum, « ex omnibus iniquitatibus ejus » in quo apparet quod redemptio est copiosa.

IN PSALMUM CXXX.

TITULUS : *Canticum graduum Salomonis.*

« Domine, non est. » Hic habet materiam hunc gradum, scilicet humilitatem : et intendit invitare alios ut hunc eumdem gradum ascendant, ut quantumcunque sint justi, semper in humilitate consistant, et peccatorum, sine quibus esse non possunt, memoriam habeant, quæ est custodia cæterarum virtutum.

Quasi diceret : Vos, fratres, qui jam peccatorum obtinuistis remissionem per pœnitentiam, et jam firmiter in Domino speratis, nolite de vobis præsumere, sed semper humiles estote, exemplo mei, qui in nullo me exaltavi; et hoc est : « Domine, non est exaltatum cor meum, » id est non superbivi interius; « neque elati sunt oculi mei, » id est non ostendi signum superbiæ exterius.

Et licet haberem magna, scilicet virtutes et alia, tamen « in magnis » illis « neque ambulavi, » id est, non talem me ostendi quasi qui magna haberem, scilicet superbum : et cum haberem mirabilia, scilicet quod possem facere mirabilia, « non » ambulavi « in mirabilibus, » quamvis existentibus « super me, » id est multo majoribus et dignioribus quam dignus essem.

Non tantum non ambulavi in magnis, sed « humiliter » sensi de me : et « si non sentiebam » hoc, existens, « sicut ablactatus, » id est separatus a lacte, qui jacet et incumbit « super matrem suam, » quia non per se potest subsistere, nisi auxilium a matre impendatur; id est si non putavi me quasi ablactatum et Deum esse matrem qui me foveret : si hoc

non feci, « sed » potius « exaltavi animam meam » existens stultus, sicut ablactatus, qui se facit super matrem suam, id est qui putat se subsistere sine auxilio matris, « ita » sit « retributio in animam meam. »

Ille qui superbit habeat retributionem superbiæ; « Israel » autem, id est vir humilis, qui de se non præsumit, « speret in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum. »

IN PSALMUM CXXXI.

TITULUS : *Canticum graduum Salomonis.*

« Memento. » In hoc psalmo est materia incarnatio Christi. In prima parte ostendit promissiones quas Christus facit Deo Patri, scilicet quod parabit sibi habitationem, præmittens deprecationem propheta, ut Deus dignitatem ipsius Christi et ejus merita respiciat. In secunda, quæ incipit : « Ecce audivimus, » ostendit completas promissiones Christi, et ponit exoptationes suas ut compleantur. In tertia, quæ incipit : « Juravit Dominus David, » ostendit promissiones Patris ad Christum, scilicet quod propter meritum ipsius Christi, conformes Christo, filios et imitatores Christi faciat, scilicet ut hic doceant quæ Christus docuit, in judicio judicent, ejusque beatitudinem participent. Et per hæc omnia intendit nos ad hoc invitare, ut nihil per nostra merita, sed per solum meritum Christi intelligamus, et deprecemur nobis justitiam dari, et ad Christi nos conformitatem perduci : et ad hunc gradum per psalmum istum monemur ascendere : et hunc psalmum fecit contra hæreticos et Judæos, qui putabant adventum Christi non esse necessarium ad salutem.

Quasi diceret : Licet habeamus timorem Dei, clamemus de peccatis, et humiliter sentiamus, sicut in prædictis gradibus ostensum est; tamen per nostra merita ad conformitatem Christi pervenire non sufficimus, et ideo, o « Domine, memento David, » id est Christi, per cujus singulare meritum nos possumus salvari : quia ideo nominat David propheta nomine illius carnalis David de cujus semine processit, ut veram ipsius Christi humanitatem significaret : « et memento omnis, » id est omnimodæ « mansuetudinis ejus » per quam ipsam invictam militiam implevit, quia pro nobis obediens fuit usque ad mortem (*Philip.* II), et sicut ovis ad occisionem ductus est.

Mansuetudinis dico exhibitæ, « sicut » ipse Christus « juravit Domino, » id est firmiter proposuit : et hoc non coactus, sed ex voluntate; et hoc est : « votum vovit, » ex voluntate et affectione, tibi « Deo Jacob, » id est adjutori luctantium. « Juravit » dico, ita dicens : « Si introiero in tabernaculum domus meæ, » si ascendero in cœlum, quod est tabernaculum et habitatio in qua est mea mansio; et etiam « si ascendero in lectum strati mei, » id est, in omnimoda requie, quasi in lecto strato bonis pannis.

Et etiam « si dedero somnum, » id est mortem, « oculis meis, » hoc est mihi, qui prius vigilantiam A habui propter custodiam gregis commissi. Mortem suam bene somno comparat, quia ita leviter resurrexit, sicut aliquis de somno surgit : et describit quomodo somnus eveniat alicui, quia prius dormitant palpebræ, deinde datur requies temporibus, et sic somnus totum occcupat corpus : sic Christus dormitavit appropinquans morti, quando Judæis traditus est, quia tunc nec miracula fecit, et etiam ante Pilatum veritatem tacuit : requiem temporibus dedit, quando crucem ascendit. Inde dicit : « et » si dedero « dormitationem palpebris meis, » id est si prius venero clausus in potestate Judæorum.

« Et » si prius dedero « requiem temporibus meis, » id est si prius crucem ascendero, morti proximus, « donec inveniam locum Domino, » id est donec talem partem habeant homines in quibus habitet B Deus : et donec inveniam « tabernaculum Deo Jacob » cui votum feci, scilicet in quibus habitet Deus : aposiopesis, id est defectio orationis, et potest quodlibet impossibile suppleri, id est non ero Deus, vel aliquid tale. Sciendum quod antequam Christus ascenderet, omnia paravit quæcunque ad Ecclesiam constituendam cognovit necessaria, scilicet apostolos instruxit doctrina evangelica, quam in omni terra audire et converti seminarent volentibus.

« Ecce audivimus. » Pars secunda. Continuatio : Ita promisit Christus ædificationem Ecclesiæ, et « ecce » sicut promisit, completa esse cognovimus; et hoc dicit : « audivimus ea » quæ Christus promisit « in Ephrata, » id est in Bethlehem, id est intelligimus, a C Spiritu sancto nobis revelante, Christum in Bethlehem nasciturum de Virgine, in quo certi fuimus quod cæteræ promissiones complerentur. Vel allegorice, per Ephrata, quod *speculum* interpretatur, prophetias intelligimus, in quibus, quamvis veritas annuntietur, tamen aperte non declaratur. Vel sic dicamus « in Ephrata, » id est in dictis prophetarum audivimus et legimus ea, id est promissiones : et sicut ibi audivimus, sic « invenimus ea » completa « in campis, » id est in gressibus, qui cum prius essent « silvæ » spinosique peccatis, nunc facti sunt arabiles et Deo fructificantes.

Nos invenimus Christi Ecclesiam in prophetis prædictam in campis, scilicet completam, et nosipsi « introibimus in tabernaculum ejus, » id est in mi- D litiam ejus Christi, quia nos facti membra Ecclesiæ, militamus ei, et « adoravimus in loco ubi steterunt pedes ejus, » ad litteram, quia adhuc adorant homines ubi Dominus ascendit : cujus ascensionis testis adhuc remanet cespes viridis, nec aliquo pavimento ejus viriditas potest dimoveri. Vel, « adoravimus in loco » id est, integra fide, « ubi steterunt pedes ejus, » id est in quo apparent vestigia suæ justitiæ : qui enim habet perfectam fidem, non eam habet otiosam, sed operatur ad Christi imitationem. Per hoc facta est Ecclesia et cæteræ Christi promissiones completæ, quia ipse surrexit et ascendit in gloriam suam, et inde misit Spiritum, per quem apostoli confortati sibi Ecclesiam construxerunt : et quo ipse

ascendit, facit conscendere arcam suam, id est Ecclesiam : et hoc non enuntiative, sed desiderative Propheta annuntiat, ut suæ mentis affectionem ostendat.

Continuatio : Quia impletæ sunt promissiones, perfectum est tabernaculum, ideo, o « Domine, surge in requiem tuam, » id est ascende, « et » post te ascendat « arca, » id est Ecclesia, in qua continentur sapientiæ et scientiæ : arca dico « sanctificationis tuæ, » id est, quam tu sanctificas.

Et ut arca post te possit ascendere, interim « sacerdotes tui » servientes tibi devote, « induantur justitiam, » habeant pro infula virtutes, quæ sint eis ornamentum animæ, « et » ipsi « sancti tui exsultent » de sua justitia. Vel, sancti tui minores exsultent de suo profectu, et de imitatione bonorum.

Et quia videt in illuminatione gentium excæcari Judæos, precatur Deum ut vel juxta finem visitet eos. Continuatio : Sacerdotes induantur justitia, et o « Domine, » faciem tui Christi, id est præsentem et claram cognitionem Filii tui, quæ modo aversa est a Judæis, « ne avertas » quin aliquando ostendas Judæis, saltem circa novissima tempora : et hoc non precor propter merita eorum, imo « propter David servum tuum, » id est, propter meritum ipsius Christi : et hic datur plane intelligi nullum de meritis suis debere præsumere, sed omnem salvationem ex Christi meritis exspectare.

« Juravit Dominus. » Pars tertia. Dico « propter David, » nec diffido, « quia Dominus » Pater « juravit, » firmiter statuit, « David, » id est Christo, « veritatem, » quia sicut promisit, sic complevit; « et non frustrabitur eum » ita dicens : « De fructu ventris tui, » id est de generatis per doctrinam tuam, quæ venter dicitur, quia continet in se arcana Dei et nutrit homines, sicut venter puerum : de illis generatis sic « ponam super sedem tuam, » id est faciam eos doctores sicut tu fuisti in hac vita, et etiam judicare totum mundum.

« Ponam » dico hoc pacto, « si filii tui custodierint testamentum meum, » id est præcepta veteris legis et prophetarum, quæ proferunt testimonium nostræ fidei : « et testimonia mea hæc quæ » ego « docebo eos, » non quæ ipsi ex sua sibi parte adinveniant.

Filii tui sedebunt super sedem tuam, « et » etiam « filii eorum, » id est imitatores, « usque in sæculum, » id est quandiu durabit sæculum : etiam filii novissimorum temporum « sedebunt super sedem tuam, » ut supra.

Promisit Christo, quod sic sederent filii sui, et hoc non secundum merita eorum, « sed quoniam Dominus elegit Sion, » id est Ecclesiam, « elegit » dico « eam in habitationem sibi, » ut non ad horam, sed assidue inhabitaret eam.

« Elegit » dico, ita dicens : « Hæc » scilicet Sion, est « requies mea » in qua requiesco : non tantum in hac vita, sed « in sæculum » subsecutivum hujus « sæculi : hic : » id est in hac Ecclesia « habitabo, quoniam elegi eam. »

« Viduam ejus » Ecclesiæ, id est illos qui sunt desolati in istis terrenis, et tamen Deo suam castitatem custodiunt, nec cum dæmone fornicantur, « benedicens benedicam, » id est assidue multiplicando virtutibus, « pauperes ejus » Sion « saturabo panibus, » id est spirituali refectione.

« Sacerdotes ejus induam salutari, » id est conformitatem Christi salutaris, id est filii mei : « et sancti ejus » minores, qui sacerdotes imitantur, « exsultatione exsultabunt, » id est tantam habebunt exsultationem, quæ nullo modo valeat ab eis amoveri.

« Illuc, » id est in illa Sion, « producam, « id est extendam in futuro judicio « cornu David, » id est altitudines ipsius Christi, manifestans ipsius potentiam omnibus : et interim « paravi Christo meo lucernam, » veluti Joannem et alios præcones, qui viam Domino præpararent.

Sacerdotes induam salutari, « inimicos » autem « ejus induam confusione, » id est erubescentia, quando descendent in ignem æternum : « super ipsum autem » Christum « efflorebit sanctificatio mea, » quia ejus sanctificatio et gloria erit immarcescibilis.

IN PSALMUM CXXXII.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« Ecce quam bonum. » In hoc psalmo materiam pariter et gradum habet, Propheta dilectionem proximi, et eam commendat pluribus modis : et intendit nos invitare ut istum gradum conscendamus, sine quo ad supernam Hierusalem pertingere non possumus.

Ac si ita diceret : Vos fratres, qui per meritum Christi collecti, Sion facti estis, « ecce » quid nobis restat, « habitare in unum » ut « fratres, » id est ut fraternam charitatem vobis invicem exhibeatis. Ideo potius elegit fraternam dilectionem persuadere, qui eam quæ est inter patrem ac filios, vel aliquem talem, quia ea quæ est inter fratres, maxima est in æqualitate : non propter hoc dicit habitare in unum, quod moneat nos ad localem solam habitationem, quamvis etiam bonum sit localiter simul habitare, sed intelligit in unum habitare quoslibet diversos ac remotos, et etiam personas quæ ex diversis officiis suis sibi subserviunt invicem, et ad unitatem tendunt, ac vinculo fidei ejusdem et dilectionis colligati sunt, ut non dicat major minori : Non egeo auxilio tuo : sed orent alii pro aliis, et cæteri expleant sua cum dilectione officia : pascat rusticus clericum, similiter et alii debetis habitare in unum, quia « bonum, » id est utile, quia exemplo bene habitantium, multi capiunt sibi commodum bonæ habitationis, et « quam » bonum est? Infinite quidem : « et quam jucundum » suave et delectabile ? infinite similiter.

Bene dico jucundum esse habitare fratres in unum, « sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. »

« Quod » etiam « descendit in oram vestimenti ejus. » Unguenti similitudinem inducit, quia in unguento maxime delectatur et fovetur caro. De Aaron ideo dicit, quia ipse fuit primus inunctus sacerdos, cujus unctio tam copiosa fuit, quod defluxit in barbam et in ulteriora vestimenta. Est autem mystica

hæc similitudo, quoniam per unguentum in capite significatur Spiritus sanctus, qui fuit in Christo capite nostro, in quo habitavit Spiritus sanctus non ad mensuram : et de capite illo descendit in barbam, id est in fortes viros, et proxime inhærendo capiti, velut in ipsos apostolos, qui sunt barba, non cujusque, sed Aaron, id est Christi, qui propter officium sacerdotii significatur per Aaron, etiam secundum interpretationem nominis, quia Aaron interpretatur *montanus*, Christus vero semper in monte et maxima virtutum altitudine habitavit. Vel, « in barbam, » id est in viriles et sapientes viros, qui per barbam significantur : et non solum descendit in barbam unguentum illud a capite nostro, sed etiam in oram vestimenti ejus, id est in ultimum sanctum qui unquam erit in Ecclesia, descendet Spiritus sanctus ab eodem capite nostro, cujus vestimentum dicuntur fideles sui, quia honorant ipsum, sicut vestimenta dominum : et in hac tali similitudine vult intelligi quod hujusmodi concordia, hujusmodi cohabitatio conferat Spiritum sanctum, qui habitavit in corpore nostro. Et vere ita jucundum est habitare in unum « sicut ros Hermon, qui » ros non prorsus idem est qui est in Hermon, sed consimilis illi « descendit in montem Sion » quasi diceret : Sicut ros, scilicet dulcissimus ille humor, facit montem illum, scilicet Hermon, virere et fructificare : similiter et Sion ita habitans in unum facit fideles fructificare. Intelligitur tamen aliquid et in hac similitudine : per rorem gratia spiritualis intelligitur; per Hermon, quod *anathema* interpretatur, gentiles accipimus, qui aliquando fuerunt anathematizati et separati a Deo, quos nutrit gratia spiritualis, et compungit, et ad fidem ducit : et Sion facit : et factos Sion, nutrit, et bonos fructus proferre facit; et per hanc similitudinem vult intelligi quod hi qui aliquando fuerunt Hermon, et separati a Deo per unanimem habitationem, fiant Sion, id est Ecclesia speculans Deum.

Quoniam datis similitudinibus, ponit causam quare habitandum sit in unum; ac si diceret : Ideo bonum est habitare in unum, « quoniam illic, » id est in concordi habitatione « mandavit Dominus, » id est præcepit esse « benedictionem, » virtutum multiplicationem, « et vitam usque in sæculum, » id est in æternum.

IN PSALMUM CXXXIII.

TITULUS : *Canticum graduum.*

« Ecce nunc. » In hoc psalmo materiam habet pariter et gradum Propheta, ad quam recte ex dilectione proximi ascendimus. « Si enim fratrem, quem videmus, non diligimus, Deum, quem non videmus, quomodo diligemus? (*I Joan.* IV.) » In prima parte ostendit Deum diligendum et in laude et in operatione. In secunda, quæ incipit : « Benedicat tibi Dominus ex Sion, » ponit suam optationem benedictionis illis qui Dominum diligunt. Intendit nos invitare ut hunc gradum ascendamus, in quo erit nobis consummatio omnium aliorum.

Quasi ita moneret : Fratres, quia jam in dilectione consistitis, « ecce » perficite quod restat vobis, scilicet « benedicite Domino, » id est laudate Dominum, quod in tali sæculo facti estis : cujus laudis verba ponit in sequenti psalmo, alleluia, scilicet et hoc « nunc, » id est sine mora : nec quoscunque moneo, quia « non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV), » « sed omnes servi Domini, » id est qui Domino in dilectione servitis, benedicite Domino.

« Vos, servi, benedicite, non qui ad horam servitis, sed qui statis, » id est perseveranter militatis « in domo Domini; » et vos etiam qui estis « in atriis, » id est in introitu « domus Dei nostri, » id est Ecclesiæ, sed et imperfecti et noviter conversi laudent Dominum.

Postquam monuit ad laudandum, monet et ad bene operandum; quasi diceret : Non tantum moneo vos ad benedicendum, sed etiam « extollite manus, » id est elevate operationes « vestras in sancta » sanctorum in cœlestem Jerusalem, id est ad ipsum Deum, scilicet non operantes ad laudem hominum sicut hypocritæ, vel ex rapto eleemosynas facientes, sed pura intentione ad Dominum vestra opera dirigite. « Extollite » dico « in noctibus, » id est per totum hujus vitæ, in qua semper in tenebris sumus ignorantiæ, ut per bona opera vestra digni sitis de his tenebris in veram lucem perduci : « et » semper « benedicite Domino, » id est laudate etiam eum de hoc quod vos bene operari permiserit.

« Benedicat. » Pars secunda. Cum huc usque locutus sit ad servos Dei pluraliter, hic convertit se ad singularem personam, ut ostendat unitatem conservandam esse in Ecclesia. Continuatio : « Tu, homo, benedicas Dominum, et Dominus benedicat, » id est multiplicet « te » donis suis : Dominus dico, veniens « ex Sion » qui natus fuit ex Juda, cujus benedictio magna est : quia licet magnus fuisset, tamen idem ipse est « qui fecit cœlum et terram. »

IN PSALMUM CXXXIV.

TITULUS : *Alleluia.*

« Laudate nomen. » Hic habet propheta materiam laudem Domini. In prima parte monet nos laudare Dominum, supponens multa magnalia ipsius, per quæ ipse laudabilis appareat. In secunda, quæ incipit : « Domus Israel, benedicite Domino, » monet communiter omnes ordines fidelium ad laudandum Deum. Intentio est nos hortari ut Domino alleluia decantemus, et exhortari ad assiduas laudes, qui nobis contulit prædictos gradus.

Quasi ita diceret : Vos qui prædictos gradus accepistis, « laudate nomen Domini, » id est, nominabilem Dominum facite : nec quoscunque moneo, sed vos, « servi, laudate Dominum. »

Vos tales, « qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, » vos tales, « laudate Dominum, quoniam bonus Dominus; » antonomastice dictum, per seipsum est bonus, et alios bonos faciens, « psallite nomini ejus, quoniam suave est » et jucundum, et delectabile psallere ei.

Ideo etiam debetis psallere ei, « quoniam » ipse « Dominus elegit Jacob, » id est, luctatorem contra vitia « in possessionem sibi, » scilicet, ut omnia cum jucunditate possideantur a Deo. Vel « sibi, » hoc est, ad servitium suum : « Israel » autem, id est, virum videntem Deum facie ad faciem, in illa vita elegit, non ut jam luctetur contra vitia, sed in possessionem sibi, id est, ut eum secum in gaudio positum possideat.

Ideo etiam laudate, « quia » ipse « Dominus est magnus », id est omnipotens : et hoc quod magnus sit credite, quia « ego cognovi » per Spiritum sanctum : « et » ipse idem « Deus noster » est « præ omnibus diis » quos ipse ædificavit : non solum falsis diis gentium, imo ipsis angelis et aliis diis.

Et vere ipse est præ omnibus illis diis, quia « omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo et in terra, et in mari » navigabili et transmeabili, « et omnibus abyssis, » sicut in Oceano.

Ostendit quædam mirabilia, quæ ipse fecit in terra : et hoc scilicet, « Educens nubes ab extremo terræ : » hæc omnia ad litteram possumus legere, tamen et allegorice leguntur, sicut nubes, id est, sanctos prædicatores eduxit ab extremo terræ, id est, de vilissimo genere hujus sæculi « sicut Amos propheta de custodia bidentium fuit acceptus, et Petrus, et alii plures, » sic et « fulgura, » id est, comminationes prædicationis eorum « in pluviam fecit, » id est, fructificantem doctrinam, quantum ad illos, qui bene doctrinam illorum receperunt.

Ille hæc fecit, « qui producit ventos, » id est, sanctos apostolos, citissime decurrentes per totum mundum, « de thesauris suis, » id est, de plenitudine sapientiæ et scientiæ quibus repleverat eos : « qui percussit primogenita, » id est, peccata originalia, « Ægypti, » id est, ipsius mundi, quia hic mundus in tenebris ignorantiæ semper consistit : et hoc « ab homine, » id est, rationabili et sapiente, « usque ad pecus, » id est, usque ad brutos homines : quia et in sapientibus, et in aliis interfecit originalia peccata per aquas baptismi.

« Et misit signa, » id est, minora miracula, « et prodigia, » id est, majora « in medio tui, Ægypte, » id est, in medio mundi. « In medio, » quia manifesta fuerunt omnibus : misit dico « in Pharaonem, » id est, contra Pharaonem, id est, dissipatorem, scilicet diabolum « et omnes servos ejus, » id est, ministros ejus, scilicet minores diabolos, quia per illa signa sunt quidam ablati de potestate diaboli.

Ille misit « qui percussit gentes multas, » id est, multitudinem vitiorum, « et occidit reges fortes, » id est dæmones, et abstulit eis potestatem eorum; fortes, quia potentes erant impellere homines ad facinora magna.

Hos scilicet reges, « Seon regem Amorrhæorum. » Seon interpretatur *tentatio oculorum ;* diabolus namque transformat se in angelum lucis, et per hypocrisim decipit homines : Amorrhæi, *amaricantes:* per Seon dæmonem illum intelligimus, qui tentat seducere oculos hominum, qui est rex omnium amaricantium in peccatis istius vitæ : « et » etiam percussit « Og regem Basan. » Og interpretatur *conclusio*, Basan *confusio :* per hoc intelligimus dæmonem, qui concludit confusos in peccato, ne viam valeant invenire salutis : « et omnia regna Chanaan. » Chanaan *descensus* interpretatur, et per hoc intelligimus eos qui declinant de bono ad malum.

« Et terram eorum hæreditatem, » id est, cœlestem patriam, quam per suam superbiam perdiderunt dæmones, « dedit hæreditatem Israel » non cuicunque Israel, sed « populo suo. »

Et quia hæc omnia fecisti, o « Domine, nomen tuum, » id est, fama et laus tua erit « in æternum; et memoriale tuum, » id est, verba tua, o Domine, quæ de te suggerunt nobis semper memoriam, erit « in generatione et generationem, » id est, usque ad diem æternum, quia cœlum et terra transibunt, verba autem tua non transibunt.

Non transient, et hoc erit memoriale in æternum, « quia judicabit Dominus » excæcando « populum suum » justo judicio suo, « et in servis suis » fidelibus sibi, « deprecabitur » id est, deprecabilis erit.

« Simulacra. » Pars secunda. Continuatio : Tantus est Deus noster, qui tanta mirabilia facit, sed « simulacra gentium » hoc non possunt, quia sunt « aurum et argentum, opera manuum hominum; » in quo stulti apparent qui ea colunt, et quasi creatorem venerantur, quæ tamen et ipsi condiderunt.

« Os habent; et non loquentur, oculos habent, et non videbunt. »

« Aures habent et non audient, » ut supra exposuimus, « In exitu Israel. » Ideo hæc instrumenta non exsequuntur officia, quia « neque enim est Spiritus » sanctus « in ore ipsorum. »

« Similes illis fiant qui faciunt ea, et » etiam « omnes qui confidunt in eis. »

« Domus Israel, benedicite. » Hæc prædicta eveniant illis qui colunt idola, sed « domus Israel, » vos « benedicite Domino, » scilicet, communis Ecclesia : et communem Ecclesiam dividit per partes, addens : et etiam « domus Aaron, » id est, collectio sacerdotum, « benedicite, Domino. »

« Et etiam domus Levi, » id est, collectio ministrorum, « benedicite Domino. » Quid per singula ? Vos omnes « qui timetis Dominum, benedicite Domino. »

Moneo vos alios benedicere, et ego ex parte mea benedicam, dicens sic : « Benedictus Dominus » est idem qui natus est « ex Sion » et « qui habitat in Hierusalem, » id est, in Visione pacis. Alleluia.

IN PSALMUM CXXXV.

TITULUS : *Alleluia.*

« Confitemini Domino. » Hic Propheta habet materiam misericordiam Domini : et in prima parte ostendit potentiam, scilicet, eum per misericordiam suam totius mundi creationem fecisse, præposita admonitione laudis. In secunda parte, quæ incipit :

« Qui percussit Ægyptum, » ostendit quantas Dominus misericordias fecit Israelitico populo. In tertia, quæ incipit : « Et dedit terram eorum hæreditatem, » ostendit quæ beneficia faciat Dominus populo Christiano : et per hæc omnia intendit nobis persuadere alleluia cantandum esse Domino.

Quasi diceret : Vos omnes gentes « confitemini Domino, » utroque genere confessionis, « quoniam bonus » est per seipsum, et alios bonos facit : item propter hoc confitemini, « quoniam misericordia ejus » est « in æternum, » quia in hac vita per misericordiam condonat peccata, et confert multa spiritualia bona, et in alia vita remunerat fideles longe ultra merita.

Item « confitemini Deo deorum, » id est, qui creator est angelorum, et aliorum sanctorum, quos ipse justificat et ædificat, « quoniam in æternum misericordia ejus : » hunc eumdem apponit singulis versibus, notans omnia ex sola misericordia Dei facta.

« Confitemini Domino dominorum, » id est, quia ipse dominatur omnibus dominis et principibus hujus vitæ. In principio et in fine ponit « Confitemini, » et per totum medium possumus etiam repetere, sic dicentes :

Confitemini etiam illi, « qui facit mirabilia magna solus, » id est, sine adjutorio alicujus, qui etiam ipsos ministros fecit.

Illi dico « confitemini, » « qui fecit cœlos » : et istud est pars mirabilium : pluraliter « cœlos » dixit, quia plures cœlos intelligit, licet nobis non sit diffinitum quot sint; et illos cœlos non fecit ad aliquod exemplar, sed « intellectu » prout in mente sua disposuit, sed per suam sapientiam, in quo intelligimus illos cœlos ornate et polite esse factos.

Etiam confitemini illi « qui firmavit terram, » ad litteram, « super, » id est, juxta « aquas » quia circumcunque fluit Oceanus. Vel per terram accipimus Ecclesiam, quam firmavit Deus super aquas, id est, inundationes hujus sæculi : vel aquas baptismi, ut Ecclesia superet istas inundationes, et nunquam dimergatur ab istis, sicut terra realis superat aquas, quæ nunquam dimergitur ab illis.

Illi confitemini, « qui fecit luminaria magna » : et per hoc possumus significare sanctos angelos, quos creavit Dominus in maxima claritate.

Exponit illa luminaria, dicens : « Solem fecit in potestatem diei, » quæ potestas diei apparet quia illuminat aerem et præbet nobis lucem. Allegorice, per solem sapientiam possumus accipere, quæ illuminat corda fidelium, et facit in eis lucere quamdam diem, scilicet cognitionem ipsius Divinitatis.

Fecit etiam « lunam, » materialem, scilicet, « et stellas in potestate noctis. » Per lunam possumus intelligere generalem Ecclesiam, per stellas diversa officia Ecclesiæ : quæ Ecclesia illuminat noctem, id est, mundum istum plenum erroribus et ignorantiis, sicut luna nocti præparat lumen.

« Qui percussit. » Pars secunda. Ideo etiam confitemini illi, « qui percussit Ægyptum, » id est, mundum istum « cum primogenitis, » id est, cum originalibus vitiis, et cum aliis majoribus.

« Qui eduxit Israel de medio ejus, » id est, viro facto Israel, jam non dominabitur Ægyptus, scilicet tenebræ hujus mundi, nec originalia peccata.

« Eduxit » dico « in manu potenti, » id est, potenti et invincibili operatione, « et brachio excelso, » id est, omnipotentia ex qua processit, et effectum habuit potens operatio.

Confitemini quoque illi, « qui divisit mare Rubrum in divisiones, » ad litteram ideo pluraliter dicit, quia duodecim viæ fuerunt. Per mare Rubrum intelligimus baptismum, qui rubet sanguine Christi consecratus : quem divisit Dominus, quia aliis est ad vitam, aliis ad damnationem, scilicet contemptoribus, quia in hoc amplius transgressores inveniuntur : et hoc « in divisiones, » quia ibi incipiunt fideles initium viarum suarum, per quas tendunt ad Dominum. Vel per mare Rubrum mundum intelligimus, qui mare dicitur, quia semper in fluctu est, et plenus omni amaricatione : rubens dicitur, propter sanguinem sanctorum martyrum : quæ « divisit in divisiones, » quia diversis diversos dedit, quibus per hunc mundum festinent ad Dominum : alius enim per jejunia, alius per eleemosynas, alii per alias virtutes.

« Et eduxit Israel per medium ejus, » maris, id est, per medium hujus mundi, quia nullis illecebris hujus mundi potuit vir Israel factus impediri. Vel, per medium baptismi, quia per fidem catholicam, quam in baptismo accepit, Israel eduxit.

« Et excussit Pharaonem, » id est, diabolum, « et virtutem ejus, » id est, ministros ipsius, « in mari Rubro, » id est, in baptismo, in quo quilibet de potestate diaboli ejicitur.

Laudate etiam eum, « qui traduxit populum suum » de virtute in virtutem; « per desertum, » id est, mundum istum, per quem transeunt sancti quasi peregrinantes, et ad veram terram promissionis festinantes.

« Qui percussit reges magnos, » id est, vitia magna quæ insidiabantur eis, et volebant impedire iter regni cœlestis.

« Et occidit reges fortes, » id est, vitia illa quæ, licet non essent in omnibus magna, tamen in aliquibus erant fortia ad ejiciendum propter consuetudinem.

Hos fortes reges « Seon regem Amorrhæorum. »

« Et Og regem Basan, » ut supra expositum est.

Pars tertia. « Et dedit terram eorum hæreditatem. »

Et terram eorum prius deditam vitiis hujus sæculi, cui dedit excolendam? Illis ipsis; et hoc est quod subdit : « hæreditatem Israel servo suo, » ut ipsi facti Israel, jam abjiciant de se spinas, et bonum semen nutriant. Vel terram cœlestem, quam possederunt dæmones, dedit Israel : non Judæo cuilibet, sed servo suo.

Intelligens prophetase unum de illis qui posside-

bant illam hæreditatem, dicit : Ideo hæc omnia nobis fecit, « quia memor fuit nostri, » veluti quando Filium suum fecit incarnari. « In humilitate nostra, » quia nos ostendimus humiles, scilicet, cognoscentes, neque naturalem, neque scriptam legem nobis sufficere ad salutem.

« Et » quia memor fuit, ideo « redemit nos, » dato pretio sanguinis Filii sui; « ab inimicis nostris, » dæmonibus, in quorum potestate captivi tenebamur.

Etiam confitemini illi, « qui dat escam, » id est, refectionem spiritualem, « omni carni, » id est, fidelibus de omni natione. Vel per omnem carnem omne animal intelligamus, cui Deus corporalem præbet escam.

Et quia hæc omnia facit, ideo « confitemini Deo cœli, » id est, quod superius dixit, « Deo deorum. »

Et item propter hoc confitemini, quoniam ipse dominatur omnibus potentibus; hoc est quod dicit : « Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus : » ponens : « Confitemini » in principio et in fine, indicat nobis totum psalmum in laude versari ipsius Dei. Alleluia.

IN PSALMUM CXXXVI.

TITULUS : *Psalmus David propter Jeremiam.*

« Super flumina Babylonis. » Psalmus iste est David, et est unus de captivitatibus Hierosolymitarum : et hæc captivitas facta est a Nabuchodonosor rege Babyloniorum. Aliam vero quam narrat : « Deus, venerunt gentes (*Psal.* LXXVIII), » fecit Antiochus rex eorumdem Babyloniorum. Tertia vero : « Ut quid, Deus (*Psal.* LXXIII), » reges fecerunt Romani, Titus et Vespasianus; scilicet iste est psalmus David Jeremiæ de captivitate Babylonis : alii psalmi David tantum. Attendens Esdras prophetam David in hoc psalmo deplorasse captivitatem civium Hierusalem, non tam corporalem quam spiritualem : et quod Jeremias deploravit simul spiritualem cum corporali, quam vidit, et prophetaverat eis futuram, hujuscemodi titulum apposuit, qui sic legitur : Psalmus iste David, in quo David deplorat captivitatem civium Hierusalem, est Jeremiæ, habitus de captivitate Babylonis, quam deploravit Jeremias non tantum corporalem, quam præsentem vidit, sed etiam spiritualem, quam in corporali significavit. Materia sunt in hoc psalmo cives Hierusalem in Babylonia captivi. Sunt enim duæ contrariæ civitates, una quæ dicitur Hierusalem, scilicet civitas fidelium : quia quæ dicitur Babylonia, est civitas omnium malorum : est autem civitas fidelium captiva in hoc mundo Babyloniis, id est, a malis hominibus, qui semper fideles impugnant, et a dæmonibus, qui tentare fideles non cessant. Habent etiam viri justi et alium hostem, scilicet propriam carnem, quæ semper pugnat adversum hominem interiorem; unde Apostolus : « Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem (*Gal.* v). » In prima parte ostendit cives Hierusalem positos in captivitatem Babyloniæ, nec unquam tamen oblivisci suæ patriæ, scilicet Hierusalem supernæ. In secunda, quæ incipit : « Memor esto, Domine, filiorum Edom, » precatur vindictam de inimicis, et dicit quod ipse de parte vindicabit se, scilicet de Babylonis filia, id est, de propria carne. Intentio est admonere nos ad compassionem, scilicet, ut de malis proximorum doleamus, et maxime de spiritualibus, scilicet de damno animæ.

Vox prophetæ, non tantum in persona sui, sed etiam aliorum; quasi ita diceret : Fratres, deplorate nobiscum captivitatem nostram et civium nostrorum, quia nos captivati per peccatum primi parentis a diabolo in Babylone, id est, in confusione peccatorum sumus : nec tantum jam sumus in fluminibus Babyloniæ, id est, in profunditate vitiorum, quæ ita demergunt hominem, sicut quodlibet rapidissimum flumen, sed « super flumina Babylonis, » id est, juxta magnam profunditatem vitiorum, quia tot habemus inimicos in civibus Babyloniæ, qui nos volunt suæ voluntati conformare, quod a profunditate nequitiæ Babyloniorum demergimur, et tamen supersumus, quoniam illis non consentimus. Et nos habitantes « illic, » id est, inter Babylonios, « sedimus, » id est, aliquantum erecti fuimus : quia etsi miserias in hac vita, id est in Babylone, sustinuimus, etiam per suggestiones carnis ad aliqua manum extendimus illicita, tamen quia a gravioribus abstinuimus, erecti fuisse et sedisse dicimur : ideo tentati unum verbum posuit, sedere : scilicet, quia si diceret, stetimus, præsumptio videretur; si vero, jacuimus, ruinam pati videremur : dico « sedimus et flevimus » de prolatione nostri incolatus, et miseriarum quas sustinemus : « flevimus » dico, « dum recordaremur tui, » o « Sion, » cœlestis, quæ es vera terra nostræ promissionis.

Quia flentes sumus, et in medio porcorum habitamus, ideo « suspendimus organa nostra, » id est, cessamus a verbo prædicationis. Nos dico existentes « in salicibus, » id est, inter illos qui sunt infructuosi et steriles, sicuti salices : non enim seminandum est verbum Dei inter porcos; et hoc « in medio ejus, » Babyloniæ, id est in plenitudine confusionis, quia undique circumdamur a civibus Babyloniis.

Ideo suspendimus, « quia illic, » id est in hac Babylone, in qua captivati tenemur, « interrogaverunt nos verba cantionum, » id est, divinæ prædicationis, quæ erat nobis dulcis, sicut audienti jucunda est canti ena, et ludicra quasi fabulæ : illi, dico, interrogaverunt, « qui captivos duxerunt nos, » id est, præcipitaverunt in peccata, aliquando reducentes ad conformitatem sui.

Non tantum illi qui nos in malum præcipitaverunt, verba cantionum quæsierunt, sed « et qui abduxerunt nos, » id est, qui de bono nos removeri fecerunt, præceperunt nobis dicentes : « Cantate nobis hymnum, » quantum ad vos, qui dicitis hoc esse laudem Dei nostri, « de canticis Sion, » id est, de laudibus illis quas vos cantatis in Sion, id est in Ecclesia.

Ipsi monuerunt ut cantaremus, sed quia quasi alieni erant, et canes, et porci, nullo modo cantabamus eis; et hoc est : « Quomodo cantabimus canticum Domini, » seminantes verbum divinum, « in terra aliena? » Terram alienam vocat, in qua si verbum Dei seminatur, non fructificat, sed spinis nequitiæ suffocatur.

Illis qui sunt alieni non cantabimus, sed, o Hierusalem cœlestis, nunquam tui obliti sumus; et hoc est : « Si oblitus fuero tui, Hierusalem, dextera mea, » id est bona operatio mea, « detur oblivioni, » a Deo, id est, nullam de omnibus benefactis meis remunerationem accipiam.

Non tantum dico, « si oblitus fuero, » hæc mihi mala eveniant, sed « si non meminero tui, » id est, si non semper habuero te in præsenti memoria, « adhæreat lingua mea faucibus meis, » id est, mutus fiam.

Et etiam « si non proposuero » te, « Hierusalem, in principio lætitiæ meæ, » id est, si non eris tu principium et causa totius lætitiæ, adhæreat similiter lingua mea faucibus meis.

« Memor esto. » Pars secunda. Quia ego facio Hierusalem principium lætitiæ meæ, ideo, o Domine, memor esto persequentium nos, ad judicandum in eis; et hoc est : « Memor esto, Domine, filiorum Edom, » id est terrenorum, sive sanguineorum, qui nostrum effundunt sanguinem, et nos ad appetitum terrenitatis ducere volunt. Tunc dico, « memor esto filiorum in die Hierusalem, » id est, quando apparebit claritas fidelium, scilicet in die judicii.

« Qui, » scilicet filii Edom « dicunt » non verbis, sed factis, « Exinanite, exinanite, » id est, totum evacuate quidquid justitiæ in eis est : « exinanite » dico totum illud, « usque ad fundamentum » quod est « in ea, » scilicet illud quod in eis apparet, evacuate. Fundamentum istius Hierusalem Christus est, vel fides, quo remanente, civitas ista destrui non potest : et in hoc stulti apparent, quia remanente fundamento, cætera statim reædificabuntur.

« Filia. » Precamur ut vindices in filiis Edom et nos ipsi vindicamus in parte; et hoc est : o « filia Babylonis, » id est, caro nostra nata in confusione, et semper monens confusionem, et ideo « misera, beatus » est ille « qui retribuat tibi retributionem quam retribuisti nobis, » id est, qui pro afflictione in peccatis, ad quæ tu semper mones interiorem hominem, reddet tibi afflictionem, jejunando, vigilando, et cæteris modis afflictionis te carnem, Babylonis filiam, macerando.

Et etiam « beatus » est ille « qui parvulos tuos, » id est, suggestiones peccatorum, quos tu in homine generas, quæ dicuntur parvuli dum insurgunt, et ad actum non perducuntur, « tenebit, » ne procedant usque ad actum, « et » etiam « allidet, » id est, comprimet et confringet, « ad petram, » id est, ad Christum, scilicet per memoriam et conformitatem ipsius Christi. Quando enim pravæ suggestiones et illi motus illiciti subrepunt, tunc debemus ad memoriam reducere quam viriliter Christus in sua vita egit, et nos ei conformare, ut ex toto valeamus illos exstinguere in nobis.

IN PSALMUM CXXXVII.

TITULUS : *Psalmus ipsi David.*

« Confitebor. » Propheta qui hic loquitur, materiam liberationem habet, factam per adventum ipsius Christi. Nota quia psalmus iste miræ sanctitatis in Veteri Testamento fuisse legitur. Legitur enim in Paralipomenon quod cantantes hunc psalmum misericordia Dei, quasi miri odoris fumus, circumfulsit in tabernaculo : nunc autem minoris sanctitatis minime esse creditur, quod si pure cantatur, misecordia Dei statim adest cantantibus. In prima parte se laudare Deum, et se bene operari promittit, positus inter angustias hujus vitæ. In secunda, quæ incipit : « Confiteantur tibi, Domine, » monet alios laudare propter aliam causam propter quam et ipse laudat, scilicet in consideratione liberationis; et in hac parte patet intentio. Intendit enim nos monere ad exsultandum et laudandum Deum, pro liberatione facta per Christum, sicut in alio nos monuit de captivitate Babyloniorum dolere.

Ac si ita diceret : Vos, fratres, confitemini Domino exemplo mei, quod non sum tibi, o « Domine » ingratus de beneficiis tuis, semper « confitebor tibi » in confessione laudis « in toto corde meo, » ideo, « quoniam audisti verba oris mei, » quia misisti Filium incarnari, ut nos eximeres de potestate diaboli, de qua ad te clamamus assidue.

Et non tantum confitebor, sed etiam « psallam tibi, » id est, bene operabor ad laudem tuam; et hoc « in conspectu angelorum, » id est in beneplacito eorum. Jam enim angeli, cognoscentes nos esse concives suos, gaudent de operibus nostris bonis, et adjuvant nos. « Et adorabo ad templum sanctum tuum, » id est ad ipsam Christi humanitatem, id est ipsam debita et omnimoda veneratione venerabor, et divinitatem specialiter in ipso habitantem adorabo; « et » etiam « confitebor nomini tuo, » id est laudabo te.

« Super misericordia tua et veritate tua, » quia redemptionem per misericordiam facis, et promissiones, quas per prophetas promiseras, adimples per ipsum Christum, vel de misericordia quam facis humano generi in præsenti vita : « et » de « veritate tua » complenda, quando fideles tuos, secundum quod promisisti, remunerabis, misericordia et veritate dico ideo exhibita, « quam magnificasti, » id est, magnum fecisti « sanctum tuum » singularem, id est, Christum « super omne nomen, » id est, super omne nominabile; unde Paulus : « Donavit illi nomen, quod est super omne nomen (*Philip.* I). »

Licet autem justus iste in adventu Christi liberationem accepisset, tamen quia mala imminere videt, auxilium contra hoc deprecatur. Continuatio :

Quia ita magnus es, ideo, o Domine, « exaudi me in in quacunque die, » id est, in quocunque tempore « invocavero te. » Cum dicit, « tota die, » totum tempus justi nominat, quia justus semper ambulat in vera cognitione et illuminatione : dico, exaudi, et securus sum, quoniam tu « multiplicabis, » id est, multiplicem dabis « virtutem in anima mea » per quam contra ingruentia mala possim resistere.

« Confiteantur. » Pars secunda. Hic intentionem suam aperit. Et quia confitebor tibi, ideo meo exemplo, o « Domine, confiteantur tibi omnes reges terræ, » id est, omnes illi laudent te qui terrenitatem suam bene regunt. Et nisi confessi fuerint, inexcusabiles erunt, « quia » ipsi « audierunt omnia verba oris tui, » quæ ore tuo per Filium tuum observari præcepisti, quia « in omnem terram exivit sonus eorum, etc. (*Psal.* XVIII). »

Et isti reges positi « in viis Domini, » id est, in præceptis ejus, « cantent, » id est, annuntient laudes Domini aliis ; ideo cantent « quam magna est gloria Domini, » quæ et Judæis et gentibus est præposita.

Et vere magna est gloria, « quoniam Dominus excelsus » est super quamlibet creaturam : « et » licet ita excelsus sit, tamen fideles suos non despiciet, sed potius « respicit humilia, » id est, humiles oculo misericordiæ conferendo auxilia, et incrementa virtutum, etc. Et cum posset dicere superbus : Quandoquidem humilia tantum respicit, ergo secure possum peccare, quia me non videbit, et hoc removet sic : Humilia respicit « et alta » etiam, id est, superbos « cognoscit, » sed hoc « a longe, » quia et hic eis gratiam subtrahit, et in judicio separabit a suis, dicens : « Discedite a me, maledicti, » etc.

Et quod ille humilia respicit, in me apparet, quia « si ambulavero in medio tribulationis, » tu, Deus, « vivificabis me, » id est, læto animo facies me tribulationes illas recipere « et » etiam « super iram inimicorum tuorum, » id est, super inimicos qui mihi ex ira, non ex merito meo, mala faciunt, « extendisti manum tuam, » id est, operationem tuam, quia de quibusdam vindicasti, quosdam etiam convertisti : « et dextera tua, » id est, propitiatio tua, « salvum me fecit, » id est, illæsum me custodivit a conformitate eorum.

« Dominus » jam extendit manum super inimicos, et adhuc « retribuet pro me » vindictam inimicis : et ipse justus motus pietate super proximos suos, vertit se ad ipsum Deum, precando eis misericordiam Dei, sic dicens : O « Domine, misericordia tua in sæculum, » quia toti sæculo exhibuisti misericordiam : et ideo, o Domine, « opera manuum tuarum, » id est, ipsos homines, qui dicuntur speciale opus tuum, « ne despicias, » id est, non subtrahas eis hic gratiam, propter quod damnarentur in alia vita.

IN PSALMUM CXXXVIII.

TITULUS : *In finem psalmus David.*

« Domine, probasti me. » Psalmus iste convenit vero David, qui hic loquitur. Psalmus dico dirigens nos in finem, id est, ad ipsius Christi conformitatem. In hoc psalmo Christus est materia secundum utramque naturam : pauca quidem tangens de divinitate, sed plura quidem exsequens de sua humanitate. Ostendit enim se humilia sustinuisse ad modum aliorum hominum, ut humilitate veram comprobet suam humanitatem : ostendit et altissima, veluti in resurrectione, et cum per ipsum tenebræ hujus mundi illuminatæ sunt, et alia magna, ut per hæc comprobaret se non solum hominem ; sicut et ibi : « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem (*Psal.* XL). » Hoc autem voluit Propheta de ipso pronuntiare contra sectas quorumdam hæreticorum, qui cum negaverunt verum hominem esse : altitudinem vero, contra Judæos, qui eum solum hominem et non Deum arbitrati sunt. In prima parte præmissa est summa, quam postea per psalmi tractatum ostendit, scilicet scientiam Dei de se Christo habitam, et per ipsum Christum mirabilem factam. In secunda, quæ incipit : « Quo ibo a spiritu tuo? » ostendit tantam Dei potentiam, quam nullus possit effugere : et propter quam tenebræ mundi non potuerunt occultari, imo ipse per eam mundi tenebras illuminavit. In tertia, quæ incipit : « Confitebor tibi, » quia terribiliter magnificatus es, ostendit se laudare Deum pro beneficiis quæ sibi confert. In quarta, quæ incipit : « Mihi autem nimis honorificati sunt, » ostendit per se bonos exaltandos, malos deprimendos ac damnandos : ponit in fine quamdam conclusionem, cum dicit : « Proba me, Deus : » tantam altitudinem, Christi describens, intendit persuadere eum honorabilem, ut ei debitum exhibeamus honorem.

Vox Filii ad Patrem, « Domine » Pater, tu « probasti me, » non quod Deo Patri aliquid fuisset dubium in Christo, vel in aliqua alia re, sed « probasti » dicit, id est, probatum aliis ostendisti per multa experimenta : velut cum tentatus fuit a diabolo (*Matth.* IV), et ei nullo modo consensit, et propria morte se veracem esse confirmavit. « Probasti » dico, « et cognovisti me, » id est, cognitum et placitum tibi me habuisti : « tu, » Domine, « cognovisti, » id est, approbasti, « sessionem, » id est, requiem « meam, » scilicet mortem meam, in qua requievi a tumultu hujus sæculi : « et » cognovisti « resurrectionem meam » quia et eam fecisti, et tibi gratam habuisti. In hoc versu ubi dicit se probatum, sicut alii homines probantur, dicit se habere sessionem, id est, mortem : de se humilia loquendo, significat nobis veram suam humanitatem : cum vero nominat suam resurrectionem, alta de se dicit : et sic in hoc versu breviter tangitur summa totius psalmi. Nota quia hic utitur artificiali ordine : prius enim incipit a glorificatione, deinde a resurrectione et passione : ad ultimum ab utero, id est, ab incarnatione.

Probasti dico, « cognovisti, » etiam « intellexisti cogitationes meas de longe, » id est, multo antequam cogitarem, quia ab æterno etiam « investigasti, » id est, plane cognovisti « semitas meas, » id est, occulta opera mea, et occulta voluntatis, « et funiculum

meum, » id est, judicium, scilicet, discretionem, quam ego habui inter bonum et malum : tu investigasti, id est, perfecte cognovisti, sicut perfecte investigata plene cognoscuntur. Alia translatio habet, « directionem meam. » Per funiculum vero directionem et rectum judicium accipere possumus, quia in funiculo carpentarii et alii operarii dirigunt opera sua.

Et non tantum cognovisti, sed « etiam omnes vias meas, » id est, omnia manifesta opera mea, « prævidisti » multo antequam fierent : ideo sic dico « intellexisti, prævidisti, » et similia, « quia non est sermo » sine re. Unde alia dicit translatio, « non dolus, in lingua mea : » cum dicit se in lingua non peccasse, in qua gravius est stare, innuit se nec in aliis cecidisse : et per hoc se Deo per omnia bene placuisse. Quasi dixisset : Dum investigasti cogitationes Adæ primi parentis, semitas, judicium et vias, ac filiorum ejus, quia dolosa cognovisti, displicuerunt tibi : me autem per omnia cognoscendo, nihil in me invenisti in quo offenderetur oculus tuus.

« Ecce, » quid enumerem per singula? « tu, Domine, cognovisti omnia novissima, » scilicet, de humilitate mea, « et » omnia « antiqua » mea, veluti de divinitate mea, quam tecum habes consubstantialem tibi ab æterno : « tu formasti me, » secundum humanitatem; et « super me, » formatum hominem, « posuisti manum tuam, » id est, verbum tuum, id est, Filium tuum, quo operaris, induisti meæ humanitati.

Dico, tu me formasti, et ego scientiam tuam feci mirabilem : et hoc est : « scientia tua, id est, lex tua scilicet evangelica doctrina, in qua manifestatur voluntas tua, « est facta » hominibus « ex me, » id est, ex mea prædicatione et operatione, « mirabilis » quia in ea cognoscunt remissionem peccatorum fieri per Jesum, et vitam æternam justis dari, et perpetuas pœnas impiis; et ideo illam scientiam admirantur : et non tantum facta est per me mirabilis, sed etiam per me « confortata est » et non titubat, sed ita firmiter est sita in cordibus hominum, ut nec periculo mortis possint ab ea dimoveri : ego sic mirabilem feci, sic confortavi, « et » tamen « non potero » secundum humanitatem, ad eam » scientiam adæquari, id est, ipsi Deo, in quo nihil est aliud scientia quam ipsa Divinitas.

Quo ibo? Pars secunda. Bene dico non potero ad eam adæquari, quia tanta est potestas in eadem, quod nullus potest effugere eam. Hoc dicit : « Quo ibo, » ego remotus « a Spiritu tuo, « id est, a Spiritu sancto? « et quo fugiam » remotus « a facie tua, » id est a præsenti et manifesta cognitione tua? Per faciem personam Patris hic intelligit, quam ideo faciem nominat, quia omnia præsentia sunt ei quasi in facie sita.

Nusquam possumus faciem effugere, quia « si ascendero in cœlum, » sicut vere ascendit, « tu illic es; si descendero ad infernum, » quo vere descendit anima humana cum divinitate, « ades. »

« Si pennas meas, » id est, opera divinæ potestatis, quæ ego dimisi, ex quo ipse fui in potestate Judæorum, quia nec feci miracula, nec etiam prædicavi, « sumpsero diluculo, » id est, in resurrectione facta diluculo, « et habitavero in extremis maris, » id est, in extremitate sæculi, sed jam non vivens vita mortali. Christus enim resurgens a mortuis, jam non moritur (*Rom.*, VI). Quod autem ipse extra mundi vitam viveret, significavit cum stetit in littore, discipulis navigantibus in mari (*Matth.* XIV), quod significabat in eis, quod adhuc vita mundi viverent. Antequam Christus resurgeret, cum discipuli navigarent, ipse pedibus desuper mare ambulavit, significans in seipso quod adhuc in mundo procelloso viveret.

Si ita sumpsero pennas, ades, et vere ades « etenim illuc » scilicet ut habitem in extremis maris, id est, ut sim extra vitam mortalem, « manus tua, » id est, operatio tua, « deducet me, » et etiam in immortalite me perseverare faciet; et hoc est : « et dextera tua, » id est, Filius tuus, scilicet Verbum tuum mihi unitum « tenebit me. »

Ego dico « dextera tenebit, » « et » etiam « dixi, » id est, deliberavi, « forsitan tenebræ. » Ironice, quasi diceret : Cum tanta sit ei potestas, et dextera sua ita me teneat, stultitia est si quis putat quod tenebræ, id est, tenebrosi istius vitæ « me » valeant conculcare : tenebræ non eum « conculcabunt » sed potius « nox, » id est, homines pleni ignorantia et peccatis in hac vita, vel etiam mortui retenti in morte inferni, facti « illuminatio mea, » id est, illuminati a me, erunt « in deliciis meis, » id est, in paradiso. Paradisus namque *deliciæ* interpretatur : illos enim quos invenit apud inferos, duxit in paradisum. Hi autem qui vivunt, jam spe sunt in paradiso, licet nondum re.

Ideo erit facta illuminatio noctis, quia tu, Deus, illuminabis tenebras et noctem; et hoc est : « quia tenebræ, » id est, illi qui sunt tenebrosi propter ignorantiam, « non obscurabuntur a te, » id est, non permittes eos obscurari, sed potius illuminabuntur. « Et » etiam « nox, id est, obscuri et pessumdati in peccatis, « illuminabitur » a te, et deinde erit « sicut dies, » id est, sicut aliquis sapiens, qui nunquam in tanta profunditate peccatorum permanserit. Dico « nox illuminabitur, » et « sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus, » quia quanta cognoscent aliqui peccata sua, tantam recipient illuminationem. Unde Augustinus : Quatenus homo agnoscit, eatenus sibi Deus ignoscit.

Et hæc omnia ex hoc provenient, « quia tu possedisti renes meos, » id est, fortitudinem et directionem meam, scilicet me fecisti fortem et immunem a peccato; et directum, non pronum ad illicita : non tantum dico « possedisti, » sed etiam « suscepisti me de utero matris meæ, » sine voluptate carnis

me concipi voluisti, et postea sine peccato conservasti.

« Confitebor tibi. » Pars tertia. Et quia renes meos ita possedisti, per me tenebras illuminasti, et cætera fecisti, ideo « confitebor tibi, » id est, laudabo te : et merito, « quia magnificatus es, » id est, magnus appares, et hoc « terribiliter, » quantum ad malos, qui in futuram damnationem attendunt sibi in judicio : ideo magnificatus quia « opera tua » de reparatione humani generis, et cætera quæ facis, sunt « mirabilia, et anima mea cognoscet » illa opera « nimis, » id est, valde. Hic invehitur contra illos qui putant Christum solum corpus humanum, nec animam humanam accepisse.

Non tantum sunt nota mihi opera tua, sed etiam inferioribus; et hoc est : « os meum, » id est, Ecclesia, « quod » os, tu « fecisti » quandoque « in occulto, » id est, tempore prophetarum, qui per solas figuras corpus Christi esse judicabant Ecclesiam : os illud meum « non est occultatum a te, » quia non occultasti, imo manifestati quod erat de ossibus meis. Vel « in occulto, » id est, in baptismo, et Dominici corporis consecratione, et in aliis sacramentis Ecclesiæ : « et substantia mea » non est occultata ita « in inferioribus terræ, » id est, in gentibus quæ sunt inferiores Judæis, quia sine lege et sine cultu Dei prius erant. Cognoscunt enim substantiam Christi gentes, et eum verum Deum esse et verum hominem credunt. Quod Ecclesia os dicatur Christi habet figuram in creatione mulieris ex primo homine (*Gen.* II). Sicut enim os est sumptum de viro ad creandam mulierem, et locus ossis carne repletus est, sic Christus Ecclesiæ suæ os suum, id est, robur et divinitatem suam contulit, quia omnes fideles suos sancti Spiritus participes effecit, particeps effectus suæ illius humanitatis. Unde Apostolus, cum de viro et muliere disputaret, ait : « Sacramentum quidem magnum est : ego autem dico in Christo et Ecclesia (*Ephes.* V). »

Substantia mea non est occultata in inferioribus, sed « imperfectum meum, » id est, completionem corporis mei, quæ futura est in alia vita, quæ nondum est perfecta, « viderunt oculi tui, » id est, solus cognovisti « et omnes » illi qui in æterna vita, licet modo desint, complebunt corpus tuum, vel meum, scilicet, « in libro tuo scribentur, » id est, in æterna memoria tua indelebiliter permanebunt, et æquales erunt, « formabuntur dies » lucentes, id est, cognitionem divinam habentes. Vel, ut alia translatio habet, « formabuntur dii, » vel dei, scilicet a divinitate, quæ formabit eos de tenebris in lucem; vel formabuntur, « et nemo » formabitur « in eis » quia nulli poterunt conferre justitiam; unde Apostolus : Qui enim plantat aut qui rigat nihil est, sed Deus qui incrementum dat (*I Cor.* V). Vel possumus accipere imperfectum, quod adhuc deest corpori Christi, nisi qui de Ecclesia fuerit. Vel si dicatur : imperfectum meum, id est illos qui in hac vita corpus meum perficient, « viderunt oculi tui, » id est, prævidisti : et sicut prævidisti, sic implebis, quia omnes illi quos prævidisti ad illam perfectionem, scribentur in libro tuo, id est, in memoria tua : vel in me ipso, qui sum liber, ad cujus conformitatem scribuntur alii, et nemo in eis; nam nemo dicit : Ego sum Paulinus, vel Petrinus, sed Christianus.

« Mihi autem. » Pars quarta. Illi quos prævidisti scribentur, illi autem qui jam sunt « amici tui, » o « Deus, » velut apostoli, jam « sunt honorificati » et hoc « nimis » id est, valde : et hoc « mihi » id est, ad honorem meum, quia per me est honor et « principatus eorum » id est, potestas, quam super reges terræ habent, « est nimis » id est, valde, « confortatus, » quia adhuc apparet in successoribus Petri, et aliorum apostolorum.

Dico « principatus est confortatus, » et illi non pauci sunt, sed ego « dinumerabo eos, et » illi « multiplicabuntur » numero et virtutibus « super arenam, » scilicet ut multo digniores sint quam sit arena, id est, infructuosi homines : et hæc multiplicatio ex hoc proveniet, quia ego « exsurrexi, et » tamen « adhuc sum tecum, » occultus sicut prius fui, quia nondum est manifesta omnibus mea potestas, quæ tandem in judicio omnibus cognita erit. Nota promissionem factam Abrahæ, hanc, scilicet : Multiplicabo semen tuum super stellas cœli, etc. (*Gen.* XXII *et* XXVI). Per stellas fructificantes intelligimus qui licet numero pauciores sint, plures tamen sunt in virtute et beneficiis Dei : per arenam vero steriles accipimus.

Amici tui sunt honorificati, etc., sed, o « Deus, si occideris, » id est, damnaveris « peccatores, » ita dicens eis : « Viri sanguinum, declinate a me, » per dissimilitudinem, ad quem potestis per solam similitudinem accedere. Vel ita : Vere sum tecum, quia et illos vivifico quos tu vivificas, et illos occido quos tu occidis; et hoc est, « si occideris : » et per hoc notat eum æqualem Patri.

Ideo discedite, « quia dicitis in cogitatione, » hoc scilicet : « Accipiant » Christiani illi, id est, removeant a nobis « civitates suas, » id est, conventiones suas, habitantes « in vanitate, » id est, inaniter, quia nubes et inania colunt.

Si tu ita occideris, et ego occidam; et hoc est : « Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? » id est, gratiam subtrahebam : oderam utique, « et » etiam « super inimicos tuos tabescebam, » id est, deficiebam dolore pro inimicis, quod tuos et tuum nomen impugnabant.

« Perfecto odio oderam illos. » Perfecte odit, qui quod malum est odit, et quod est ex Deo, scilicet creaturam, diligit : et quia sic oderam, sicut inimici tui, ita etiam « inimici facti sunt mihi » me habentes odio. Vel si sit in littera, « accipiant in vanitate civitates, » sic dicamus : Si occideris, Deus, peccatores in peccatis, et convertes ad justitiam, ita dicens obstinatis in malis : « Viri sanguinum, declinate a me, » quia dicitis in cogitatione, id est, murmuratis contra me : si sic occideris, illi occisi sic acci-

piant civitates suas, id est, priores sectas suas in vanitate, quia vana reputabunt quæ prius dilexerunt: tu dicis obstinatis, « Declinate, » et nonne ego eosdem oderam? etc.

Conclusio est ex prædictis, quasi ita dicat: Quandoquidem ita me probasti, et hæc bona inde provenient, ergo, o « Deus, proba me, » id est, probatum ostende per aliquas tentationes; « et scito cor meum » id est, fac cognosci voluntatem meam; et etiam « interroga me, » scilicet per maxima tormenta fac inquiri voluntatem meam, scilicet per quæstiones; « et cognosce semitas meas, » id est, fac cognitas et probabiles, strictiores et occultas vias meas.

« Et » sic « vide, si via iniquitatis in me est, » id est, si in me apparent vestigia diaboli: hoc dicit per simile, quia sicut vestigia serpentis in lapide non apparent, sed in pulvere, ita vestigia diaboli in forti viro, scilicet Christo, non apparuerunt, quantumcunque a diabolo tentaretur; «et» cum videris in me nullam esse iniquitatem, « deduc me in viam æternam, » id est, in æternitatem, quæ per me facta est pervia.

IN PSALMUM CXXXIX.

Titulus : *In finem psalmus David.*

« Eripe me. » Vox prophetæ, vel alicujus justi, non tantum in propria persona sua, sed Ecclesiæ, et dirigit nos in finem. Materia est ipsa Ecclesia, posita inter pericula, et exteriora et interiora. In prima parte precatur liberari a periculis exterioribus, quæ faciunt dæmones tentando, vel per ministros mala inferendo, et etiam linguis hæreticorum. In secunda, quæ incipit : « Dixi Domino : Deus meus es tu, » precatur liberari ab interioribus periculis, scilicet a desiderio interiori, scilicet ne fomes peccatis instigatus aspiratione diaboli, possit sibi dominari. In tertia, quæ incipit : « Caput circuitus eorum » enuntiat damnationem eorum qui Ecclesiam persequuntur, et remunerationem eorum qui patienter sustinent mala ipsorum : et per hoc intendit nos admonere ad fortitudinem, scilicet ut virili animo et exterius et interius tentationibus resistamus : per hoc securi, quod cum vultu Domini habitabimus.

Et antequam ponat pericula, petit liberationem, sic dicens : « Eripe me, Domine, » id est, fac cessare mala, « ab homine malo, » id est, diabolo, quem dicit hominem, quia, cum ipse esset creatus spiritus, fecit se humum lutulentam per pravas concupiscentias : etiam « a viro iniquo, » id est, homine ministro diaboli, qui dicitur iniquus, quia peccat sine causa in proximum : virum ideo dicit, quia hi tales sunt potentes et fortes in hoc sæculo : a tali viro « Eripe me, » id est, fac mala cessare quæ ipsi mihi faciunt.

Ostendit exteriora pericula, a quibus petiit liberari; quasi dicat : Ideo necesse est ut eripias, quia homo malus et vir iniquus cogitavit adversum me; « qui » perficiunt quæ « cogitaverunt in corde, » id est, cum magna cura inquisierunt « iniquitates : » et non tantum cogitaverunt, sed etiam « constituebant prælia » contra me, et hoc « tota die, » id est, assidue, quia nunquam est Ecclesia sine impugnatione diaboli et ministrorum ejus.

Ostendit quæ prælia, quia hæretici pravis sententiis suis Ecclesiam persequuntur; inde dicit : « Acuerunt linguas suas sicut serpentes, » scilicet, acutas et exquisitas sententias sibi præparaverunt, unde possent cito transfigere corda auditorum, sicut serpentes per linguam virus mittentes, quia venenosa et nociva erant verba eorum, sicut morsus serpentis : nec mirum si verba erant venenata, quia « sub labiis, » id est, sub linguis « eorum, » scilicet in cordibus eorum : quæ dicuntur sub linguis, quia quæ in cordibus latent, per linguas manifestantur : erat « venenum, » id est, odium et invidia contra Ecclesiam, « aspidum, » id est, incurabile, quia non poterat abstrahi ab eis per prædicatores Dei, sicut nec venenum ab aspide per incantatores.

Dico « eripe, » ut cessent mala : interim autem dum imittuntur mala, « custodi me de manu, » id est, de potestate « peccatoris, » id est, diaboli, qui est causa totius peccati : « Et ab hominibus iniquis eripe me, Domine, » ut cessent mala quæ mihi faciunt.

« Qui » homines iniqui « cogitaverunt supplantare gressus meos, » id est, bona opera mea, quasi facerent foveam in via in quam me præcipitarent. Supplantat hæreticus gressum, quando alicui habenti rectum sensum Scripturæ apponit intellectum suum pravum, et in eum fidelem inducit. Etiam « superbi, » velut hæretici, qui de se præsumunt et per se justificari se intelligunt, « absconderunt, » id est, latenter paraverunt « laqueum mihi, » id est, latentem deceptionem.

Dico « absconderunt laqueum, » et illum multiplicem et fortem fecerunt; hoc dicit : « et funes, » id est, tortuosas sententias et sibi invicem connexas, quibus firmiter ligarent aliquos quasi funibus, « extenderunt, » id est, extense et multipliciter paraverunt, ut si aliquam sententiam eorum evitarem, inde inciderem in alias : « Extenderunt, » dico, « in laqueum » ut per funes illos illaquearent me, et hoc « juxta iter, » non in via, scilicet, si fidelem possunt declinare a recta via, tunc possunt illaqueare : sed dum est in via, non comprehenditur a laqueis illorum. Et cum non potuerunt me illaqueare occultis persuasionibus, « posuerunt scandalum mihi, » id est, manifestam impugnationem, qua me sibi conformarent : et hoc quoque juxta iter, quia nulla impugnatio potest nocere justo, dum recta via incedit.

« Dixi Domino. » Pars secunda. Hic est diapsalmus : Et quia inter tot pericula me conservasti, ideo « dixi Domino, » id est, sic oravi ad Dominum, quia « Deus meus es tu, » id est, quem ego mihi facio familiarem : ideo « exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ » contra interna pericula, de quibus dicturus est.

Dico « exaudi, » et, o « Domine, Domine, » magnum declarat ingeminando suum affectum, quia tu es « virtus, » id est qui mihi dedisti virtutem contra

extranea pericula : « Virtus » dico « salutis meæ, » A id est, quæ me fecit salvum a suprapositis periculis, quia tu « obumbrasti, » id est, obumbrationem tuam, ne aliquem æstum sentiret, posuisti « super caput meum, » id est, Christum, et hoc « in die belli, » hoc est, in die passionis, in quo ipse cum diabolo pugnavit : quo devicto, genus humanum liberavit.

Et quia beneficia jam mihi prærogasti, ideo, o « Domine, ne tradas me peccatori, » id est diabolo, a desiderio meo, id est quod non tantum accendatur suggestione diaboli fomes peccati, qui adhuc in carne nostra est, ut per hoc tradamur in dominium diaboli : ideo opus est precari « ne tradas, » quia « contra me cogitaverunt; » diaboli et ministri ejus ; sed tu, Domine, « ne derelinquas me, » subtrahendo gratiam, « ne forte exaltentur » et glorientur, si me potue- B runt sibi conformare.

« Caput. » Pars tertia. Diapsalmus. Nec dignum est quod ipsi exaltentur, quia et « caput eorum, » id est diabolus, « est circuitus, » qui nunquam recte incedit, sed semper circumeundo : et « labor labiorum ipsorum, » id est mendacium, ad quod componendum est laborandum : qui enim verum dicit, non laborat; veritas per seipsam se ostendit credibilem : labor ipse operiet eos, id est involvet et illaqueabit eos. Vel, ne tradas me peccatori, separatum a bono desiderio meo, quo desiderio ad te pervenire volo.

Et quia tales sunt, ideo « cadent super eos, » id est conterent ipsos « carbones, » id est ardores mali concupiscentiarum, et tandem « dejicies eos in ignem » æternum; et hi tales positi « in miseriis » veluti in C igne præcedente faciem judicis, « non subsistent » quia involventur illo igne, et inducentur in tenebras æternas : justi vero increpati per illum ignem transibunt.

Item ponit causam damnationis eorum commixtim et damnationem ; quasi diceret : Ideo non subsistent, quia linguosi sunt, et « vir linguosus, » id est qui inconsiderate loquitur, non attendens quid dicat, « non dirigetur » ad bona opera ; unde Salomon in Parabolis : « In multiloquio non deerit peccatum (*Prov.* x); » « in terra, » id est in hac vita, saltem « virum injustum mala capient in interitu, » id est in fine.

Bene dico quod mala capient eos, quoniam ego per Spiritum sanctum « cognovi » quod Dominus faciet D judicium, id est renumerationem justo judicio suo « inopis, » veri, « et » faciet « vindictam pauperum, » quia damnabit eos qui suos pauperes persequuntur.

Mali in hac vita persequuntur pauperes, « verumtamen » per medias eorum tribulationes « justi confitebuntur nomini tuo, » id est laudabunt te, « et » ideo ipsi « recti habitabunt » æternaliter « cum vultu tuo, » id est in præsentia tua, videntes te facie ad faciem, et cognoscentes sicut et cogniti sunt.

IN PSALMUM CXL.

TITULUS : *Psalmus David.*

« Domine, clamavi. » In hoc quoque psalmo propheta vel alius justus de se et aliis justis loquitur, et sunt materia ipsi justi, in periculis clamantes ad Dominum. In prima parte clamat ad Dominum, ne male cogitet : vel et si male cogitet, quod cogitationes suæ non prorumpant in verba : vel si male etiam loquatur, ne suam defendat malitiam, ad quod videt se pronum non tantum ex natura carnis, sed etiam ex malorum consortio, qui hæc omnia faciunt : qui et male cogitantes, mala loquuntur, et suam defendunt malitiam. In secunda parte, quæ incipit : « Corripiet me justus, » ostendit se potius eligere correctiones justorum quam oleum, id est adulationem peccatoris : ostendens etiam quod cum mali non possunt per dolum proficere, faciunt etiam manifestas persecutiones : et contra hoc ponit suam deprecationem. Intentio est, ut in tribulatione solum divinum B auxilium eligamus refugium.

Quasi ita diceret : Vos positi in tribulatione, solum divinum vobis sumite auxilium, exemplo mei, quia ego in tribulatione, o « Domine, » semper « clamavi ad te; » et ideo « exaudi me » clamavi et clamabo, et cum clamavero ad te, « intende voci meæ. » Dicendo clamavi et clamabo, notat assiduitatem orationis.

Dico « intende, » et per illam intentionem « dirigatur oratio mea in conspectu tuo, sicut incensum, » quod positum super ignem, reddit bonum odorem, ita oratio mea incensa igne compunctionis, placeat tibi, et sit « sacrificium vespertinum, » id est in fine vitæ meæ : nec qualecunque sacrificium, sed « elevatio manuum, » id est directio « mearum » bonarum operationum.

Dico « clamavi, » et tu, « Domine, » placatus per hanc elevationem manuum, « pone custodiam ori meo, » id est cordi meo, ne male cogitem. Os ideo cor dicitur, quia sicut os hiat ad refectionem, ita cor inhiat et desiderat refici divina gratia ; « et ostium circumstantiæ, » quod circumstet, quod obstruat labia ne malum loquantur, pone « labiis meis. »

Et etiamsi prorumpunt verba illicita aliquando, « non declines cor meum in verba malitiæ; » et quam malitiam intelligat, determinat, scilicet « ad excusationes » faciendas « in peccatis » ut peccata excusem : et quia sæpe videt multiplices dari excusationes, addit, « ad excusandas » excusationes. In veteri lege fiebant matutina et vespertina sacrificia, sed vespertina dicebantur magis Deo placere, mystice tamen : nam per matutinum significatur nostrum sacrificium, factum in adventu Christi : per immolationem agni ad vesperam, significatur Christi immolatio in fine temporum. Eodem modo hæc dicuntur matutina sacrificia, id est bona opera in juventute facta : vespertina vero, bona opera in fine.

Quod si hoc fecero, ero « cum hominibus operantibus iniquitatem, » id est unus de illis qui excusant peccata sua : « Sed combinabor » ponit Hieronymus : sed non communicabo cum hominibus operantibus iniquitatem : et non tantum cum minoribus, « sed et non communicabo cum electis eorum, » id est cum potentioribus et prælatis in malitia, ut per eorum

consortium excusem peccata mea, sicut et ipsi faciunt.

« Corripiet me. » Pars secunda. Non communicabo cum illis, sed potius « corripiet me justus, et increpabit me. » Corripere, quantum ad hoc quod leviter desistet : increpare, quantum ad hoc quod multis comminationibus opus est : Unde Apostolus : « Argue opportune, importune (*I Tim.* IV). » Et iterum : « Argue, increpa, obsecra. » Increpa dico « in misericordia, » pia affectione, ut removeat a malo proposito : justus corripiet, « oleum autem peccatoris, » id est adulatio vel blanditiæ, quæ mulcent et ungunt sicut oleum, « non impinguet caput meum, » id est non faciet aliquam elationem in mente mea.

Ideo opus est ut justus corripiat, et oleum non impinguat, quia adhuc habeo de peccato aliquid; et hoc est : « quoniam et adhuc oratio mea in beneplacitis eorum » peccatorum, quia adhuc placent mihi, quæ etiam ipsis placent, sicut hæc terrena : ideo dico « oleum peccatorum non impinguet, » quia « judices eorum » peccatorum, id est, sapientes « juncti petræ, » id est, Christo, et fundati super eum, non ut rectam fidem habeant : sed quodammodo dicunt bonum de ipso, non ut diligant eum, sed ut alios decipiant, sicut hæretici. Alia translatio habet, « juxta petram, et hi tales absorpti sunt, » id est, positi in vitiis profundissimis.

Oleum eorum non impinguet caput meum, sed ipsi potius « audient verba mea, » id est, prædicationem meam : quæ sunt audienda, « quoniam potuerunt, » id est, vera sunt; sed quamvis audierunt, tamen nihil profuit illis, quia « sicut crassitudo terræ erupta est super terram, » id est, crassitudo exiens de terra corrumpit aerem, et immittit cladem hominibus, sic « dissipata sunt ossa nostra » ab illis, id est, fortiores de Ecclesia, scilicet, martyres. « Dissipata » dico, « secus infernum, » id est, ad modum eorum qui reputantur digni inferno, sed « quia ad te, Domine, Domine, oculi mei » sunt : et quia « in te speravi, » ideo « non auferas » a me « animam meam, » id est, quidquid sit de corpore, ne permittas auferri ab eis animam meam.

Sed potius « custodi me a laqueo, » id est, adulatione, et aliis occultis insidiis, « quem » laqueum ipsi « mihi statuerunt » ut me illaquearent, « et ab scandalis, » id est, a manifestis persecutionibus, « operantium iniquitatem. »

Me quidem custodies, « peccatores » autem « cadent in retiaculo ejus » iniquitatis, qui per suam iniquitatem illaqueantur, et irretiti erunt, « ego » autem « singulariter sum, » id est, incombinatus, non conjunctus illis, donec transeam de hac vita.

IN PSALMUM CXLI.

TITULUS : *Intellectus David cum esset in spelunca, oratio.*

« Voce mea. » Ex historia mittit nos ad allegoriam, scilicet quod sicut David fugiens Saul, latens in spelunca, oravit (*I Reg.* XXIV), carnem mortalem per A speluncam figuramus, quia quasi indigna habitatio Divinitatis erat, ut ab historia nos removeat, ponit intellectum. Ac si diceret : Psalmus iste dicitur « intellectus, « id est, quoddam secretum continens scilicet non de historia agens, sed de significato. Qui psalmus David est oratio, id est, ipsius Christi : oratio dico habita, cum ipse Christus esset in spelunca, id est, in carne mortali. Hic psalmus ideo dicitur « oratio, » quia quidquid continet, vel oratio est, vel causa orationis inducitur, et per hunc psalmum ad orandum informamur. Materia est Christus, orans in tempore fragilitatis suæ. In prima parte ponit orationem, et illud contra quod erat, scilicet dolos Judæorum. In secunda, quæ incipit : « Clamavi ad te, Domine, » ponit item orationem B suam ad Patrem, et petit ut anima sua ab inferno eripiatur, in quo pendet omnis exspectatio fidelium. Intentio est, nos exemplo sui informare ad orandum.

Quasi diceret Christus qui hic loquitur : Fratres, inter mala hujus vitæ positi, nolite cessare ab oratione, exemplo mei instructi, qui positus in spelunca fragilis carnis, « clamavi ad » Patrem « Dominum, » et hoc « voce mea, » quia non dissentiunt opera mea ab oratione : quia quod voce rogat, comprobat opere dignum esse ut sibi fiat. Dico « clamavi, » et non ad horam, sed ad Dominum « deprecatus sum, » id est, assidue oro, et hoc « voce mea. »

Dico « clamavi, » et adhuc « effundo, » id est, cum magna copia profero, « orationem meam » mansuram « in conspectu ejus, » id est, in beneplacito ipC sius « et » etiam « tribulationem meam pronuntio, » ita quod sit « ante ipsum » Deum, id est in beneplacito ipsius.

Dico « effundo orationem, » et hoc cum omni humilitate : hoc dicit « in deficiendo, » id est, in derelinquendo « spiritum meum, » non dico a Deo datum, imo qui « ex me » est, id est, ex natura humanitatis, qui nunquam bonus est, sed semper aliquam movet elationem : sed quia sic dereliqui spiritum illum, ideo « tu, » Domine, « cognovisti, » id est, approbasti « semitas meas, » id est, operationes meas.

Posita oratione, ponit illud contra quod orabat; quasi dicat : Ego sic oravi, et in tanta humilitate, D et « in hac via in qua ambulabam, absconderunt superbi, » scilicet Judæi, « laqueum mihi, » id est, occultam mortem, et quæcunque occulta mala.

Ipsi quæsierunt mihi mortem inferre, et tunc ego « considerabam ad dexteram, » id est, in potiorem partem, scilicet discipulorum, « et videbam » eos « et non erat » inter eos, « qui cognosceret me » Deum esse, cum prius dixisset ei Petrus : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI). » Item : « Si oportuerit me mori tecum, non te negabo (*Matth.* XXVI); » et significat hic tempus illud suæ passionis, quando apostoli abierunt retro, relicto eo (*Ibid.*).

Illi non cognoverunt me, sed fugierunt « a me, » vero. « Periit fuga, » id est, non fugi, sed potius promisi me in mortem dari pro liberatione aliorum :

« et non est » tunc inventus aliquis « qui requirat animam meam, » id est, qui vellet passionem meam imitari.

« Clamavi ad te, Domine. » Pars secunda. Ab aliis auxilium non habui, sed cognoscens te unicum meum refugium, « clamavi ad te, Domine » Pater, omni devotione. Dixi, Tu es spes mea, » veluti cum in cruce dixit : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.*, XXIII). » Magnam nobis commendat Christus suam humilitatem qui semper ad Deum Patrem clamavit : ei suum commendat spiritum, cum sibi haberet eamdem unitam divinitatem, ad quam clamaret, cui spiritum posset commendare : et in hac humilitate nos voluit sibi conformare, ut nihil in nobis confidamus, sed omnia a Deo exspectemus. Dixi, Tu es spes mea, et dixi, Tu es « portio mea in terra viventium, » quasi unus quæro esse de illis qui vivent in cœlesti terra.

Dixi, Tu es spes mea, et tu, Domine, in quem spero, « intende ad deprecationem meam, » de remotione malorum factam, « quia humiliatus sum nimis, » quia exinanivi meipsum, formam servi accipiens (*Philip.* II).

Sic quidem intende, « libera me a persequentibus me, » et opus est « quia confortati sunt super me, » quantum ad corpus, quod permissum est eis a Deo in mortem dare.

Ita, dico, « libera me, » scilicet « educ animam meam de custodia, » id est, de inferno, ubi animæ illorum fidelium a diabolo retinentur et custodiuntur. « Educ » dico, « ad confitendum nomini tuo, » id est, de mea eductione laudetur nomen tuum, et a me et ab aliis liberatis per me : et necesse est ut educas, quoniam « me exspectant justi » liberatorem suum, « donec retribuas mihi, » dando resurrectionem pro mea obedientia. Alia translatio habet, « educ de carcere. »

IN PSALMUM CXLII.

TITULUS : *Psalmus David, cum persequebatur eum filius suus Absalon.*

« Domine, exaudi orationem meam. » Psalmus iste convenit David, id est cuique vero pœnitenti; factus quando filius ejus, id est carnalis motus, et alius quilibet malus actus, quos sibi homo per suam culpam genuit, persequebatur eum, id est, affligebat multis angustiis, et ejiciebat eum de regno, id est de illa dignitate in qua homo creatus est, sicut Absalon persecutus patrem suum fuit, et de regno ejecit. Materia est hic verus pœnitens : et sicut in aliis pœnitentialibus, ita etiam hic bonum finem ostendit pœnitentis. In prima parte ponit orationem concessivam, non excusando culpam suam, et narrat suas miserias, ut judicem ad misericordiam commoveat. Ostendit etiam se bene ad ipsum judicem conversum, ut sic dignus videatur, super quem judex pia affectione moveatur. In secunda, quæ incipit : « Velociter exaudi me, » precatur cito exaudiri, et in viam rectam deduci, et affirmat quod sic fiet sibi. Et hic psalmus est unus de septem pœnitentialibus, qui numerus aliquid nobis notat: sed quia cum sint septem dies, per quos universum tempus agitur, sic septem psalmi pœnitentiales per singulos dies nobis necessariam esse pœnitentiam ostendunt. Intentio est nos ad pœnitentiam invitare exemplo sui.

Quasi diceret : Dum superbus fui, et peccare mihi placuit, non fuit justum ut me exaudires, sed quia jam doleo de peccatis, et deinde cessare studeo, ideo, « Domine, exaudi orationem meam et obsecrationem meam, » id est, obsecrationem per crucem, et per nativitatem, et similia, quæ quidem facienda est, ubi magna incumbit necessitas : illam misericordiam, obsecrationem non dicam exaudi, sed « auribus percipe, » id est, diligenter attende : et hoc « in veritate tua, » id est, ut verus appareas in promissis, quia promisisti exauditurum illum qui se humiliaverit, dicens : Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (*Zach.* I); et hoc est : « Exaudi me in tua justitia, » id est, hoc exigit tua justitia ut promissa tua compleas : bene dicit « in tua justitia, » quia intelligit justitiam Dei semper in misericordia esse.

Dico « exaudi, et non intres in judicium cum servo tuo, » id est,ut secundum merita me non judices, « quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, » quia respectu tui nullus invenitur justus, neque propheta, neque apostolus, neque angelus etiam.

Ideo precor ut non intres in judicium, « quia inimicus, » id est, filius meus, scilicet carnalis motus, « est persecutus, » prave suggerendo, « animam meam, » id est, rationem meam, et « humiliavit, » id est, depressit, « vitam meam in terra, » id est, ut terrenis ipsa anima adhæreret : et etiam « collocavit me in obscuris, » id est, in profunditate vitiorum, « sicut mortuos sæculi, » id est, quoslibet infideles, quos peccatis irretitos prorsus sæculum possidet : « et » ideo « spiritus meus anxiatus est super me, » id est, de me, hoc est, compunctionem et dolorem habui de peccatis meis, et « cor meum, » id est, ratio mea, « conturbatum est in me, » quia ex me nesciebam quomodo de hac captivitate possem exire.

Et in hac turbatione « memor fui dierum antiquorum, » id est, in quibus aliis pœnitentibus misericordiam exhibuisti, « meditatus sum in omnibus operibus tuis, » id est, omnia opera tua reduxi in meditationem, ut ex eis mihi pararem aliquam consolationem, « et in factis » quæ dicuntur, « manuum tuarum, » scilicet, in factis quæ misericorditer fecisti antiquis, Abrahæ et Israelitico populo, et aliis justis, faciens et mihi, cum me tibi humiliarem, et in hujusmodi factis, « meditabar. »

Et non tantum « meditabar, » sed etiam « expandi, » id est, elevavi, « manus meas, » id est operationes meas, non ad visum hominum, id est, non ad favorem populi, sed « ad te » obtinendum. Quid plura? « Anima mea sicut terra sine aqua tibi, »

quia sicut terra sine aqua hiat, et desiderat infusionem aquæ, ita anima infusionem spiritualis gratiæ: et per hoc ostendit se dignum cui parcat judex.

« Velociter. » Pars secunda. Quia ita sitivit anima mea, et quia sic expandi, ideo, o « Domine, velociter exaudi me: » et debes facere, quia « defecit spiritus meus, » scilicet ille spiritus qui ex homine est, scilicet spiritus superbiæ.

Et quia defecit spiritus præsumptionis, scilicet quia me humilio tibi, ideo « ne avertas faciem tuam a me, » id est, cognitionem tuam atque præsentiam: et si averteris faciem, nulla distantia erit inter me humilem, « et » alios superbos: sed potius « ero similis » illis superbis « descendentibus in lacum, » id est, in profundum inferni.

Non avertas, dico, sed potius « fac mihi auditam misericordiam tuam, » id est pie auditam sententiam tuam de remissione peccatorum, et hoc « mane, » id est, in principio meæ illuminationis et compunctionis: audiunt quidam misericordiam, sicut David per Nathan prophetam de adulterio condonato (*II Reg.* XII): alii per angelum, alii per puritatem suæ conscientiæ, se suorum peccatorum habere remissionem intelligunt: ideo auditam fac misericordiam, « quia in te speravi. »

Et per auditam misericordiam « notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. »

Et cum in via ambulavero, si aliqui inimici venerint, qui me velint impedire, tu, « Domine, eripe me de inimicis meis, » quia ego « confugi » non ad aliquod humanum refugium, sed « ad te » ideo « doce me facere voluntatem tuam, » quod debes facere, « quia Deus meus es tu, » cui familiarem me facio.

Dico « eripe, notam fac viam, » et facies, quia « spiritus tuus bonus deducet me, » per semitas justitiæ, « in terram rectam, » id est, in terram viventium, quam soli recti possidebunt; et interim « vivificabis me » ad explenda mandata tua « propter nomen tuum, Domine, » quia Jesus diceris, id est, salutaris, quia non pro meritis, sed pro misericordia tua: et hoc « in æquitate tua » quia hoc exigit æquitas tua, ut vivifices et deducas illum, qui se tibi humiliat.

Vivificabis me, et « educes animam meam de tribulatione, » id est, de suggestione peccatorum, « et in misericordia tua disperdes » omnes « inimicos meos, » id est, illicitos motus, qui in me insurgunt.

« Disperdes, » ut jam contra me non insurgant, « et omnes qui tribulant animam meam, » tam malos homines, quam dæmones, « perdes » tandem, « quoniam ego servus tuus sum. »

IN PSALMUM CXLIII.

TITULUS : *Psalmus David adversus Goliam.*

« Benedictus. » Psalmus iste convenit David prophetæ, qui hic loquitur, habitus adversus Goliam, id est diabolum. Loquitur enim psalmus de victoria quam fecit Christus de diabolo, per quam victoriam sancta Ecclesia de potestate inimici eripitur: et hanc Christi victoriam intelligit significari David a sua victoria, quam ipse habuit de Golia. Materia est ipsa Christi victoria, per quam facta est ipsa liberatio nostra. In prima parte gratias agit de sua victoria, quam tamen inducit gratia significatæ victoriæ Christi, et petit ut incarnetur et veniat ille qui devincet Goliam et nos de potestate ipsius Goliæ liberet. In secunda, quæ incipit: « Deus, canticum novum cantabo tibi, » dicit Propheta tam in persona sui, quam in persona omnium liberatorum, quod ipse cantabit Domino et in Novo et in Veteri Testamento, pro liberatione quam fecit ei Dominus et suis similibus de diabolo et malis hominibus, et multam describit eorum malitiam. Intendit nos invitare ut Domino gratias referamus de victoria nostræ liberationis, sicut ipse propheta gratias agit, et de sua propria victoria de Golia, et maxime de victoria Christi, per quam propheta scipsum cum aliis justis liberari intelligit. Hunc psalmum ultimum ponit de omnibus illis in quibus per historias aliquid significabat, vel ubi ad patientiam vel ad cæteras similes virtutes admonebat. Cæteri vero sequentes septem laudes David dicuntur, ideo quia hic ponit victoriam nostræ liberationis: per hoc innuens, quod si quis cætera in aliis psalmis præmonita bene custodierit, in hac victoria Christi, de Golia liberationem inveniet.

Ac si alios invitaret, dicens: Fratres, si vos a diabolo liberati estis, nolite vobis ascribere, sed in Domino gratias agite, et hoc exemplo mei, qui nihil per me contra Goliam, sed omnia per Dominum egi, et inde sit « benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas, » id est, operationes, « ad prælium »: per me enim nescissem contra Goliam præliari. « Et digitos meos, » id est, consilia mea, docet « ad bellum. » Ideo per digitos volunt intelligi consilia, quia sicut digiti de manu procedunt, ita de corde consilia, quasi quadam ratione exeunt. Docuit enim Deus consilium bonum, veluti quando eminus contra Goliam pugnaret, item quando docuit eum ut fundam secum portaret, et in hoc quod lapillos electos secum portaret in pera pastorali.

Ponit item alia Dei beneficia, ad cumulationem gratiarum actionis, quasi ita diceret: Ideo sit benedictus et exaltatus Deus, quia « docet manus: » item quia ipse est misericordia mea; quia longum esset enumerare omnia quæ sibi fecit, paucis verbis multa Dei beneficia comprehendit, sic: « misericordia mea, » id est qui mihi fecit misericordiam: hanc vult intelligi misericordiam, quia elegit de omnibus fratribus eum, qui longe videbantur digniores, et fecit eum inungi in regem (*I Reg.* XVI). Prima unctio facta est in domo patris sui Isai a Samuele, sub specie futuri regni: « et » ipse Deus est « refugium meum » ad quem refugi, deponens arma omnia, quibus fueram indutus: ne in congressu suffocarer a Golia, ut tanto pondere armorum pressus, consi-

lium aliter pugnandi apud Deum inveni : per quem securus fui contra Goliam : « susceptor meus, » quia ipse Deus in tanta dignitate me suscepit, quod cum essem pastor quidam, homo parvi generis, fecit me generum Saulis, « et » quasi parem ipsi regi : « liberator meus » quia ab omni persecutione Saulis me liberavit.

« Protector meus, » qui omnem impugnationem ipsius Saulis cessare fecit, veluti in morte Saulis. « Et » hoc ideo fecit, quia « in eo speravi, » id est omnem spem meam in ipso collocavi, « qui subdit populum meum, » id est de quo ego unus eram, scilicet Israeliticum, « sub me, quia me regem eorum constituit. »

Ostendit quod ipse his prædictis beneficiis indignus erat, et pariter omnis homo liberatione, quam ponit factam ex victoria Christi. Continuatio : Hæc omnia beneficia mihi fecisti, sed ego his omnibus eram indignus : et, o « Domine, quid est, » id est quam vilis est res « homo » cui tam mirabile quod fecisti, « quia innotuisti ei : » innotuit Deus hominibus per propriam præsentiam in adventu Christi : innotuit prius David interna prævisione, quid, id est quam chara et pretiosa res est homo : et hoc ideo, quia innotuisti ei per assumptam humanitatem, qui per se vilissimus erat : dico quid est homo, « aut Filius hominis, » id est quantæ dignitatis, qui per se nihil penitus : et hoc ideo : « quia reputas eum, » id est magni pretii facis, quia participem facis æternæ beatitudinis. Cum dicit homo, intelligit primum parentem, hominem, qui non carnali concupiscentia creatus fuit, quia Deus de limo terræ eum formavit (*Gen.* I). Cum autem dicit, « Filius hominis, » vilitatem omnis generationis ostendit; ac si diceret : Qualiscumque esset homo, vel in carnali concupiscentia natus, vel non, per se nihil erat.

Ideo dico quid est « homo » quia « similis factus est vanitati, » id est levi, vanæ, et cito transitoriæ rei : factus ideo dicit, quia creatus fuit in perfectione et stabilitate, sed ipse violans obedientiam, fecit seipsum vanum, mortalem et transitorium, et de malis suis non incusat creatorem : bene dico « vanitati, » quia umbræ similis factus est; et hoc dicit : « dies ejus sicut umbra prætereunt. »

Modo ostendit quomodo Deus, qui erat tantæ dignitatis, innotuit, quia descendit, et carnem nostram assumpsit. Continuatio : Homo vanitati similis factus est, sed tu, « Domine, » verbum, « inclina cœlos tuos, » id est humilia cœlestia, veluti angelos sanctos, quos Deus humiliavit, cum humanitatem nostram eis præfecit, et eos qui prius erant soliti adorari ab hominibus, fecit servitores hominum : « inclina » dico, « et descende, » id est, carnem nostram tibi adjunge : de quo descensu Apostolus ait : « Cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens (*Philip.* II) : » Descende dico, et sic « tange montes, » id est potentes et superbos hujus vitæ; aspira interius, « et fumigabunt, » id est, gemitus magnos et lacrymas ex igne piæ compunctionis emittent.

Dico « descende, » et etiam « coruscationem, » id est, dicta prophetarum, et aliam divinam Scripturam, quæ in seipsa est lucens et coruscans « fulgura » vel fulgora, utrumque enim dicitur, id est, manifesta, « et » per hoc « eos, » id est, montes prædictos « dissipabis, » id est, a massa perditorum separabis, quia aliqui ex illis salvabuntur. « Emitte sagittas tuas, » id est apostolos tuos, qui corda hominum transfigunt amore Dei, « et conturbabis eos » montes ad bonum, quia movebuntur ad pœnitentiam.

Convertit se ad Patrem. Tu, Domine Fili, dico « descende, » et tu, Domine Pater « emitte manum tuam, » id est Filium tuum, per quem tu omnia operaris, « de alto, » id est de sublimitate in qua es, et « eripe me » de potestate diaboli, « et libera me de aquis multis, » id est de inundantia malorum, « et de manu, » id est de potestate « alienorum filiorum : » alieni dicuntur a nobis filii diaboli. Ideo opus est ut eripias ab eis, quoniam ipsi sunt, « quorum os locutum est vanitatem, » scilicet quamlibet contra divinam sententiam : « et dextera eorum, » id est operatio eorum, quæ melior videtur eis, est « dextera iniquitatis. »

« Deus, canticum novum. » Pars secunda. Dico « eripe, » et si hoc feceris, « cantabo tibi canticum novum, » id est annuntiabo per baptismum peccata remitti, veramque esse refectionem corpus et sanguinem Christi, et cætera quæ pertinent ad Novum Testamentum : et etiam « psallam tibi, » id est bene operabor « in psalterio, » id est in spirituali operatione de superioribus resonante : Psalterio dico « decachordo, » id est decem chordis resonante, decem scilicet præcepta legis adimplente.

Tibi dico, « qui das salutem regibus, » id est, remissionem peccatorum, scilicet fidelibus, qui bene regunt seipsos : tu dico, « qui » inter alios reges « redemisti » me « David servum tuum de gladio maligno, » id est de potestate diaboli, vel de hæretica persuasione. Vel per David ipsum Christum possumus accipere : qui pretium sanguinis sui a mortalitate atque passibilitate redemptus est : et tu qui pretium dedisti pro nobis, « eripe me » de illo eodem gladio maligno, id est de potestate diaboli, qui dicitur gladius, quia malos a bonorum societate discernit.

« Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis. »

« Quorum filii. » Hic describit malitiam eorum, quorum in hoc « dextera eorum, dextera iniquitatis, » quia illum solum judicant beatum, qui abundat his bonis temporalibus. Possumus tamen sic allegorice legere : « Filii quorum, » id est discipuli, sunt « sicut plantationes, » quia firmiter adhærent sententiis magistrorum : « novellæ » quia non reci-

piunt fidem patriarcharum et prophetarum, sed in suis hæresibus novellas sequuntur sectas, et ipsi tales semper perseverant « in juventute sua, » quia ad antiquitatem veritatis priorum patrum nunquam redeunt, sed semper novas sectas sequuntur, et inveniunt alias novas.

« Filiæ eorum, » id est cogitationes et prædicationes eorum, quas ex seipsis generant : quas ideo vocat filias, quia sunt instabiles, nec habent radicem veritatis : hæ tales filiæ sunt « compositæ, » id est, artificiose inventæ et factæ :. et etiam « circumornatæ » quia undique rhetoricis coloribus sunt stipatæ, et aliis artibus, « ut similitudo templi, » ut sint similes templo, id est habitationi Dei : similes ideo bene dicit, quia ipsi non sunt habitatio Dei.

« Promptuaria eorum, » id est corda eorum, de quibus ipsi promunt malas sententias, sunt « plena, » id est redundantia multis malis artibus, « et eructantia, » quia ex nimia plenitudine proferunt sententias ; sed illæ sunt instabiles, quia si impugnentur ab aliquo, illi fugiunt « ex hoc in illud, » id est, ex ista ratione ad aliam, et item in aliam, et sic instabiliter per multas faciunt diverticula rationes.

Et opus est ut me liberes ab eis, ideo, quia « oves eorum, » id est, inferiores et minus sapientes, sunt « fetosæ, » quia multos statim habent discipulos, quia nullus adeo infirmus inter eos, qui non statim haberet multos sequaces : sed illi tales sunt « abundantes in egressibus suis, » quia quanto magis in hæresibus suis multiplicantur, tanto a consortio sanctæ Ecclesiæ semoventur « boves eorum, » id est fortiores et magistri aliorum, sunt « crassæ » id est, temporalibus desideriis impinguatæ.

« Maceriæ, » scilicet alicujus artis, vel munitionis eorum « non est ruina » quantum ad opinionem eorum, qui non æstimant, ut aliquo modo eorum rationum valeat firmitas impugnari, « neque transitus » iterum quantum ad eos « neque clamor » verbi Dei est « in plateis, » id est in latis desideriis « eorum. »

Quia enim per latum hujus sæculi desiderium defluunt, non resonat inter eos verbum divinum, sed potius « dixerunt beatum populum cui hæc sunt » quæ prædicta sunt, scilicet quæ habent tales filii omnes, etc. Ipsi hujusmodi populum dicunt beatum, sed ego qui veram teneo sententiam, dico ex mea parte, quia « populus » ille est « beatus, cujus » est « Dominus » ille qui est « Deus ejus » id est, qui creatorem suum elegit sibi Dominum cui serviat. Cum dicit ad litteram, oves eorum sunt fetosæ, ut eorum notet stultitiam, subdit : abundantes in egressibus suis, id est non sunt stabiles hujusmodi oves, sed cito egrediuntur de vita, id est omnes hujusmodi divitiæ instabiles sunt.

IN PSALMUM CXLIV.

TITULUS : *Laudatio ipsi David.*

« Exaltabo te. » Hic laudatur ipse David, id est Christus, a Prophetа qui loquitur, et ipsa laus Christi est materia. Modus : In prima parte dicit se laudaturum Deum. In secunda ponit novem modos, quibus laudet eum, quæ incipit : « Generatio laudabit opera tua. » In tertia, quæ incipit : « Miserator et misericors Dominus, » explanat modos illos, respondens illis singulis modis laudis. Intendit invitare ad laudem Dei, exemplo sui. Hos septem psalmos, qui sequuntur, continue ponit de laude Dei, innuens per hunc numerum, qui est par numero dierum, per quos totum tempus volvitur, ut in singulis diebus laudem Domino dicamus.

Quasi ita alios invitaret : Laudate Dominum exemplo mei, quia ego « exaltabo te, Deus meus rex, » secundum essentiam annuntiabo aliis dignitatem tuæ essentiæ, in quantum potero eam notificare, « et benedicam nomini tuo, » id est magnificabo nomen tuum, et hoc « in sæculum » præsens, « et in sæculum » subsecutivum hujus « sæculi » in quo sancti maxime Deum laudant : et sicut monuit nos orare, monet et nos laudare.

Et hoc non semel in vita, sed « per singulos dies benedicam tibi » secundum essentiam, « et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi » quod ideo faciendum est, quia ipse « Dominus » est « magnus » secundum potentiam « et laudabilis » secundum opera et beneficia, quæ facit fidelibus suis : et hoc nimis quia nullus satis digne potest laudare Deum : « et » sicut laudis ejus non est finis, ita « ejus magnitudinis non est finis » quia nullus sufficienter potentiam ejus enuntiare potest.

« Generatio. » Pars secunda. Ego laudabo, nec ego solus, sed « generatio » Judæorum, « et generatio » gentium « laudabunt opera tua, » id est ipsum, attendentes ipsa opera sua : et item propter potentiam : hoc dicit : « et potentiam tuam pronuntiabunt, » et hic est alius modus laudandi Deum.

Item « magnificentiam gloriæ loquentur, » id est gloriam magnificam : et gloriæ dico « sanctitatis tuæ, » id est habitæ de tua sanctitate : et hic est alius modus laudandi, quod planius ponit Hieronymus, dicens : « gloriam majestatis tuæ et sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua » id est, miracula quæ fecisti, veluti in divisione maris Rubri, « narrabunt, » et hic est alius modus, et alia causa laudandi.

« Et virtutem terribilium tuorum dicent, » scilicet illam tuam virtutem, in qua tu terribilis appares, veluti illa quæ facta est in Ægypto de Pharaone et suis : et hic est alius modus : « et magnitudinem tuam » in essentia « narrabunt. »

Et hic est alius modus. « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, » id est memores de suavissima et abundanti dulcedine tua, ut de reparatione humani generis per gratiam, eructabunt, et pronuntiabunt eam aliis : et hic est alius modus « et justitia tua exsultabunt, » id est cum exsultatione annuntiabunt.

Et hic est alius modus. « Miserator. » Pars tertia. Et respondit ad hoc quod prius dixit, « laudabit

opera tua : » et explanat quomodo propter opera laudandus sit Deus. Continuatio : Ad proximum ideo debent exsultare, eructare, quia « Dominus, » qui in natura sua « misericors » est, ipse est etiam factus « miserator, » id est exhibens nobis multas miserationes, velut in prima creatione, et maxime in recreatione : ad hoc quod dixit, « potentiam tuam pronuntiabunt,» cum multas posset ostendere alias Dei potentias, veluti quod tenet terram ita in vacuo, et similia : unam tamen potius elegit, secundum quod peccatores exspectat et condonat peccata. Unde dicit « patiens, » quia non statim punit, imo exspectat conversionem ; « et multum misericors, » quoniam quantumcunque sint magna peccata, et quam innumerabilia, ipse tamen condonat illi qui se humiliat, et ad eum convertitur.

Contra hoc quod dixerat, « magnificentiam gloriæ loquentur, » respondet, dicens illam magnificam gloriam suavem esse explorantibus eam. Continuatio : Dominus est patiens, et cætera quæ dicta sunt, et ipse « Dominus est suavis, » id est, dulcis et jucundus « universis » gustantibus ipsum, sicut et alibi dicitur : « Gustate et videte quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII), » « et » in tantum est suavis, quod « miserationes ejus» sunt « super omnia opera ejus,» quia præ omnibus beneficiis ejus et virtutibus operatur, dat nobis alias miserationes, id est, remunerationes æternæ vitæ : opera autem quæ a nobis habentur, a Deo punientur : diabolus etiam secundum substantiam quia creatura Dei est et opus, hanc habebit miserationem, quia in æternum substantia non peribit, sed propter nequitiam suam æternis affligetur incendiis : et quia suavis est, sic facit miserationes omnia opera sua, ideo apparet, quod magnificentia ejus sit gloria.

« Confiteantur tibi, Domine. » Ostendit sanctitatem, cum quibusdam injustus videatur Dominus, cum permittat malos in hac vita prosperari, et justos multis incommoditatibus perturbari ; quasi ita diceret : Quia talia facis, « confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, » id est, causa sint cur rationabiles creaturæ te laudent, « et sancti tui benedicant tibi, » attendentes sanctam ac laudabilem dispositionem in tuis operibus, veluti si fiat serenitas, cum nos pluviam exspectamus, vel e converso, attendunt hoc a Deo sanctificari et certa dispositione fieri.

Ad hoc respondet quod supra dixerat, mirabilia narrabunt, et ostendit illa mirabilia. Continuatio : Dico « sancti benedicent tibi, » et « gloriam regni tui dicent, » id est, mundum istum, et firmamentum in quo tu regnas, ostendent gloriosum et ornatum cum seipso « et potentiam tuam loquentur, » quia ostendent te propria potentia hæc omnia gubernare.

Respondet ad hoc : et virtutem terribilium tuorum. Continuatio : Potentiam tuam loquentur, et gloriam regni tui dicent, « ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, » veluti Petrus et Joannes, cum claudum sanassent, et omnes mirarentur, dixerunt non esse opus suum, sed Domini Jesu Christi (*Act.* III) : « et » etiam notam faciant « gloriam magnificentiæ regni tui, » id est, quam gloriosum et quam magnificum sit regnum tuum.

Ad hoc respondet : et magnitudinem tuam narrabunt. Continuatio : Bene dico « magnificentiam regni tui, » quia « regnum tuum » est « regnum omnium sæculorum, » quia æternum, et in illo regno tuo habes æternum dominium ; « et » hoc dicit : « Dominatio tua in omni generatione et generatione. »

Respondet ad hoc, abundantiæ suavitatis tuæ. Continuatio : Dominatio est in omni generatione, et ipse « Dominus fidelis in omnibus verbis suis, » id est, verax, quia fideliter adimplet quidquid ipse promisit ; « et sanctus in omnibus operibus suis, » id est, irreprehensibilis, licet videatur a stultis quædam injuste disponere.

Per hoc etiam apparet abundantia suavitatis, « quia omnes qui corruunt, » id est, illi qui proni sunt ad peccandum, « allevat Dominus, » quia si velint consentire ei, non perducunt ad actum voluntatem ejus, « et omnes illisos, » id est, illos qui jam deciderunt in actum peccati, « erigit, » condonando eis, si velint pœnitere dando gratias.

Respondet ad hoc : justitiam tuam exaltabunt, et ostendit ipsam Dei justitiam. Continuatio : Quia elevas, et quia erigis, jam « oculi omnium » intentiones « in te sperant, Domine, et tu das escam illorum, » id est, sive spiritualem, sive corporalem, veluti Danieli in lacu leonum (*Dan.* VI). Et hoc « in tempore opportuno, » quia etsi non statim quoniam petitur, digni aliquid adest, tamen dat quando judicat opportunum.

Et in hoc etiam justitia tua apparebit, quia « aperis tu manum tuam, id est, large dispensans beneficia tua, « et imples omne animal » serviens tibi ratione et studio « benedictione, » id est, incremento virtutum.

« Justus » est Dominus « in omnibus viis suis, » id est, in omnibus dispensationibus : « et sanctus in omnibus operibus suis, » id est, in omnibus effectibus ipsarum dispensationum.

Quomodo Deus justus sit, justus inter bonos, ostendit. Continuatio : Dominus in prædictis bonis justus est, et in hoc apparet quod justus est, quia ipse « Dominus prope est omnibus invocantibus eum. Omnibus invocantibus eum » dico « in veritate. » In veritate invocare est, pura et immaculata intentione, causa salutis animæ suæ, ad Dominum clamare, et non superflue, sed id petere quod animæ salutem valeat conferre. Sed quia Paulus superfluo rogavit (*II Cor.* XII), quia remotio stimuli carnis ad animæ salutem non erat idonea, ideo non est exauditus a Domino : sic invocantibus prope est Dominus, id est, pro misericordia complens quod ipsi petunt. Hypocritæ autem, qui favorem populi quærunt, in veritate Deum non invocant.

Et vere prope est, quia ipse « faciet voluntatem

timentium se, » id est, complebit, et si ipsi taceant « et deprecationem eorum exaudiet » facta voce continua « et » tandem « salvos faciet eos » in æterna salutatione.

Usque non ostendit quod Deus justus sit in bonos, nunc deinceps communiter quomodo in bonos et in malos, dicens : « Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet. »

Conclusio supradictarum laudationum. Et quia Dominus hæc omnia faciet, quidquid alii faciant, « laudationem Domini loquetur os meum, et » exemplo mei « benedicat omnis caro nomini sancto ejus. » Et hic patet intentio. « Omnis » inquam « caro, » scilicet servi et liberi, pueri et senes : et hoc non ad horam, sed « in sæculum » præsens, « et » etiam « in sæculum » subsecutivum hujus « sæculi. »

IN PSALMUM CXLV.

TITULUS : *Alleluia.*

« Lauda, anima mea, Dominum. » In hoc psalmo est materia laudatio Dei, et intendit nos invitare ad laudem Dei exemplo sui. Modus : In prima parte monita anima sua ad laudandum Deum, monet alios ne confidant in principibus, id est, vel in dæmone, vel in homine, qui nec sibi, nec aliis salutem possunt præstare. In secunda, quæ incipit : « Beatus cujus Deus Jacob, » ostendit sperandum esse in Domino, describendo eum talem qui digne remuneret sperantes in se.

Quasi ita diceret : Superior ratio regens et premens carnalitatem suam, o « anima mea, » id est, animalitas, quæ mihi debes servire, « lauda Dominum ; » anima autem bene confortata dicit : « Laudabo Dominum in vita mea, » id est, in alia vita, quæ mea propria et felix erit, « psallam, » id est, bene operabor « Deo meo quandiu fuero, » id est, per totum tempus istius vitæ.

Et eodem modo, vos alii, psallite exemplo mei : illud consilium quod mihi tribuo debetis insequi, scilicet « nolite confidere in principibus, » id est, in dæmonibus, qui sunt principes istius mundi; unde in Evangelio : « Ecce princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII) » « neque in filiis hominum, » id est, in hominibus, « in quibus, » tam principibus quam hominibus, « non est salus » quia seipsos salvare non possunt, nedum alios salvarent : vel sine « neque » sic dicetur : Nolite confidere in principibus, id est, in potentibus hominibus hujus vitæ, quia ipsi sunt filii hominum, et hoc est, « in filiis hominum, » etc.

Bene dico quod in illis non est salus, quia « spiritus ejus, » hominis, « exibit » a corpore, « et » ille homo secundum corpus « revertetur in terram » ut cinis fiat : terram dico « suam » unde ipse fuerat factus et exordium duxerat : et « in illa die » quando sic exibit spiritus, « cogitationes eorum » quia sibi divitias parandas, et maxima regna substernenda putaverant, ut rex angelorum, « peribunt. »

Pars secunda. In filiis hominum non est sperandum, cum nec se, nec alios juvare possunt, sed in illo sperandum est qui dat beatitudinem, et facit cætera quæ sequuntur : et hoc est : Ille est « beatus, cujus » est « Deus Jacob, » id est, qui sibi facit Deum eum, quem habuit Jacob Deum. Et ille Deus est « adjutor ejus » ad bene operandum : ideo quoque est beatus, quia « spes ejus » est « in Domino Deo ipsius, » in quo sperandum est bene, quia ipse est « qui fecit cœlum et terram, mare, » ad litteram. Et ut removeat errorem quorumdam, qui dicebant quasdam bestias factas esse a diabolo, dicit, « et omnia quæ in eis sunt » fecit ipse Deus : dicunt namque rustici, quod diabolus capram fecit, alii quod bufonem : et cum omnes laudationes Dei trahantur a supradictis in alio psalmo novem modis, istud respicit ad opera.

Ideo etiam sperandum est in eo, quia ipse est « qui custodit veritatem, » id est, implet promissionem suam; « in sæculum, » id est, per omnia tempora istius sæculi : et illud pertinet ad hoc quod superius dixit : « abundantiæ suavitatis : » et ipse « facit judicium injuriam patientibus, » quia quandoque judicavit eos. « Dat escam esurientibus, » et spiritualem et corporalem : non enim dat spiritualem refectionem nisi esurientibus, id est, desiderantibus, scilicet sitientibus justitiam : et hæc duo pertinent ad justitiam.

Iste etiam « Dominus solvit compeditos, » ligamine peccatorum, vel obsessione dæmoniorum, scilicet dæmoniacos : vel ad litteram compeditos, sicut Petrum in carcere (*Act.* XII). « Dominus » etiam « illuminat cæcos, » id est, ignorantibus dat cognitionem sui vel ad litteram, sicut Tobiam (*Tob.* XI) et alios multos.

« Dominus erigit elisos, » condonando peccata. « Dominus diligit justos, » quia roborat in virtutibus.

« Dominus custodit advenas, » id est, illos qui in hoc mundo manentem civitatem non quærunt, sed inquirunt æternam (*Hebr.* XIII), quos custodit a perpetratione et iniquorum conformitate, « pupillum, » id est, illum cujus pater mortuus est diabolus, et mater voluntas sæcularis : « et viduam, » id est, illos qui sunt desolati a subsidio hujus sæculi, « suscipiet » in æterna tabernacula, « et » e contra « vias peccatorum disperdet, » id est inutiles faciet.

Hæc quæ modo dicta sunt, abundantiam suavitatis ostendunt. Continuatio : Dominus disperdet vias peccatorum, et iste « Dominus regnabit in sæcula; » et determinat quem Dominum regnare dicat, sic, o « Sion, » id est o, Ecclesia, iste est « Deus tuus » qui sic regnabit « in generatione » hac, « et in generatione » futura.

IN PSALMUM CXLVI.

TITULUS : *Alleluia.*

« Laudate Dominum, quoniam. » Item in hoc psalmo materiam habet Propheta laudationem Dei : hanc scilicet quod Deus congregat Ecclesiam suam

in unionem fidei de universis partibus mundi. Nota quod in titulo hujus psalmi apponunt « Aggæi et Zachariæ : » isti enim in captivitate Babyloniæ detenti, reditum post septuaginta annos futurum prophetaverunt, plus intelligentes spiritualem reditum ad cœlestem Hierusalem, quam corporalem ad suam patriam [a]. Modus : In prima parte monet religiosos et perfectiores de Ecclesia ad laudem Domini, ostendens quod Deus Ecclesiam suam de dispersis per totum mundum ædificet, et multa beneficia eis conferat. In secunda, quæ incipit : « Præcinite Domino in confessione, » monet alios adhuc negligentes ad laudandum Deum, et ostendit eis quod in humilibus beneplaceat Domino, in superbis vero non : et per hæc intendit ad laudem Domini invitare.

Inde dicit : « Laudate Dominum, » voce et operatione, « quoniam psalmus, » id est hujusmodi laudatio cum bona operatione, « est bonus » et utilis alicui sic laudanti, « Deo nostro, » qui non est talis quales sunt dii gentium, « sit laudatio : » non qualiscunque, sed « jucunda, » id est pura intentione facta, non pro temporali commodo, sed pro solo Deo promerendo : « decoraque sit, » id est ex pura conscientia, quæ non propter peccata facientis vilescat. Audistis enim quia « non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* xv). » Alia distinctio potest fieri in hoc psalmo, sed non habetur ex auctoritate, sic : « Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus, sit Deo, sed jucunda laudatio. »

Ideo dico « laudate, » quoniam « Dominus ædificans Hierusalem, » id est Ecclesiam suam, quæ et hic jam pacem sequitur, et tandem Deum in omni pace videbit, et « congregabit » in ea Ecclesia, non localiter, sed spiritualiter, et in unitatem, vel unanimitatem; et in eamdem « dispersiones congregabit Israelis » fidem, id est viros quos ipse facit Israel dispersos per omnes partes mundi.

Ille congregabit, « qui sanat contritos corde, » id est, illos qui habent contritum cor et humiliatum. Contritos corde bene determinat, quia quibuscunque modis corpus affligatur, si cor elevetur, non curat Deus afflictiones ipsius : contritos vero corde sanat Dominus condonando peccata, « et omnes contritiones eorum, » id est ipsos cōntritos, et privatos vera dignitate « alligat » Dominus, id est consolidat, ut reducat ad pristinam dignitatem. A similitudine medici dicit, qui fracta ossa colligat, ut redintegrentur et ad antiquam sospitatem perducantur. Alligat autem nos fascia misericordiæ Deus, et confert gratias suas, quibus reformat nos antiquo vultui, quem perdidimus peccato primi parentis.

« Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat. » Si ad litteram dicitur, magna tamen potentia intelligitur. Possumus tamen allegorice sic dicere : Dominus sanat et alligat contritiones, et sic facit eas stellas lucentes in Ecclesia. Et multitudinem illarum stellarum numerat, id est, omnes illos numero comprehendit, quia nullum abjicit, sed omnibus providet necessaria. « Et omnibus eis nomina vocat, » vel vocans est, unumquemque cognoscit per suam proprietatem, videlicet, istum cognoscit simplicem, velut David; illum mansuetum, velut Moysen : ita et alios per suas proprietates, quas ipse idem in eis operatus est. Has tales proprietates significat per nomina, quia sicut aliquis per nomen distinctam cognoscit personam, ita Dominus per has proprietates distinctas cognoscit personas.

Et quia talia facit, ideo « magnus » est « Dominus : » non dico Dominus quem gentiles suum faciunt, sed « noster : » hic intelligitur persona Patris : « et magna virtus ejus » intelligitur persona Filii, quem virtutem Dei nominat, quia per ipsum Deus potenter omnia regit, et omnibus dominatur; « et sapientiæ ejus : » hic quoque Filius intelligitur : « non est numerus, » quia infinita et incomprehensibilis est illa Dei sapientia. Vel, « non est numerus, » quia unica et singularis est; vel, sapientiæ, id est, Filii non est numerus, id est non potest numerari diversus a Patre, quia idem cum Patre, secundum Augustinum, qui dicit in hoc sermone : Legimus in sancto Moyse, ideo non est numerus sapientiæ ejus, nulla enim alia sapientia potest huic comparari : sed sapientiæ Platonis, et aliorum philosophorum, possunt aliæ multæ comparari : ipsum Filium sapientiam Dei dicit, quia per ipsum Dominus omnia sapienter fecit et disposuit.

Dico hæc prædicta facit Dominus, et hoc non quibuslibet, sed mansuetis; hoc dicit : « suscipiens » in gloria « mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram, » id est ad appetitum terrenitatis.

« Præcinite. » Hic habet alia translatio, « incipite, » in quo intelligimus hoc dictum esse non perfectis, sed negligentibus. Continuatio : Quia Dominus suscipit mansuetos, et alios repellit, ergo « præcinite, » id est, nolite esse negligentes et exspectare judicium, sed statim præcinite « Domino in confessione, » id est, confitendo peccata : « psallite » etiam Deo nostro « in cithara, » id est operibus corporis, scilicet in activa vita.

« Qui operit cœlum, » id est divinam Scripturam, quæ continet arcana Dei, « nubibus, » id est quibusdam ænigmatibus, vel obscuris figuris prophetarum, ut non pateant omnibus secreta cœlestia, « et » tamen in nubibus illis « parat terræ, » id est Ecclesiæ, « pluviam, » id est spiritualem doctrinam, « parat » bene dicit, quia Deus ita aliquando aperit Scripturas, ut fideles sui inde reficiantur.

Ipse quidem aperit, « qui producit in montibus, » id est altioribus viris, veluti sanctis apostolis, « fenum, » id est solidatum cibum, ad sustentationem majorum et fortiorum; « et herbam, » id est teneriorem cibum, scilicet, suavem et humilem doctrinam, sicut dicit Apostolus : « Sapientibus sapientiam loquor (*I Cor.* II). » Et alibi : « Lac vobis dedi po-

[a] Hæc ad præcedentis psalmi expositionem pertinere videntur.

tum, non escam. » (*I Cor.* III) Vel per montes petentes A huius sæculi intelligimus, in quibus Deus præparat ad opus prædicatorum, et quorumlibet servientium sibi, fenum, id est asperiorem cibum : et herbam, id est mitiorem : quia quandoque dat prædicatoribus suis panem tantum et aquam, aliquando bonos pisces : et hæc omnia « servituti hominum, » id est servitoribus hominum, scilicet prædicatoribus et cæteris ministris Ecclesiæ, qui revera serviunt hominibus, dum nocte dieque Deum pro ipsis orando interpellant.

« Qui dat » etiam « jumentis, » id est mansuetis, qui jam non recusant onus diei portare, « escam ipsorum, » id est eis convenientem, tam spiritualem quam corporalem ; « et pullis corvorum, » id est filiis gentilium, qui sunt corvi, id est denigrati in B peccatis : non similes malis patribus eorum, sed « invocantibus eum, » id est, degenerantibus a nigredine patrum : sicut etiam Deus ad litteram pullos corvorum, quos patres deserunt, pascere a rore aeris dicitur, quandiu albi sunt et donec sibi assimilantur.

Et iste Dominus « non habebit voluntatem, » id est beneplacitum, « in fortitudine equi, » id est in superbis, « nec in tibiis viri » contumacis, id est in gambis gracilibus et habilibus ad bene calceandum scilicet in cultu corporis, quæ per unam partem scilicet per crura significat, « beneplacitum erit ei. » Alia translatio habet, « in tabernaculis viri : » et per hoc notamus conventus superborum.

In talibus non est beneplacitum Domino, sed « beneplacitum est Domino super timentes eum : » et quia timent eum, ideo cessant a malo, « et in eis qui sperant, » non in meritis, sed « super misericordia ejus, » et ideo bene operantur. C

IN PSALMUM CXLVII.

TITULUS. *Alleluia Aggæi et Zachariæ.*

« Lauda, Hierusalem, Dominum. » Ecclesiam quam superius ostendit de dispersione istius sæculi a Domino congregari, jam congregatam, et in cœlestibus collocatam monet in prima parte Deum laudare de tanta pace et tanta securitate. In secunda, quæ incipit : « Qui emittit eloquium, » ostendit multa beneficia quæ Deus fecit nobis in hac vita, ut per hoc nos securos reddat de securitate æterna. Intendit D autem, ut etiam in aliis, monere nos ad laudem Dei.

Unde dicit : « Lauda, Hierusalem, Dominum, » quæ jam es posita in securitate æterna : et o « Sion, » quæ jam specularis, « lauda Deum tuum. » Eamdem vocat Sion et Hierusalem : sed Sion in quantum divinam præsentiam contemplatur, Hierusalem in quantum cum Deo regnat, et in pace et in tranquillitate perpetua collocatur.

Ideo « lauda quoniam confortavit seras portarum tuarum, » id est, te collocavit in securitate. Portas dicitur habere æternas Hierusalem propter aditum ; confortatas dicitur habere seras, quia nullus post diem judicii intrare poterit in eam. Seras, inquam, A confortavit, « et filiis tuis in te » existentibus, « benedixit » omnimoda benedictione.

Benedixit ille « qui posuit fines tuos pacem, » quia etiam inter eos qui erunt in ultima mansione, erit pax et exsultatio. « Et satiat te adipe frumenti, » id est, ipsa divinitate Christi.

« Qui emittit eloquium. » Pars secunda. « Qui emittit eloquium suum, » id est Filium suum : « terræ, » id est in mundum ; et « sermo ejus » eloquii, vel ipsius Dei, scilicet prædicatio, « currit velociter, » id est, diffunditur per totum mundum.

« Qui » etiam « dat nivem, » scilicet frigidos et induratos in peccatis, « sicut lanam, » ut alios doctrina sua calefaciant, et « nebulam, » id est excæcatos multa ignorantia, « spargit, » id est illuminat et dividit a massa perditorum, « sicut cinerem : » quia B sicut cinis infusus super terram impinguat eam et facit fructiferam, sic ipsi qui prius erant nebula, illuminant alios et faciunt fructificare.

« Mittit » etiam « crystallum suum sicut buccellas, » id est, illos qui per multos annos erant frigidi et obdurati in peccatis, sicut buccellam panis, ut sint aliis refectio hominibus ; sed « ante faciem frigoris ejus, » id est, ante illos quos Deus justo judicio suo in peccatis obdurat, « quis sustinebit ? » id est, quis poterit persistere, quin statim consentiat eis ? Sicut ante Pharaonem Moyses vix potuit persistere (*Exod.* VII), quia ejus cor erat induratum.

Nullus, inquam, poterit sustinere ante faciem frigoris, sed Deus « emittet verbum suum, » prædicationis, « et » per eam « liquefaciet ea, » nivem scilicet et crystallum, et alia quæ prædicta sunt. « Spiritus ejus » scilicet Spiritus sanctus, « flabit » super eos : « et » etiam « fluent aquæ, » id est, doctrinæ multæ exibunt de populo illo. Vel hic ostendit auctoritatem, quia Deus mittet Verbum in Judæa, quia sic fuit prænuntiatum

Ipse emittet Spiritum, « qui » per præsentiam corporis « annuntiat verbum suum, » id est prædicationem et doctrinam suam, « Jacob, » populo illi, et annuntiat « justitias, » id est, quomodo fiant homines justi « et judicia sua, » id est, quomodo tempore omnia disponat : quo judicio alios elegit, alios reprobat, « Israel » populo illi per præsentiam corporis. Vel annuntiat verbum suum per apostolos et alios D prædicatores : et justitias et judicia sua Jacob et Israel, id est, illis qui faciunt se similes Jacob, id est luctatores : et Israel, id est illis, qui sunt videntes Deum.

Hæc fecit Jacob. « Non » autem « fecit taliter omni nationi, » scilicet « judicia sua non manifestavit eis. »

IN PSALMUM CXLVIII.

TITULUS : *Alleluia Aggæi et Zachariæ.*

« Laudate Dominum de cœlis. » Hic iterum habet Propheta materiam laudem Dei. Modus : In prima parte monet cœlestes creaturas ad laudem Dei. In secunda, quæ incipit : « Laudate Dominum de ter-

ra, » admonet terrestres creaturas ad laudem ipsius Dei, quæ laus in alia vita plenius et perfectius fiet: et omnes ad laudem invitare est sua intentio, dicens :

Vos creaturæ, « de cœlis, » id est cœlestes creaturæ, « laudate Dominum : » et non tantum vos inferiores, sed etiam vos qui estis « in excelsis, » id est cherubim et seraphim, « laudate eum : » non ideo invitat angelos ad laudem Dei, ut aliquando cessent, vel eo monente magis laudent, sed sic admonendo, ostendit affectum suum scilicet quod sibi grata est laus eorum.

« Laudate eum, omnes angeli ejus, » id est, vos quos ipse mittit ad legationem suam in mundum : et vos « omnes virtutes ejus, » scilicet, qui nuntii non estis, « laudate eum. »

« Laudate eum, sol et luna, laudate eum omnes stellæ, et » quid per singula? universum « lumen » laudet eum. Si sol dicatur habere spiritum, et luna, et cæteræ stellæ, per se possunt Deum laudare : si non, bene te laudant, quia sunt materia quare te laudamus. Non quia virtutes unius sunt, et tamen quandoque pro omnibus ponuntur, ut hic : quia longum est sibi omnes enumerare.

« Laudate eum cœli cœlorum, » propter hoc dicit, quod multos intelligit; « et aquæ quæ, » in rei veritate, « sunt super cœlos, » unde nobis pluviæ descendunt per cataractas cœli, « laudent nomen Domini, » id est materia nobis sint laudandi Deum, attendentes inter cætera quod cum illæ aquæ, quæ spissi corporis sunt, teneantur subtilissimo corpore cœli, valde mirari possumus, et a laude Dei cessare non debemus.

Ideo laudate, « quia ipse dixit, » id est voluit, « et facta sunt » omnia, id est ordinata de compositione quatuor elementorum : et etiam ipsam materiam fecit ; et hoc est : « ipse mandavit, » id est firmiter statuit, « et creata sunt » etiam ipsa elementa, unde postea cætera ordinavit. In hoc versu bene ait contra illos qui dicunt mundum Deo coæternum.

Ipsa elementa inter cætera ordinavit, postea ea quæ fecit, « statuit ea » permansura « in sæculum, » id est per totum tempus præsentis vitæ, « et in sæculum » subsecutivum hujus « sæculi. » Cum dicatur in Evangelio : « Cœlum et terra transibunt (*Matth.* XXIV), » et hic dicantur permanere, non tamen sunt contraria, quia non dicuntur transire secundum substantiam, sed per solas qualitates, et illis ita statutis « præceptum posuit, et non præteribit » præceptum illud, quia sicut disposuit, sic adhuc permanent.

« Laudate Dominum. » Pars secunda. Vos, cœlestes, sic laudate, et etiam vos « de terra, » id est terrenæ creaturæ, « laudate Dominum. » Eligit quasdam nonas [*Forte*, noxias] creaturas, in quibus videt multos homines accusare Deum, et injustum reputare, et proponit nobis quia si quis dispositionem Dei cognoscat, in eis eum intelligit sicut in aliis esse laudandum : et inde dicit, « dracones, » laudate Dominum, per quos, ut videmus, Deus punit hostes suos ex meritis. Vel secundum Augustinum, « dracones, » id est vitæ illæ subterraneæ, quibus dracones incedunt, et maxime in quibus est aqua, quia igneæ naturæ sunt, et ibi refrigerant ardorem suum. « Et omnes abyssi, » id est profunditates maris, in quibus Deus punit inimicos, laudate Dominum, id est, præbete nobis materiam laudis, etc. Et quidquid sit in hac vita, licet injuste videatur esse facta, in alia quidem, quando cognoscemus quo consilio Dei sint facta, erunt nobis materia laudis.

« Ignis » etiam, id est combustio solis maxima, et « grando, » quæ contundit segetes, et multis modis nocet, « nix » etiam, et « glacies, spiritus procellarum, » id est magnus ventorum impetus, qui demergit naves in mari, et vindicat Deum de nautarum iniquitate, præbeant nobis materiam laudandi Deum : quamvis hæc omnia videantur stultis a Deo injuste facta, tamen debent nobis in hoc præbere materiam laudandi « quæ faciunt verbum ejus, » id est, per omnia serviunt voluntati ejus Dei.

« Montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri, » præbeant nobis materiam laudis.

« Bestiæ, » id est leones et ursi, et cætera indomita animalia, scilicet crudeles bestiæ, « et universa pecora, » ut boves et cætera animalia, domita scilicet præbeant laudem Deo per rationalem creaturam; « serpentes et volucres pennatæ. » Supradicta omnia ad litteram intellecta, hoc modo, ut dictum est, laudent Deum, scilicet quod præbeant nobis materias laudandi Deum. Possunt etiam allegorice sic discuti. Per dracones namque et abyssos, et cætera prædicta, significantur mali secundum diversa genera malorum quæ sunt in eis. Dracones, id est crudelissimi homines; abyssi, id est profundissimi in vitiis; ignis, id est illi, qui in ardore concupiscentiarum sunt; grando, id est, illi qui contundunt sanctos suis tribulationibus; nix, id est frigidi in peccatis; glacies, id est congelati frigore infidelitatis; spiritus procellarum, id est homines facientes procellas, id est persecutiones in sanctos, fugando de loco ad locum : qui omnes faciunt verbum Dei, cum redeunt ad fidem et ad legem Dei. Montes, id est superbi ; et colles, id est minus superbi ; ligna fructifera, id est fructum bonorum operum reddentes; cedri, id est odorem spiritualium virtutum in se habentes; bestiæ, id est silvestres, scilicet rudes et imperiti ; et pecora, id est mansueti serpentes, id est venenati homines, ut hæretici, et volucres, id est philosophi, qui habent pennas, id est sapientias diversorum librorum, per quas dicuntur volare, id est excellentiores aliis esse : isti omnes mali conversi laudant Dominum, id est de his omnibus elegit sibi Dominus aliquos qui in futura vita in quiete collocati laudabunt Dominum.

« Reges terræ et omnes populi, » sicut consules, « principes et omnes judices terræ. »

« Juvenes et virgines, » id est diversi sexus ; « senes cum junioribus, » id est diversæ ætates, « laudent

nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius, » sicut ait Apostolus : « Donavit illi nomen quod est super omne nomen (*Phil.* II). »

Quid per singula? « Confessio ejus, » Dei, id est laus debita ipsi Deo, est « super cœlum et terram, » quia nec cœlestes, nec terrenæ creaturæ possunt eum sufficienter laudare. « Et » ille Deus « exaltavit cornu populi sui, » id est altitudinem : quia licet in hac vita altitudinem aliquam habeat, tamen ipsa altitudo per multas adversitates deprimitur : sed in alia vita ita exaltata erit, quod nulla adversitate poterit deprimi. Et « omnibus sanctis ejus, » sic exaltatis, est « hymnus, » id est laus cum cantico, qui sine intermissione laudant Dominum : sanctis dico, scilicet « filiis Israel : » et non dico carnalibus filiis, sed « populo appropinquanti sibi, » Deo scilicet, faciendi se similem ipsi Deo.

IN PSALMUM CXLIX.

TITULUS : *Alleluia.*

Cantate Domino canticum novum. » Hic est iterum materia laus Dei. In prima parte monet sanctos jam in æterna quiete habitantes laudare Deum. In secunda, quæ incipit : « Exsultabunt sancti, » describit gaudium et potestates quas ipsi sancti in alia vita habebunt ; et invitat nos ad laudem, sic dicens : Vos Israel, jam videntes Deum in illa æterna Hierusalem, « cantate » illi « Domino » de creatione cœli et terræ, etc., « canticum novum, » scilicet de reparatione quam fecit Deus per incarnationem Filii sui : nec moneo omnes ad laudem ejus, quia « non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV), » sed fit « laus ejus in Ecclesia, » in collectione « sanctorum. » Non tantum moneo cantare, sed etiam « lætetur Israel, » id est perfectiores, « in eo qui fecit eum » quia jam eo præsente fruitur ; « et filii Sion, » id est fragiliores, illi et minores, « exsultent in rege suo, » quem præsentem habent et quo reficiuntur. Vel « filiæ » dicit ut utrumque sexum comprehendat : contra illos qui dicunt femineum sexum non esse redemptum.

« Laudent » etiam « nomen ejus in choro, » id est in concordia, et « psallant ei in tympano et psalterio, » non quia in superna patria his instrumentis utantur, sed gaudebunt de remuneratione quam habebunt de eo, quod hic fuerunt tympanum et psalterium. Per psalterium intelliguntur illi qui spirituali operatione Deo serviunt, sicut contemplatores. Per tympanum, quod fit per corium mortui animalis, intelliguntur illi qui seipsos morti tradunt pro veritatis testimonio, sicut sancti martyres. Nota quia chorus est variarum vocum placens concordia, quæ concordiam charitatis significat, in qua laudandus est Deus, ut ait Apostolus : « Omnia vestra in charitate fiant (*I Cor.* XVI). » Vel chorus est musicum instrumentum, cujus chordæ compares voces, nec discordes reddunt : et possumus hic notare principales virtutes, fidem, cum dicit : « Laus in Ecclesia sanctorum ; » spem, cum dicit : « Lætetur Israel ; » charitatem, cum dicit : « Laudent nomen ejus in choro. »

Continuatio : Ideo psallite, etc., « quia beneplacitum est Domino, » in habitatione illa, « in populo suo, » quia nihil invenit in eo unde offendatur ; « et » propter hoc etiam, psallant, quia « exaltabit mansuetos in salutem » æternam.

« Exsultabunt. » Pars secunda. Item « sancti » illi sic exaltati « exsultabunt in gloria » et « lætabuntur » non exteriori canoré, sed « in cubilibus suis, » id est in conscientiis.

Et non tantum interius exsultabunt, sed etiam exterius, et hoc dicit : « exsultationes Dei, » id est laudes Dei cum exsultatione factæ, erunt « in gutture eorum, » id est in corpore et ore, « et in manibus, » id est in potestatibus « eorum, » erunt « gladii ancipites, » id est verbum Dei, quo ipsi incident, et separabunt bonos a malis (*Matth.* XIII *et* XXV) : qui gladii sunt ancipites, quia utraque parte incidunt, Veteri scilicet et Novo Testamento : vel quia in hac vita separant vitia et a corpore et ab anima. « Gladii » pluraliter dicit, quia singulæ personæ utentur gladio illo.

Ad quid erunt gladii in manibus? « Ad faciendam vindictam in nationibus, » id est in illis qui legem non habuerunt : et ad faciendas « increpationes in populis, » qui male usi sunt.

Et « ad alligandos reges eorum, » populorum, « in compedibus, » id est in æternis pœnis, ex quibus nullo modo poterunt se exsolvere : « et nobiles eorum, » id est nobiliores de omnibus, « in manicis ferreis, » quia punientur manibus eorum quibus in præsenti vita malum et injurias intulerunt.

Quid singula enumerem? Ad hoc gladium habebunt in manibus « ut faciant in eis, » regibus et populis, « judicium conscriptum, » id est judicent eos secundum hoc quod in prophetis et aliis libris scriptum est ; veluti cum dicent : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV) : » et hæc « gloria » non est tantum sanctis apostolis vel summis sanctis, sed « omnibus sanctis ejus » erit, quod habebunt hanc potestatem, consentiunt enim divinæ sententiæ, ut quotidie fit in sancta Ecclesia. Excommunicat quidem episcopus, ut os Ecclesiæ, cui consentit Ecclesia tota, dicens : Amen.

IN PSALMUM CL.

TITULUS : *Alleluia.*

« Laudate Dominum in sanctis. » Hic iterum invitat Propheta ad cantandum alleluia, non adhuc tendentes ad patriam, sed jam positos in thalamo regis, jam gaudentes nuptiis, jam conformatos imagini Dei, ad quod admonuerat a principio libri. Materia est laus Dei, jam quidem nuptialis.

Et ostendit unde debeant laudare Dominum, et quomodo, dicens : « Laudate Dominum in sanctis ejus, » id est in consideratione sanctorum, quos ipse misericorditer justificavit, et mirabiliter remunera-

vit « laudate eum » etiam « in firmamento, » id est in consideratione firmamenti, scilicet quod nos ita firmavit, et in tanta requie collocavit quod jam nullus, neque homo, neque diabolus, poterit aliquo modo nocere firmamento « virtutis ejus, » Dei scilicet, quod ipse Deus cum magna virtute fecit. Ad hoc enim ut nos in illa requie collocaret, et imagini suæ conformaret, fecit Filium suum incarnari, et etiam mortis tormento affligi.

« Laudate » etiam « eum in virtutibus ejus, » id est, de hoc quod ipse tradet regnum Deo Patri; et habet alia translatio, « in potentatibus ejus. Laudate » quoque « eum secundum multitudinem magnitudinis ejus. » Sicut magnitudo Dei sine fine est, ita sine fine laudate eum : in hac vita enim, quæ brevis est et finem habet, non potest laudari Deus secundum suam magnitudinem. Ostenso unde sit laudandus Deus, ostendit quomodo sit laudandus, dicens : « Laudate eum in sono tubæ. » Per tubam, quæ hortatur homines ad bellum, vel ad festivitatem, intelliguntur sancti prædicatores, qui nos hortantur ad pugnam contra vitia, et Deo festivitatem celebrare; quasi ita diceret : Vos, sancti præcones, laudate Deum de præmio vestræ tubæ et vestræ exhortationis : « laudate eum » similiter « in psalterio et cithara, » id est de remuneratione psalterii, id est contemplativæ, et pro præmio activæ vitæ, quæ per citharam significatur, sicut ante ostensum est.

« Laudate eum in tympano et choro, » id est de præmio vestræ mortificationis, sicut sancti martyres, qui per tympanum habentur : et pro mercede concordiæ et unanimitatis quam in hac habuistis : quæ concordia per chorum intelligitur, in quo fit conformis sonus. « Laudate eum in chordis et organo. » Per chordas, quæ multum attenuantur et extenduntur, et dulcem sonum reddunt, intelliguntur illi qui seipsos attenuant affligendo per jejunia, per vigilias, et aliis modis, et ad Deum se semper extendunt, nihil facientes pro favore, sed omnia amore Dei, et operibus suis dulcem et jucundam proferunt Deo cantilenam. Per organum, in quo multæ fistulæ unam concordiam reddunt, intelliguntur illi in quibus multa genera virtutum ad unum tendunt, et concordia charitatis colliguntur; quasi diceret : Laudate eum de præmio vestræ attenuationis, et de præmio concordiæ, quam in multis habuistis.

« Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis. » Per cymbala, ubi duo simul percutiuntur, intelliguntur illi qui se invicem exhortantur ut bene resonent Deo in activa vita : vel ut jubilent, id est, tanta mente concipiant lætitiam, quam non sufficiant voce exprimere. Quasi diceret : Laudate Deum pro remuneratione vestræ bonæ exhortationis. Quid plura? « Omnis spiritus laudet Dominum, » id est vos omnes facti spirituales et corpore spirituali et subtili. Benedictus Deus. Amen. Laudate eum.

« Gloria Patri. » Iste versiculus post unumquemque psalmum cantatur, ideo scilicet quia unusquisque psalmus sive sit exhortatorius, sive de laude Dei tractet, de historia, vel quocunque modo fiat, semper fit cooperatione Trinitatis. Sic igitur exponatur : « gloria, » id est fama, cum laude frequenter cantetur et proferatur a nobis, « Patri, et Filio, et Spiritui sancto, » ut in omnibus operibus nostris semper honorificetur Deus et laudetur, sicut Apostolus hortatur : « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite (*I Cor.* x). » Tunc equidem glorificatur Deus in omnibus operibus nostris, quando declinantes in malis actionibus nostris, sive cogitationibus bene volumus, et bene operamur : non terrenorum appetitu, sed cœlestium affectu : et quidquid boni agimus, totum divinæ misericordiæ ascribimus : nec tamen ideo dico ut gloria sit Patri, ut nunc tantum habeam causas novas, quibus admoneam eum glorificari, sed « sic, » id est, pro his causis offeratur gloria, « ut, » id est, pro quibus « erat » offerenda et reddenda gloria « in principio, » id est ante mundi constitutionem, « et nunc, » id est in præsenti, « et semper » erit, « et » erit « in » futura « sæcula, » constantia multis « sæculorum, amen, » id est fiat, et iterum sit. Semper enim fuit Deus misericors, licet aliquando non essent quibus misereretur, sed omnipotens semper benignus, et quod fuit, est et erit, quia immortalis est et æternus. Pro his igitur omnibus et dignum et justum est ut semper a creaturis honorificetur et magnificetur. Benedictus Deus, amen. Sciendum, quod triplex est modus cogitationum nequam : unus earum quæ deliberatione et proposito peccandi mentem contaminant; alius earum quæ delectatione quidem peccandi mentem perturbant, nec tamen ad consensum peccati pertrahunt; tertius earum quæ naturali motu mentem percurrentes, non tamen hanc ad patranda peccata illiciunt, quam a bonis, quæ cogitare debuit impediunt : veluti cum phantasmata rerum, quæ aliquando supervacue gesta vel dicta novimus, ad memoriam reducimus, quarum crebra retractatio, quasi importuna muscarum improbitas, oculos cordis circumvolare ac spiritualem ejus aciem inquietare magis quam excæcare consuevit. A cunctis autem his cogitationum nequam generibus castigari monuit Salomon, cum dicit : « Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit (*Prov.* xiv) : » cujus monita sequentes, agamus sollicite, ut si quid consensu perpetrandi facinoris in animo deliquimus, cito hoc confessione et dignis pœnitentiæ fructibus abstergamus. Si delectatione peccandi nos tentari senserimus, noxiam delectationem crebris precibus ac lacrymis, crebra recordatione perpetuæ amaritudinis, pellamus : et si nos solos ad hanc propulsandam sufficere non posse viderimus, fratrum quæramus auxilia, ut quod nostris viribus nequimus, illorum consilio et intercessione sumamus. « Multum enim valet deprecatio justi assidua (*Jac.* v); » et sicut idem promisit : « Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, di-

mittentur ei (*Ibid.*), » quia supervacuis cogitationi- A et maxime frequenti Scripturarum meditatione fubus ad integrum carere non valemus. Has in quantum possumus, intercessione bonarum cogitationum, gemus.

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

COMMENTARIA IN CANTICA ALIQUOT

Quibus Ecclesia perinde atque Psalmis David utitur.

CANTICUM ISAIÆ PROPHETÆ.

Confitebor. Hic ascribitur titulus, Canticum Isaiæ prophetæ, quia Isaias in præcedentibus suæ prophetiæ verbis casum hominis, et iram Dei mitigatam, et hominem ad pristinam dignitatem reparatum per Filium incarnatum prophetat. Materia est Christi adventus. Modus, quod ostendit quæ bona ex illo adventu hominibus proveniant. Intentio est, hortari ad laudem pro incarnatione Filii.

Vox filii prophetantis : *Confitebor tibi, Domine,* id est, laudabo te, *quoniam iratus es mihi*, id est, toti humano generi, culpa parentis, et *conversus est furor tuus*, id est, ira tua dimittendo peccata, *et consolatus es me* spe æternæ beatitudinis : non ideo B confitetur, quod iratum fuisse intelligit, sed quia de ira ad misericordiam conversus sit.

Ecce ita consolatus es me, quod *Deus* iratus prius, modo factus es *Salvator meus* ab originali peccato mundans, ideo deinceps *agam*, id est, promovebor in virtutibus *fiducialiter*, id est, securus sum de præmio, si quid boni gessero, *non timebo* diabolum, vel peccatum quod habitat in mortali corpore, quia iste Salvator refrenabit utrumque.

Ideo non timebo, *quia Dominus fortitudo mea* est contra illa, *et est laus mea*, id est, faciet me laudabilem in æterna vita : *et* hæc omnia ideo sunt mihi, quia creator *factus est* valens creaturæ *mihi in* æternam *salutem*.

Haurietis. Convertit se ad illos, qui erant in tempore incarnationis : quasi dicat : Ego in ænigmate prophetico spiritu salvandum me video, vos autem aperte *haurietis aquas* doctrinæ et baptismatis *in gaudio* spirituali, *de fontibus*, id est, de multiplici abundantia *Salvatoris*, *et* alter alteri *dicetis* et admonebitis alios *in illa die* incarnationis. *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus*, id est, præparate vos dignos ad invocandum.

Notas facite. Hoc etiam dicetis : *Notas facite in populis* prædicando *adinventiones ejus*, id est salvationem, et omnem viam sapientiæ et scientiæ, quam invenit et ostendit fidelibus suis : et ne velitis nomen Dei usurpare vobiscum sicut Adam fecit, sed A semper *mementote quoniam excelsum est nomen ejus* et punit superbos.

Hoc etiam dicetis : *Cantate* isti *Domino, quoniam* in his *magnifice fecit* et dignus est laude : et dicetis etiam : *annuntiate hoc*, id est hanc salvationem, *in universa terra* ubique gentium, ista salvus omnes colligit.

Exsulta. Quasi omnibus jam est annuntianda, sed tu, o *habitatio Sion*, id est, o vos Judæi principaliter, *exsulta et lauda* ideo, *quia sanctus Israel*, id est, ille qui sanctificat Israel, est *magnus in medio tui* de vobis natus, inter vos conversatus.

CANTICUM EZECHIÆ REGIS JUDA.

Ego dixi. Canticum istud est ab Isaia scriptum, B tamen non nomine ejus intitulatur, sed nomine Ezechiæ, qui ab Isaia loquens inducitur. Ezechias cum in multis Deo deserviret, in hoc peccavit, quod excelsa non abstulit, unde a Deo gravi infirmitate percussus, ab Isaia meruit audire : Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives. Ille ergo gravi compunctione conversus ad parietem, peccata deflevit, et rursum ab eodem Isaia audire meruit, quod Deus pœnitentia illius placatus, quindecim annos vitæ superinduxit. Postquam igitur Ezechias de infirmitate convaluit, hoc Deo canticum liberatori suo cecinit, in quo et peccati sui et infirmitatis meminit, ut ex opposito tribulationis gratior appareat modus liberationis. Materia est ipse Ezechias in infirmitate positus, et ab infirmitate liberatus. Modus C est, quod ostendit quare in illam infirmitatem corruerit, propter peccata sua, et qualiter in infirmitate se habuerit, scilicet, quam graviter pœnituerit, et qualiter per pœnitentiam purgato peccato, convaluerit. Intentio est hortari ad pœnitentiam. Notandum est, Isaiam in verbo Domini loquentem, et vicinam mortem annuntiantem, Ezechiæ non esse mentitum, quamvis ille convaluit. Dominus enim sub conditione solet loqui, quia dicit : Morieris, nisi pœnitueris.

Verba Ezechiæ, recolentis qualiter in infirmitate se habuerit : *Ego* dum infirmarer *dixi*, id est, deliberavi : *Vadam ad portas inferi in dimidio dierum meorum*, quia dies meos non consummavi in studiis bonorum operum.

Quæsivi, et ideo, quia vidi propter peccata mea, et ante consummatam vitam me in inferno ponendum, *quæsivi* a Domino precibus et compunctione cordis, *residuum annorum meorum* ut prolongato vitæ spatio, quod in me imperfectum erat, consummarem.

Ideo quæsivi bona, ut perficerem, quia si non perficerem, *dixi*, id est, deliberavi, *non videbo Dominum Deum in terra viventium*. Solebam mihi aggratulari in circuitu illius, qui reparatus est quietem quam Adam perdiderat, sed non videbo ultra inter illos qui sunt terra viventium.

Non videbo. Expositio præcedentis versus. Vere non videbo, quia *non* ad salutem *ultra aspiciam*, si modo moriar, *hominem* quem intelligo in humanitate venturum, *et* non aspiciam ipsum eumdem *habitatorem* qui erit habitatio *quietis* Quasi diceret : Veniet quidem ad loca inquietudinis, sed tamen erit habitator quietis, ultra non moriens.

Generatio mea ablata est : quasi diceret : Et si moriar inconsummatus, ut non perficiam bona, tunc ille egregius de semine meo nasciturus erit, a salute mea ablatus. Vel, generatio piorum et electorum a me est elongata : mea, id est, inter quos me futurum intellexeram, *et convoluta est a me quasi tabernaculum pastorum*. Per simile loquitur, quasi tanta velocitate remota est a me societas sanctorum, si inconsummatus moriar, quam cito convolvuntur tabernacula, hoc est, tentoria pastoria, quando mutant pascua.

Præcisa est. Ideo non aspiciam, quia *vita mea præcisa est*, id est, non perfeci bona, quæ debui, *velut a texente*. Per simile dicit illius textoris, qui priusquam perficiatur tota tela, præcidit partem quam texuit. Et textor meus, scilicet, Deus, *succidit me :* non dicam, cum jam aliquid texuissem, sed *dum ordirer adhuc*, id est, dum ad bene agendum me præpararem, succidit me : et præcisam vitam dicit, non quod mortuus esset, sed præ nimia gravitate infirmitatis, quia parum defuit a morte.

De mane usque ad vesperam finies me. Quasi ideo succidit, et quasi mortuum me fuisse, quia præ nimia infirmitate singulis diebus dicebam : O Domine! de hoc mane usque ad vesperam finies me : et vesperi *sperabam* et dicebam, *usque ad mane* finies mane.

Ideo sic sperabam, quia infirmitas a Deo immissa, *sic contrivit omnia ossa mea, quasi leo* confringit omnia quæ rapuit.

De mane. Propter oppositam similitudinem de leone, repetit. Et quia similis erat leoni infirmitas, ideo dicebam : *De mane usque ad vesperam finies me*.

Hactenus dictum est de gravitate infirmitatis : et quia propter peccata scilicet contigit, hic de pœnitentia peccatorum incipit, quam in ipsa infirmitate habuit quasi diceret : Video quidem propter peccata hanc infirmitatem evenisse, sed ad Dominum *sic clamabo* tota mentis intentione, *sicut pullus hirundinis* qui maxime os aperit in clamore, et sic etiam *meditabor ut columba*, clamando peccata ingemiscam.

Attenuati sunt. Quia proponebam clamare et gemere, ideo *oculi mei*, id est affectiones meæ *sunt attenuati*, id est remota crassitudine terræ clariores et subtiliores effecti, et per hoc *suspicientes in excelsum* scilicet, in Deum directi. *Domine*. Oculi dico dicentes, *Domine, vim* infirmitatis *patior* a simili illius, qui in causa deprimitur, et advocatum quærit; inde dicit : sed tu *responde pro me*, id est, sis advocatus meus.

Quid dicam? Quasi admiratus peccata sua, et justitiam illius, quem invocat, dicit : Invoco te ut liberes me, sed *quid dicam* ex hoc quod invoco te; *aut quid respondebit mihi* ipse Deus? Quomodo fiet ipse Deus advocatus, *cum ipse fecerit* hanc mihi infirmitatem propter peccata mea? Quasi diceret : Quamvis intelligo iratum, et pœnam inferentem mihi propter peccata mea, tamen per cordis compunctionem scio placatum, et me ab infirmitate sanaturum.

Recogitabo. Quasi diceret : Et si responderis pro me et ab infirmitate me suscitaveris, *recogitabo tibi omnes annos meos* recompensando bona pro singulis bonis, quæ feci in præteritis annis meis, *in amaritudine animæ meæ*, id est, in gravi cordis compunctione. *Domine*. Proponit infirmitatem carnis non causa excusationis, sed causa facilius impetrandi. *Domine, si sic vivitur*, et in tanta carnis fragilitate, quæ peccatis non potest resistere *et* si *in talibus* peccatis est *vita spiritus mei*, id est sensualitatis meæ quod mea caro nihil docet et suggerit nisi peccata, quod revera est : quandiu homo in carne subsistit, tunc juste *corripies*, id est correptum et emendatum *me* facies per istam infirmitatem, et spatium emendandi tribues, *et* deinceps *vivificabis me* justum et sanctum efficies : et vere debeo corrigi et emendari, si spatium prolongatum fuerit, quia *ecce modo hoc recognosco*, quod *in pace* dum populus totus pacem habet, et tutus est ab inimicis, est ista *mea amaritudo* infirmitatis *amarissima*. Dum totus populus mecum in bellis periclitaretur, non poteram meam culpam ità attendere, sed per hoc quod solus punior, populo incolumi, ideo comperio hoc ex peccatis meis contigisse.

Tu autem. Ecce incipit ostendere quomodo convaluit, quasi diceret : Amaritudo est mihi, *tu autem eruisti*, indulgendo spatium vitæ, *animam meam, ut non periret :* et per hoc eruisti, quia *projecisti post tergum tuum omnia peccata mea*, oblivioni dedisti condonando :

Quia ideo me eruisti, ut ereptus confiterer, qua aliter non possem confiteri, quia *non infernus confitebitur tibi*. Nullus postquam in inferno est positus, potest te laudare, sic nec ego si ibi ponerer exigentibus peccatis, *neque mors*, id est aliquis in peccatis mortuus, etiam in hac *laudabit te* sicut decet, sic nec ego si in peccatis perseverarem : et illi *qui descendunt in lacum*, id est in infernum, vel profundum vitiorum, *non exspectabunt veritatem tuam*, id est in carne Filii tui promissam sibi utilem non intelligunt : sic nec ego, si in peccatis morerer, vel si in peccatis perseverarem, incarnationem Filii

tui futuram non intelligerem mihi profuturam.

Vivens. Illi non confitebuntur, sed *vivens*, id est, solus in virtutibus *vivens* in præsenti, et in beatitudine post mortem, *ipse* solus *confitebitur tibi :* et ideo me vivificasti, ut tibi confiterer.

Confitebitur tibi dico, et aliquis illorum vivificatorum factus *pater* et doctor aliis, *faciet filiis*, quos docet *notam veritatem tuam*, id est promissiones tuas, quod non vis mortem peccatoris, sed potius ut convertatur, et vivat (*Ezech.* XVIII) : *sicut et ego hodie* notifico per infirmitatem et sanationem meam.

Et ut possim confiteri, *Domine*, sicut cœpisti, deinceps *salvum me fac* et alios, *et* communiter *psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini*, non in excelsis, sicut hucusque promisisti.

CANTICUM ANNÆ.

Exsultavit. Anna diu perpessa opprobrium sterilitatis ab æmula sua Fenenna et filiis ejus, tandem fecundata, et Samuele filio suo, sicut mos erat, in templo adducto, quasi pro gratiarum actione cecinit hoc canticum Domino, in quo etiam prophetat salutem, quam Dominus tempore ipsius Samuelis, et per ipsum Samuelem facturus esset Israelitico populo. Per Annam prius sterilem, postea fecundatam, significatur gentilitas, quæ prius despecta a Judæis, postea conversa, Judæis est prælata : per Fenennam Judaicus populus, qui ante a Deo acceptus, postea est repudiatus : per Samuelem, Christus, qui futurus erat salus Judaici populi, id est omnis credentis. Materia est filius Annæ a Deo datus. Modus est, quod ostendit qualiter ipsa Anna pro filio sibi dato se habuerit, scilicet, quod Deo datori gratias retulit, et quid per ipsum Samuelem contigit, scilicet, salus populi, et destructio hostium. Intentio est, hortari ad laudem Dei, pro impetratione alicujus beneficii.

Vox Annæ, de accepto filio congratulantis : *Exsultavit cor meum in Domino* quod dedit mihi filium ; *et cornu meum*, id est, defensio mea contra improperium sterilitatis, *exaltatum est in Deo meo*, non in me superbivi, sed in omnibus me gratam exhibui Deo.

Et ipsum filium, *os meum* quod mihi prius improperantibus respondere non audebat, modo *est dilatatum super inimicos meos*, quia habeo quid respondeam æmulæ et filiis ejus : ideo exaltata sum, *quia lætata sum in salutari tuo*, id est, in filio, quem provideo salutarem populi tui, per te dato.

Non est sanctus. Et quia dedit salutarem, per hoc apparet, quod *non est* aliquis *sanctus ut est Dominus* qui tantumdem valeat. Vere non est æque aliquis sanctus, *neque enim est alius extra te.* Nullus est sanctus, nisi per *te*, *et non est* aliquis *fortis* in dandis beneficiis, potens *sicut Deus noster.*

Ergo *nolite*, tu æmula et filii Philistæi, quos intelligo devincendos in sacerdotio filii mei, *multiplicare loquitur sublimia* sicut usque huc *gloriantes.* Non tantum nova non multiplicetis, sed etiam *vetera* quæ solebatis, proferre, *recedant de ore vestro ;* ideo recedant, *quia Deus* omnia prævidens, cum vos exitum rei non intelligatis, jactantiæ vestræ pœnam præparabit : hoc dicit : quia *Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur,* id est antequam fiant, cognoscuntur *cogitationes* hominum.

Et quia novit conscientias vestras superbas, et meam humilitatem, ideo vos deposuit, et nos exaltavit : hoc dicit : *arcus,* id est potestas, *fortium,* id est æmulæ et filiorum, et Philistinorum, *superatus est* per meam fecunditatem, et per fortitudinem Judæorum, *et infirmi* ego et mei, vel etiam Hebræi, modo per istum filium *sunt accincti robore.*

Et illi, qui *prius repleti* fuerant potestate et divitiis, modo *pro panibus* quibus saturarentur, *se locaverunt* et servient ut mercenarii, *et* prius *famelici*, ut ego ipsa vel Judæi, *saturati sunt.*

Donec. Ego paulatim tantum crevi, et adversarii decreverunt, donec ad maximam vilitatem devenerunt : hoc dicit : *donec sterilis,* id est ego vel Judæa potius, impotens resistere allophilis, *peperit plurimos, et,* illa æmula *quæ multos habuit filios* vel allophili, qui multos habebant bellicosos, *infirmata est.*

Et hoc quod ego sum saturata, et illi infirmati, hoc est per *Dominum*, qui quos vult *mortificat, et* quos vult *vivificat* et mortificatos *deducit ad inferos*, ut ibi perpetuo remaneant, *et* quosdam *reducit*, quia prævidebat justos in Christi resurrectione reducendos.

Dominus etiam *pauperem facit et ditat* in divitiis, *humiliat et sublevat* in potestatibus.

Ipse dico *suscitans de pulvere*, id est de inferiori gradu *egenum* sicut me, vel meum populum, *et de stercore*, id est, de magno opprobrio et abjectione *pauperem erigens* in magnam dignitatem.

Ad hoc erigens, *ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat* sicut imperator.

Et ipse potest, *Domini enim sunt cardines terræ*, hoc est, ultimi fines terræ *et posuit orbem*, hoc est, te firmamentum *super eos* cardines.

Dominus etiam ipse postquam exaltat sanctos *servabit* ne peccent *pedes sanctorum suorum*, id est fines ipsorum, quia ad bonum finem perducet eos, *et* exposito, *impii conticescent* non audentes mutire, nec habentes bonum quod proferant, positi *in tenebris* inferni, jam conticescent : et *quia* ille tantum qui *vir* est, *roborabitur* in futuro, et hoc robur erit *non in sua fortitudine*, sed Dei.

Vir quidem fortis apparebit, sed *adversarii ejus* expertes divinæ fortitudinis *formidabunt*, et timidi apparebunt ante *Dominum*, *et* ipse existens *in cœlis, tonabit* per tubam archangeli horribiliter *super ipsos* dicens : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matt.* XXV). Vel antequam veniat ad illud judicium, in hoc præsenti intonabit in cœlis, id est per apostolos, qui eis prædicando annuntiabunt futuram miseriam.

Et non mirum si formidaverint, quia *Dominus* in illo judicio *judicabit omnes fines terræ*, id est cujuscunque modi homines, et hoc per filium ; et hoc dicit : *Et dabit imperium regi suo* Christo, *et* in

illo judicio *cornu*, id est altitudinem, quod in quibusdam depressum videtur; *sublimabit* ut hujus humanitati omnia subjiciantur, *Christi sui*, id est Filii, per Samuelem significati.

Allegorice potest psalmus ita totus legi. Vox Ecclesiæ de gentibus : Exsultavit cor meum in Domino, quia assumpta sum ad fidem : et exaltatum est cor meum in Deo meo, quia defensionem habeo contra improperantes Judæos.

Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia habeo quid eis respondeam, ipsos jam excæcatos per meam illuminationem, quia lætata sum in salutari tuo, quia fidem Filii tui salvatoris suscepi. O Judæi, nolite super me multiplicare loqui sublimia gloriantes.

Et recedant vetera, quæ improperare solebatis. Ideo recedant, quia arcus, id est potentia fortium Judæorum, est superatus per nos, qui modo plus intelligimus quam ipsi : et infirmi, id est nos accincti sumus robore scientiæ.

Et alii Judæi prius repleti sapientia, modo pro panibus se locaverunt, effecti sunt lumen gentilium, ut panem vitæ intellectus acciperent : et famelici gentiles, prius Deum ignorantes, saturati sunt scientia.

Tandiu crevit, donec gentilitas prius sterilis, peperit plurimos in fidem : et illa Judæa, quæ prius multos habebat filios, in cultum Dei instructos, infirmata et excæcata est. Et non mirum si gentilitas ita crevit, quia Dominus hoc fecit, mortificat excæcando, et illuminando vivificat : deducit ad inferos mortificatos, reducit vivificatos.

Et idem Dominus pauperes facit Judæos, et ditat gentiles, et humiliat superbos Judæos, et sublimat gentiles humiles.

Suscitans de pulvere, id est de ignorantia egenum gentilem, et de stercore idololatriæ ipsum pauperem erigens.

Ad hoc, ut sedeat cum principibus, id est cum apostolis, et solium gloriæ teneat in æterna beatitudine.

Domini enim sunt cardines terræ : sicut expositum est usque in finem.

CANTICUM MOYSI AD FILIOS ISRAEL.

Cantemus Domino. Filiis Israel per mare Rubrum eductis, quasi pro gratiarum actione cantavit Moyses Domino, quia inimicos eorum submerserat (*Exod.* xv), hoc canticum laudis, et filios Israel cantare docuit, Maria sorore sua præeunte et citharizante, in quo præfiguravit lætitiam sanctorum, qui per baptismum submersis vitiis, evaserunt, et Deo gratias referunt. Materia est transitus filiorum Israel per mare Rubrum, et submersio inimicorum. Modus est, quod ostendit se pro sua liberatione et hostium submersione Deo gratias reddere, et per quod transitus iste contigerit, scilicet, per dexteram et fortitudinem Dei : et prophetat etiam quid in ipso itinere post transitum eventurum sit, scilicet, qualiter eos A Deus ab omnibus in via obsistentibus liberabit, donec inducat in terram promissionis. Intentio est, hortari ad laudem Dei, propter ipsum transitum.

Vox Moysi de liberatione applaudentis : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est* cum in Ægypto operatus sit multa, in hac submersione hostium clarior apparuit, quia *equum*, id est, totam pompam et superbiam, *et ascensorem*, id est ipsum Pharaonem et milites ejus *dejecit in mare.*

Fortitudo mea. Determinat quis sit ille, qui ita gloriose magnificatus est, scilicet *Dominus*, quasi ille qui ita magnificatus est, est *fortitudo et laus mea*, qui facit me fortem et laudabilem *et* ipse factus est *mihi in salutem* submersis hostibus.

Iste idem est *Deus* creator *meus et* ideo *glorificabo* B *eum* et non novus Deus, sed *Deus patris mei* Abraham et aliorum, *et exaltabo eum* et ideo est laudandus.

Dominus. Et potuit projicere, et esse in salutem, et ipse *Dominus* est *quasi vir pugnator* contra inimicos fortiter pugnans : et si nescitis quis sit, ego dico vobis, *omnipotens nomen ejus : currus* hic determinat quem equum, et quem ascensorem superius intellexerat : quasi diceret : et quia est pugnator et omnipotens, ideo projecit *currus Pharaonis* et ipsum Pharaonem cum superbia et pompa sua : et non ipsum tantum, sed *exercitum ejus*, id est totum comitatum ejus, *projecit in mare.*

Et non tantum quoslibet, sed *electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro* et quia potuissent sub- C mergi, et iterum emergere, addit *abyssi*, id est profunditates aquarum *operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis*, id est, ad similitudinem lapidis ad inferiora descendentis, semper.

Dextera tua, Domine. Incipit determinare per quid submersionem illam fecerit, scilicet, per fortitudinem dextræ, id est operationis suæ : hoc dicit : O *Domine*, ita illi submersi sunt, et in hoc est *dextera tua*, hoc est, operatio tua, *magnificata est in fortitudine*, id est, in hoc forti opere. Vel, magnificata est in fortitudine, quasi recognita est fortis esse : et vere dextera tua est fortis, quia *dextera tua*, id est operatio et virtus tua, non casus vel mutatio elementi *percussit inimicum* Pharaonem, *et in multitudine gloriæ tuæ*, id est, *in multiplici gloria deposuisti adversarios* D *meos* totam familiam Pharaonis.

Misisti iram tuam. Adhuc ostendit qualiter operatus sit, tu *misisti iram tuam* super eos *quæ devoravit eos* in aqua, tam cito *sicut* ignis vorat *stipulam*, *et in spiritu furoris tui* in turbine venti, quem iratus immisisti, *congregatæ sunt aquæ* super eos.

Sed priusquam illi ingrederentur, *stetit unda*, id est, divisa est aqua, quod est mirum, quia ipsa est in sua natura *fluens :* et non tantum juxta ripam divisa est aqua, sed etiam *in medio mari congregati sunt abyssi* quasi murus a dextris et a sinistris : abyssi, id est, profunditates aquarum ; et ideo quia vidit aquam stantem, *dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia* meis militibus, quæ

ipsi rapuerunt ab Ægyptiis, *implebitur anima mea* illis spoliis, votum meum satiabo.

Et super ipsos *evaginabo*, non retraham ab occisione *gladium meum : et interficiet eos manus mea.*

Ipse ita disponebat, sed *spiritus tuus* vel turbo, *flavit* immissus, *et operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Et quia ita fortiter egisti, o *Domine, quis similis tui in fortibus*, id est, inter fortes? et præter fortitudinem, *quis magnificus* est *similis tui in sanctitate?* et quis ita est *terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia* sicut tu?

Et in illa submersione *extendisti*, id est, magnificasti *manum tuam*, id est, operationem tuam, et devoravit eos terra, id est, spes terræ, quia videbant terram nudam.

Dux fuisti. Hic incipit ostendere prophetando ex parte, qualiter eos per desertum traduxit usque in terram promissionis : et populo traducto, *dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti.*

Et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum, id est, in Hierusalem, ubi sanctificaris.

Et interim dum transirent per desertum, *ascenderunt populi* in occursum, et nocumentum eis, *et irati sunt* quod transirent fines eorum : et determinat qui populi, scilicet, *dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.*

Et *tunc conturbati sunt principes Edom*, id est, Idumæorum, qui de Esau descenderunt : *robustos Moab obtinuit tremor* illis transeuntibus, *obriguerunt* timore *omnes habitatores Chanaan.*

Irruat super eos. Prophetando dicit, quasi diceret : Ipsi timebunt et hoc concedo, *irruat super eos formido* mentis, *et pavor* corporis *in magnitudine brachii tui* in magna fortitudine.

Et oro ut contra Israel *fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat*, id est, per loca eorum transeat *populus tuus, Domine*, et non tantum per loca quædam, sed *donec* omnino *pertranseat populus tuus iste quem possedisti* usque in terram promissionis.

Et sicut oro, ita fiet, quia tu *introduces eos* in terram promissionis *et* firmiter *plantabis in monte hæreditatis tuæ*, quæ montana Judææ scilicet, in *firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine*, quod tu illis præparasti.

Et illud habitaculum quod tu illis dedisti, est sanctuarium tuum, Domine, quia ibi sanctificabis *quod firmaverunt manus tuæ*, ut quandiu obedirent tibi, firmiter illud tenerent : et iste *Dominus* qui ista omnia operatus est, *regnabit in æternum*, id est, quantum aliquis potest cogitare *et ultra* quam aliquis potest cogitare.

Et possumus certi esse quod hæc omnia, quæ adhuc restant, operabitur : quod potest videri per principium operum, ut exhibitio præteritorum sit certitudo futurorum : hoc dicit : *Ingressus est enim Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare, et reduxit super eos Dominus aquas maris.*

Filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus.

Allegorice potest legi. Vox fidelium in baptismo purificatorum, et de diabolo, et vitiorum destructione Deum glorificantium : Nos purgati in baptismate cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est in hac nostra recreatione, plus quam in prima creatione : ideo cantemus, quia equum, id est, totam superbiam diaboli, et ipsum diabolum ascensorem hujus equi, dejecit in mare, quia potestatem quam exercebat super totum humanum genus, in baptizatis perdidit.

Fortitudo mea et laus mea Dominus, sicut expositum est : et ipse cum sit creator omnium, factus est creatura, valens mihi in æternam salutem.

Iste Deus meus, et glorificabo eum, Deus patris mei Abrahæ et aliorum : vel caput Christi, qui est pater baptizatorum : unde dicit Apostolus : *Caput Christi Deus* (*I Cor.* XI). Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eis, currus scilicet determinatio est, quis sit ascensor currus, id est, illos malos, qui multi congregantur in eadem militia, ad portandum Pharaonem, id est, Beelzebub principem dæmoniorum, et omnem exercitum ejus, id est, minores diabolos, projecit in mare, quia jam non habent tantam efficaciam nocendi in baptizatis.

Electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro, in sanguine Christi.

Dextera. Quasi diceret : Per Filium tuum hæc omnia operatus es : dextera tua percussit inimicum, id est, diabolum : et in multitudine gloriæ tuæ, id est, in multiplici gloria nativitatis, passionis, resurrectionis, deposuisti adversarios meos malignos spiritus.

Misisti. Adhuc ostendit quomodo deposuit et submersit : misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam : et in Spiritu sancto ministratore tui furoris, sicut est minister gratiarum, præter ablatam potestatem in baptismo, congregatæ super ipsos malignos spiritus et multiplicatæ sunt aquæ, id est, tribulationes, quod erit in futuro, quando torquebuntur in inferno.

Sed interim ante diem judicii stetit unda, et prolongata est, unda fluens, id est, pœnam inundans, quia nondum torquentur. Adhuc augmentat pœnam reservatam, dicendo, abyssi, id est, illæ profundissimæ pœnæ congregatæ, id est, reservatæ et multiplicatæ in medio mari.

Et ideo, quia vidit diabolus in hoc præsenti pœnam dilatam, dixit : Persequar istos quos video mihi subtractos, et comprehendam per peccata : dividam spolia, id est, virtutes auferam : implebitur, id est, satiabitur, anima mea, id est, desiderium meum, quia nolo ut in loco unde cecidi, substituantur.

Et si non potero deceptionibus proficere, evaginabo per meos ministros gladium meum, ut terrore

moveantur, et interficiet eos manus mea corporaliter.

Flavit. Ipse ita disponebat persequi et interficere, sed spiritus tuus sanctus flavit et conturbavit eos, et potestatem ejus imminuit, et operuit eos mare, aqua baptismi : et ita operuit, ne rursus resurgerent in pristinam potestatem : hoc dicit : submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus, quæ magnam potestatem habent.

Quis similis tui in fortibus, Domine? sicut expositum est.

Extendisti in baptismo, ita potestate privasti : et quantum ad diem judicii, extendisti, id est dilatasti, et amplificasti manum, id est, vindictam tuam, quam illis inferes.

Et illis ita subversis, et ad majorem pœnam destinatis, dux fuisti per desertum hujus vitæ post baptismum populo quem redemisti pretio sanguinis, in misericordia tua, id est, in multiplici gratiarum largitione.

Et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum, usque in æternam beatitudinem.

Ad quam beatitudinem dum tenderet, ascenderunt ut eos detinerent populi, id est, multitudo vitiorum, vel malorum hominum, et irati sunt contra eos tribulando. Exponit per partes, malorum : quasi diceret : Et quia vincere non potuerunt, ideo dolores obtinuerunt habitatores Philistiim : Philistiim interpretatur, *potione cadens*, et significat ebrios terrenis, qui sanctos volunt pervertere : quod quia non possunt, dolent.

Tunc conturbati sunt principes Edom, id est sanguineus, qui sanctos persequitur : robustos Moab obtinuit tremor. Moab *lege abutens* interpretatur, et significat incestuosos, et aliis vitiis obnoxios : qui omnes dolent de perseverantia bonorum, et timent pœnas, quæ per eos annuntiantur : omnes habitatores Chanaan. Chanaan, id est, descensus, et significat in infima vitiorum detrusos, qui dolent, quod non possunt detinere.

Irruat. Quasi diceret : Isti mali ita volunt sanctos pervertere, sed irruat super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui, id est, filii.

Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus per hanc vitam, usque ad cœlestem vitam, populus tuus iste quem possedisti.

Et ita fiet : introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, id est, in cœlestem beatitudinem, scilicet, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine, timentibus te.

Illud opus dico, sanctuarium tuum, Domine, quia nihil coinquinatum intrabit in illud. Cætera per se patent.

ORATIO HABACUC PROPHETÆ

Pro ignorantiis.

Domine, audivi. Habacuc inter cætera prophetiæ suæ verba etiam Christi nativitatem prophetat, de qua, quoniam magnam utilitatem proventuram intellexit, hoc canticum exsultationis Deo cecinit, in quo materiam habet ipsam Christi incarnationem et passionem. Modus est, quod enumerat et determinat bona, quæ per ipsam nativitatem hominibus sunt impensa. Intentio est, hortari ad laudem Dei pro incarnatione Filii.

Domine, audivi per internam locutionem *auditionem tuam*, id est, illud quod de te audiri facis ab aliis, scilicet, incarnationem Filii, *et timui* quia rem contra naturam intellexi.

Domine. Quasi diceret : Res quidem mirabilis est, sed jam ulterius inde mirabor, quia intelligo te potentem, ut facias contra naturam : hoc dicit : *Opus tuum, Domine*, est *istud*, id est, tuæ omnipotentiæ congruum : et hoc opus tuum, Domine, *vivifica*, id est, vividum et potens ostende, et efficax, et pluribus notum ; quod quidem tempore meæ sterilitatis non continget, sed *in medio annorum* in plenitudine temporum, quando erit quasi cor annorum.

In medio annorum. Quasi diceret : Et sicut ego oro, ita tu *facies notum* illud opus, id est, illam incarnationem, *recordaberis* in operis adimpletione, *misericordiæ* primo homini positæ, sed propter peccatum subtractæ, et quasi oblivioni datæ, *cum* prius *iratus fueris* homini ipsi.

Deus. Quia occulte locutus erat in ænigmate, ideo aperte determinat quod opus, et quam auditionem intellexerat. *Deus ab austro*, id est, ab Ægypto, unde auster flat, *veniet* ad terram Israel defuncto Herode. Unde dicitur : *Ex Ægypto vocavi Filium meum* (*Matth.* II; *Ose.* XI), *et* ipse idem *sanctus* veniet *de monte Pharan.* Pharan locus est in Ægypto, qui Pharos dicitur, turris in ora maris : unde reges terræ illius Pharaones dicuntur. Deus, ex natura Patris : sanctus, ex humanitate.

Operuit cœlos. Et ille cum Deus et sanctus sit, *gloria ejus operuit cœlos*, id est, illos qui majores sunt, obtenebrat sua claritate : et etiam illuminat minorem lucem illorum, majori lumine suffundens, *et terra* tota *plena est laudis ejus*, id est, terreni laudant eum, vel per eum laudabiles fiunt.

Splendor ejus. Ecce de passione : et postquam *splendor ejus* per totum mundum *ut lux erit*, tunc *cornua* crucis erunt *in manibus ejus.*

Et quamvis ita magnus, tamen poterit crucifigi, quia *ibi*, id est, in tempore passionis, *abscondita est fortitudo ejus*, quando se totum tradidit in potestatem crucifigentium : et ex hac crucifixione magna utilitas proveniet, quia illo resurgente *ante faciem*, id est præsentiam *ejus, ibit mors* et destruetur, quia per eum facultas resurgendi omnibus datur.

Et per ejus resurrectionem *egredietur diabolus* fortis armatus de domo quam prius possederat *ante pedes ejus*, ubicunque ipse per inspirationem incesserit : et diabolus perdens jus suum, *stetit*, *et* erectus in immortalitatem et impassibilitatem, *mensus est terram*, id est, per mensuram, quos voluit, de terra accepit : quos noluit, reprobavit.

Et *aspexit*, id est, merita singulorum pensavit, *et* A *dissolvit gentes* a frigore infidelitatis, *et montes sæculi*, id est, potentiores et superbiores in hoc mundo, *sunt contriti*, id est, recognoscendo peccata, humiliati et valde compuncti.

Et etiam *colles mundi*, id est, sæcularii potentes, *sunt incurvati* ad pœnitentiam, *ab itineribus æternitatis ejus* per itinera, quæ facit æternitas in mundo, prædicando per ipsam humanitatem Christi, et per ejus apostolos.

Vidi etiam, id est, prophetico spiritu intellexi, quod tentoria *Æthiopiæ*, hoc est illi qui nigri sunt in vitiis, et in tentoriis morantur assidue, in illis militantes, turbabuntur per pœnitentiam *pro iniquitate* sua præterita : et etiam *turbabuntur* per pœnitentiam *pelles*, id est, militantes in tentoriis, quæ B fiebant de pellibus : pelles dico *terræ*, id est possessæ a terrenis, qui sunt *Madian*, id est declinantes judicium, id est non credentes se puniri propter peccata. Madian est populus qui obstitit Israeli ingredienti terram promissionis, et significant qui, illos sanctis tendentibus ad beatitudinem, impedimenta parant.

Nunquid. Determinat per quid ista conversio fiat, scilicet, per doctrinam et baptismum, quod sic dicit : *Domine*, qui prius vindictam tuam in aquis diluvii exercuisti (*Gen.* VII), et aquas Ægypti in sanguinem convertisti, et aquas maris super Ægyptios invertisti (*Exod.* XIV), *nunquid* adhuc *iratus es in fluminibus* Scripturarum, ut convertas eas in sanC guinem, id est, in falsum intellectum litteralem, ut potatos occidant ; quasi diceret : Non est amplius iratus, sed iam est verus et salubris intellectus : *aut* nunquid est adhuc *furor tuus*, id est continuatio iræ tuæ, sicut prius exercuisti iram tuam, ita modo exerceas continue *in fluminibus* iram tuam ; quasi diceret : Non, sed sicut prius continue iram tuam exercuisti per aquas, ita modo continue per doctrinas Scripturarum misereris : *vel* est adhuc *in mari indignatio tua?* Non est, sed sicut in mari Pharaonem et suos occidisti, ita ex opposito homines in baptismo modo salvos facis.

Qui ascendis. Ecce quomodo facis scripturas salubres ; quasi ita dico : *quia ascendis super equos tuos*, id est super apostolos tuos, qui te per mundum ferunt, D *et quadrigæ tuæ salvatio*, scilicet, quatuor Evangelia, sunt salvatio populi tui. Evangelia quadrigæ dicuntur propter quatuor de Christo prædicata, nativitatem, passionem, resurrectionem et ascensionem.

Et per eos equos *suscitans suscitabis* continue *arcum tuum*, id est veterem legem, quæ prius erat inutilis ad litteram intellecta : modo per legem novam intendisti, et quasi chordam in arcu posuisti, et ad notitiam multorum direxisti : et etiam suscitabis *juramenta*, id est firmas promissiones, *quæ locutus es* non uni tantum, sed multis *tribubus*, sicut Isaac et Jacob, et aliis, dicendo : *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ* (*Gen.* XXII), vel omnes gentes.

Fluvios scindes. Et per illam doctrinam legis suscitatam *scindes*, id est falsificabis, *fluvios terræ*, id est abundantes doctrinas terrenorum, qui volunt negare partum virginis, et alia hujusmodi ; et cum ita scindes, *viderunt te aquæ*, id est in multisona sapientia affluentes ; *et* ipsi quidem dicti *montes* præ superbia, *doluerunt* pro falsificata mortificata sapientia ; et illis infirmatis, *gurges aquarum transiit*, id est, abundantia impetus tuæ doctrinæ per omnes illorum cavillationes inviolata transiit, usque ad terminos mundi.

Et in illo transitu *abyssus* in sæculari scientia profundissimi, ad detinendum *dedit vocem suam*, id est falsam disputationem ; et cum per fallaces disputationes non posset vincere *altitudo*, id est superbi et B potentes, *levavit manus suas* percutiendo.

Sed tamen *sol*, id est ipse Christus, *et luna*, id est Ecclesia, contra illos impugnantes firmiter *steterunt in habitaculo suo* in soliditate mentis suæ ; et per hoc quod ita steterunt, *ibunt* gentes ad fidem *in luce sagittarum tuarum*, id est apostolorum, et maxime ibunt *in splendore fulgurantis hastæ tuæ*, id est per prædicationem Christi, qui fuit quasi fulgurans hasta ad comparationem sagittarum.

Et hoc mitibus et pacificis verbis illi noluerunt converti, tu vero *conculcabis* et convincendo convertes *terram*, id est illos terrenos, *in fremitu*, id est in fremente et violenta prædicatione, *et obstupefacies*, id est stupidas et immobiles quantum ad priC ra opera reddes illas *gentes* gentilitati deditas *in furore*, id est, in furenti et comminanti prædicatione, quando comminaberis infernales pœnas.

Et tum bene poteris facere, quia cum tu prius esses in occulto, paucis cognitus, modo per incarnationem Filii *egressus es in salutem* multorum, valens in salutem *populi tui*, *in salutem cum Christo tuo*, quasi diceret, per Christum dabis illam salutem.

Populo tuo es in salutem, sed *caput*, id est diabolum, *percussisti de domo impii*, id est de cordibus malorum ; *et ipsum fundamentum ejus*, id est illos in quibus fortiter erat fundatus, *denudasti* ab illo diabolo *usque ad collum* ipsius diaboli vinciendum et puniendum æternaliter : per simile loquitur, sicut aliquis captivus, qui ad pœnam ducitur per collum D ligatus.

Et interim tamen dum non dimittis ita æternaliter *maledixisti sceptris ejus*, id est minuisti potestatem ejus, quam prius exercebant in omnes ; et maledixisti *capiti bellatorum ejus*, id est illis principibus, qui inter bellatores et persecutores sunt capita et majores : capiti dico et sceptris *venientibus ad dispergendum me ut turbo* mare concutit.

Ipsi veniunt ad dispergendum, sed nihil lucrabuntur : quia si occidunt corpus, animam occidere non possunt (*Matth.* X) ; hoc dicit : *Exsultatio eorum* persequentium me, *sicut* exsultatio *ipsius, qui devorat pauperem in abscondito* loco ; et cum ille prius credidisset illum esse divitem, et per mortem illius

se habiturum divitias, illo interfecto, recognoscit pauperem esse, et ideo nihil esse lucratum.

Viam. Vere exsultatio eorum inanis est, quia per medium eorum persecutorum *fecisti equis tuis*, id est sanctis te ferentibus, *viam* et transitum *in mari*, id est in mundo, scilicet, *in luto aquarum multarum*, in loco ubi sunt aquæ multæ, carnales concupiscentiæ, quæ generant lutum, in quo pedes affectionum infiguntur, sed sancti bonarum planta affectionum lutum hujusmodi egrediuntur.

Audivi. Quasi diceret, sancti transeunt, sed tamen in hac via tribulantur graviter; hoc dicit : *audivi* quid in hac via contra transeuntes machinentur, *et venter meus*, id est infirmitas carnis meæ, *conturbatus est* ex fragilitate carnis meæ, et *labia mea contremuerunt*, id est in timore carnis annuntiaverunt verbum Dei *a voce* illorum audita, id est intellectis quas illi præparabant.

Ingrediatur. Caro timuit, sed tamen non ideo cessabo, potius *ingrediatur putredo* etiam subter me corruptio *in ossibus meis* usque etiam ad ossa; *et* ipsa putredo etiam *subter me scateat*, hoc est, ante permitterem me ita affligi, ut vermes de corpore meo effluerent.

Ideo patior, *ut in die tribulationis* quando illi persecutores torquebuntur in inferno, *requiescam et ascendam* in cœlum *ad populum accinctum nostrum* ad consortium illorum, qui fuerunt populus noster, id est nobis in fide et operibus similes, qui fuerunt in hac vita bene succincti et præparati.

Ficus. Et vere tribulantur, omnia enim bona quæ in hoc mundo amaverunt, ibi perdent : quod exsequitur per partes terrenorum : *Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis.*

Mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum.

Abscindetur de ovili pecus, et non erit armentum in præsepibus.

Ego autem. Illi suis bonis perditis contristantur, *ego autem* adepta beatitudine *gaudebo in Domino, et exsultabo in Deo Jesu meo.*

Et idem *Deus Dominus* est *fortitudo mea* in hoc præsenti, *et ponet* in hac vita *pedes meos quasi cervorum :* ita cito ascendere faciet, sicut cervus cito ascendit, *et deducet me victor* in futuro *super excelsa* cœli *in psalmis canentem.*

CANTICUM MOYSI.

Audite, cœli. Prædixerat Dominus (*Deut.* XXXII) Moysen moriturum esse, et post mortem suam Israel in terram promissionis inducendum, et ibi peccaturum, ut et alienos deos adoraret, quare mirabiliter Deus eos affligeret : quare ne videretur ex impotentia Dei esse, qui prius protexerat eos, præcepit Dominus scribi, illud contingere propter peccata sua, non propter Dei impotentiam, qui peccantes affligit, et ab inimicis permittit conculcari; et ideo scribi voluit, ut etiam de sequentibus idem crederetur, quod quando puniuntur, et a Deo deseruntur, pro peccatis est eorum : neque debet Deo imputari, qui si non peccarent, custodiret eos. Enumerat autem hic Moyses bona quæ Deus fecit eis, et e contra mala quæ ipsi reddiderunt ei, etiam postquam tot periculis ereptos induxit in terram promissionis, unde meruerunt graviter puniri, et ab hostibus conculcari. In prima parte ostendit hæc quæ hic docet, valde esse utilia, unde tam majorum quam minorum invocat testimonium; et hoc est.

Audite, cœli, quæ loquar, audiat terra verba oris mei : quasi diceret : Omnes audiant, et cognoscentes verum esse approbent, et posteris annuntient.

Concrescat in pluviam doctrina mea. Ecce quod utile est, corda auditorum sterilia concrescere facit et fecundari, sicut aqua terram; *fluat ut ros eloquium meum* ad utilitatem iterum terrenorum, qui de judiciis Dei male sentiunt.

Quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina, quia nomen Domini invocabo; quasi diceret : Omnes audire debetis, quia invocabo testimonium eorum quæ dico, nomen Domini.

Date. Hic incipit narrare, quæ bona fecit illis, unde prius invitat eos ad bene operandum; et hoc est : *Date magnificentiam Deo nostro*, id est extollite quantum ad vos, eum qui in se magnus est, quod debetis, quia omnia *opera Dei perfecta sunt*, in omnibus quæ fecit est perfectio, *et omnes viæ ejus* quibus venit ad homines sunt *judicia* recte disposita, etsi quædam occulta.

Deus fidelis, et absque ulla iniquitate : commendat eum, *justus* etiam est Deus, *et rectus* hoc est, viæ ejus.

Vel si justus et rectus, *peccaverunt ei* quia etiam illi qui justi videntur, peccatores sunt comparatione : *et non*, id est, nunquid etiam *Filii ejus* sunt *in sordibus?* Sunt utique, etiam illi qui videntur filii. Vel sic : Justus est, rectus est Dominus, et non filii peccaverunt ei, et illi non filii ejus sunt in sordibus.

Generatio prava et perversa. Increpatio : quasi diceret : Illi non filii sunt prava generatio, *hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens?* Mala scilicet et perversa.

Nunquid non ipse est Pater tuus? Quasi diceret : Non deberes hæc reddere, quia Pater tuus multa fecit tibi; et hoc est : *qui possedit te* regendo, *et fecit et creavit te.* Præposterus ordo.

Memento dierum antiquorum in quibus bona exhibuit, *cogita generationes singulas* quibus singulis bene fecit.

Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi majores tuos post Abraham, Isaac, deinde Jacob, et sic per singula, *et dicent tibi* bona quæ fecit antiquis.

Quando dividebat. Subdit quæ fecit, scilicet quando Altissimus dividebat gentes : non ante constitutionem turris legitur facta divisio gentium, sed tunc cœpit : et quot fuerunt capita et principes in gigantibus illis, tot divisiones linguarum factæ sunt in eis. In Hebræo, et in suis remansit lingua Hebræa, quia

non consensit aliis. Postea adeo imminutus est ille numerus colentium unum Deum, ut tempore Abrahæ vix invenirentur duodecim. Ipsi etiam dictum est. *Exi de terra tua, et de cognatione tua* (*Gen.* XII); et hoc est : quando Altissimus dividebat gentes, id est, *quando separabat filios Adam* per linguarum varietatem facta est separatio illa : et quando *constituit terminos populorum.* Suspensive usque illuc : Pars autem Domini, etc., secundum linguas terminantur populi, per quas est principalis divisio, quod post ea sub eadem lingua divisi sunt populi : sub divisione juxta numerum angelorum Dei ponunt alii, quia singulis populis delegati angeli ad custodiam, et juxta numerum illorum angelorum est numerus populorum majorum; et etiam infidelibus populis delegantur angeli ad custodiendum primam naturam in illis, quæ bona est creatura Dei. An unusquisque homo habeat angelum, non est certum nobis, is est sensus, *juxta numerum filiorum Israel* ut angeli vocentur filii Israel. Vel, juxta numerum filiorum Israel, quia tot animas induxit Israel, id est Jacob, in terram Ægypti, scilicet septuaginta, id est, tot sunt varietates linguarum, et secundum linguas populorum.

Pars autem Domini. Quasi diceret : Alios sub angelis constituit, sed *populus Domini est pars ejus*, quia eum spiritualiter quasi in manu sua custodivit, cui tamen familiarem suum Michaelem delegavit, *et Jacob.* Hic est ille populus *funiculus hæreditatis ejus* quem sibi inhabitandum elegit.

Invenit. Subdit adhuc bona quæ fecit populo illi, *invenit eum in terra deserta* Abraham Huz Chaldæorum populum suum in Ægypto, *in loco horroris*, scilicet deserto, *et vastæ solitudinis circumduxit eum et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila, provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans* ne vel calor, vel ventus noceat eis, sic Deus facit suis, *expandit* longe *alas suas*, protectiones, *et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.*

Dominus solus ejus fuit; quasi diceret : Ipse totum fecit, *et non erat cum eo* populo *Deus alienus.* Postquam enim venit ad deos alienos, destructus est.

Constituit eum super excelsam terram Hierusalem, quæ in vertice est, vel Ecclesiam, *ut* ibi *comederet fructus agrorum* tam corporales quam spirituales.

Et *ut sugeret mel de petra*, et si ad litteram sit lapidosa terra illa, tamen abundat ibi mel, et invenitur in arundinibus : de significato patet, *oleumque de saxo* quia inter saxa oleæ crescunt.

Butyrum corrupte, quasi bovis caseum, *de armento* butyrum doctrina majorum *et lac de ovibus* doctrina in minoribus, *cum adipe* interiori devotione, *agnorum et arietum* majorum et minorum *filiorum Basan.* Terra Basan pascuosa est, et est ultra Jordanem, in quibus tribus duæ habitaverunt.

Et hircos per quos pœnitentes significantur, *cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberent*, ad litteram sunt rubicundæ : mysticum patet.

Incrassatus cum sic abundaret, superbivit in diis alienis, id est idolis a Deo diversis.

Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. Increpatio interposita.

Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii et filiæ.

Narrationem repetit. Vidit mala quæ faciebant, *et ait : Abscondam faciem eam ab eis;* prius illuminabat, dum facies sua ad eos erat conversa; sed faciem abscondit, dum auxilium subtrahit; *et considerabo novissima eorum*, quia præcipitantur in gravissima mala.

Et merito, quia *generatio perversa est, et infideles filii.*

In eo qui non est Deus, id est, colendo idolum pro Deo quod non est Deus : *in eo qui non est populus*, id est, recipiendo gentes qui non est populus meus.

Hic prophetat conversionem gentium, *in gente stulta*, id est, gentilibus qui stulti erant prius, dum sine cultu Dei vivebant, *irritabo* ut invideant illis receptis ad fidem, *et ardebit usque ad infernin ovissima.* In præsenti enim incipit pœna malorum duratura in æternum; neque punit Deus bis.

Propter hoc in idipsum *devorabit terram*, id est terrenos.

Congregabo : multiplicabo.

Fame. Illi in deserto corporali significato per illos spirituali, aves materiales devoraverunt eorum prostratorum in deserto. Dæmones sunt aves, qui devorant spiritualiter.

Trahentium super terram atque serpentium, hoc est, qui sunt serpentes in terrenis et voluptuosis, *foris vastabit eos gladius et intus pavor*, ita ad litteram factum est in illis : idem spiritualiter fit, quia exterius affliguntur, interius torquebuntur : *juvenem*, nec sexui nec ætati pepercit.

Et dixi. Cum hæc mala fierent, eis *dixi*, id est videntes hoc dicere feci : *ubinam sunt?* illi qui prius a Deo potentes fuerunt; *cessare faciam* verba Dei.

Hoc fiet in futuro, *sed* interim *propter iram inimicorum distuli*, id est propter gentiles qui hoc sibi imputarent.

Gens absque verba Moysi, totum de illis.

Quomodo persequebatur unus mille. Hoc prius faciebant, sed converso modo fit in eis.

Et hoc *ideo*, *quia Deus* qui prius *suus*, *vendidit eos*, id est a se alienavit, *et Dominus conclusit eos* inter hostes, ita ut non possint liberari.

Et inimici etiam nostri sunt judices et testes de hoc, quia nunquam audebant eos invadere, nisi quando sciebant Deum eis iratum propter peccata.

De vinea Sodomorum, est *vinea eorum*, quia de mala radice eorum sunt progeniti, et similes illis; *et botrus*, femininum est, de illis quæ apud Græcos in os desinunt, et apud nos feminini sunt generis, ut synodus, etc.

Nonne hæc condita sunt? Verba Dei, quasi diceret : Hæc quæ fecerunt, non sunt abscondita

mihi *in thesauris meis*, id est in secretis dispositionibus.

Tempore convenienter a me disposito *ut labatur ves eorum*, peccent in præsenti.

Juxta est dies, id est prope est, *et tempora* quibus punientur *festinant adesse*, id est appropinquant.

Videbit, id est, *videri faciet*, quod infirmata sit manus, id est operatio, vel ad defendendum contra hostes, *et clausi* inter muros, ut defenderent se, scilicet, fortiores *residui* minores et debiliores; et dicent hæc videntes:

Levabo ad cœlum manum, hoc de Christo ascendente, vel de suis quos ascendere facit.

Vivo ego in æternum. Ecce juramentum Dei, et supponit quid jurat sic.

Si acuero, quod vere erit.

De cruore occisorum, scilicet, inebriabo sagittas, *et de captivitate capitis*, id est, qui est caput inimicorum: capitis dico *nudati* tunc omni potestate sua privati. Verba tracta sunt de hoc quod captivi tondebantur et vendebantur.

Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur. Et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

COMMENTARIORUM IN ISAIAM

LIBRI TRES

Ab eodem auctore dum viveret, multorum additione, quæ in aliis plerisque exemplaribus desiderantur, passim locupletati et recognitione postrema ad unguem ubique recogniti.

(*Coloniæ, per honestum civem Petrum Quentell, anno* 1531 [a].)

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. CUTBERTO

In Dorren apud Anglos episcopo præstantissimo sive præsuli Duracensi

SUMMÆ AUCTORITATIS VIRO

PETRUS QUENTELL, *chalcographus Coloniensis*:

S. P. D.

Franciscus Birckman, bibliopola, communis noster dum vixit amicus, priusquam naturæ Deoque concedens, rebus etiam excederet humanis, attulit secum ex Anglia tuo nomine atque etiam ex commissione tuæ reverendæ paternitatis Haymonem in Isaiam prophetam, ab omnibus sacrarum litterarum studiosis jamdiu desideratum, ut typis illum exararem politioribus. Tuæ igitur celsitudini, tuæque pientissimæ paternitati doctorem illum orthodoxum, omnium litteris atque linguis extollendum, in clarissimi tui nominis laudem ac gloriam, jam recens a me excusum, humiliter ac reverenter dedico. Succisivis autem temporibus omnia ejusdem divi Haymonis opera, et has quoque in Isaiam enarrationes, non in parva (ut aiunt) forma, sed in majore potius ac magis egregia, perque tomos non indecenter distincta, ad ampliorem tuæ celsitudinis honorem libens impressero. Valeat feliciter in Christo R. T. P., cui et hanc opellam, a me suppliciter dedicatam, boni consulat, mihique parcat, si vel titulo ejusdem vel honori, mihi nunc, proh dolor! incognitis, non ex omni parte satisfecerim. Coloniæ ex officina nostra litteraria, quarto Idus Februarias, anno post Christum natum 1531.

[a] Titulus editionis rarissimæ quam sequimur. Ad calcem paginæ hæc præterea de auctore nostro leguntur: « Porro de auctore non est quod dubites, lector, cum R. in Christo Pater atque doctissimus vir Joannes Tritenhemius, Abbas Spanhemensis, in suo de ecclesiasticis scriptoribus libro testetur Haymonem episcopum Halberstatensem tres in Isaiam libros scripsisse, ita incipientes: *Isaias propheta nobili prosapia*, etc. »

F. NICOLAUS HERBORN

Ordinis Fratrum Minorum regularis observantiæ per provinciam Coloniæ minister

Candido lectori S. D. P.

Quanquam, Christiane lector, me publicum, quo suffectus sum nolens, munus hoc ministeriatus, ut vocant, sic sibi porro mancipaverit, ut vix per transennam quidpiam in bonos, quod dolens infelicitatem meam palam queror, auctores otii, studii ac operæ impendere liceat : nolo tamen me sic devincat sicque mergat in abyssum, ut aliquando nihil porro mihi cum musis sit commune. Quippe qui in ea legatione sum pro Christi gloria, quam sine bonis litteris, adeoque sine divinarum Scripturarum lectione, ac frequenti meditatione, usu et exercitio, neque debeo, neque possum, ut par est exsequi. Et recte quidem, mea sententia, mihi idipsum persuasi. Novi enim quot Ecclesiarum debitor fuerit Paulus, novi quanta sollicitudine omnium utilitatibus prospexerit, quot vigilias, quam inexhaustos labores, quanta discrimina hac ratione obiverit, quo videlicet omnes lucrifaceret Christo : interim tamen sacris litteris operam adeo navavit omnem, ut etiamnum membranulas afferre jusserit Timotheum. Quæ res mihi frequenter hic in mentem venit, sicque persuasit, ut nunquam e manibus meis, nisi dormiens, forsan et statario prandio exhaustis corporis viriculis satisfaciens, libri illustrium virorum excidant. Quo casu forteque factum est, ut et Haymonis, præclarissimi viri præclarissima hæc exegesis per amicos sit oblata. Quam dum perspicio, facio autem sæpius mirari ejus viri ingenium, judicium, sinceritatem, atque in divinas litteras propensam studiosamque diligentiam, mecum soleo. Neque enim oscitanter, neque segnius, quanquam interim laconice breviterque multa attigisse potius quam tractasse videtur, sacras litteras versatus est, neque sic versatus est ut non præclare præstiterit quæ pollicitus est.

Verum omnia absolvit, expendit, tractavit, exposuit, ut et a genuino sensu non discedat, et singula tamen quæ ad textus consequentiam conducunt, exponat. Cavit et hoc vitii, quod multis fere cognatum est hisce temporibus, quibus scribimus indocti et doctique poemata passim, magisque nostra ingerere ambitiose quærimus quam prodesse aliis, quod est aliorum præ se contemnere lucubrationes, ridere A labores, taxare errata. Facilis enim est et civilis hic auctor, maxime vero omnium modestissimus quos ego quidem viderim. Lædit neminem, nisi quem sua facinora mala lædunt. Torquet neminem, nisi quem propria conscientia. Excruciat ditos ab hoc viro legi multos commentariolos in Paulum, in Apocalypsim, itemque homilias atque enarrationes Evangeliorum, nusquam tamen deprehendi scommata, nusquam factiosum illud nomen : Hæreticus est, Antichristus est Papisticus est. Legi tamen interim sæpe quæ et in hæreticos et in Antichristos, et in pseudopapisticos recta tendunt. Id qui nolit credere, hos legat in Isaiam Commentariolos, tum sentiet me veris veriora dicere, in quibus sic prophetæ oracula expandit, ut et germanum sensum eliciat, et non semel, parergæ vice ceu flosculis vernantibus, allegorias plerasque interspergat. Quanquam quod ad allegorias attinet, voluissem eum fusius has tractasse, quandoquidem eas quas attigit satis feliciter tractasse videtur. B Proinde quisquis hunc virum legeris, quisquis tibi eum familiarem reddideris, crede experto, neque pudebit, neque pœnitebit lectionis. Sic enim instructus est, ut Paulum spiret, si acrimoniam desideres ; Christum vero maxime, si modestiam ; Petrum autem, si auctoritatem : semper tamen sibi similis, id est episcopus, germanus, suoque officio perpetuo respondens. Faxit Deus ut vulgus episcoporum hunc unum episcopum vel a tergo sequatur! Egit hic episcopum, egit et doctorem, egit et scriptorem : quod paucis obtigit. Agant nostri episcopi quod suum est, agant quod Paulus jussit. Instent doctrinæ, lectioni exhortationi : discant, scribant, doceant, tumque id laudis quod nostro Haymoni, et ipsis porro dedicabimus. Spero futurum ut quandoque ex uno Haymone, omnes in universum discamus qualis fructus, quæ vis, quanta utilitas in divinis eloquiis delitescat. Faxit Deus Op. Max. ut in tam turbulento sæculo vel icti sapiamus, aderit nobis Christus, modo non desimus C nos ipsi nobis ipsis. Vale, lector Christiane, et ora Deum ut quandoque me bonis litteris ex integro restituat. Coloniæ, Nonis Februarii, anno 1531.

HAYMONIS PRÆFATIO.

Isaias propheta, nobili prosapia ortus, filius fuit Amos, non tamen illius qui in serie duodecim prophetarum tertius habetur. Unde apud Hebræos aliis litteris scribitur ille, atque aliis iste. Sed si quis traditioni Judæorum assentire voluerit, qui dicunt patres, avos atavosque prophetarum prophetas exstitisse, quorum nomina in principio prophetiæ eorum ponuntur, animadvertere quiverit Amos patrem Isaiæ prophetam fuisse. Prophetavit vero idem propheta Isaias eodem tempore quo et Osee, Joel et Amos, sub regibus videlicet quorum mentionem in exordio libri sui facit. Sed sub Manasse quoque, qui filiam ejus habuit in uxorem : a quo, accusantibus Judæis, serra lignea sectus est, eo quod dixisset de illis : *Audite, principes Sodomorum, et populus Gomorrhæ* (*Isai.* I), occasionem accipientibus exinde quod dixerit Dominum se vidisse : cum ipse Dominus dixerit ad Mosen : *Non enim videbit me homo, et vivet* (*Exod.* XXXIII). Et quidquid sub unoquoque rege prophetavit, diligentissime in suo libro distinguere curavit. Fuit autem non solum propheta ob hoc quia ventura prædixit, sed etiam apostolus qui Latine dicitur *missus* : quia ipse a Domino meruit mitti dicente sibi : *Quem* D *mittam ?* Cui cum ille respondisset, *Mitte me*, ait illi Dominus : Vade ad populum istum (*Isai.* VI). Qui quidem non solum de decem tribubus, quæ sub Osia rege Juda et Hierusalem vastari jam cœperant, regnante apud eos Phacee filio Romeliæ et Sedechia, sed de diversis gentibus ac regnis multa est locutus. Specialiter tamen de Juda et Hierusalem vaticinavit, per quam intelligitur tribus Benjamin, eo quod in sorte ejus sita sit.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Visio Isaiæ, filii Amos : quam vidit super Judam et Hierusalem, in diebus Osiæ, Joatham, Achaz, Ezechiæ, regum Juda. Mos et usitata consuetudo est scriptorum, qui nobis sacras litteras ministrant, ut quando ab aliquo eorum narratur aliquid, cum ad scipsum venerit, sic de se tanquam de alio loquatur. Sic fecit Moses, qui dixit : Erat autem Moses vir mitissimus. Non dixit : Eram ego mitissimus. Sic etiam Job dicit : Vir, inquiens, erat in terra Hus, nomine Job. Sic beatus Matthæus, et Joannes, apostolus quoque Paulus. Sic denique Isaias propheta, qui noluit dicere : Visio quam ego Isaias vidi : sed sic se inseruit ordini narrationis suæ, tanquam rerum gestarum scriptor : non tanquam sui ipsius prædicator. Sed qui de se in primordio ita silenter B loquitur, postremo in sequentibus roboratus, fiduciaIiter loquens, dicit Dominum se vidisse. Notandum denique est, ac dignum quæsitu, quare dicat propheta : Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit super Judam et Hierusalem : cum ipse in principio non narret hujuscemodi visiones quas vidit, sicut Daniel (*Dan.* x), neque dicat quid viderit : sed statim subinferat, inquiens : « Audi, cœlum, et auribus percipe, terra. » Et, « Audite verbum Domini, principes Sodomorum, » cæteraque his similia ? Ad quod dicendum est : Tria genera esse visionum. Siquidem primum genus visionis corporale est, quo videmus cœlum, et terram, et omnia corporalia. Secundum spirituale, quo videmus in somniis montes, arbores, homines ambulantes atque inter se dimicantes : et evigilan- C tes ignoramus penitus quid fuerit illud quod vidimus. Tertium vero genus visionis est intellectuale, quo consistit rationabilitas animæ, et per quod cognoscentes creatorem nostrum, intelligimus quid debeamus loqui secundum ejus voluntatem : Spiritu sancto nobis hoc in mente revelante. Videre enim sæpe ponitur pro intelligere. Unde solemus interrogare aliquem, utrum videat hoc vel illud, id est utrum intelligat. Prophetæ quoque, qui intelligebant ea quæ ventura erant, et poterant dicere : « Oculi nostri semper ad Dominum (*Psal.* xxiv). » Et, « Ad te levavi oculos meos (*Psal.* lxxxiv), » id est oculos cordis mei. Et cum Psalmista, « Audiam, inquit, quid loquatur in me Dominus Deus (*Ibid.*). » Illi utique prophetæ prius videntes appellabantur, id est, intelligentes. Istiusmodi ergo generis visionem Isaias vidit, id est, Spiritu sancto afflatus intellexit : et vidit quæ ventura erant populo suo, et dixit : Visio Isaiæ, id est intellectus, quem intellexit contra Judam et Hierusalem.

« Audi, cœlum, et auribus percipe, terra : quoniam Dominus locutus est. » Sicut Moses (*Deut.* xxx) invocavit cœlum et terram in testimonium quando per eum dedit Dominus benedictionem, et maledictionem : ita post prævaricationem populi eadem rursus in testimonium vocat Isaias : ut cuncta elementa cognoscant juste Deum in ultionem mandatorum suorum ad iracundiam motum. Metonomicos vero, id est per hæc quæ continent ea quæ continentur accipientes, possumus non incongrue cœlorum nomine supernas angelicasque virtutes accipere : per terram autem homines, terræ scilicet habitatores. Qui præcipiuntur audire et auribus percipere, quoniam Dominus locutus est, hoc quod propheta subinfert. Sed subnectatur quid Dominus est locutus. « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. » Populum Judæorum quos communi lege servos considerat omnipotens Deus, filios dignatus est appellare : non solum in hoc loco, sed etiam in Exodo, ubi dicit ad Pharaonem : « Dimitte filium meum primogenitum (*Exod.* iv). » Istos siquidem filios omnipotens Deus piissima miseratione enutrivit, atque exaltavit, educens eos de servitute gravi Ægyptiorum, ubi serviebant in luto et lateribus. Sed illi beneficiorum ejus ingrati spreverunt illum, ejus præcepta calcando, servosque ejus prophetas contemnendo, ac deos gentium surdos et mutos adorando. Si quis ergo quærit quomodo enutriverit eos, atque exaltaverit, animadvertat qualiter in signis et prodigiis multis eduxerit eos de Ægypto, siccoque pede mare transire fecerit (*Exod.* xiv), inimicos eorum in ipsis aquis involvens, et quomodo per quadraginta annos manna eis ministraverit, illorum mores pravos, murmurationesque, atque rebelliones, patientissime tolerans (*Deut.* viii) : necnon et quemadmodum deleverit septem gentes a facie illorum, introducens eos in terram omnibus meliorem, utpote lacte et melle manantem (*Deut.* vi), multaque his similia recolat, quæ modo perlongum est retexere. Prudens autem lector sagaci mente prævideat, melius esse juxta Hebraicam veritatem legendum, filios enutrivi quam genui, teste beato Hieronymo, ne videatur illud esse contrarium quod Joannes apostolus in epistola sua ait : « Qui natus est ex Deo, non peccat (*I Joan.* iii). »

« Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. Israel vero non cognovit me, et populus meus me non intellexit. » Ad contumeliam Judæorum, qui rationabiles a Deo creati ratione D debuerant uti, bruta et insensibilia stultissimaque animalia adducuntur in testimonium, quod illa fecerint quæ isti non fecerunt, scilicet ut pastorem nutritoremque suum recognoscerent, quod utique bos et asinus facit. Altiori autem intellectu, per bovem, qui assuetus est ferre jugum, et est mundum animal, significatur populus Israeliticus, qui legis portavit jugum, munditiamque mentis ac corporis custodivit. Asinus vero lascivus et immundus qui similiter onus portat, significat gentilem populum pondere pecca-

torum gravatum. Cognovit ergo bos possessorem suum, id est Judæi qui credere noluerunt in Filium Dei cognoverunt illum, a quo in patribus suis possessi fuerant. Illi utique de quibus loquitur : Quia una die crediderunt tria millia ad prædicationem apostolorum, alia die quinque millia, et deinceps multa millia. Cognovit et asinus præsepe domini, quando gentiles crediderunt mysterium incarnationis Filii Dei : qui, sicut in Evangelio legitur, quando natus est, reclinatus est a matre in præsepio. Istis autem cognoscentibus Deum Patrem cum Filio et Spiritu sancto, Israel non cognovit eum : Pharisæi scilicet, scribæ, aliique Judæorum, qui maluerunt in infidelitate mori, quam in Christum credere. Qui Israel appellantur : non quod veri essent Israelitæ : quoniam Deum mente non videbant.

« Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. » Non alia gens et alius populus hic accipitur, sed ipse Israel et gens appellatur, et populus, et filii scelerati. Væ, æternum supplicium, æternamque damnationem sonat. Judæi ergo, qui quondam filii Dei sunt appellati, in præceptis patris sui Dei omnipotentis ambulantes, nunc semen nequam, filiique scelerati dicuntur, a voluntate Dei deviantes : minaturque eis æternam damnationem, æternumque interitum : eo quod noluerunt cognoscere Filium Dei, venientem ad redemptionem suam in mundum. Sic etiam ab ipso Salvatore filii diaboli, et genimina viperarum, vocantur, dicente illo in Evangelio : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII). » Et, « Genimina viperarum, fugite a ventura ira (*Matth.* V; *Luc.* III). » « Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel : abalienati sunt retrorsum. » Dominum Deum omnipotentem dereliquerunt, quando adoraverunt idola, et quando Filium ejus non receperunt. Blasphemaverunt sanctum Israel, id est, Christum Filium Dei vivi, quando dixerunt illi, « Dæmonium habes (*Joan.* VIII). » Et, « Samaritanus es (*Ibid.*). » Et insuper, quando livido ore conclamaverunt dicentes : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Ibid.* XIX). » Et aliter, « Crucifige, crucifige istum (*Matth.* XXVII; *Luc.* XXIII); » et, « Dimitte nobis Barabbam (*Ibid.*). » Blasphemare autem est : contumeliam vel convicium aliquod inferre. Quia vero dereliquerunt Deum, et blasphemaverunt Christum, abalienati sunt retrorsum, id est, cum debuissent gressus operum suorum ad anteriora dirigere, et præcepta mandatorum Dei sequi, secundum quod eis dictum est, « Post Dominum Deum vestrum ambulate (*Ose.* XI) : » alieni a Deo effecti, retro conversi sunt ad iniquitates suas : facientes contra id quod præcipit Salvator : Ne, apprehenso aratro, respiciat quis post tergum.

« Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? » Vox Dei omnipotentis ad Judæos vecordes, per Prophetam loquentis : Super quo, sive in quo loco percutiam vos ultra, qui additis semper prævaricationem? Ac si diceret aliis verbis : Non invenio quam medicinam possim adhibere plagis A vestris : quoniam omnia membra vestra plena sunt vulneribus. Adhibui sæpius curationem, et modo nullam partem invenio quæ non sit jam percussa, plenaque plagis. Vel certe potest intelligi ita : Nullas invenio plagas, neque ulla flagella, quibus possim frangere duritiam cordis vestri : quia quo majora sunt tormenta, eo amplius crescit impietas, murmuratio, atque superbia rebellionis. Quibus verbis sicut beatus Hieronymus ait : Animadvertere possumus idcirco Deum percutere delinquentes, ut corrigat : ut non tam pœna sit eis afflictio, quam emendatio. Quod non fuerit locus aptus, in quo potuisset eis medicinam salubrem inferre, declarat cum infert. « Omne caput languidum, et omne cor mœrens. » Quia igitur inter omnes sensus corporis, B et inter omnia membra, principalitatem quodam modo obtinet caput, in corde quoque requiescit doctrina et sapientia : non incompetenter metaphorice per caput principes a quibus regitur populus, sicut a capite membra : et per cor intelliguntur sapientes, doctoresque. Omne, inquit, caput languidum, et omne cor mœrens est, hoc est, a principibus usque ad mendicum, extremamque plebem; et a doctoribus usque ad imperitum atque indoctum vulgus, non est sanitas mentis : sed omnes infirmati sunt in impietatibus suis, omnesque tabescunt in iniquitatibus suis. Sicut ergo lætitia animi interdum dolores corporis temperat; et si ad ægrotationem corporis accedat languor mentis, duplicatur infirmitas; et si caput doluerit, omnia membra debilia sunt : ita quo- C que populo infirmante in suis impietatibus, si principes et doctores statum rectitudinis servassent, utcunque medelam salutis mereretur idem populus. Sed quoniam simul omnes debilitati sunt, idcirco prolongata est ab eis salus, et medicina animarum. Unde et sequitur :

« A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. » Servat metaphoram, et dicit, a planta pedis usque ad verticem. Id est ab humillimis usque ad summos, et ab extremis usque ad primos, non esse aliquem sanitate mentis florentem. « Vulnus, et livor, et plaga tumens : non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. » Vulnus proprie est, quod fit cum baculo. Livor autem verberatione virgarum. Plaga quoque tumens, sive in- D flata, fit plerumque gladio, plerumque baculo. Notandum, quod hæc verba specialiter pertinent ad Domini adventum, et ad ultimam vastationem Judæorum. Siquidem plaga impietatis eorum, pro qua ducti sunt in Babylonem, postea curata est, quando sub Zorobabel aliisque ducibus reversi sunt de captivitate, templumque postmodum reædificaverunt (*I Esdr.* V). Quapropter ad extremam captivitatem referenda sunt, postquam nullum remedium meruerunt. Sed impletur in eis quod hic dicit Propheta : Vulnus malitiæ, et livor iniquitatis, plagaque Judæorum tumens, id est, peccatum illorum inflatum atque distentum, non est circumligatum linteaminibus atque fasciolis orationum, nec curatum aliquo medi-

camine bonorum operum, neque fotum, id est, calefactum vel curatum oleo pœnitentiæ. Nec mirum, si illorum plaga non est curata, quippe cum ipsi piissimum medicum ad se missum peremerint.

« Terra vestra deserta » scilicet erit « civitates vestræ succensæ igni. Regionem vestram coram vobis alieni devorant » pro eo quod est devorabunt, « et desolabitur sicut in vastitate hostili. » Hæc sub Babyloniis ex parte completa sunt, incensis civitatibus, Hierusalem subversa, et Samaritanis regionem eorum incolentibus, totaque terra desolata, intantum ut a leonibus vastaretur. Sed plenius atque perfectius sub Romanorum adventu completa sunt, quæ vastatio usque ad finem mundi permanebit, regionemque Judæorum alieni coram eis comedent.

« Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur. » Similitudo vastationis templi et Hierusalem sumitur ab agricolis, qui quandiu vinea plena est uvis, ponunt custodes in umbraculis. In cucumerario quoque (pro quo Septuaginta pomorum custodiam transtulerunt) fiunt tuguria, id est, parvæ casulæ, propter ardorem solis ac radios declinandos, indeque vel homines vel bestiolas repellunt, quæ nocere solent natis frugibus. Collectis autem istiusmodi fructibus, et custode recedente, quia non habet quod ultra ibi servet, remanent arentia umbracula fruticum casulæque destructæ. Similiter omnipotens Deus desertam fecit Hierusalem et templum, populum quoque dereliquit, eo quod non ferret jam fructus boni operis, cujus custos quondam ipse fuerat, quando fructus bonorum operum proferebat. Quod autem vinea appellatus sit idem populus, ostendit idem propheta Isaias, inquiens paulo inferius : « Vinea enim Domini Dabaoth, domus Israel est (*Infra*, v). » Et Psalmista : « Vineam, inquit, de Ægypto transtulisti (*Psalm.* LXXIX). » Ista vinea quandiu uberrimos attulit fructus, habuit custodem de quo dicit Psalmista : « Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam. (*Psal.* CXXVI) » Postquam amisit fructus bonos, dereliquit illam, ut ipse Dominus Judæis dicit : « Relinquetur vobis, inquit, domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). » Vocat autem eumdem populum filiam Sion, ut ostendat affectum piissimi patris se habere. Nec mirum si Sion appellatur filia, cum etiam Babylon sæpissime filia nuncupetur. Omnes enim natura filii Dei sumus, sed nostro vitio alieni efficimur. Moraliter autem per Sion, quæ interpretatur speculatio, et nomine vineæ censetur, possumus accipere animam quamlibet, quæ in contemplatione Dei debet consistere, afferens fructus acceptabiles. Quæ anima quandiu rationabiliter vivit proferendo, scilicet fructus bonos, habet custodem mentis Deum. Si autem vitia et peccata fructus virtutum deprædata fuerint quasi quædam bestiolæ derelinquitur a custode Deo, et omnia illius rediguntur ad nihilum.

« Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. » Hoc de reliquiis apostolorum, aliorumque fidelium, est intelligendum, qui post Domini adventum crediderunt ex Judæis, de quibus dicitur in Actibus apostolorum (*Act.* II) : quod una die crediderunt tria millia, alia die quinque millia, et deinceps multa millia. Egregius quoque prædicator, in Epistola ad Romanos de iisdem reliquiis ita loquitur : « Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt (*Rom.* XI). » Dicit ergo Propheta ex persona sua, aliorumque fidelium ex eadem plebe : Nisi Dominus exercituum, cui serviunt exercitus angelorum, reliquisset nobis semen, in apostolis eorumque sequacibus, sicut Sodomitæ et Gomorrhitæ propter peccata sua perierunt, ita et omnis nostra prosapia peccato infidelitatis perdita, penitus consumeretur.

« Audite verbum Domini, principes Sodomorum : percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ. » Traditio Judæorum est, ut beatus Hieronymus dicit, ob duas causas Isaiam prophetam interfectum esse : vel quod principes Sodomorum et Gomorrhæorum eos appellaverit, vel quod dicente Domino ad Mosen : « Non enim videbit me homo et vivet (*Exod.* XXXIII), » iste ausus est dicere : Vidi Dominum sabaoth sedentem super solium excelsum. Possunt autem hæc verba referri ad Judæos illius temporis : sed specialiter ab scribas et Pharisæos pertinent, et populum sic clamantem : « Crucifige, crucifige (*Joan.* XIX) » talem. Principes ergo Sodomorum et populus Gomorrhæ idcirco appellantur, quia sicut Sodomitæ et Gomorrhitæ publice peccabant, cogitantes consilium pessimum contra virum justum Loth, et sine aliquo verecundiæ rubore dixerunt : « Educ viros qui ingressi sunt ad te, ut abutamur eis (*Gen.* XIX), » ita et isti cogitaverunt consilium pessimum contra Dominum Christum dicentes, exclusa omni verecundia, Venite cogitemus contra justum cogitationes, et reus est mortis, multaque his similia. Unde dicit idem Propheta in consequentibus : Iniquitatem suam sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.

« Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? » Ac si diceret : Ut quid mihi multitudinem victimarum offertis? An putatis me indigere his? Atque protinus subdit : « Plenus sum, » id est, nulla re indigeo. « Mea est enim terra, et plenitudo ejus » (*Psal.* XXIII). Vel etiam quod dicit plenus sum, sub hoc sensu potest accipi : ut dicatur plenus sum, id est, in fastidium sunt mihi victimæ vestræ : quia non offertis eas simplici et pura mente. « Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui. » Continentia hujus capituli usque ad eum locum, ubi ait : Judicate pupillo, defendite viduam, respuit sacrificia Judæorum, et docet obedientiam Evangelii. Et per hoc quod dicit nolui, verbo præteriti temporis utens, ostendit nunquam se delectatum esse sacrificio Judæorum. Maximeque adveniente sacrificio novo, pro nihilo deputatum est sacrificium vetus. Sola enim bona voluntas cum fide purissima

liberat. Postest hoc et de his accipi qui, cum Dei præcepta non faciant, volunt illum placare variis donis atque muneribus, quæ de rapina acquisierunt.

« Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? » Hostias et sacrificia Judæorum non quæsivit idcirco omnipotens Deus, ut ipse illis indigeret, sed ne idolis immolarent, et ut per carnales typicasque medicinas, ad spirituale verumque sacrificium facilius pervenirent.

« Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi, » id est, detestor et pro nihilo deputo illud : quia non fit munda intentione. « Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias non feram, » id est, non sustinebo ad hoc ut placeant mihi. Neo novum, menne dicitur luna. Inde componitur hoc nomen, ut dicatur Neomenia festivitas novæ lunæ, quam celebrant Judæi initiis mensium.

« Iniqui sunt cœtus vestri, calendas vestras et solennitates vestras odivit anima mea. Facta sunt mihi molesta. » Subauditur omnia ista quæ commemoravit. Festivitates, inquit, vestras, non meas, odivit anima mea, quia male abutimini eis. Non ut Deus animam habeat, sed nostro loquitur affectu, et more. Et tale est, ac si diceret : Cœtus vestri et solemnitates vestræ non placuerunt mihi, neque ista quæ commemoravi, sed potius facta sunt mihi molesta : quoniam iniqua mente impleta sunt a vobis. « Laboravi sustinens, » id est, laborare me fecistis, exspectando conversionem et pœnitentiam vestram.

« Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis. » Oculi Domini significant respectum misericordiæ ejus, quibus oculis vidit populum Israeliticum in Ægypto, ideoque misertus est ejus. Unde et dixit : « Videns vidi afflictionem populi mei, et gemitum ejus audivi, et descendi liberare eum » (*Exod.* III). Videns, inquit, vidi : hoc est, vidi et misertus sum. Cum ergo extenderitis manus vestras ad me, tempore tribulationis, ut vos exaudiam et liberem, avertam oculos meos a vobis, id est, respectum misericordiæ meæ auferam a vobis. « Et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. » Tale quod ad Jeremiam de eodem populo dicit : Tu ergo noli orare pro eis, quia non exaudiam te. Redditque causam quare avertat oculos suos. « Manus enim vestræ sanguine, » subauditur prophetarum et justorum, « plenæ, sunt. » Judæi siquidem homicidæ semper fuerunt parati ad fundendum sanguinem justorum, insuper et ipsius Domini ad se missi. Unde Salvator improperat illis dicens : « Et vos implete mensuram patrum vestrorum (*Matth.* XXIII). » Quod est dicere, quod illi minus fecerunt, vos supplete. Illi interfecerunt servos, vos interficite Dominum. Moraliter autem per manus accipitur operatio, per sanguinem vero peccatum. Unde Psalmista : Libera me, inquit, de sanguinibus, id est, de peccatis. Ideo ergo non exaudiam vos, quia operatio manuum vestrarum plena est peccatis et impietate, homicidio scilicet, adulterio, fornicatione, cæterisque vitiis.

« Lavamini, mundi estote. » Ac si diceret aliis verbis : Pro omnibus quæ superius commemorata sunt, quæ dixi odio me habere, Evangelii placet religio, ut baptizemini in nomine S. Trinitatis. Idcirco lavamini sanguine meo, et aqua baptismatis. Mundi estote, post baptismi gratiam manentes in innocentia vitæ. Vel etiam lavamini per pœnitentiam, et per lacrymas compunctionis. Mundi estote, ne iterum inquinemini ruendo in laqueum cœnumque peccatorum. « Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v). » Huic sententiæ concordat illud, quod Dominus dicit Evangelio cuidam sanato : « Ecce sanus factus es, jam noli peccare. » « Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. » Præceperat ut lavarentur essentque mundi, nunc docet quemadmodum sit illis agendum dicens : Auferte malum cogitationum vestrarum, o præsentia mea, ut si cogitatis aliquid mali, non perficiatis, ipsamque cogitationem pravam funditus a cordibus vestris eradicate, et destruite.

« Quiescite agere perverse, discite benefacere. » Hoc est, quod Psalmista eodem sensu, et non eisdem verbis præcipit : « Declina, inquiens, a malo, et fac bonum [*Psalm.* XXXI]. » Competenter ergo dicitur, discite benefacere, quia virtus bona discenda et imitanda est. Nec sufficit tantum natura bona ad justitiam, nisi quis erudiatur congruis disciplinis. « Quærite judicium. » A quibus quærendum est judicium? Utique a sapientibus, quia non omnium est judicare, neque consilium salubre dare. Et revera nonnisi sapientium. « Subvenite oppressso, » id est, de manu potentis, violentiam pauperi inferentis, liberate eum. « Judicate pupillo, » hoc est, in judicio subvenite illi, « et defendite viduam » de manu fortioris ejus.

« Et venite et arguite me, dicit Dominus. » Cum hæc omnia, inquit, feceritis, arguite me, id est, increpate me, et judicio contendite mecum, si non reddidero vobis præmia, quæ pollicitus sum. « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. » Idem est coccinum sive coccus, quod et vermiculus. Ideoque quod intelligitur per coccinum, hoc et per vermiculum, grave, scilicet peccatum, ut est homicidium, adulterium, furtum, cæteraque talia. Et quod significatur per nivem, hoc per lanam, purgatio scilicet delictorum, et ablutio scelerum. Si, inquit, feceritis ea quæ præcipio vobis, ut recedatis a malo et faciatis bonum, subveniatis pupillo et defendatis viduam, tunc peccata vestra immania et opera scelestissima, quæ prius sanguinea erant ut coccinum, et rubra quasi vermiculus, per pœnitentiam et cumpunctionem lacrymarum dealbabuntur, et erunt candida velut nix et lana.

« Si volueritis » ambulare in præceptis meis, et « si obaudieritis verbis meis : bona [istius] terræ comedetis. » Vel, quod majus est, bona terræ de quibus psalmus dicit : « Credo videre bona Domini, in

terra viventium (*Psalm.* xx, *Matth.* v). » Et de qua in Evangelio Veritas: « Beati, inquit, mites, quoniam ipsi possidebunt terram. » Cum omnia elementa in motu sint, terra sola immobilis permanet, et solida. Ideoque non immerito per eam intelligitur soliditas æternæ beatitudinis.

« Quod si nolueritis, » subauditur ambulare in præceptis meis; « et me provocaveritis ad iracundiam, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est, » id est, verbum Dei Patris, vel etiam ego propheta locutus sum, quia os Domini existo, quia per me secreta sua loqui dignatur. Prophetæ enim os Domini appellabantur, quod per eos Dominus loquebatur. Quod autem dicit, gladius devorabit vos, tam gladium manualem significat Babyloniorum, quam et Romanorum. Possumus autem intelligere per gladium illum significari mortalitatem, pestilentiam, famen sive vindictam omnipotentis Dei : quam sustinebunt impii post mortem, in pœnis constituti inferni. Nomine etenim gladii, quidquid cruciat, quidquid punit, quidquid urit, accipitur in isto loco. Et liberum arbitrium ex parte servatur, dum dicitur : Si volueritis, et si nolueritis : ut in utramque partem non ex judicio Dei, sed ex merito singulorum pœna vel præmium sit.

« Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii ? Justitia quondam habitavit in ea, nunc autem homicidæ. » Fornicatio non solum corporalis est, sed etiam spiritualis. Unde psalmographus dicit : « Perdes omnes qui fornicantur abs te (*Psalm.* LXXII), » hoc est, qui recedunt a te. Fornicari etenim est pro Deo idola colere, sicut legitur : « Quia fornicatus est Israel in Beelphegor (*Num.* XXV). » Quapropter plebs Israelitica meretrix appellatur : non tam propter fornicationem corporalem, quam propter hoc quod a Deo recessit. Pertinent autem hæc verba non ad tempora prophetæ, sed specialiter ad tempus Dominicæ incarnationis, quando penitus recesserunt a Deo, eligendo Barabbam, et Filium Dei occidendo. Miratur ergo Propheta, et dicit : Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, recedendo a Deo, plena judicii quondam? Justitiaque habitavit in ea olim, nunc autem homicidæ. Civitas, inquam, fidelium, quæ prius fuit plena judicii, et in qua requievit quondam justitia : nunc autem facta est meretrix plena homicidis, qui interfecerunt prophetas ipsumque caput prophetarum, Salvatorem scilicet mundi. Potest hoc moraliter ad unamquamque animam referri, quæ civitas est fidelis plena judicii, quandiu Dei voluntati paret, habens habitatorem in se ipsum Deum, qui est justitia substantialis, quia justificat omnes fideles suos. Cum autem recedit a Deo per mala opera, non loco, sed merito, efficitur meretrix. Et quæ fuit prius plena judicii, habens habitatorem Deum, incipit jam inhabitari a dæmonibus malignisque spiritibus, quorum voluntati obtemperat.

Qui sunt homicidæ, animarum videlicet interfectores. « Argentum tuum versum est in scoriam. » Purgamenta metallorum sordesque scoria appellatur : quæ et rubigo potest nuncupari. Argentum tuum, id est, eloquia divinarum Scripturarum, de quibus dicit Psalmista : « Eloquia Domini argentum igne examinatum (*Psal.* XVII), » versa sunt in scoriam sive in sordes : in pravam videlicet doctrinam scribarum et Pharisæorum. Aliter : per argentum intelliguntur viri religiosi, omnique vita lucidi et probati; per scoriam vero peccatores, sorditati rubigine peccatorum. Et est sensus : sancti viri, qui prius lucide et clare conversati sunt in medio tui, postea in rubiginem sordesque peccatorum conversi sunt; vel : quæ prius habebas viros lucidos, omnique puritate probatos, modo habes loco illorum alios, rubigine peccatorum fœdatos. « Vinum tuum mistum est aqua. » Vinum austeritatem habet. Ideoque præcepta legalia intelliguntur per vinum, quæ austeritatem habent, id est fortia et pura atque sincera ac veritate firmata sunt. Quæ mista sunt cum aqua, traditionibus Judæorum et Pharisæorum violata. Quod Dominus in Evangelio manifestat, dicens : « Væ vobis, scribæ et Pharisæi, qui depravatis legem Dei volentes statuere traditiones vestras (*Matth.* XV, XXV). » Vinum, inquit, tuum mistum est aqua : quia legalia præcepta pura sinceriissimaque austeritatem in se habentia, corrupta sunt et emollita falsis Scribarum et Pharisæorum traditionibus. Omnis quippe doctor, qui austeritatem sacrarum Scripturarum per quam potest auditores corrigere, vertit ad gratiam illorum, et ita loquitur ut non corrigat, sed delectet audientes, vinum sanctarum Scripturarum violat, atque corrumpit suo sensu. Hoc faciunt hæretici, cauponesque pessimi, qui Evangelicam veritatem sua prava doctrina corrumpunt.

« Principes tui infideles, sociique furum. » Principes Judæorum in hoc loco sacerdotes quoque intelliguntur, qui videbantur judicare et docere populum. Qui idcirco infideles appellantur sociique furum, quia infideliter in mandatis Dei ambulabant, accipientes a scribis et Pharisæis munera, quæ illi per violentiam et rapinam a pauperibus exigebant, ideoque socii furum erant, scribæ scilicet et Pharisæi. In Domini quoque passione infideles fuerunt, nolentes in eum credere; et socii furum, scribarum scilicet et Pharisæorum, sed et Judæ proditoris. Nos quoque summopere cavere debemus, ne ab illis accipiamus munera qui rapinis miserorumque lacrymis congregant divitias, et vocemur non solummodo fures, sed et socii furum, dicaturque de nobis : Videbas furem, et currebas cum eo. « Omnes retributiones sequuntur eos qui diligunt munera, » ideoque in sorte vitiorum annumerantur. Multi enim sunt, ut bene Hieronymus dicit, qui non putant amicos nisi a quibus dona acceperint, nec considerant os amicorum, sed manus, eosque sanctos judicant quorum marsupium exhauriunt. Istos tales sequuntur retributiones, quia illis retribuunt sua, a quibus similia sperant se recipere. Qualibus Deus dicit : « Recepistis mercedem vestram (*Matth.* VI). » Vel in hoc sequuntur retributiones, quia illos tantummodo suo favore ex-

tollunt et laudant, a quibus aliquid accipiunt. « Pupillo non judicant, » id est in judicio non subveniunt illi, « et causa viduæ non ingreditur ad eos, » quia pro nihilo deputatur ab eis.

« Propter hæc ait Dominus exercituum fortis Israel: Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. » Condolet omnipotens Deus miseriis populi sui, et tamen vocat eos hostes et inimicos suos, qui specialiter intelliguntur scribæ et Pharisæi, quibus et in Evangelio ait: « Væ vobis, scribæ et Pharisæi (*Matth.* XXIII; *Luc.* XI). » Consolari autem hic dicitur de hostibus suis, ultionem ex ipsis recipere. Consolatio quippe Dei est, super hostibus et inimicis ejus, ut qui in prosperitate ejus noluerunt habere beneficia, suppliciis afflictionibusque corrigantur.

« Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad puniendum scoriam tuam et auferam omne stannum tuum. » Vox Dei, apostrophum facientis ad ipsam plebem. Per scoriam intelliguntur vitia, sordesque vitiorum. Per stannum vero, quod solet assimilari argento, falsa doctrina scribarum et Pharisæorum, quæ videbatur esse vera, et assimilari eloquiis divinis. Extensio manus, ultionem significat divinam. Dicitur ergo: Convertam extendamque manum meam ad puniendum te, et excoquam sive purgabo igne tribulationis omnes sordes peccatorum, auferamque falsam doctrinam scribarum et Pharisæorum, daboque sincerissimam ac perfectissimam scientiam legis atque Evangelii.

« Et restituam omnes judices tuos sicut prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus. » Priores judices et consiliarii antiqui fuerunt Moses, Aaron, Josue, Gedeon, Samuel, David, cæterique qui judicaverunt populum Dei secundum voluntatem Dei, et cum quibus consiliabatur omnipotens Deus, revelans eis arcana secretorum suorum. Restituti sunt ergo judices et consiliarii instar priorum, non solum post captivitatem ut fuerunt Zorobabel, Esdras, aliique duces, qui usque ad Hircanum populo præfuerunt: sed etiam post adventum Domini, ut fuerunt apostoli, Ecclesiarumque principes, atque rectores. « Post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis. » Civitas justi, hoc est, Domini Salvatoris. Et urbs fidelis illa intelligitur, de qua Veritas in Evangelio ait: Non potest civitas abscondi supra montem posita, id est Ecclesia supra Christum fundata. Postquam, inquit, restituero tibi judices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus, tunc vocaberis civitas justi, id est Christi. Et urbs fidelis, quoniam integerrime fidem Domini Salvatoris retinebis.

« Sion in judicio redimetur, et reducent eam in justitia. » Ac si diceret aliis verbis: Non omnes Israelitæ redimentur, sed illæ reliquiæ de quibus supra dictum est (*Rom.* XIX). Et hoc est quod dicit, quia redimetur in judicio, id est in discretione, ut qui voluerint credere, salventur et redimantur. Isti vero qui adduxerunt eos ad fidem Christi in justitia, apostoli intelliguntur, aliique prædicatores.

« Et conteret sceleratos et peccatores simul, et qui dereliquerunt Dominum consumentur. » Scelerati et peccatores illi utique intelliguntur qui in Christi necem consenserunt, ejusque fidem postmodum recipere noluerunt. Qui merito contriti et consumpti sunt, tam a Romanis quam etiam pœnis inferni, quia dereliquerunt Dominum, permanentes in sua malitia.

« Confundentur enim ab idolis quibus sacrificaverunt, et erubescetis super hortis quos elegeratis. » Confusio sæpissime pro erubescentia ponitur. Per hortos quorum fecit mentionem, debemus accipere lucos et nemora, in quibus immolabant et sacrificabant dæmonibus, luxuriam suam ante aras idolorum inverecunde perpetrantes. Quo vero tempore erubescere debeant ab idolis, et super hortis quos elegerant, aperte manifestat, dicens: « Dum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua. » Et est sensus: sicut a quercu ariditate concussa defluunt folia, et sicut hortus fructus herbarum non valet proferre si defuerit aqua ex qua irrigetur: ita cum defuerit vobis aqua, id est, scientia divinarum Scripturarum, spiritualisque gratia, quam Dominus promisit de ventre ad se venientium manare, non valebitis tenere et custodire opera, fructusque vestros vacuos, nulliusque utilitatis: quia ariditate siccabimini. Hoc est, deficietis in peccatis vestris. Et notandum: qui a more prophetico subito mutavit personas. Cum enim de tertia persona plurali loquens dixisset: confundentur ab idolis quibus sacrificaverunt, repente oculum mentis vertit ad secundam personam populi, inquiens: Et erubescetis super hortis quos elegeratis, et cætera.

« Et erit fortitudo vestra quasi favilla stupæ, et opus vestrum quasi scintillæ. » Adveniente tempore persecutionis et captivitatis ejus: omnis fortitudo et superbia Judæorum qui Dominum dereliquerunt, in qua confidebant, ad nihilum redacta est: sicut facile consumitur favilla stupæ. Et omne opus eorum, quo sperabant se tueri, subito pertransiit: sicut scintilla ignis subito evolat. « Et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat. » Hoc est, et fortitudo superbiæ, et opus falsum simul peribunt. Et non erit qui salvet, quia Dominus dissipabit illud.

CAPUT II.

« Verbum quod vidit Isaias filius Amos, super Judam et Hierusalem. » Mirum valde est, nimisque animo perpendendum quod propheta dicit Verbum se vidisse. Quo enim modo potest homo Verbum videre? Et quod est istud Verbum? Nimirum illud, de quo Joannes dicit: « In principio erat Verbum. (*Joan.* I.) » Istud denique Verbum, sapientiam scilicet Patris Filiumque ejus, vidit propheta. Id est mente intellexit illum venturum, ideoque subjunxit:

« Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur su-

per colles. » Isti novissimi dies sunt, de quibus Jacob patriarcha dixit : Venite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum ; et annuntiabo vobis quæ ventura sunt in novissimis diebus, id est, in novissima sæculi ætate. Et protinus addidit : « Non deficiet dux de Juda, donec veniat qui mittendus est (*Dan.* II). » Notandum autem istum esse montem, quem superius appellavit Verbum. Et iste est lapis, qui visus est Danieli crevisse in montem magnum, et implesse omnem terram. Iste quippe mons, mons domus Domini est, id est, Ecclesiæ, quæ est domus Domini supra Christum fundata, de quo psalmographus cecinit : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini (*Psalm.* XXVI). » Egregius quoque prædicator ad Timotheum : « Scito, inquit, quomodo te oporteat ambulare in domo Domini, quæ est Ecclesia Dei vivi (*I Tim.* III). » Ipse quoque Christus mons est et domus Dei, de qua dicitur : « Mons in quo beneplacitum est Deo, habitare in eo (*Psalm.* LXVII). » Sed quis vidit unquam montem supra verticem montium? Mons enim est Christus, ut diximus. Montes vero angeli sunt, cœlestesque vertices, apostoli, patriarchæ, prophetæ, martyres, confessores, qui do trina sua, fide, et operatione, signisque miraculorum fortiter micuerunt. Colles vero simplices quique et fideles, ut sunt eremitæ, continentes, viduæ, et vidui, bonique conjugati. Qui, licet doctrina et signis miraculorum non claruissent, fide tamen et operatione perfecti fuerunt. De his montibus collibusque Psalmista decantat, inquiens : Montes in circuitu ejus. Et Ecclesia in Cantico canticorum : « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliensque colles (*Cantic.* II). » Mons ergo domus Domini in vertice montium est præparatus, ac super colles elevatus, Christus videlicet super quem fundata est Ecclesia, a Deo Patre præparatus et elevatus super omnem principatum, et virtutem, et dominationem.

« Et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi et dicent : » Domino adveniente in mundo, cœlosque peracta redemptione penetrante, omnes gentes et populi ad fidem ejus confluxerunt. De quibus et dictum fuerat a Patre : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psalm.* II). » Sed isti populi gentesque nequaquam propria salute contenti, hortabantur se invicem dicentes : « Venite et ascendemus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. » Quis sit mons domus Domini, et quæ domus Dei, paulo superius diximus : Christus videlicet et Ecclesia. Hoc autem animadvertendum est, quia cum dixisset, Ascendamus ad domum, protinus curavit subnectere ad cujus domum, subjungens Dei. Addiditque : Cujus Dei? Dei Jacob. Quod est dicere : Ad domum illius Dei, qui est Deus credentium sicut Jacob credidit, venite et ascendamus. Postquam autem venimus credendo ad montem Domini, et ascendemus ad Ecclesiam Dei, docebit nos vias suas, id est, mandata vitæ per Evangelicam doctrinam : et sic ambulabimus in semitis ejus, id est, in operibus illius, imitando illum. Sed prius discendæ sunt viæ Domini, id est, mandata illius, ut beatus Hieronymus dicit, et postea ambulandum per semitas ejus. « Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem. » Ac si diceret : Idcirco omnes gentes populique multi mutuo se hortabuntur, ut veniant ad montem Domini, et ascendant ad domum Dei Jacob, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem. Per Sion (quæ interpretatur speculatio) et per Hierusalem (quæ interpretatur visio pacis) intelligitur primitiva Ecclesia, quæ fuit in apostolis aliisque credentibus ex Judæis, de qua processit ad omnes nationes lex Veteris Testamenti spiritualiter intellecta, et verbum Domini doctrina Evangelii. Potest etiam et de generali Ecclesia intelligi, de qua quotidie manat lex, et doctrina Evangelii.

« Et judicabit gentes, et arguet populos multos. » Quidam sub uno sensu accipiunt : quod unum sit judicare gentes, et arguere populos multos. Sed melius est, ut distincte accipiamus per gentes, gentiles credentes et non credentes ; per populos multos, sive per populum multum (ut Septuaginta transtulerunt) Judæos incredulos. Judicat ergo Dominus quotidie gentes, et judicabit generaliter in die judicii, id est discretionem faciet inter credentes et non credentes. Aliter enim judicabuntur credentes, aliter non credentes : quia qui non credit, jam judicatus est. Arguet autem populos multos, id est damnabit Judæos incredulos et infideles. « Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. » Hoc est, omne studium bellandi vertetur in pacem : et pro discordia, erit in toto orbe concordia. Gladii siquidem mutabuntur in vomeres, et lanceæ suæ in falces : ut amisso furore et superbia belligerandi, agriculturæ deserviant. Spiritualiter autem gladii mutantur in vomeres, et lanceæ in falces : quando et seditiones discordiarum longe pelluntur a nobis, et duritia cordis Christi vomere, id est admonitione verbi Dei, frangitur : eradicanturque spinæ vitiorum, ut semen sermonis Dei crescat in fruges, et postea labores manuum nostrarum manducemus : adveniente tempore messionis, id est, mortis. « Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. » Ea quæ superius dicta sunt de mutatione gladiorum, et quæ etiam nunc dicuntur, tempore incarnationis completa sunt. Siquidem, ut historiæ divinæ, maximeque gentilium tradunt, in toto orbe terrarum tanta fuit discordia ante Domini nativitatem, usque ad vigesimum annum Octaviani Augusti, sub quo Dominus natus est, ut non permitteretur de regno in regnum, id est de provincia in provinciam transire, accensis omnibus studio prœliandi : non solum contra exteras, sed etiam contra vicinas nationes et civitates. Orto autem Domino Salvatore, qui venit pacem dare mundo, ut nos reconciliaret Deo Patri, et in cujus nativitate cives angelici cantaverunt, « Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II), »

omnia bella cessaverunt, et nequaquam studio bellandi cœperunt se exercere, sed culturæ agrorum deservire. Quod autem dicit, nec exercebuntur ultra ad prælium, subaudiendum est, sicut prius fecerant. Legimus enim multa prælia postmodum esse commissa : sed non tam gravia, sicut antea fuerunt.

« Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini. » Post vocationem gentium et ostensionem montis Dei, convertitur propheta ad populum suum, qui domus Jacob appellabatur, eo quod de familia Jacob descenderit, hortaturque eos procedere de tenebris infidelitatis atque erroris, et suscipere lumen veritatis, id est, Christum, qui dixit : Ego sum lux mundi : sicque ambulare in lumine Domini, id est, in fide et præceptis Domini Salvatoris. Vos, inquit, domus Jacob, domus populi mei, venite mecum, et pariter ambulemus in lumine Domini, de quo dicit Psalmista: « Accedite ad eum et illuminamini. (*Psal.* XXXIII.) »

« Projecisti enim populum tuum, domum Jacob. » Alloquens propheta, et exhortans populum suum, ut ambularent in fide Domini Salvatoris, postquam vidit per Spiritum sanctum duritiam cordis Judæorum et impœnitens cor eorum : subito convertit oculum mentis ad Deum, dicens : Ideo (inquit) hortor, ut ad te veniant, mecumque tuo lumine perfruantur, quia propter multitudinem peccatorum reliquisti eos, et abjecisti populum quondam tuum, domum scilicet Jacob. Redditque causam quare projecerit illos. « Quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philistiim. » Hunc locum quia diversi diverso modo explanare nituntur, dicendum est juxta traditionem magistrorum : et quid sincerius illis visum fuerit. Repleti sunt (inquit) idolis infidelitate et scelere peccatorum ut olim : id est, sicut quondam in Ægypto, ac postmodum in terra repromissionis temporibus judicum, et temporibus Jeroboam atque Achab, et augures suos et divinos habuerunt ut Philistiim, vel Palæstini vicini eorum, a quibus eos lex prohibet. Augurium est divinatio, sumpta et dicta a garritu avium. Inde dicuntur augures, a garritu avium divinationem sumentes. Cui superstitioni maxime Palæstini inter cæteras gentes dediti erant. Notandum autem temporibus Osiæ, Joatham, et Achaz, sub quibus Isaias prophetavit, Judæos habuisse idola sicut quondam habuerunt. Sequitur : « Et pueris alienis adhæserunt, » id est cum pueris a Deo alienis fornicati sunt. Potest autem duobus modis intelligi, ut cum pueris suæ gentis libidinem suam explerent, qui per hoc scelus alieni erant a Deo, quia omnis peccator longe a Deo est, vel etiam cum pueris gentilium. In tantum enim detestando et horrendo vitio deserviebant Judæi, ut etiam pueros gentilium formosos emerent, a quibus hujuscemodi libidinem explerent

« Repleta est terra argento et auro, et non est finis thesaurorum ejus. » Inter cætera vitia, quibus Judæi deserviebant, etiam immoderata avaritia cupiditasque signatur, dum dicitur : Non est finis thesaurorum ejus, id est, avaritiæ et cupiditatis illorum. Non quod thesauri finem non habeant, sed quod possidentium animus non impleatur, juxta illud Salomonis : « Avarus non implebitur divitiis (*Eccle.* IX). » Thesauri Judæorum siquidem finem habebant, sed cupiditas illorum fine carebat.

« Et repleta est terra ejus equis, et innumerabiles quadrigæ ejus. » Et hoc contra præceptum Domini erat, qui prohibet in lege multiplicari currus et equos. Siquidem et illa animalia data sunt ad adjutorium hominis, non ad superbiam, sed ipse abusus est illis in superbia. Unde jumentum dicitur ab adjuvando, id est a sublevando. De illis qui superbe his abutebantur, dicit Psalmista : « Hi in curribus, et hi in equis : nos autem in nomine Domini nostri invocabimus (*Psal.* X). »

« Et repleta est terra ejus idolis ; opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incurvavit se homo, et humiliatus est vir. » Hoc est, et infirmi sive potentes, qui designantur per hominem qui dicitur ab humo : et illi qui debuerant esse fortes et virtuosi, qui intelliguntur per virum qui dicitur a virtute : omnes pariter incurvati sunt, et humiliati ad adoranda idola. Hoc quoque temporibus Isaiæ factum est.

« Ne ergo dimittas eis. » Quod Septuaginta alio modo interpretati sunt, sub persona Dei dicentis : Ne ergo dimittam eis. Quapropter geminam recipit expositionem. Si ergo ad personam Dei refertur, ut Deus locutus sit hoc : ita est intelligendum : quia tanta mala fecerunt, non parcam eis, nec dimittam innumerabilia scelera eorum. Si propheta loquitur, sic est sentiendum : ne ergo dimittas eis peccata eorum, qui tanta mala perpetraverunt. Animadvertendum est autem prophetam non imprecari mala contra populum suum : sed subaudiuntur ea quæ in veritate sunt futura, quæ erant illis more prophetantis prædicenda, a superiori loco ubi legitur, quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philistiim, usque ad istum : qui tam ad Judæos refertur eo modo quo diximus, quam ad Chaldæos Romanosque qui illius populi deprædatores fuerunt, eorumque terram incoluerunt dicentes, quod protecto Judæorum populo, habitaverunt in Judæa alienigenæ qui repleti sunt idolis, habueruntque augures, et pueris alienis adhæserunt. Et repleta est terra ejus equis, et innumerabiles quadrigæ ejus. Per quod designatur Judæorum Romanorumque avaritia, quibus nihil est avarius, teste beato Hieronymo. Repleta est terra quoque Israelitici populi equis Chaldæorum Romanorumque et fuerunt innumerabiles quadrigæ ejus, hoc est vitiorum.

« Ingredere in petram, abscondere in fossa humo, a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus. » Vox prophetæ hortantis populum suum, ut ingrediatur in petram, et abscondatur in fossa, coopertus desuper humo. Ac si diceret aliis verbis : Hortatus sum ut ambularetis in lumine Domini, sed quia noluistis audire, ecce denuntio et hortor, ut ingrediamini in petram et abscondamini in fossa, vel in

speluncis, a facie timoris Domini, vel a facie Babylonis exercitus, qui designatur per timorem Domini, et a gloria majestatis ejus, quoniam per illos misit timorem suum super Judæos, et glorificatus est de hostibus suis Judæis, vindictam recipiendo. De hac tribulatione cujus formidine absconderunt se in speluncis et puteis, sicut historiæ narrant, Dominus in Evangelio ait : « Tunc dicent montibus, Cadite super nos ; et petris Abscondite nos (*Luc.* XXIII). » Altiori autem intellectu, præcipitur nobis omnibus ut ingrediamur in petram a facie timoris Domini, id est confugium faciamus ad Christum de quo dicitur : « Petra est refugium erinaceis (*Psal.* CIII). » Christus enim per similitudinem petra est, sicut Paulus apostolus dicit : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X). » In petram ergo ingredietur, quisquis veraciter credens, facit confugium ad ipsum, ne in adventu illius cum venerit perdere reprobos, damnetur. Absconditur in fossa humo, qui intrans in cubiculum orat Patrem suum. Vel etiam absconditur in fossa humo, qui in terreno corpore constitutus, quod designatur per humum abscondit et celat infirmitates carnales, ne videlicet omnia illecebrosa per operationem forinsecus ostendat, quæ caro desiderat perficere.

« Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum : exaltabitur autem Dominus solus in die illa. » Per oculos sublimis hominis qui humiliati sunt, altitudinemque virorum, accipitur fastus potentiæ et nobilitas generis. Cum, inquit, hostes supervenerint, tunc nec divitiæ, nec nobilitas generis, nec potentia dignitatum aliquem defendere poterit, quippe cum una sit captivitas omnibus. Sed humiliabuntur oculi potentis, divitisque hominis, qui torvide cum supercilio respiciebat aliquem. Incurvabitur quoque altitudo virorum, id est, contemnetur, ac pro nihilo reputabitur nobilitas generis. Dominus autem solus exaltabitur in die illa, hoc est in tempore adventus Chaldæorum Romanorumque, cujus iram et vindictam nullus poterit effugere. Possunt autem hæc eadem non incompetenter ad diem extremi examinis referri : in qua omnis creatura divinæ majestati atque potentiæ humiliabitur, et comparatione illius cognoscet se nihil esse. Redditque causam, quare debeat humiliari et incurvari.

« Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem : et humiliabitur. » Ubicunque de vindicta et victoria Domini propheticus sermo loquitur, Dominum exercituum solitus est illum vocare, id est, militiarum, quod Hebraice dicitur sabaoth. Ipse enim est Dominus militiarum suarum, sive exercituum, angelorum scilicet, atque hominum. Dies autem Domini, id est, dies vindictæ illius, dupliciter intelligitur : tempus videlicet captivitatis Judæorum, quæ venit super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem. Quæ tria unum sensum obtinent, per quæ intelliguntur principes Judæorum, sacerdotes, Pharisæi et scribæ. Tempus quoque ultimi judicii, in quo damnabitur superbus diabolus cum omnibus consectatoribus ejus, et humiliabitur super omnes arrogantes et superbos.

« Et super omnes cedros Libani sublimes, et erectas, et super omnes quercus Basan. » Subauditur, veniet dies Domini. Libanus mons est Phœnicis regionis excelsissimas cedros continens, quæ, sicut Cassiodorus in expositione psalmorum dicit, sua proceritate transcendunt omnem altitudinem arborum. Basan vero regio est Arabiæ, cui imperavit Og rex, habens glandiferas quercus, quarum fructus porcorum est cibus, non hominum. Metaphoricos autem per cedros Libani sublimes et erectas, intelliguntur superbi quique ; per quercus autem Basan, quæ interpretatur ignominia, qui opera ignominiæ exercent et in cœno libidinis volutantur : quorum fructus porcorum est, id est, dæmonum. Super omnes autem istos, vindicta et dies iræ Domini consurget. De talibus cedris dicitur in psalmo (*Psal.* XXVIII) : « Vox Domini conterentis cedros. » Et item . Vidi impium superexaltatum, sicut cedros Libani.

« Et super omnes montes excelsos, et super omnes colles et elevatos. » Subaudis, veniet dies Domini. Montes et colles plerumque in bonam partem accipiuntur. Pro sanctis videlicet, varietate virtutum decoratis. Plerumque autem ipsi impii pro diversitate vitiorum, maximeque superbi, montes appellantur et colles, sicut in præsenti loco. De his montibus collibusque dicit Ezechiel propheta : « Hæc dicit Dominus montibus et collibus : Ecce ego inducam super vos gladium (*Ezech.* XXXVI). »

« Et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum. » Subaudis, veniet dies Domini. Quantum ad litteræ sensum spectat, adveniente Romano exercitu, dies Domini vindictæ super turrim et super omnem murum Judæorum fuit : quoniam funditus sunt omnes eversi. Metaphoricos autem per turrim et murum intelliguntur hi, qui in altitudine turrium et firmitate murorum potius confidebant quam in Deo. Super quos dies ultionis Domini venit, quia fame, mortalitate, et gladio sunt consumpti et in pretium distracti. Vel etiam per turrim specialiter possunt intelligi illi qui præminebant in populo, sicut turris in civitate. Per murum vero munitum, divites potentesque, qui se munichant divitiis : super quos Domini dies veniet.

« Et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est. » Subaudis, dies Domini veniet. Hebræi omnia maria Tharsis appellant, et congregationem aquarum nomine maris vocitant : juxta illud in Genesi : « Congregationesque aquarum appellavit maria (*Gen.* I). » Quapropter hoc loco non simpliciter illud mare accipiendum est, quod adjacet terræ repromissionis : sed etiam omnia flumina vicina, per quæ Judæi soliti erant navigare, et negotia exercere. Et translative per naves intelliguntur hi, qui in navibus residentes, negotiationis causa pelagus et flumina navigabant. Super quos

dies vindictæ Domini venit : quando sicut Josephus narrat, advenientibus Romanis, illi comprehensi sunt, qui in portibus commorabantur, navesque eorum succensæ. Quodque sequitur, et super omne quod pulchrum est visu, intelligendum est super templum et sanctuarium, ubi erat maxima pulchritudo, et super omnes virgines et juvenes : super omne quodque quod delectabile erat ad videndum, diem ultionis venisse : quando simul omnia bona illius populi destructa et evacuata sunt.

« Et incurvabitur sublimatas hominum, et humiliabitur altitudo virorum. » Per sublimitatem hominum, altitudinemque virorum, fastus potentiæ, et nobilitas generis accipitur, sicut paulo superius dictum est, quia incurvata et humiliata sunt, quando quidam occisi, quidam vero in servos sunt venundati.

« Et elevabitur Dominus solus in die illa, et idola penitus conterentur. » Quod est aperte dicere : In die illa, hoc est, in tempore vastationis Judæorum, elevabitur Dominus, id est, excelsus et gloriosus fortisque apparebit : cum tradiderit inimicos suos Judæos in ore gladii Chaldæorum Romanorumque, tunc penitus idola conterentur Judæorum cum cultoribus suis. Licet in Domini adventu non legantur Judæi idola coluisse, tamen quando captivati sunt a Chaldæis, idola colebant, sicut Ezechieli ostensum est (*Ezech.* VIII). Quapropter quia sermo propheticus mixtim loquitur de utraque captivitate et vastatione, specialiter ad priorem referendum est, quod dicitur, idola penitus conterentur. Contrita sunt enim idola Judæorum a Chaldæis, et metalla eorum in Babylonem ducta.

« Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ, a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. » Præsentia cum sequentibus ad utramque vastationem Judæorum pertinent, quando effugere nitentes Dei vindictam, abscondebant se in speluncis et voraginibus terræ. Bene autem dicitur : A gloria potentiæ Domini, cum surrexerit percutere terram. Quodammodo enim omnipotens Deus consurgit percutere terrenos homines, terrena solummodo cogitantes et quærentes, quando severiter suos per ministros pœnam infert illis, sicut per Chaldæos Romanosque Judæis intulit.

« In die illa. » Hoc est in adventu Chaldæorum vel etiam Romanorum « projiciet homo (Judæus) idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas et vespertiliones, et ingredietur sessuras petrarum et in cavernas saxorum a facie formidinis Domini et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. » Subauditur Judæorum, vel ipsos Judæos terrena sectantes. Sic factum est, quando superveniente hostili exercitu projecerunt idola sua Judæi, absconderuntque se in cavernis, ut effugere possent iram Domini. Quod autem dicit, ut adorarent talpas et vespertiliones, non est intelligendum, quod simulacra haberent ad similitudinem talpæ quod est animal lumine carens oculorum, aut vespertilionis, quæ est avis lucifuga. Sed despective atque irrisorie protulit, idola eorum talpis et vespertilionibus comparans, quæ cum oculos videantur habere, minime vident, sicut Psalmista dicit : « Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Oculos habent et non vident (*Psal.* CXIII). »

« Quiescite ergo ab homine cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputabitur ipse. » Considerans propheta Isaias Judæos concives suos perdendos propter mala, quæ Christo perfida mente intulerunt, hortatur eos dicens : Ecce prophetali spiritu prædixi vobis, quæ evenire possunt. Moneo ergo atque præcipio, ut quiescatis ab homine Christo, qui secundum carnem quidem homo est verus, habens animam et spirans, et halitum trahens naribus, sicut nos puri homines spiramus et vivimus, sed secundum divinam majestatem excelsus reputatur ipse, et creditur, quia æqualis est Deo Patri. Cavete ne offendatis eum in aliquo, quia licet spiret ut homo, Deus verus tamen est. Et si feceritis, venient vobis propere omnia mala superius dicta. Quod Redemptor noster excelsus sit, Psalmista indicat, dicens : Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus. Et quod dicit, cujus spiritus in naribus ejus, tale est ac si diceret : In cujus naribus est flatus, qui plerumque spiritus appellatur.

CAPUT III.

« Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem et a Juda validum et fortem. » Vox prophetæ dirigitur ad Judæos, qui Dominum persecuti sunt. Quia, inquit, noluistis quiescere ab homine cujus spiritus in naribus ejus, qui excelsus credendus est, sed econtrario fudistis sanguinem innocentis, ecce dominator Dominus auferet ab Hierusalem validum et fortem, omnemque virum bellatorem : ut nemo remaneat, qui alicujus sit virtutis, sed omnes sint languidi et imbecilles. « Omne robur panis, et omne robur aquæ. » Subaudis auferet a Juda et ab Hierusalem. Robur sive fortitudo panis et aquæ, pro omni cibo et potu accipitur : quæ Dominus abstulit a Judæis, in tantum ut filios suos fame urgente comederent. Allegorice autem per panem et aquam, divina accipitur Scriptura : quæ in quibusdam locis cibus est, in quibusdam potus. Quam abstulit Dominus a Judæis et tradidit illam gentibus, ut faciant fructus ejus, sicut ipse dicit : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI). » Ubicunque enim gravis est ad intelligendum, et cum difficultate sumitur, cibus est : quia quodam modo mandendo glutitur. Ubi vero facile intelligitur, potus est. De istiusmodi pane et aqua testatur alius propheta : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et mittam famem in terram, non famem panis neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei (*Amos.* VIII). »

« Fortem et virum bellatorem, et judicem, et

prophetam, et hariolum, et senem. » Subaudis auferet Dominus ab Juda et ab Hierusalem. Non dubium, quin omnes istos abstulerit Dominus a Judæis. Virum enim bellatorem et fortem quemquam non habent, sed omnes sunt infirmi et pleni formidine. In hoc quoque apparet eos judices non habere, quia ipsi judicantur a Romanis principibus. Propheta verus, senexque sapiens, jam desiit esse ex illis. Et non solum alios, sed etiam ipsos ariolos (pro quibus Septuaginta divinos interpretati sunt) abstulit Dominus ab eis. Arioli autem sunt incantatores, qui quibusdam incantationibus rem peragunt. Per quos etiam pleramque futura prædicantur, sicut de Balaam (*Num.* XXIV) ariolo legimus, et de divinis (*I Reg.* VI) quinque urbium Philistinorum. Sensus autem est, quod vera et B falsa pariter a Judæis auferantur.

« Principem super quinquaginta, et honorabilem vultu, et consiliarium sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici. » In hoc loco a parte totum accipientes, per principem super quinquaginta (qui quinquagenarius nuncupatur) omnes principes Judæorum intelligimus esse ablatos. Inter cæteras quoque gratias, etiam hoc auferet Dominus a Judæis : ut nullum habeant honorabilem vultu, qui pro sua reverentia honoretur : nullum consiliarium, sed cuncta facient absque consilio. Principemque artificum, qualis fuit Beseleel; et prudentem eloquii mystici, id est, prudentem doctorem, qui docet eloquia mystica sive divina; vel, ut quidam volunt dicere, prudentem auditorem, qui possit discernere C prædicationem docentis : illum auferet ab eis. Admiranda est enim sententia cujusdam poetæ Græci : qui dicit primum esse beatum qui per se sapiat : secundum, qui sapientem audiat.

« Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. » Loquente ex persona sua propheta ea quæ superius dicta sunt, subito secundum morem propheticum, loquitur ex persona sua Deus per prophetam, dicens : Dabo pueros principes eorum, id est, sublatis his quos ante donaveram principes, videlicet quinquagenario, seneque, et prudente consiliario : pro his dabo principes lascivos, et dissolutos, more puerorum. Non enim pueros solummodo ætate debemus intelligere, sed moribus et conversatione. De talibus pueris principibus in Ecclesiaste legimus : « Væ tibi, terra cujus D rex juvenis est (*Eccl.* X)! » id est, juveniliter agens. Talis fuit Roboam qui, despecto consilio senum, secutus est consilia juvenum (*III Reg.* XII). Non, quod puer aut juvenis esset ætate quando accepit regnum, utpote quod quadraginta sex erat annorum, sed quod pueriliter gessit, et dissolute. Quodque sequitur, et effeminati dominabuntur eis, idem sensus est. Effeminati autem sunt, qui fortitudinem stabilitatemque virilem in femineam mollitiem habent redactam. Tales sunt hodie principes Judæorum, pueriliter videlicet cuncta agentes, nulliusque virtutis existentes.

A « Et irruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum. Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem. » Cum pueri fuerint principes eorum, et effeminati fuerint eis dominati, tunc utique nec ætatis, nec dignitatis ullius ordo servabitur : sed irruet sive consurget populus adversus semetipsum, soluto fœdere pacis et civilitatis : vir scilicet contra virum, et unusquisque adversus proximum suum. Puer quoque ætate murmurabit contra senem, sive stultus contra sapientem ; et ignobilis contra nobilem. Sic fit plerumque in sancta Ecclesiâ, propter peccata populi. Auferuntur enim principes ad bellanda prælia Domini fortes, rectoresque religiosi : qui plebem Dei secundum ejus placitum noverunt regere, consiliarii quoque, et B doctores prudentes. Sicque confunditur omnis ordo, et consurgit vir contra fratrem suum : puer sumit audaciam murmurandi contra senem, et ignobilis genere, et conversatione morum, contra nobilem.

« Apprehendet vir fratrem suum, domesticum patris sui, » id est, vernaculum, quem pater ejus nutrivit. Dum civitas Hierusalem obsidione vallaretur a Romano exercitu, Judæi infra mœnia suæ civitatis conclusi, in tres partes erant divisi. Alii siquidem templum arcemque Sion tenebant, alii vero partem superiorem civitatis, atque alii inferiorem : et quemcunque quis volebat sibi principem constituebat, non solum vernaculum patris sui, sed etiam alium dicens: « Vestimentum tibi est, princeps esto noster. Ruina autem hæc sub manu tua. » Et est sensus : Habes cibum et vestimentum, esto nobis princeps : tantummodo, ut liberes nos ab ingruente fame, et miseria nostra tuo sustentetur auxilio.

« Respondebitque in die illa dicens : Non sum medicus, et in domo mea non est panis neque vestimentum : nolite constituere me principem populi. » Considerans is, qui electus fuerit in principem, paupertatem et imbecillitatem suam, respondebit : Non sum (inquiens) medicus, id est, non possum vestram necessitatem implere : quia non habeo panem, neque vestimentum. Quapropter nolite me constituere principem.

« Ruit enim Hierusalem, et Juda concidit : quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus. » Non loquitur hoc ille, quem principem volebant constituere, sed potius propheta, qui dicit idcirco nemem velle populo peccatori præesse, quia urbs Hierusalem et Judæa provincia pariter corrueruut in manus hostium. Causasque reddit impietatis eorum atque perditionis : quod contra Dominum blasphemaverunt dicentes, « Dæmonium habes, » et, « Samaritanus es, » et « Reus est mortis, » et « Crucifige » talem, multaque his similia (*Joan.* VIII; *Matth.* XXVI; *Luc.* XXIII). Adinventiones quoque suas contra Dominum protulerunt, quando opposuerunt ei falsos testes, dicentes : Hic dixit, possum destruere templum hoc manufactum, et in triduo aliud non manufactum reædificare. Quapropter oculos majestatis Domini,

id est, respectum misericordiæ illius et clementiam, ad amaritudinem provocaverunt. Licet enim Romani, quantum ad se pertinuit propter hoc venerint, quia tributum renuebant persolvere, causa tamen perditionis illorum mors Filii Dei fuit. Et quia illum provocaverunt ad amaritudinem :

« Agnitio vultus eorum respondebit eis, » id est cognitio quod, Christum videntes in carne, noluerunt in eum credere. Respondebitque eis Dominus, quando positi in miseria et tribulatione, recordabuntur propter necem Filii Dei hæc sibi advenisse. Vel aliter : Agnitio vultus eorum respondebit eis, quia sua receperunt peccata, vel ante oculos mentis semper habuerunt propria delicta. « Et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. » Sicut Sodomitæ nefandis criminibus inquinati, invere- B cunde dixerunt ad Loth, Educ viros foras ut concumbamus cum eis : ita et isti eisdem peccatis irretiti, impudenter et absque omni reverentia peccatum suum prædicaverunt, acclamantes contra Dominum : Crucifige, crucifige istum ! Et, Reus est mortis. Unde ab eodem propheta, principes Sodomorum et populus Gomorrhæ appellantur. Moraliter autem unusquisque peccatum suum sicut Sodomitæ publicat, qui vitia quibus ipse tenetur inquinatus, aliis inverecunde prodit, ad hoc ut eos similes reddat, suique imitatores efficiat. Nec sufficit ei immunditiam suam uni ostendere, nisi etiam multos sibi illiciat. Quapropter sicut Sodomitæ corpore et anima perierunt, ita etiam ille in die judicii pariter in corpore et anima damnabitur, audiens a Domino illam terribilem vocem : « Ite, ma- C ledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » « Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. » Damnationem scilicet suorum scelerum recipiendo.

« Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedent. » Lecturos hanc prophetiam alloquitur propheta : Vos qui legistis librum hujus prophetiæ, vel qui audistis perditionem Judæorum, laudate justitiam Domini, et dicite justo, hoc est Christo, quoniam bene fecit, quod reddidit Judæis pœnam, quam merebantur illorum adinventiones.

« Væ impio in malum, retributio manuum ejus fiet ei. » Quod est dicere : Æterna perditio veniet in populo Judæorum, quia qualia operatus est, talia recipiet. Principem suum Romanæ tradidit potestati, D et ipse Romanæ subjectus est servituti. Refertur autem et ad unumquemque impium, qui qualia fecerit, talia venient ei.

« Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt eis. » Contra scribas et Pharisæos loquitur sermo propheticus (*Matth.* XXIII ; *Luc.* XI), vocans eos exactores suos, quia ut exigere possent a suis subditis tributa, decimas et primitias, atque in suos usus redigere, eam turpis lucri Dei Filium negaverunt. Et non solum exactores vocantur, quia populum spoliabant : sed etiam mulieres despective, eo quod muliebriter viverent, servientes libidini, omnique voluptati. Tantæ etenim cupiditati A erant dediti, ut si per omnia non reddidissent eorum subjecti quæ reddenda erant, flagellarent eos publice : et multipliciter ab eis postea exigerent, dicentes : « Scriptum est : Non apparebis in conspectu meo vacuus (*Exod.* XXIII). » Potest autem et ita intelligi, quod mulieres dominatæ eis sunt, id est, uxores scribarum et Pharisæorum. Cavendum est ergo, ne magistri doctoresque Ecclesiæ exactores populi sint opprimentes subjectos, ut illorum divitiis ditentur, et cupiditati servientes, muliebriter vivant. « Populе meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. » Scribæ et Pharisæi, qui superius exactores appellati sunt, illos a quibus munera accipiebant, beatos esse dicebant : adulantes eis ac dicentes : Vos estis sancti et electi omnipotentis Dei, qui ministros illius honoratis, et columnæ domus Dei, cæterisque his similibus verbis adulatoriis decipiebant eos, et viam actionum illorum laudibus suis male extollendo dissipabant contra illud agentes : « Ne laudes hominem in vita sua (*Eccle.* II). »

« Stat ad judicandum Dominus, stat ad judicandum populos. » Non sedet ad judicandum ad hoc ut in præsenti perdat tempore, sicut in Danielis volumine legitur (*Dan.* XIII) : sed stat, id est, considerat et discernit omnium opera : volens statuere eos in fide bonisque operibus, quorum via fuerit dissipata. Vel etiam, considerat quomodo benefactores in futurum remuneret, malefactores autem suos in futurum perdat.

« Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, » id est, cum patriarchis et prophetis, et cum principibus ejus, hoc est cum apostolis : de quibus Psalmista loquitur : « Constitues eos principes super omnem terram (*Psalm.* XLIV). » « Vos autem depasti estis vineam meam, rapina pauperum in domo vestra. » Contra scribas et Pharisæos, exactores scilicet Judæorum, loquitur sermo divinus : qui sunt depasti vineam Domini, hoc est plebem Israeliticam, spoliando illam de qua dicitur psalmo : Vineam de Ægypto transtulisti. Isaias quoque alibi : « Vinea, inquit, Domini sabaoth, domus est Israel (*Infra* V.) » In quorum domibus erat rapina pauperis, id est, innocentis, pupillorum scilicet orphanorum, ac viduarum : qui non habebant facultatem se tuendi.

« Quare atteritis » sive affligitis « populum meum et facies pauperum, » id est, egenorum ac pupillorum « commolitis » sive attenuatis, vel conteritis? Commolere est attenuare, vel comedere aut conterere. Unde in Evangelio (*Matth.* VI) : scribæ et Pharisæi dicuntur jejunantes, quia facies suas demoliunt, id est attenuant. Ipsi quoque substantiam pauperum egenorumque diripiebant : sicque inopia famis facies eorum attenuebant. Sed et hoc ad malos principes Ecclesiæ referri potest : qui spoliant egenos, et innocentes publice condemnant : in quorum domibus rapina pauperum est, et attenuant facies eorum.

« Et dixit Dominus : Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum suorum ibant et plaudebant, ambulabant

et pedibus suis composito gradu incedebant. » Superius tam Dominus quam propheta, populum et principes increpaverat : nunc ad mulieres scribarum et Pharisæorum, de quibus supra dixerat : et mulieres dominatæ sunt eis : rursus sermo propheticus dirigitur, ne se alienas a crimine arbitrentur, ob quarum delicias atque luxuriam, viri earum spoliaverunt populum Domini. Ornatæ autem erant et depompatæ deliciis, dum ambulabant extento collo, et nutibus oculorum loquebantur. Ibant plaudendo manibus, atque ludendo pedibus, præ nimia lascivia et dissolutione, et composito gradu propter superbiam incedebant. Hoc testimonio corrigendæ sunt feminæ et mulieres sanctæ Ecclesiæ : quæ istarum imitatrices existunt. Pro eo, inquit, quia hoc fecerunt,

« Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, » id est, earum capita faciet radi.

« Et Dominus crinem earum nudabit, » ut pro ornatu sit ignominia.

« In die illa, » hoc est, in tempore captivitatis Judæorum, quæ veniet eis per Romanos,

« Auferet Dominus ornatum calceamentorum, et lunulas, » cæteraque ornamenta muliebria. Habent mulieres bullas sive fibulas, instar lunæ factas. Torques ex auro fit, et circumdat collum. Unde Balthasar, videns articulos manus scribentis in paricte, dixit (*Dan.* v) : Quicunque legerit scripturam hanc, et interpretationem ejus dixerit, purpura vestietur, et torques aurea ponetur in collo ejus. Monilia generaliter dicuntur omnia ornamenta mulierum. Armillæ, dextralia quæ in brachiis ponuntur. Mitra operimentum est capitis : vel virorum appellatur pileum vel thiara, mulierum vero potest dici cusia. Discriminalia sunt, quibus discriminantur crines : quæ alio nomine appellantur squinones. Ex illis enim dividunt, ac præparant mulieres crines capitis sui. Perischelides sunt torques ex auro, ad similitudinem armillarum, et ponuntur circa collum. Murenulæ sunt virgulæ aureæ, contortæque auro argentoque : quæ habent margaritas interpositas, et dependent a collo. Olfactoriola dicuntur ab olfaciendo : ibi enim portant muscum, aliaque odoramenta muliebria. Inaures sunt, quæ in auribus dependent. Sindones sunt linteamina, subtili opere facta. Teristrum genus est pallii muliebris, quod fit ex optimo genere lini : adeo subtilissimum ac tenuissimum, ut si quis tunicam inde habuerit indutam, macula corporis nequeat abscondi. Utuntur autem eo indumento maxime mulieres Arabiæ, necnon et Mesopotamiæ atque Hispaniæ tou *thereos*, hoc est, in æstate : unde et nomen accepit, *theros* enim dicitur æstas.

« Et erit pro suavi odore fetor, et pro zona, » id est, pro cingulo aureo « funiculus, et pro crispanti crine » quod solent mulieres facere, scilicet crispare cincinnos, « erit calvitium. Et erit pro fascia pectorali cilicium. » Fascia pectus tegit : et eum possidet locum in feminis, quem rationale in pontificibus. Idcirco autem apponitur pectori, ut restringat mammillas ne nimis crescant, quod deforme est. De hac fascia pectorali, et Jeremias mystico sermone dicebat. « Si oblivisci potest sponsa ornatus sui, aut virgo fasciæ pectoralis suæ, et ego obliviscar tui, dicit Dominus (*Jerem.* II). » In quibusdam autem regionibus fiunt quædam formulæ ex corio crudo, tantæ magnitudinis quantæ quis vult, ut sint mamillæ : et applicantur mamillis puellarum, sicque desuper tum fascia stringuntur : et tunc neque nimis crescunt, neque manibus, et tactu lascivientium juvenum confractæ exuberant.

« Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio. » Tam pulcherrimi juvenes Judæorum, quam fortes bellatores, gladio Romanorum ceciderunt in mortem, et in prælio dimicando contra eos perierunt. Licet enim cominus minime pugnassent cum Romanis in campo, tamen dimicaverunt contra eos conclusi intra mœnia urbium suarum : sicut apertissime Josephus, et Ægesyppus narrant.

« Et mœrebunt atque lugebunt portæ ejus, et desolata in terra sedebit. » Metonomicos per portas Hierusalem, quæ dicuntur mœrere et lugere, intelliguntur habitantes extra portas, vel in ipsis portis more antiquo : quia sedes regum et principum super portas erant : sicut de David legimus (*II Reg.* XIX), quod sederit in porta. Possunt et per portas Hierusalem intelligi principes illius, qui postmodum in mœrore et luctu morantur. Ipsa quoque civitas desolata ab habitatoribus suis sedet in terra funditus subversa, vel etiam ipsa plebs desolata et derelicta ab habitatore suo omnipotente Deo, sedet in terra, hoc est in humiliatione et abjectione, dum quotidie a cunctis gentibus contemnitur, atque despicitur.

CAPUT IV.

« Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. » Quando Nabuchodonosor (*IV Reg.* XXV) rex Babylonis captivavit Sedechiam regem Juda, omnesque principes Judæorum et omnem populum terræ duarum videlicet tribuum Judæ et Benjamin : jam enim decem tribus ductæ erant ultra montes Medorum et Persarum, unde postea non sunt reversæ : potuit fieri, ut mulieres multo plures remanserint in terra, ut pro paucitate virorum septem ex illis apprehenderint virum unum, dicentes : Habemus panem et vestimentum, sed marito privatæ sumus. Ne ergo absque semine simus, et illud maledictum legis super nos veniat, Maledicta sterilis quæ non dimiserit semen super terram : veniens aufer opprobrium sterilitatis a nobis, et vocetur nomen tuum super nos, id est, sis vir noster, ne absque marito esse videamur, tuæque dicamur esse uxores. Allegorice vero septem mulieres, septem dona Spiritus sancti intelliguntur : quæ idem propheta in sequentibus

commemorat dicens (*Infra.* XI) : Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, et usque timoris Domini. Vir autem unus Dominus Jesus Christus intelligitur : de quo per Zachariam dicitur, « Ecce vir, oriens nomen ejus (*Zach.* VI). » In die, inquit, illa apprehendent septem mulieres. Hoc est, in tempore Dominicæ incarnationis, apprehendent septem dona Spiritus sancti virum unum : Dominum Jesum significat, quem multo tempore desideraverant : quia nullum alium potuerunt invenire, in quo æterna statione quiescerent. Unde Joannes dicit, quia vidi Spiritum descendentem, et manentem in ipso (*Marc.* I). Istæ sunt septem mulieres, id est, septem dona Spiritus sancti, quæ a Zacharia oculorum nomine censentur dicente : « Super unum (inquit) lapidem septem oculi sunt, et in uno aureo candelabro septem lucernæ, et septem suffusoria (*Zach.* IV). » Non enim tunc primum septem dona Spiritus sancti, quæ designantur per septem mulieres, apprehenderunt Dominum Jesum, ut in illo æternaliter habitarent, quando tempore baptismatis Spiritus sanctus super eum in specie columbæ descendit, et vox paterna intonuit (*Matth.* III ; *Luc.* III, *Joan.* III) : Hic est Filius meus charissimus : sed potius a tempore conceptionis plenissime in eo mansit : sicut beatus Augustinus et Boetius in libro de sancta Trinitate testantur. Quod vero dicitur : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur : ita est intelligendum, quod gratia sancti Spiritus cuncta cum Patre et Filio possideat. Et quia in hominibus semper patiebatur opprobrium, dum per peccatum excludebatur ab illorum cordibus, nullo ita vivente, ut dona Spiritus sancti poscebant, idcirco nomen Jesu sibi cupiunt invocari, ut ab illo qui est Salvator et dicitur Jesus sive Christus, homines sint salvati et Christiani dicti, et in illis possit deinceps habitare. Potest et aliter intelligi. Septem, inquit mulieres, septem Ecclesias designant, ad quas scribit Joannes in Apocalypsi sua. Quæ septem Ecclesiæ figuram tenent omnium Ecclesiarum, quæ per universum mundum dilatatæ sunt. Septenarius etenim numerus frequenter in sacro eloquio pro universitate accipitur. Et cum loquitur uni earum, omnibus loquitur : sicut in fine sententiarum uniuscujusque earum dicit : « Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis (*Apoc.* II). » Quo ergo tempore istæ mulieres Dominum Jesum apprehenderunt? Utique post ascensionem ejus, quando prædicantibus apostolis fidem ejus receperunt, firmiterque in eum credere cœperunt. Sed quid dixerunt illi? Panem nostrum comædemus, id est, corpus tuum in Ecclesia sumemus : quia tu es verus panis, qui de cœlo descendisti. Et vestimentis nostris operiemur, id est, ornamentis virtutum decorabimur, quæ contexuntur in duobus lignis, in dilectione Dei scilicet, et dilectione proximi (*Joan.* VI). Tantummodo invocetur nomen tuum super nos, ut a te Christo Christianitatis nomen habeamus. Aufer opprobrium nostrum, hoc est, esto A vir noster inter adversa et prospera protegens nos : ut possimus crescere per universum orbem, semenque bonorum operum relinquere post nos, vel liberos spirituales, qui sint filii Dei. Siquidem ante Domini adventum gentiles opprobrio habebantur a Judæis, quod non haberent virum Deum omnipotentem. At post Domini ascensionem istud opprobrium sublatum est ab eis, quando receperunt virum suum Deum omnipotentem per fidem ipsius.

« In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel. » Germen Domini appellat Filium Dei Patris, de quo dicit propheta : « Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. » Et radix Jesse qui stat in signum populorum, B Et alibi : « Aperiatur terra, et germinet salvatorem. » Fructus terræ ipse est filius beatæ Mariæ virginis. Notandumque, quia dum dicimus illum Filium Dei esse, et filium Virginis, non dividimus personam, quæ una est : sed distinguimus naturas, divinam et humanam. Iste est fructus, de quo dicit Pater ad David : De fructu lumbi tui ponam super sedem meam (*Psal.* CXXXI). Et Psalmista : « Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* LXXXIV). » In die ergo illa, hoc est in tempore illo, quando septem mulieres apprehenderunt virum unum, fuit germen Domini, id est, Filius Dei, in magnificentia et gloria : quia virtute miraculorum, et doctrina cœlesti, magnus et gloriosus apparuit. C Fructus quoque terræ ejusdem ipse filius Virginis sublimis exstitit, quando super omnes ordines angelorum est elevatus. Tunc fuit exsultatio maxima his qui salvati erant de Israel : apostolis videlicet aliisque credentibus ex Judæis, de quibus dicit Lucas : « Quia crediderunt una die tria millia, alia die quinque millia, et deinceps multa millia (*Act.* II, 4). » Econtra scribis et Pharisæis, aliisque in infidelitate manentibus, qui non meruerunt salvari, non fuit exsultatio sed maxima tristitia videntibus apostolos prædicare nomen Domini Jesu, fidemque illius longe lateque divulgari.

« Et erit. Omnis qui relictus fuerit in Sion, resi- D duus in Hierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem. » Sion, quæ interpretatur speculatio, et Hierusalem, quæ dicitur visio pacis, sanctam Ecclesiam significant, quæ mentis contemplatione cœlestia intuetur : tendens totis nisibus ad visionem pacis. Omnis igitur qui relictus et residuus fuerit in Ecclesia, per fidem et operationem bonam, sanctus vocabitur, quia a Christo Christianus nuncupabitur. Omnis videlicet qui scriptus est in vita in Hierusalem, id est in memoria et prædestinatione omnipotentis Dei. Quo loco apostoli intelliguntur cæterique fideles ex eodem populo, de quibus dicit idem propheta : Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Istis etiam Dominus loquebatur : « Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlo (*Luc.* X). » Non in libro materiali, sed in memoria omnipotentis Dei. Nam in cœlesti Hierusalem

non habetur alius liber, nisi memoria et præsentia Dei.

« Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii et spiritu ardoris. » Ista particula, quæ est *si*, aliquando negativam significationem habet, ut ibi : « Si reddidi retribuentibus mihi mala (*Psal.* VII), » hoc est, non reddidi. Aliquando vero affirmative ponitur, ut in præsenti loco et in aliis multis. Ac si diceret : Omnes qui in eum crediderint, vocabuntur sancti. Et abluet Dominus sordes peccatorum ab eis, per gratiam baptismatis, et sanguinem prophetarum lavabit de medio ejus, quem ipsi fuderunt et patres eorum, insuper et illum quem sibi populus errans imprecatus est, dicens : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » Hanc autem purgationem faciet in spiritu judicii, id est in baptismate, et spiritu ardoris, hoc est in effusione sanguinis sui. Vel etiam per spiritum ardoris seu combustionis, intelligitur Spiritus sanctus, qui consumit peccata electorum. Unde et dicitur : « Quia Deus noster ignis consumens est (*Deut.* IV). » Potest et spiritus ardoris tertio modo intelligi, tribulatio et tormentum passionis, quo purgantur electi. Hoc tamen advertendum est de apostolis dictum, cæterisque ex eodem populo credentibus.

« Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum, et splendorem ignis flammantis in nocte. » Per Sion hic sancta Ecclesia intelligitur. Per nubem protectio divina. Per fumum gloria ejus, sicut in hoc eodem propheta dicitur, quia « domus impleta est fumo, » id est, gloria Domini. Vel etiam per fumum, compunctio pœnitentiæ accipitur. Per splendorem ignis remissio peccatorum. « Super omnem, » inquit, « locum montis » Sion, id est, super sanctam Ecclesiam, et ubi invocabitur a fidelibus suis, creabit Dominus nubem per diem, id est, protectionem in prosperis, et fumum, et splendorem ignis flammantis in nocte, hoc est auxilium et liberationem, sive gloriam et compunctionem, necnon et remissionem peccatorum, per gratiam Spiritus sancti protegentis inter adversa. Ac si diceret : Inter prospera et adversa proteget sperantes in se, ut nec inter prospera superbiant et labantur in peccatum, nec inter adversa deficiant desperando, ut sicut filios Israel protegebat in die columna nubis ad repellendos æstus, et in nocte columna ignis ad incutiendum timorem, ita etiam in prosperis et adversis proteget et gubernabit electos suos.

CAPUT V.

« Cantabo nunc dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ. » Cantat Propheta carmen lamentabile populo Israel, quod composuit ille, de quo dictum est in Evangelio, « Cum autem vidisset eam, » haud dubium quin Hierusalem, « flevit super eam et dixit : Si scires et tu quæ ad pacem sunt tibi, quoniam venient super te inimici tui et circumdabunt tibi munitiones, et vallabunt te, et prosternent te et filios tuos (*Luc.* XIX). » Quod autem Christus dicatur dilectus, quadragesimi quarti psalmi nos inscriptio docet, Canticum pro dilecto, et vox Dei patris in Evangelio : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* III, 17). » Hic ergo dilectus carmen lugubre fecit vineæ suæ, quod cantabo ego dilecto atque miserabili populo meo. Vel certe ita intelligendum : Cantabo omnipotenti Deo Patri canticum Christi, qui est patruelis meus, hoc est ex eadem mecum gente generatus. Quod autem vinea Domini appelletur populus Israel, in septuagesimo nono psalmo dicitur : « Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes et plantasti eam. » In Evangelio quoque pene iisdem verbis quibus Propheta nunc loquitur, Dominus texuit parabolam : « Homo quidam erat paterfamilias, qui plantavit vineam. » Et hæc itaque Hierusalem, ut diximus, plangitur et sermone prophetico illius ruina cantatur. « Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei. » In cornu regnum significari et potentiam sæpe legimus, ut est illud in Evangelio : « Suscitavit cornu salutis nostræ in domo David pueri sui. » Et : « In te inimicos nostros cornu ventilabimus. » Et in Zacharia « quatuor cornua potentissima demonstrant regna. »

« Et sepsit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit vineam Soreth : et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular exstruxit in ea. » Per metaphoram, ut prius diximus, vineam descripsit esse populum Judæorum : quem sepsit angelorum auxilio. « Et lapides elegit ex ea, » id est, idola : vel omnia quæ Dei cultum poterant impedire. « Et plantavit eam vineam Soreth. » Aiunt enim Hebræi Soreth genus esse vitis optimæ, quæ uberes fructus faciat atque perpetuos. Denique Soreth a quibusdam *callicarpos* interpretatur, quod nos in pulcherrimos fructus vertere possumus. « Ædificavit quoque turrim in medio ejus, » templum videlicet in media civitate. « Et torcular exstruxit in ea, » quod quidam altare significare putant. Cuncta ergo quæ dicuntur de vinea, possunt et ad animæ statum referri : quæ a Deo plantata in bonum, non uvas attulit, sed labruscas : et postea sit tradita bestiis conculcanda, nec divinum imbrem susceperit doctrinarum : quia præterita dona contempserit.

« Et exspectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas. Hunc ergo habitatores Hierusalem et viri Juda, judicate inter me et inter vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ et non fecerim ei ? An quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas ? » Feci, inquit, universa quæ debui, plantavi vineam in loco uberrimo : circumdedi maceriam, elegi lapides, et flagella ejus hastilibus calamisque supposui. Vitis quoque ipsa non fuit una de pluribus, sed electa. Quia igitur hæc feci quæ facere debui, respondeant mihi habitatores Hierusalem et Judæ, imo judicent inter me et vineam meam : quid est quod facere debui, et non fecerim ? Hic populus interrogatur quasi de vinea, ut contra se ipse

respondeat. Hunc locum in Evangelio (*Matth.* XXI) plenius Salvator exsequitur. Et quod hic prætermissum est, scribas et Pharisæos interrogat. In Isaia enim nihil dictum est de agricolis, nec quæ passuri sunt indicatur : sed tantum de vinea sermo est. Ibi autem quasi alia sit vinea et alius agricola, sic de populo loquitur et magistris, ut, « Malos male perdat; » Et, « vineam aliis agricolis locet, » significans apostolos et eos qui apostolis successuri sunt. Supra enim apud se tacitus loquitur, hic autem quod cogitaverat alios interrogat.

« Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, et erit in direptionem. Diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam, non putabitur et non fodietur, et ascendent super eam vepres et spinæ. » Quia feci vineæ meæ cuncta quæ debui, et pro uvis attulit labruscas, auferam universa quæ dederam. Tollam angelorum auxilia, de quibus in psalmis scriptum est : Circumdabit angelus Domini in circuitu timentium eum, et liberabit eos : et diripiet ab adversariis. Destruam muros ejus, et inimicis gentibus subjacebit. Eritque deserta, et non putabitur in æternum, nec fodietur, ut redigatur in vepres. Tollitur autem Dei auxilium ab his qui indigni sunt : ut quia non senserunt Deum per beneficia, sentiant per supplicia. Vel ideo truculenta quædam et aspera est comminatus, ut conversi ad pœnitentiam, imminentia tormenta devitent. « Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. » Non solum de prophetis, sed et de apostolis possumus intelligere. Ne pro uvis afferrent spinas, sed pro sterilitate et ariditate sua precarentur eum qui potest imbres virtutum præbere.

« Vinea Domini exercituum domus Israel est, et viri Juda germen delectabile ejus, » id est, Dei. Pulchre Israel, id est, totus populus Israel, domus Dei dicitur : Judas autem germen delectabile, qui postea separatis tribubus pullulavit. Novellum enim dicitur delectabile. Sed et hoc notandum, quod juxta consuetudinem prophetialem, quæ prius per metaphoram dicta sunt, vel per parabolam, postea exponuntur manifestius, quod vinea et novella plantatio Israel et Juda sunt. « Exspectavi, ut faceret judicium : et ecce iniquitas. Et justitiam, et ecce clamor. » Exspectavit Deus ut populus Judæorum judicium faceret, id est uvas : et fecit iniquitatem, id est labruscas. Et exspectavit justitiam, ut largitorem tantorum munerum a patre missum susciperet, et fecit clamorem quo vociferatus est contra Dominum, et clamavit dicens, « Tolle, tolle, crucifige eum ! (*Joan.* XIX.) » Unde et Paulus apostolus scribens ait, « Omnis ira et clamor et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia (*Ephes.* IV). » Vel certe quoniam justi sanguinem fuderant, et sanguis Dominicæ passionis clamaret ad Deum, propterea clamorem pro justitia reddiderunt.

« Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid vos soli habitabitis super terram ? » Quod quidem et generaliter adversum omnes quibus nihil satis est, dictum puto, et specialiter contra vineam Domini, quæ pro uvis fecit labruscas, id est, pro judicio iniquitatem, pro justitia clamorem. Quæ enim est rabies, cum tecta in agris ad depellendos imbres et ad serendas fruges haberi videantur, ea habere cupere, quibus conjunctis habitare non possis, et quæ colere non sufficias : alterius quoque necessitatem tuam facere voluntatem ? Juxta tropologiam, contra hæreticos quidam hoc dictum arbitrantur. Qui cum moverint pedes suos de oriente, veniunt in campum Sennaar, qui interpretatur *excussio dentium*, et ædificant civitatem confusionis, turremque superbiæ. Isti domos domibus, id est, dogma dogmatibus conjungunt. Tam diu autem quærunt hæretici nova veteribus jungere, et eadem recentioribus immutare, donec et sensus humanus et sermo deficiat.

« In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes et pulchræ absque habitatore. » Id est, verba quæ locutus est Dominus, adhuc resonant in auribus meis. Dominus autem locutus est, quod post captivitatem domus magnæ atque pulcherrimæ desertæ fuerint, non habentes habitatorem.

« Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam, et triginta modii seméntis facient modios tres. » Id est, chorus faciet œpha, quod Septuaginta *tres mensuras* interpretati sunt, id est, tres modios. Batus autem, in liquidis speciebus dicitur, et œphi sive œpha ejusdem mensuræ in aridis. Quod autem ædificatio et agricultura referatur ad intelligentiam spiritualem, etiam alio loco (*Ephes.* III) Paulus apostolus docet, « fundatos et radicatos in charitate credentes esse » contestans. Unde et Ecclesiastes (*Eccles.* II) non solum sibi ædificavit domos, sed et plantavit vineas, et fecit hortos et pomeria, et instituit omnes arbores pomiferas, exstruxitque piscinas, ut irrigaret saltum. Porro hæretici imaginem tantum habentes umbramque virtutum, et non ipsam veritatem, absque fructu operum verborum folia pollicentur. De quibus arboribus dicit Dominus (*Matth.* XV) : « Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis eradicabitur. » De vinea autem Sodomorum vinea eorum, et propago eorum de Gomorrha.

« Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperum, ut vino æstuetis. Cythara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. » Arguit juxta consequentia cœptæ explanationis agricolas vineæ, qui imminente sterilitate et vicino incendio, quo vepres et spinæ sunt comburendæ, luxuriæ se et voluptatibus tradiderunt : non solum in vescendo et bibendo, sed in aurium quoque oblectatione et in diversis musicæ artis generibus. Qui cum ista faciunt, opus Domini non respiciunt : nec

considerant quæ ventura sunt illis. Potest juxta altiorem intelligentiam omnis animæ perturbatio ebrietas appellari, quæ concipitur de vino furoris draconum, et de veneno aspidum insanabili : quod nonnulli bibunt ab adolescentia usque in senectutem, hoc est de mane usque ad vesperam : alii vero hora tertia, sexta, vel nona suscitantur, vel decima de convivio : diciturque ad eos. « Expergiscimini qui ebrii estis vino (*Joel.* I). » Infelicissimi autem sunt, qui de mane usque ad vesperam, ebrietate, gula et diversis voluptatibus occupati, non intelligunt in se opera Dei, nec considerant quare creati sunt. « Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. » Hæc juxta litteram accidisse populo Judæorum sub Vespasiano et Tito Romanis principibus, tam Græca quam Latina narrat historia. Quod quidem et spiritualiter hodie intelligitur, quæ patiuntur sustinentes non famem panis neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei (*Deut.* VIII). Quod autem omnis sermo doctrinæ panis appellatur et aqua, illud docet Evangelicum (*Matth.* IV ; *Luc.* IV ; *Joan.* IV) : « Non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. » Et : « Quicunque biberit ex aqua quam ego dedero ei, non sitiet in æternum. » Et in psalmo dicitur : « Super aquam refectionis educavit me (*Psal.* XXII). » Quidam hoc quod dicitur : « Captivus ductus est populus meus, et quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit : » generaliter de inferno et de gehenna interpretari volunt, in qua patietur omnis qui Dei non habuit scientiam.

« Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendent fortes ejus et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum, et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur. » Quia consurrexerunt mane ad sectandam siceram, et permanserunt in ebrietate usque ad vesperam, et voluptatibus atque deliciis occupati, opus Domini respicere noluerunt, nec opera manuum ejus contemplati sunt : propterea ducti sunt in captivitatem, quia non habuerunt scientiam Filii Dei, dicente ipso ad eos : « Nec me scitis, nec eum qui me misit (*Joan.* VIII). » Infernus autem habere animam dicitur, non quod animal sit, juxta errorem quorumdam : sed quod verbis humanæ consuetudinis rerum insensibilium exprimamus affectum, quod insatiabilis sit et nunquam mortuorum multitudine compleatur. Quidquid vero de populo Judæorum diximus, tropologice referri potest ad eos qui sæculi deliciis occupati, nec respicientes opera Domini, captivi ducuntur in peccatum, et non habent scientiam Dei, et idcirco fame et siti pereunt, bonorum operum scilicet atque virtutum : et detrahentur in gehennam, ibique æternis deputati incendiis potentiam suam et superbiam in miseriam et humilitatem cernent mutari.

« Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio, et Deus sanctus sanctificabitur in justitia, » id est, cum incurvatus fuerit homo et humiliatus vir, et receperint omnes juxta merita sua, tunc exaltabitur Dominus in judicio, cujus primum incertum videbitur judicium esse, et Deus sanctus sanctificabitur in justitia : ut impleatur illud quod in Evangelio dicitur : « Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum (*Matth.* XVI). » Et, « Pater juste, mundus te non cognovit (*Joan.* XVII). »

« Et pascentur agni juxta ordinem suum : et deserta in ubertatem versa advenæ comedent. » Quando Dominus exaltatus fuerit in judicio. Et sanctus David in sua sanctificatus justitia : ut mali agricolæ male pereant, et exaltata cedrus securi Domini succidatur : tunc qui fuerint de agnorum numero, non hædorum, pascentur in Ecclesiæ pratis, et dicent : « Dominus pascit me et nihil mihi deerit (*Psal.* XX). » Et quæ a Judæis deserta sunt, versa in ubertatem comedet populus gentium. Hæc juxta tropologiam. Cæterum, ut ordinem compleamus historiæ, idipsum aliis verbis dicitur de quo supra diximus : Regionem vestram in conspectu vestro alieni devorant, et deserta est atque subversa a populis externis.

« Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum, qui dicitis : Festinetur cito veniat opus ejus ut videamus, et appropiet, et veniat consilium sancti Israel, et sciemus » illud. Quod vincula dicantur esse peccata, crebrius legimus. E quibus illud est. « Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur (*Prov.* V). » Nec plangit eos qui cœperint peccare, statimque desierint. Non est enim justus super terram qui faciat bonum et aliquando non peccet, sed qui longos funiculos peccati pertraxerint. Quod autem appellantur funiculi vanitatis, hoc significat quod facientibus peccatum facile texitur, et tam inane et inutile est, ut aranearum fila texuntur : sed cum inde volumus exire, solidissimis vinculis innectimur. Plaustrum autem plenum oneratumque peccatis facile intelligunt, qui meminerint scriptum in Zacharia (*Zach.* V), impietatem sedere super talentum plumbi. Dicuntur autem hæc ad principes Judæorum, qui supra arguti sunt in avaritia atque luxuria, quod provocati a Domino ad pœnitentiam et postea ab apostolis ejus, et usque hodie perseverant in blasphemiis, et tunc per singulos dies in omnibus synagogis sub nomine Nazarænorum anathematizabant vocabulum Christianum. Est autem sensus : Væ vobis qui putatis diem judicii non futurum, vel non venturam captivitatem, quam propheticus sermo prædicit. Vos enim estis qui dicitis ad prophetam : Usquequo minaris nobis Dei iram? Volumus scire si jam prope est ut veniat. Hoc autem per ironicam sermocinationem loquuntur, quod eam non putent esse venturam, sed simulatum esse hoc verbum a propheta.

« Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras,

ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. » Id est, ejusdem criminis est bonum, lucem et dulce contrariis vocare nominibus, cujus malum tenebras, et amarum vocabulo appellare virtutum. Et hoc contra eos dicitur, qui peccatum non putant si bono detrahant, et non æstimant esse delictum si laudaverint malum. Ponunt autem Judæi bonum malum, et lucem tenebras, et dulce amarum, suscipientes Barrabam latrocinii et seditionis auctorem, et crucifigentes Jesum (*Matth.* XXVII), qui non venerat nisi ad oves perditas domus Israel, ut salvaret quod perierat (*Matth.* XV). Sed et hoc possumus dicere, quod omnia dogmata veritati contraria amara sint, et sola est dulcis veritas. Unde cavendum est ne pro veritate sequamur mendacium, neque pro lumine tenebras. Multæ enim sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ (*Prov.* XIV), et novissima eorum perveniunt in profundum inferni. Et, ut loquar quod sentio, difficile hoc maledicto quis carere potest, cum et malis frequenter adulemur propter potentiam, et bonos despiciamus propter inopiam. In hunc sensum congruit illud quod Salomon in Proverbiis loquitur: « Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum (*Prov.* XVII). » Scribæ quoque et Pharisæi verba Salvatoris non recipientes, sed traditiones hominum, et inanes fabulas, fecerunt bonum malum, et malum bonum.

« Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. » Id est, qui vobis ipsis (inquit) videmini esse sapientes, qui prudentiam non Dei sequimini, sed hominum, et qui non recipitis Dei virtutem Deique sapientiam, et qui putatis vos esse sapientes (*I Cor.* I).

« Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. » Id est, illis quibus supra dixerat : Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperum, ut vino æstuetis. Væ his etiam nunc loquitur, qui potentes sunt ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam siceram, qui inebrietati vino draconis et veneno aspidum insanabili, virtutes Domini calumniabantur, et ipsi ebrii inebriabant populos, ut pari furore bacchantes, adversus Dominum conclamarent. Inter vinum et siceram juxta anagogen hoc arbitror esse, quod vinum una e pluribus perturbatio est : verbi gratia, libidinis, avaritiæ, gulæ et invidiæ. Sicera autem, id est ebrietas, omnes in se vitiorum continet passiones. Quas rectius Latino sermone perturbationes possumus dicere, quod statum mentis evertant, et ebrios eos efficiant, et faciant eos nescire quid agant. Quicunque ergo possunt multum, debent carere vitiis, et maxime ira, quæ furoris soror est, ne quanto plus possunt, tanto amplius subjectis noceant.

« Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. » Et hæc pars vitiorum est vineæ, quæ pro uvis fecit labruscas, et exspectante Domino ut faceret judicium, fecit iniquitatem, justificans impium pro muneribus, et non causas, sed dona considerans, quæ excæcant oculos, etiam sapientium. Unde cavendum est, ne inebriemur vino, in quo est luxuria (*Ephe.* V), et nudetur femina turpitudinis nostræ, et adulemur impium pro muneribus, et justitiam justi pro inopia despiciamus. Quod et in Epistola Jacobi præcipitur, ne honorantes impios divites, et despicientes sanctos pauperes, fiamus judices iniquitatis.

« Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit : sic radix eorum quasi favilla, et germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et sermonem sancti Israel blasphemaverunt; » id est, propter superiores causas superbiæ et ebrietatis et avaritiæ, quia pro uvis attulerunt spinas, fenum, ligna, stipulam, arsurasque vepres, ideo radix malitiæ eorum redigetur in favillam, et omnis flos superbiæ et pulchritudo divitiarum et corporis pulveri comparabitur. Non enim solum ista fecerunt, sed his gradibus pervenerunt ad blasphemiam : ut legem Domini non ut legem Domini reciperent, et sermones sancti Israel blasphemarent. De quibus sermonibus supra legimus : De Sion egredietur lex, et verbum Domini de Hierusalem. Potest autem et radix in malis cogitationibus accipi, fructus autem vel germen in malis operibus atque sermonibus, ut quod in radice latet, monstretur in germine.

« Ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum : et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. » Quoniam abjecerunt legem Domini exercituum, quam se daturum per Jeremiam Dominus pollicetur dicens: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum : non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die quando apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Ægypti (*Jer.* XXXI). » Et sermonem sancti Israel blasphemaverunt dicentes (*Joan.* VIII; *Matth.* XIII; *Marc.* VI): « Dæmonium habet, » et « Samaritanus est. » Et: « nonne hic est filius fabri? » Idcirco iratus est furor Domini in populum suum, qui prius iratus fuerat contra principes et potentes, qui sapientes erant in oculis suis. Irasci autem Deus dicitur, non quod humanis perturbationis subjaceat, sed quod nos qui delinquimus, nisi irascentem audierimus Dominum, non timeamus eum. Unde et Apostolus scribit, quod « bonitas Dei et patientia provocat nos ad pœnitentiam (*Rom.* II). » Nos autem secundum duritiam et impœnitens cor nostrum, thesaurizamus nobis iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Quæ sit autem manus quæ extenditur vel elevatur super populum peccatorem, Job capite nono loquitur manifestius, « Manus enim Domini tetigit me. » Unde diabolus sciens potestatem in

manu Domini esse, et in brachio ejus quod universis gentibus revelatum est, dicit ad Dominum : « Mitte manum tuam et tange omnia quæ habet, nisi in faciem benedixerit tibi (*Job.* II). » Quod autem sequitur : et percussit eum, id est populum suum, et conturbati sunt montes : hyperbolice putamus, quod pro magnitudine malorum etiam montes commoveantur, et cadaveribus mortuorum repleantur omnes plateæ urbium. Hoc accidisse Judæis post passionem Domini sub Vespasiano et Adriano, nemo quis dubitat. Cumque hæc facta sint, non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta, quo habitum irascentis et percutientis ostendit. Et notandum in his omnibus quod non eis exprobret idololatriam, non alia peccata propter quæ offenderunt Dominum, sed quia abjecerunt legem Evangelii, et sermonem Dei blasphemaverunt.

« Et elevabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ. Et ecce festinus velociter veniet, et non erit deficiens, neque laborans in eo. Non dormitabit neque dormiet, neque solvetur cingulum lumborum ejus, neque rumpetur corrigia calceamenti ejus. Sagittæ ejus acutæ, et omnes arcus ejus extenti. Ungulæ equorum ejus ut silex, et rotæ ejus quasi impetus tempestatis. Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum, et frendet, et tenebit prædam, et amplexabitur : et non erit qui eripiat. Et sonabit super eum in die illa, sicut sonitus maris. Aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus. » Gentes ergo longe positas significat, et quæ in terræ finibus commorantur : haud dubium quin Romanos, et omnes Italiæ, Gallorum, et quæ in Hispania sunt gentes, quæ sub Vespasiano et Adriano Romano imperio subjacebant. Describit ergo sermo divinus velocitatem venientis exercitus, qui non sua, sed Domini venerit voluntate, imo ab illo attractus et sibilo illius provocatus, quod non defecerit, nec tanto itinere laboraverit, et cupiditate prædandi somnum oculis non admiserit, calceamenta quoque ejus non sunt attrita, sagittariorum cursum, ac multitudinem equitum, turmasque curruum, quadrigarumque fervorem, quod instar leonis non tam ad pugnandum quam ad prædandum vorandumque venerit, et ululatus vincentis exercitus marinis fluctibus comparatur. Ex quo notandum est, ubicunque sonitus maris in Scripturis appellatur, quid significet hic demonstratur.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT VI.

« Anno quo mortuus est Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. » Visus est Isaiæ Dominus super solium excelsum et elevatum, ut habitum regnantis ostenderet. Oziam namque quia sibi illicitum sacerdotium vindicaverat, lepra fuisse percussum sacra narrat historia. Quo mortuo, Dominus videtur in templo, quod ille polluerat. Ex quo animadvertimus, regnante leproso rege, nos Deum in sua majestate videre non posse, nec sanctæ Trinitatis nosse mysteria. Unde et in Exodo postquam mortuus est Pharao qui opprimebat Israel, luto, et paleis, et lateribus, populus clamavit ad Dominum, qui illo vivente clamare non poterat. Quis sit autem iste Dominus qui videtur, in evangelista Joanne et in apostolorum Actibus plenius discimus. Inter quos Joannes ait : Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo : haud dubium quin Christum significaret. Rursum Paulus in Actibus apostolorum ubi Romæ loquitur ad Judæos : Bene (inquit) Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros dicens : Vade ad populum istum, et dic : Aure audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non perspicietis. Visus est autem Filius regnantis in habitu, et locutus est Spiritus sanctus per consortium majestatis, unitatemque substantiæ. Quæret aliquis, quomodo nunc propheta Dominum se vidisse dicat, et non absolute Dominum, sed Dominum Sabaoth : ut in consequentibus ipse testatur, cum Joannes evangelista dixerit : « Deum nemo vidit unquam » (*Joan.* I.) Ad quod respondebimus. Non solum Patris divinitatem, sed nec Filii quidem et Spiritus sancti (quia una in Trinitate natura est) nec posse oculis carnis aspicere, sed oculis mentis. De quibus ipse Salvator ait : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V). » Dei natura non cernitur, sed videtur ab hominibus ut ipse voluerit.

« Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri. Duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus : duabus volabant, et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. » Seraphim interpretantur *incendentes*, sive *comburentes*, juxta illud quod alibi legimus : « Qui facit angelos suos spiritus (*Psalm.* CIII), » et ministros suos ignem urentem. Dominus in seraphim ex parte ostenditur et ex parte celatur. Faciem ejus et pedes operiunt, quia et præterita ante mundum, et futura post mundum, scire non possumus, sed media tantum, quæ in sex diebus facta sunt (*Gen.* I) contemplamur. Nec mirum hoc de seraphim credere, cum et apostoli Salvatorem credentibus aperiant, infidelibus abscondant, et velum ante arcam fuerit Testamenti (*Exod.* XL). Alas quoque habere dicuntur propter velocitatem in cuncto suo discursu, sive quia semper in altioribus commorantur. Neque enim illud quod de ventis dicitur, qui ambulat super pennas ventorum (*Psal.* CIII) : vere juxta fabulam poetarum et pictorum, ventos pennas habere testatur, sed celeres in cun-

cto discursu. Et singulis alas senas, quia de fabricatione tantum mundi ac præsentis sæculi novimus. Quod autem clamat alter ad alterum, vel juxta Hebræos iste ad istum (id est, unus ad unum), invicem se ad laudes Domini cohortantur et dicunt : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus exercituum, ut mysterium Trinitatis in una divinitate demonstrent, et nequaquam templum Judæorum, sicut prius, sed omnem terram illius gloria plenam esse testentur, qui pro nostra salute dignatus est humanum corpus assumere (*Gal.* IV), ad terrasque descendere. Quidam Latinorum duos seraphim, vetus et novum Instrumentum intelligunt, quod tantum de præsenti sæculo loquitur. Unde et sex alas habere dicuntur, et faciem Dei pedesque velare, et certatim proferre testimonium veritatis, et omne quod clamant Trinitatis sacramenta monstrare, et mirari adinvicem quod Dominus Sabaoth, cum sit in forma Dei Patris, formam servi acceperit et humiliaverit se usque ad mortem, et mortem crucis (*Philipp.* II); et nequaquam, ut prius, cœlestia eum tantum, sed et terrena cognoscant.

« Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus impleta est fumo. » Clamantibus seraphim et in tota terra Trinitatis mysterium prædicantibus, quando passionem Domini salvatoris terra universa cognovit, statim commotum est, sive sublatum liminare templi, et omnes cardines conciderunt in plateis, Salvatoris comminatione dicentis; « Relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). » Et quam pulcher est iste ordo verborum. Postquam enim terra repleta est gloria Domini Sabaoth, Judæorum templum impletum est ignorantiæ tenebris, et caligine, et fumo qui noxius est oculis. Vel certe per fumum templi monstratur incendium. Prius enim Evangelium Salvatoris in toto orbe prædicatum est, et post quadraginta et duos annos Dominicæ passionis, capta Hierusalem templumque succensum est.

« Et dixi : Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. » Sed et Abraham (*Gen.* XIII) postquam vidit Dominum et audivit vocem ejus, terram et cinerem se esse dicit. Plangit propheta se, quod non fuerat dignus laudare Dominum Sabaoth cum seraphim, quas angelicas fortitudines intelligimus esse. Non fuit autem ausus laudare Deum, quia labia habebat immunda. Et propterea labia habebat immunda, quia cum peccatore populo versabatur. Vel certa ita est intelligendum : Quia tacui et non audacter Oziam regem impium corripui, ideo labia mea immunda sunt, et laudes Domini cum angelis cantare non audeo, ne mihi dicatur : « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum (*Psal.* XLIX)? » Non est enim pulchra laudatio in ore peccatoris. Hoc autem dicimus non quod Isaiam talem fuisse doceamus, sed quod ipse pro humilitate immundis tantum labiis indignum se Dei laude fateatur.

« Et volavit ad me unus de seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum, et dixit mihi : Ecce tetigi hoc [hæc] labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. » Volavit unus de seraphim (qui interpretatur *incendens*) ut purgaret prophetæ labia immunda, et pruna vel calculo, quem de altari tulerat, excoqueret. Multi autem putant duos esse seraphim, quia clamabat alter ad alterum : cum et de singulis vel de pluribus possint singuli clamare ad singulos, et Septuaginta editio magis significet plurimos, qui interpretati sunt : Seraphim stabant in circuitu ejus. Quod si de duobus diceretur, non in circuitu, sed ex utraque parte dixissent. Et hoc bene convenit angelorum multitudini, quæ in Dei ministerium præparata est. Seraphim autem plurali numero appellatur et singulari, id est Seraph, sicut Cherubim et Cherub. Quod altare sub quo animæ martyrum in cœlo sunt (ut Joannes in Apocalypsi loquitur (*Apoc.* IX), intelligimus altare Domini plenum esse carbunculis, hoc est, ignitis calculis vel prunis, peccata purgantibus. Unde scriptum de Deo legimus : « Carbones succensi sunt ab eo (*Psal.* XVII). » Et de ipso Deo dicitur, quod « ignis consumens est (*Deut.* IV). » Et Salvator in Evangelio « Ignem veni mittere in terram, » ut baptizem « in Spiritu sancto et igni (*Luc.* II; *Matth.* III). » Uniuscujusque enim opus quale sit, ignis probabit. Et qui salvandus est sic salvatur, quasi per ignem transierit. Et hoc notandum quod ad Jeremiam dictum est : « Priusquam te formarem in utero, novi te; et in vulva matris sanctificavi te (*Jer.* I) : » quia labia non habebat immunda, sed tantum dixerat : Nescio loqui, quia juvenis sum. Extendit ipse Dominus manum suam et tetigit os ejus, et dixit : Ecce dedi in os tuum sermones meos. Porro ad Isaiam, qui dixerat : « Vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito : » non Dei manus porrigitur, sed seraphim mittitur. Manus autem a Domino et a Seraph mittitur, ut propheta sui corporis membrum videns tactum, non terreatur de externo. Quidam autem nostrorum forcipem quo calculus comprehenditur, duo Testamenta putant : quæ inter se sancti Spiritus unione sociantur.

« Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam, et quis ibit ex nobis? Et dixi : Ecce ego, mitte me. » Quando ex Dei persona dicitur nobis, illo sensu accipiendum est, quo et in Genesi legitur. « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I), » ut sacramentum indicet Trinitatis. Quomodo enim in Evangelio legimus dicente Domino (*Joan.* X) : « Ego et Pater unum sumus, » unum ad naturam referimus, et sumus ad personarum diversitatem : sic Domino jubente, Trinitas imperat. Propterea autem non dicit Dominus quem ire præcipiat, sed proponit audientibus optionem, ut voluntas præmium consequatur. Et propheta non temeritate et arrogantia

propriæ conscientiæ se ire promittit : sed fiducia bonæ spei, quoniam purgata sunt labia ejus, ablataque iniquitas, mundatumque peccatum.

« Et dixit : Vade, et dic populo huic : Audite audi-tu, et nolite intelligere : et videte visu, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis et auribus audiat, et corde intelligat, et convertatur et sanetur. » Quo autem hæc prophetia impleta sit tempore, hoc et apostolus Paulus in consequentibus loquitur : Notum sit ergo vobis quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, ipsi audient. Unde et in eisdem Actibus apostolorum legimus quod Paulus et Barnabas Judæis nolentibus credere dixerint : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Sic enim præcepit nobis Dominus, dicens : « Posui te in gentibus lumen, ut sis in salutem usque ad extremum terræ (*Isa.* XLIX). » Non est crudelitas Dei, sed misericordia, unam perire gentem, ut omnes salvæ fiant : Judæorum partem non videre, ut omnis mundus aspiciat. Unde et ipse Dominus in Evangelio, sacramentum cæci a nativitate, qui receperat oculos, vertit ad tropologiam et dicit : « In judicium ego veni in hunc mundum, ut videntes non videant, et videntes cæci fiant (*Joan.* IX). » Et in alio loco Simeon loquitur : « Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum (*Luc.* II). » Et illis tanquam non videntibus, non videmus. Illis cadentibus, nos resurgimus. Quod intelligens propheta, quodammodo aliis verbis dicit : O Domine, præcipis mihi loqui populo Judæorum, ut audiant et non intelligant Salvatorem, et videant eum et non agnoscant. Si quis velit implere jussionem tuam, et totum salvare mundum, quod et ego fieri desidero : tu excæca cor populi hujus, et aures aggrava, et oculos claude, ne intelligant, ne audiant, ne videant. Si enim illi viderint, et conversi fuerint, et sanati, totus mundus non recipiet sanitatem. Ex quo advertimus, quamvis grave sit peccatum, si quis convertatur, eum posse sanari : simulque et hoc intelligendum, quod per magnitudinem sceleris, etiam pœnitentia indigni judicati sunt, ipso Domino dicente ad Jerusalem : « Quoties volui congregare filios tuos, » subaudis, « sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti (*Matth.* XXIII). »

« Et dixi : Usquequo, Domine? Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine hominibus, et terra relinquetur deserta, et longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ, et adhuc in ea erit decimatio : et rursum erit in deprædationem sicut terebinthus, et sicut quercus quæ projecit fructus suos. Semen sanctum erit quod steterit in ea. » Dicente Domino : Vade et dic huic populo, quod audiat et non audiat, videat et non videat. Idcirco autem nec audiat, quia non sit intellecturus verba Domini, nec ejus opera cogniturus : et quoniam incrassatus est, et dilatatus, et oblitus Creatoris sui. Propheta autem respondet, quæritque sollicitus de populo suo : Usquequo hæc sententia permanebit, ut audiens non audiat, vidensque non videat? Cui respondit Dominus : Tam diu non audiet et non videbit, et excæcatum habebit cor, donec civitates Judæorum Vespasiano Titoque pugnantibus penitus subvertantur : in tantum ut nec nomen quidem pristinum permaneat, et domus, si quæ remanserint, sine habitatore sint, et terra redigatur in solitudinem, et vel fuga vel captivitate in totum orbem Judaicus populus dispergatur, et nequaquam in Judæa ut prius, sed in cunctis gentibus Judæorum populus multiplicetur. Quod autem dicit, multiplicetur, tanta erit infelicitas residui populi, ut ad comparationem prioris multitudinis vix decima pars remaneat, cum et in ipsa terra fuerit solitudo. Dupliciter enim locus iste intelligi potest : quia decima pars in toto orbe remaneat, et in ipsa Judæa vix parva pars populi reservetur. Rursum ipsæ reliquiæ erunt in deprædationem, quando post annos ferme quinquaginta Adrianus venerit, et terram Judæam penitus fuerit deprædatus : in tantum ut terebintho et quercui quæ glandes amiserint, comparetur. Denique post extremam vastitatem, etiam leges publicæ pependerunt, et prohibiti sunt Judæi terram, de qua ejecti fuerant, ingredi. Si quis autem crediderit in Christum, et impletum fuerit illud quod supra legimus, nisi Dominus Sabaòth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et similes Gomorrhæ essemus : quando juxta Apostolum reliquiæ salvabuntur : hoc semen sanctum erit, et de apostolorum germine cunctæ Ecclesiæ pullulabunt.

CAPUT VII.

« Et factum est in diebus Achaz filii Joatham, filii Oziæ regis Juda, ascendit Rasin, rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ, rex Israel, in Hierusalem ad præliandum contra eam, et non potuerunt debellare eam. Et nuntiaverunt domui David, dicentes : Consensit Syria cum Ephraim, et commotum est cor ejus et cor populi illius, sicut moventur ligna sylvarum a facie venti. » Legimus in Paralipomenorum libro (*II Par.* XXVIII ; *IV Reg.* XVI), Rasin regem Damasci, victo Achaz, multos de Judæa Damascum transtulisse, et Phacee filium Romeliæ regem decem tribuum, (quæ appellabantur Israel et regnabant in Samaria) et una die centum viginti millia percussisse de Juda hominum bellatorum, et ducenta millia mulierum, puerorumque et puellarum cum infinita præda, in Samariam duxisse captiva. De quo certamine propheta nunc tacuit, sed secundum refert prælium : quando experimentum habentes fortitudinis suæ atque victoriæ, et invitati prædæ magnitudine, rursum veniunt ad Judam, et Hierusalem cupiunt debellare, et non potuerunt : quia auxiliatus est ei Dominus : ut sub occasione misericordiæ qua populum liberabat obsessum, Filium suum nuntiaret de virgine nasciturum. Quod cum audisset domus

David, hoc est domus regia, Syriam scilicet et Ephraim, Rasin et Phacee juncto venire exercitu, exterrita est atque contremuit, et tam rex quam populus ita contremuerunt, ut putares arborum folia ventorum flatibus ventilari. Juxta anagogem facilis interpretatio est, quod regnante Achaz rege impio, rex Aram, qui interpretatur *excelsus* atque *sublimis*, ut indicet arrogantiam sapientiæ sæcularis, et Phacee filius Romeliæ, qui et ipse juxta Osee prophetam tribum Ephraim, de qua Jeroboam, filius Nabath, vitulos aureos in Bethel, et Dan constituerat, et a domo David Dei populum separaverat : referuntur ad hæreticos, qui consentiunt sibi ut expugnent Ecclesiam. Quod cum audierit domus David, quem in Ezechiel (*Ezech.* XXXIV) pastorem bonum legimus suscitandum, et populus ejus simpliciter credens in Deum pertremiscet. Et ideo pertremiscet, quia non arboribus fructiferis, sed infructuoso saltui comparatur.

« Et dixit Dominus ad Isaiam : Egredere in occursum Achaz, tu et qui derelictus est Jasub filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris, in via agri fullonis, et dices ad eum : Vide ut sileas, noli timere, et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum, in ira furoris Rasin regis Syriæ, et Filii Romeliæ dicentis : Ascendamus ad Judam et suscitemus eum, et evellemus eum ad nos, et ponamus regem in medio ejus filium Tabeel. Hæc dicit Dominus Deus : Non stabit et non erit istud, sed caput Syriæ Damascus, et caput Damasci Rasin, et adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus, et caput Ephraim Samaria, et caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis. » Jasub, filius Isaiæ, qui interpretatur *relictus* atque *convertens* in typo populi Juda, qui erat de duorum regum manibus liberandus : jubetur egredi cum parente, et occurrere Achaz regi Judæ in loco aquæductus piscinæ superioris, in via agri fullonis, ubi postea lecturi sumus sub Ezechia rege Juda stare Rabsacen. Duas autem caudas titionum, id est, torrium fumigantium, vocat Rasin regem Syriæ et Phacee filium Romeliæ regem Samariæ, id est decem tribuum : quæ alio nomine appellabantur Ephraim. Quamvis enim inierunt consilium duos reges pessimi ut ascenderent ad Judam, cujus regio in montibus sita est : et suscitarent eum quiescentem et quodammodo dormientem, suoque eum imperio subjugarent et superponerent ei regem filium Tabeel, qui interpretatur *bonus Deus*, ut vel hominem hoc nomine, vel idolum demonstraret ; tamen hæc dicit Dominus Deus : Non stabit hoc consilium, sed interim modo caput Syriæ urbium erit Damascus, et in ipsa metropoli Damasco imperabit Rasin. Porro in Ephraim propter Jeroboam filium Nahaib, qui primus regnavit; et de Ephraim erit caput Samariæ, hoc est regia domus in urbe Samariæ, et Samaria caput erit filius Romeliæ, id est, Phacee. Regnum autem decem tribuum, id est populi Ephraim, post sexaginta et quinque annos esse cessabit : quod nisi diligentius attendamus, stare non poterit. Quarto decimo anno Achaz filii Joathan in tribu Juda, regnavit Ozias super Samariam, et nono anno imperii sui captus est. Regnavit autem Achaz super Judam sedecim annis. Post cujus mortem, septimo anno imperii sui captus est Ozias, et destructa Samaria, omnisque populus transductus in Medos : ita ut si voluerimus sedecim annos Achaz, et septem Oziæ ponere, efficiantur anni viginti tres, aut ut multum sit, viginti quatuor. Et ubi erunt sexaginta quinque anni, in quibus regnum Israel dicitur finiendum? Igitur Hebræi hunc locum ita edisserunt, ut Amos qui sub Ozia cœpit prophetare quando et Isaias prophetiæ suæ habuit exordium, primum prophetaverit contra Israel, dicens : Israel autem captivus ducetur de terra sua. Titulus quoque prophetiæ ejus contra Samariam sit, et prophetare cœperit in diebus Oziæ regis Judæ. Ante duos annos terræ motus, quem voluit eo tempore accidisse quo ingressus est Ozias templum Dei, sacerdotium sibi vindicans, et terra percussa est, et cineres altaris effusi sunt, et ipse rex percussus est lepra. Volunt autem illum annum fuisse vicesimum quintum Oziæ regis, quando hæc acciderunt, cujus reliqui sunt anni viginti septem. Ozias enim regnavit quinquaginta duobus annis. Postea enim regnavit Joatham filius ejus annis sedecim, et hujus filius Achaz annis aliis sedecim. Post quem regnavit Ezechias, cujus sexto imperii anno capta est Samaria, atque ita efficiuntur anni sexaginta quinque. Hæc per prophetam Domino prædicante, rex Achaz et populus ejus futura non credidit. Hæc juxta historiam diximus, cæterum vero juxta cœptam tropologiam considerandum est quod impio regi Isaias jubetur occurrere, et exiens de loco suo non in principio aquæductus, sed in extremis finibus piscinæ superioris, quæ erat in agro fullonis, ubi sordes et maculæ purgabantur. Duas autem caudas torrium fumigantium, ut prius diximus, vocat sapientiam sæcularem hæreticumque sermonem, quorum finis exustio est. Qui frustra inierunt consilium, ut ascenderent contra Judam, et quasi negligentem et dormientem caperent, et suis erroribus copularent, ponerentque super eum regem filium Tabeel, hoc est bonum Dei. Utérque enim adversarius apud se æstimat veritatem esse et sanam doctrinam. Hæc illis dicentibus Dominus comminatur, quod non stet consilium ipsorum, sed et interim quandiu nunc mundus iste stat, et ea quæ mundi sunt, in suis finibus et in suis urbibus dominentur. Cum autem consummationis tempus advenerit, hoc est sexaginta quinque anni, et tam mundi res quæ in sex diebus factæ sunt (*Gen.* I), quam omnia quæ ad quinque sensus pertinent, finem acceperint, tunc universa esse solvenda.

« Et adjecit loqui Dominus ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. » Quia tibi videtur inquit, difficile esse quod regna potentissima brevi tempore finienda sint, et tu cum populo tuo de magno periculo libereris, pete tibi signum, nequa-

quam ab idolis quorum errore detineris, sed a Domino Deo tuo, qui tibi auxilium pollicetur, et ipsum signum optionis tuæ est unde postules, de profundo sive de excelso. Vis, inquit, ut scindatur terra, et grandi hiatu inferi pateant, qui in corde dicuntur esse terræ, an ut aperiantur cœli? Quod utrumque ad typum pertinet mortis Domini et ascensionis. « Qui enim descendit, ipse est et qui ascendit (*Ephes.* IV). »

« Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dominum. » Humilitatis est an superbiæ ista responsio, quod nullum vult a Domino signum petere? Quanquam enim scriptum sit in Deuteronomio (*Deut.* VI), Non tentabis Dominum Deum tuum, et hoc contra diabolum Salvator usus est testimonio, tamen jussus ut peteret, obedientiæ debuit explere præceptum, præsertim cum et Gedeon et Manne (*Judic.* VI) signum petierint et acceperint, quanquam juxta Hebraici sermonis ambiguitatem, in quo scriptum est « Ylœnassem Adonai, » quod omnes similiter transtulerunt, Et non tentabo Dominum, possit legi : Non exaltabo Dominum. Sciebat enim rex impius, quod si signum peteret, accepturus esset et glorificaretur Dominus.

« Et dixit, Audite ergo, domus David. Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus quia molesti estis et Deo meo? » Quis est iste qui dixit, audite ergo, domus David. Nequaquam enim hoc dixit Deus, qui supra dixerat ad Achaz : Pete tibi signum a Domino Deo tuo, sed propheta, ut ex consequentibus comprobatur, cum dicit, quia molesti estis et Deo meo. Et est sensus : Quia non solum prophetas persequimini et eorum facta contemnitis, sed etiam præsentis et jubentis Dei sententiæ contraitis, ita ut ei exhibeatis laborem, qui in alio loco ait : « laboravi (inquit) sustinens (*Isa.* I), » idcirco Dominus faciet quæ sequuntur. Et hoc est notandum quod, Achaz rege impiissimo nolente signum petere, sermo propheticus ad domum David, hoc est ad tribum regiam convertatur, de qua supra legimus : Et nuntiaverunt hæc domui David dicentes :

« Propterea dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Quando autem dicitur dabit Dominus ipse vobis signum, novum debet esse, atque mirabile. Sin autem juvencula vel puella, ut Judæi volunt, et non virgo pariet, quale signum poterit appellari : cum hoc nomen ætatis sit, non integritatis? Et revera, ut cum Judæis conferamus pedem, et nequaquam contentioso fune præbeamus eis risum nostræ imperitiæ, virgo Hebraice betula appellatur, quæ in præsenti loco non scribitur, sed pro hoc verbo positum est halma. Porro halma apud eos verbum est ambiguum. Dicitur enim et adolescentula et abscondita, vel apocryphos. Unde et in titulo psalmi noni ubi in Hebraico positum est halinanoi, cæteri interpretes transtulerunt pro adolescentia, quod Septuaginta interpretati sunt pro absconditis. Et in Genesi legimus (*Genes.* XXIV), ubi Rebecca dicitur halma : et Aquilam, non adolescentulam nec puellam, sed absconditam protulisse. Ergo halma, non solum puella vel virgo, sed cum Epitasi virgo abscondita dicitur et secreta, quæ nunquam virorum aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. Lingua quoque Punica, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, virgo proprie halma dicitur. Et quantum cum mea pugno memoria, nunquam me arbiror halma in muliere nupta legisse, sed in ea quæ virgo est, ut non solum virgo sit, sed virgo junioris ætatis, et in annis adolescentiæ. Potest enim fieri ut virgo sit vetula. Ista autem virgo erat, in annis puellaribus constituta. Ergo iste puer qui nascitur ex virgine, o domus David, nunc a te appelletur Emmanuel, id est, nobiscum Deus, quia rebus ipsis probabis a duobus inimicis regibus liberata, Deum te habere præsentem, et qui postea vocabitur Jesus, id est, Salvator, eo quod universum mundum salvaturus sit, et nunc a te Emmanuel appelletur vocabulo (*Matth.* I).

« Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. » Ne eum in phantasmate nasciturum credatis, cibis utetur infantiæ, butyrum et mel comedet. Et licet de eo multa post sæcula Evangelista testetur dicens, « Puer autem proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum et apud homines (*Luc.* II), » et hoc dicatur ut veritas humani corporis approbetur : tamen adhuc pannis involutus, et butyro pastus ac melle, habebit boni malique judicium, ut reprobans mala eligat bona. Non quod hoc fecerit aut reprobaverit, vel elegerit, sed quod scierit reprobare et eligere, ut per hæc verba noscamus infantiam humani corporis divinæ non præjudicasse sapientiæ. Denique jacentem in præsepi angeli pastoribus nuntiant, magi adorant de oriente venientes (*Luc.* II, *Matth.* II), quos utique electos esse credendum est. Et e contrario Herodes, scribæ et Pharisæi reprobantur, qui pro uno infante multa parvulorum millia trucidarunt.

« Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum, » id est, ad mysterium et innovationis nominis Emmanuel, terra Syriæ et Samariæ : Assyrio superante vastabitur, et domus David liberabitur a duobus regibus quos metuit, Rasin videlicet et Phacee.

« Adducet Dominus super te et super populum tuum, et super domum patris tui dies, qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Juda cum rege Assyriorum. » Interim nunc duo reges Rasin et Phacee, qui obsident et vastare festinant, brevi tempore subvertentur. Tuæ autem vastationis tempus illud adveniet, quando quod nunquam speraveras, imo nunquam metueras, Assyrius venerit. Per quæ docet domui David non Syriam et Samariam, sed Assyrios esse metuendos. Præsenti ergo formidine liberat, et de futuro tempore comminatur.

« Et erit in die illa, sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in

terra Assur, et venient et requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum, et in omnibus frutetis, et in universis foraminibus. » Cum fuerit duorum regum terra deserta, Damascus videlicet et Samaria quam tu nunc detestaris et metuis, tunc adducet Dominus, o domus Juda, super te et populum tuum dies quos nunquam ante vidisti, id est regem Assyriorum. Frustra igitur præsentia metuis, semijustos torres, et ignem penitus non habentes. Scire enim debes quod sibilo suo Dominus muscas Ægypti et fluminum ejus, haud dubium quin septem diorigas Nili significet, vocaturus sit, et apem quæ est in terra Assur. Muscas autem Ægyptios vocat propter sordes idololatriæ et imbecillem populum. Apem vero Assyrios vocat, quorum illo tempore potentissimum regnum erat et ad bella promptissimum, vel ob id, quia omnis prope Assyria et Persidis regio usum habebat sagittarum. Hi ergo omnes venient et occupabunt terram totam in torrentibus vallium, et cavernis petrarum et in omnibus frutetis, et foraminibus lignisque nemorosis. Hæc autem per metaphoram dicuntur, ut quia semel muscas et apes nominaverat, translationem servet in reliquis.

« In die illa radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt in rege Assyriorum, caput et pilos pedum et barbam universam. » In novaculam mercede conductam, ipsum arbitrantur Syrum, quem in Jeremia (*Jer.* XXV) ob ultionem populi peccatoris etiam columbam suam vocat. Ergo in ista novacula acutissima, et in his qui habitant trans flumen Euphraten, in rege videlicet Assyriorum, omnes capillos et pilos totius corporis a capite usque ad pedes, decoremque barbæ, quod virilitatis indicium,est, radet Dominus de Judæa, ut nihil in illa forte, nihil pulchrum resideat, sed effeminatis hominibus, imo ignominiosis mulieribus comparentur.

« Et erit in die illa, nutriet homo vaccam boum et duas oves, et præ ubertate lactis comedet butyrum. Butyrum enim et mel manducabit omnis, qui relictus fuerit in medio terræ. Et erit in die illa, omnis locus ubi fuerint mille vites, mille argenteis, et in spinas et vepres erunt. Cum sagittis et arcu ingredientur illuc. Vepres enim et spinæ erunt in universa terra, et omnes montes qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum et veprium, et erit in pascuam bovis et conculcationem pecoris. » In die ergo illa, hoc est in illo tempore, cum fuerint omnes opes Judæorum in Chaldæam translatæ, tanta erit solitudo terræ Judæ, et tam incredibilis vastitas, ut nequaquam armenta boum habeant, neque greges ovium sicut prius habere consueverant, sed vix rarus habitator unam vaccam nutrire possit et duas oves, non ad arandum, sed ad cibum atque vestitum lactis et velleris. Propter inopiam frumenti, et omnium quæ terra gignit ad comedendum, lacte et butyro et agresti melle vescentur. Quodque ait, præ ubertate lactis comedent butyrum, hoc significat quod terra cultorum raritate fertilior sit, et magis apta pascuis. In illo tempore præ hominum paucitate, tanta erit vini inopia de desertis vineis, quæ metu hostili nequaquam putabuntur, ut singulæ vites singulis argenteis vix emantur. In vepres enim et in spinas, omnis terra redigetur, tantaque erit formido ubique sævientibus gladiis, ut absque arcu et sagittis nullus suum agrum invisere audeat; et derelictis campestribus locis ad montana confugiant, ibique locorum difficultate muniti, vix asperos montes manu fodiant, quia boves, aratra et vomeres non habebunt. Sic ergo ubi rarus cultor in montibus fuerit inventus, inde vitam miserabilem sustentabunt. Cætera autem patebunt pascuis, et absque ullo habitatore a brutis animalibus calcabuntur.

CAPUT VIII.

« Et dixit Dominus ad me : Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis, accelera velociter, spolia, detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ. Et accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus, accelera, spolia, detrahe, festina prædari : quia antequam sciat puer vocare matrem suam et patrem suum, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. » Rursum sub alia figura partus describitur virginalis. Et dixit Dominus ad Prophetam ut nequaquam in populo proferret novæ nativitatis arcanum; sed scribat eam in isto grandi volumine quod nunc legimus, et quod sit mirabilius humanis verbis exprimi, stylo quo homines scribere consuerunt, Dei sacramenta comprehendat. Quid autem est illud quod scribitur humano stylo? Scilicet ut puer natus velociter spolia detrahat, et cito prædetur, hoc est, ne ultra patiatur regnum diaboli dominari, nec mittat angelos, nec prophetas, sed ad salvandas creaturas suas ipse descendat. Facit ergo Propheta quod jussum est, et adhibet sibi testes fideles, Uriam sacerdotem, qui legis doctor est, dicente Malachia : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus (*Malach.* II), » quia angelus Domini exercituum est, et Zachariam filium Barachiæ, quem prophetam fuisse non dubium est. Legimus (*IV Reg.* XVI) quod regnante Achaz sacerdos præfuit templo Domini, cui præcepit Achaz ut altare simile altari Damasci faceret; et Dierum liber (*IV Reg.* XVIII) narrat, quod Ezechias filius Achaz quæsierat Dominum in diebus Zachariæ, eruditus in timore Dei. Exhibuit autem se Isaias dignum Spiritu sancto prophetali, et præbuit prophetissæ, id est, Spiritui sancto, qui sermone Hæbræo vocatur genere feminino ruha, juxta illud quod scriptum est : «Accedite ad eum et illuminamini (*Psal.* XXXIII). » Spiritu itaque sancto conceptus est Dominus Jesus, et licet humanus sermo nativitatis ejus nequeat explicare mysteria, tamen Gabriel ipsi vir-

gini loquitur quæ concepit : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.(*Luc.* I). » Antequam humanum corpus assumeret Deus, et juxta infantiam patrem vocaret Deum, et matrem suam Mariam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ per regem Assyriorum : ut necdum natus Dominus, populum suum domum David sola invocatione salvaret. Urias autem interpretatur *lux Domini*, Zacharias vero *memoria Domini*, et Barachias *benedictio Domini*. Quibus testibus Christi nativitas comprobatur. Ipse enim Dominus in Evangelio (*Luc.* XXIV) duobus euntibus Emmaus, incipiens a Mose et prophetis disseruit, quod de se omnia prophetassent. Juxta tropologiam, in anima virginali, et nulla sorde maculata, de Spiritu sancto conceptus Dei sermo, velociter de adversariis potestatibus spolia detrahit, et sibi facit universa servire. Cumque ex parte nunc videat, et ex parte prophetet, priusquam possit esse perfectus, et merito vocare Deum patrem, et matrem suam cœlestem Jerusalem, adhuc in infantia positus, vincet fortitudinem Damasci, doctrinam videlicet sapientiæ sæcularis : et auferet spolia Samariæ, quibus Ecclesiam hæretici spoliaverunt, dicentes : Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Jesse, præsente ipso rege Assyriorum diabolo qui eis non poterat auxiliari. Tales enim filios non solum Maria prophetissa virgo perpetua, sed et sanctæ mulieres patriarchas generantes habuerunt. Sara, quæ interpretatur *arcusa*, id est, princeps, et Rebecca, quæ in lingua nostra patientiam sonat.

« Et adjecit loqui Dominus ad me, dicens : Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin et filium Romeliæ : propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum et omnem gloriam ejus, et ascendet super omnes rivos ejus, et fluet super universas ripas ejus, et ibit per Judam inundans, et transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel. » Dixerat supra Propheta auferendam Damasci fortitudinem, et spolia Samariæ in conspectu regis Assyriorum, et duos reges Assyrio pugnante capiendos : nunc Deus loquitur ad prophetam charactere solito scripturarum, per translationem Siloe fontis Jerusalem et Assyrii fluminis violentissimi, quod omnem terram Israel suis mundet aquis, ingrediaturque ripas alvei, tantoque feratur impetu, ut postquam decem tribuum occupaverit terram, ad Judam perveniat et transiens ad collum usque pertingat : per quæ vicinam captivitatem significat. Non enim tunc captus est Judas, sed cunctis duarum tribuum urbibus subjugatis sola remansit Jerusalem, quæ incredibili Domini misericordia liberata est. Potentiam ergo Assyrii et innumerabilis ejus exercitus, quam sub aquarum inundatione descripserat : nunc per aliam ostendit translationem, quod alis suis, id est ducibus et infinita multitudine, operuit terram Emmanuel, hoc est, defendit eam Deus, ut non possederit eam Assyrius. Siloam autem fontem esse ad radices montis Sion, quo non jugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat, et per terram concavam et antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos præsertim qui in hac habitamus provincia. Est enim sensus, quia populus decem tribuum magis voluit Rasin et filio Romeliæ, id est Damasci et Samariæ regibus esse subjectus, quam stirpi David quæ in eo cœpit regnare judicio, faciam (ait Dominus) eum nequaquam his regibus esse subjectum quos assumpsit, sed regi servire Assyrio : cujus potentia quia occupavit terram Samariæ, inundationi fluminis comparatur. Et fit apostropha ad Emmanuel, hoc est, ad præsentem Deum, quod in tantum se erexerit Assyrius ut etiam terram ipsius Emmanuelis, hoc est Judam, conatus sit possidere. Juxta anagogen omnis hæreticus qui junxerit auxilio suo sapientiam sæcularem, et Jerusalem, id est Ecclesiam voluerit impugnare, derelinquens aquas Siloe fontis qui interpretatur *missus*, et qui salit in vitam æternam (*Joan.* IV), tradetur Assyriorum principi. Quem sensum magis in posterioribus lecturi sumus, cujus sit tradendus potestati : quia in profundum veniet peccatorum (*Prov.* XVIII). Tantæ est enim arrogantiæ ut ausus sit ostendere Salvatori universa regna terræ, et dicere : « Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me (*Matth.* IV). » Conabitur quoque Judam, id est domum confessionis intrare : et crebro per eos qui in Ecclesia negligentes sunt, usque ad collum veniet, credentes in Christo cupiens suffocare et extendere alas suas, implens universam regionem Emmanuelis : sed non poterit obtinere, quia habet Judas præsentem Deum.

« Congregamini, populi, et vincemini, et audite, universæ procul terræ. Confortamini et vincemini, accingite vos et vincemini. Finite consilium et dissipabitur, loquimini verbum et non fiet, quia nobiscum Deus. » Duo ergo populi Samariæ et Syriæ, infirmos vos et debiles esse cognoscite, et Emmanuel præsente nihil posse contra Jerusalem urbem Domini : et hoc non solum vos qui vicini estis, sed procul terra cognoscat. Quamvis enim exercitum congregetis et accingatis vos ad prælium, et major sit numerus obsidentium quam obsessorum : tamen non semel, sed iterum dicam vincemini, et quodcunque contra Jerusalem inieritis consilium, dissipabitur. Possumus namque et hoc testimonio contra gentes abuti in persecutionis tempore, quod quamvis fortes esse videantur in his qui lapsi sunt, tamen vincuntur in his qui pro Christo fuderint sanguinem : eo quod post bella pax reddatur Ecclesiis, et universa eorum consilia contra Emmanuelem dissipentur, quia nobiscum est Deus. Contradicentes quoque veritati utiliter audient, ut tandem ratione superentur, et nequaquam velint in mendacio vincere : quia quodcunque dixerint, nunquam pervertitas ulla possit superare quod rectum est.

« Hæc enim ait Dominus ad me : Sicut in forti manu erudivit me, ne irem in via populi hujus dicens : Ne dicatis, conjuratio. Omnia enim quæcunque loquitur populus iste, conjuratio est. Et pavorem ejus ne timeatis, neque paveatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam omnibus habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent et conterentur et irretientur et capientur. » Hæc ad me locutus est Dominus, qui propter bona opera et gratiam quam per bona opera consecutus sum, forti manu erudivit me : et instituit ne ambularem in via populi hujus, et pari tenerer errore : vel certe, fecit me recedere a via populi hujus pessima, et dixit mihi : Noli duorum regum timere conjurationem : sed hoc magis considera, quod omne quod loquatur hic populus adversum me, conjuratio sit. Tu autem propheta et hi qui tecum sunt, et dic : Ne timeatis insidias populi, sed Dominum timete, et ipse sit timor vester. « Principium enim sapientiæ timor Domini (*Prov.* I). » Qui erit credentibus in sanctificationem, incredulis autem in lapidem offensionis et in petram scandali (*Luc.* II), duabus scilicet domibus Judæ et Jerusalem, præcipue autem in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem, in quo impingent plurimi et cadent et conterentur, peccatorumque suorum vinculis irretiti ducentur in captivitatem. De hoc loco et Apostolus sumit testimonium, quod Christus Judæis factus sit in scandalum, gentibus autem in stultitiam (*I Cor.* I). Et rursum : Israel sectando justitiam, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis (*Rom.* IX). Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est : « Ecce pono in Sion lapidem, lapidem offensionis et petram scandali. Et omnis qui crediderit in eum, non confundetur. » (*Isa.* XXVIII.) Ergo qui non receperunt Emmanuelem, sed factus est eis in lapidem offensionis et petram scandali, conterentur captivique ducentur.

« Liga testimonium, signa legem in discipulis meis; et exspectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Jacob, et præstolabor eum. » Vox Domini loquentis ad prophetam. Quia (inquit) factus est Dominus in lapidem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, et missum ad se Emmanuelem suscipere noluerunt : liga testimonium Veteris Testamenti, et trade illud discipulis meis qui Evangelium susceperunt : apostolis scilicet sive apostolicis viris. Vel certe lex et prophetia usque ad Joannem. Legitur apud eos, et clausa sunt apud eos atque signata : ut id quod legant non intelligant. Pro discipulis enim, juxta Hebraici sermonis ambiguitatem, possumus et doctrinas interpretari. Unde propheta respondit, quia Evangelio succedente lex apud Judæos clausa est atque signata, et jubet eam nequaquam Judæis, sed gentibus, assignari. Idcirco ego exspectabo Dominum Emmanuelem quem promittis esse venturum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob, hoc est, a Judæis quia eum recipere noluerunt.

« Ecce ego et pueri quos mihi dedit Dominus in signa atque portenta Israelis a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. » Præcepit mihi (ait) Dominus, ut ligarem testimonium in Judæis, et legem discipulis ejus traderem atque signarem, qui abscondit faciem suam a domo Jacob : ideo præstolabor eum et exspectabo Dominum meum. Et non solum ego, sed et pueri mei quos mihi dedit Dominus, alii scilicet prophetæ filii prophetarum : « qui non ex voluntate carnis et sanguinis, sed ex Deo nati sunt. » De quibus et Apostolus loquebatur : « Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Joan.* I, *Gal.* IV). » Isti autem pueri, id est prophetæ, in signa dati sunt et in portenta Israeli, juxta illud quod in Ezechiele legimus : « Et erit Ezechiel in signum (*Ezech.* XXIV). » In Zacharia quoque sancti viri prophetarumque discipuli, viri portentorum signorumque appellantur : eo quod semper prophetæ in signum præcesserint futurorum. Hoc interim juxta litteram. Cæterum beatus apostolus in Epistola quæ ad Hebræos scribitur docet (licet Latina consuetudo inter canonicas scripturas non recipiat hoc testimonium) ex persona debere intelligi Domini salvatoris : Ecce ego et pueri mei quos mihi dedit Dominus Deus. Quia ergo pueri communicarunt sanguini et carni (*Hebr.* II), et ipse similiter particeps factus est earumdem passionum. Quomodo autem isti pueri in signum fuerint atque portentum sapientiæ sæculi et superbiæ Judæorum, idem apostolus docet, qui elegisse dicit Dominum Salvatorem stulta mundi et infirma, ut confunderet sapientes et fortia (*I Cor.* I). Unde et ad apostolos Salvator aiebat : « Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. » Puer autem efficitur novi evangelii prædicator, qui deponit veterem hominem qui corrumpitur desideriis seductionis, et induitur novo qui renovatur de die in diem, et juxta agnitionem imaginis creatoris (*Eph.* IV.) Habitare autem Dominum exercituum in monte Sion, idem apostolus scribit : « Accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem (*Hebr.* XII). »

« Et cum dixerint ad vos : Quærite a pythonibus et a divinis, qui stridunt in incantionibus suis : Numquid non populus a Deo suo requirit pro vivis et mortuis? Ad legem magis et ad testimonium. Et si dixerint juxta verbum hoc, non eis erit matutina lux et transibit per eam : et corruet et esuriet. Et cum esurierit irascetur et maledicet regi suo, et Deo suo. Et suspiciet sursum, et ad terram intuebitur : et ecce tribulatio et tenebræ, dissolutio, angustia et caligo persequens : et non poterit avolare de angustia sua. » Sub persona Christi est dicendum : Ecce ego et pueri quos mihi dedit Dominus. Etiam hæc ipse loquitur ad apostolos et ad credentes ex gentibus, qui ejus Evangelium susceperunt. Si dixerint (inquit) patres vestri quos reliquistis, Quærite ventriloquos, quos pythones intelligimus (nam et in Actibus apo-

stolorum [*Act.* XVI] ancillam legimus quæ quæstum magnum præstabat dominis suis) et qui de terra loquuntur, qui in evocatione animarum magice facere pollicentur, et cætera maleficarum artium genera, hoc scire debetis, quod unaquæque gens proprios consulat deos, et de vivorum salute mortuos sciscitetur : vobis autem in auxilium legem dedit Dominus, ut possitis dicere : Non est talis ethnicorum divinatio, qui cultores suos spe decipiunt, sicut nostra quæ absque ullo munere profertur ex lege. Veniet autem super incredulos fames durissima, non panis et aquæ fames sitisque, sed fames audiendi sermonem Dei (*Amos* VIII). Et cum esurietis contristabimini, et maledicetis principi vestro, et paternis traditionibus, hoc est, diabolo, antiquisque erroribus. Hoc autem ad eos loquitur qui famem passi fuerint veritatis, et suspicient in cœlum sursum et in terram deorsum : et erunt in angustia, in tenebris et in tribulatione, ut non videant usque ad tempus, donec et ipsi ad Deum convertant.

CAPUT IX.

« Primo tempore alleluiata est terra Zabulon, et terra Nephtalim, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. » Primo tempore alleluiata esse dicitur onere peccatorum, quia in regionibus duarum tribuum primum Salvator Evangelium prædicavit. Unde et in sexagesimo psalmo dicitur : « Benedicite Domino de fontibus Israel. » Ibi Benjamin adolescentior, id est Paulus in mentis excessu, qui et alibi loquebatur : « Sive mente excedimus Deo (*II Cor.* V). » Princeps Zabulon, princeps Nephtalim, duces eorum. Qui in his tribubus fuere viculi, de quibus nostri apostoli duces fuerunt, et crediderunt juxta Symmacum velociter audientes a Domino : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum (*Matth.* IV). » Illi vero statim et patrem reliquerunt et naviculam. Novissimo autem tempore aggravata est fides Judæorum in errore plurimis manentibus. Mare autem hic lacum appellat Genesareth, qui Jordane interfluente efficitur, in cujus littore Capharnaum, et Tiberias, et Bethsaida, et Corozaim sitæ sunt, in qua vel maxime regione Dominus commoratus est : ita ut populus qui sedebat vel ambulabat in tenebris lucem videret, nequaquam parvam ut aliorum prophetarum, sed magnam ut ejus qui in Evangelio legitur : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII. » Et qui habitabant in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Inter mortem et umbram mortis hoc esse puto, quod mors eorum est, qui cum operibus mortis ad inferos perrexerunt. « Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XVIII). » Umbra autem mortis eorum, qui cum peccant necdum de vita ista egressi sunt, possunt enim si voluerint agere pœnitentiam. Quia licet sancti apostoli gauderent de conversione gentium ad fidem Christi, tamen magnopere tenebantur pro Israelitico populo qui prædicationem Domini contemptui habuerunt, de quorum prosapia ipsi originem duxerant, sicut dicit eximius doctorum : « Optarem et ego anathema esse pro fratribus meis, qui sunt Israelitæ (*Rom.* IX). »

« Lætabuntur coram te. » Apostropham facit propheta ad apostolos Christi dicens : O Domine Jesu, lætabuntur apostoli tui coram te, « sicut exsultant messores in segete. » Messem appellat gentes, messores autem populos, sicut ipse Dominus quodam loco dicit : « Messis quidem multa, operarii autem pauci (*Matth.* IX, *Luc.* XVI), » et cætera.

« Sicut exsultant victores, dividentes spolia. » Spolia pluralis numerus est, facit in singulari hunc spolium vel hoc spolium. Victores appellat apostolos, qui vicerunt tentamenta carnis, et ipsum diabolum. Spolia autem homines, qui captivi tenebantur ab illo. Ideo autem dicit victores apostolos, quia abstulerunt spolia sua diabolo, id est, genus humanum quod ipse captivaverat, et reddiderunt illud Deo.

« Jugum et virgam, » diaboli, id est, dominationem et potestatem. « Et sceptrum, » id est, imperium, quod per universum orbem tenebat : « superasti, » o Domine Emmanuel. Apostropha est ad Christum exactoris, id est, exigentis. Nam exactor proprie est, qui exigit vel cogit reddere tributa regia populos. Et diabolus exactor erat, qui cogebat universum orbem suam facere voluntatem. « Sicut in die Madian. » Legimus in libro Judicum, quod Madianitæ tempore messis et vindemiæ, veniebant in terram repromissionis et colligebant fructus terræ, et revertebantur. Sed cum sæpe hoc facerent, missus est angelus Domini ad Gedeon, dicens (*Judic.* VI) : Salve, virorum fortissime. Et ille : Ubi sunt, inquit, signa et miracula, quæ ostendit Dominus ad patres nostros, quando egressi sunt ex Ægypto in manu forti? Et dixit angelus : In ea fortitudine vade, et in trecentis viris liberabis Israel. Quod et fecit. Et eligens trecentos viros ex Israel, tali modo sicut in historia habetur, præcepit unicuique tenere in manu lagenam et intus lumen, et in altera tubam. Clangentibusque illis tubas, et lumen tenentibus jam confractis lagenis, conturbatus Madianitarum exercitus, et ipsi semetipsos interfecerunt. Potitique sunt victoria in die illa Judæi, sine effusione sanguinis suorum. Et hoc dicit propheta : Quia sicut illa victoria est sine fuso sanguine ex Israelitarum populo, sic Deus omnipotens victoriam dedit suis electis, vicens diabolum et retrudens in infernum, sive multitudinem populorum in bellum concertantium.

« Quia omnis violenta prædatio cum tumultu. » De ipso diabolo loquitur. Et est sensus : Spolia, id est, humanum genus, quod diabolus deprædatus erat, cum venerit Jesus Salvator ejus, auferet ab illo cum vi et cum violentia : et mittet illum, vel includet cum tumultu, id est, cum magno sonitu in inferno : sicut dicit Psalmista (*Psalm.* IX), tam de reprobis quam de diabolo : Periit memoria eorum cum sonitu.

« Et vestimentum mixtum sanguine. » Quid per vestimentum nisi diabolum, qui plenus erat sanguine

hominum, perpetrans multa homicidia in orbe? Possumus etiam per vestimentum omnes homicidas intelligere, quibus erat diabolus quasi vestimento circumdatus, et quorum manus plenæ erant sanguine. Quod autem dicit, « in combustionem erit, et cibus ignis, » hoc est quia diabolus cum suis imitatoribus et sequacibus igni perpetuo traditus est in cibum, sicuti ligna traduntur foco.

« Parvulus enim natus est nobis. » Iste est parvulus Emmanuel, qui natus est ex virgine, et habitavit in nobis : qui secundum humanitatem parvus visus est, et secundum divinitatem super omnes est. « Et factus est principatus ejus. » Id est parvuli : « super humerum ejus. » Super humerum portavit suum principatum, quia crucem passionis suæ ipse portavit, quando ducebatur ad crucifigendum. Propter quod sicut ipse dixit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Joan.* XIX). » Et « Propter quod exaltavit illum Deus (*Matth.* XXVIII). » Id est, propter illud supplicium, « et dedit illi nomen quod est super omne nomen, » et reliqua. « Et vocabitur admirabilis, etc. » Hæc verba sic sunt dividenda. Admirabilis est, quia Deus et homo est. « Consiliarius est, » quia sine illo consilium bonum non est ; sicut dicit de eo angelus : « Erit magni consilii angelus (*Luc.* I). « Deus » est, quia ipse fecit omnia. « Fortis » est, quia absque illius solamine nemo fortis esse potest. « Pater futuri sæculi » est, quia ipse sine fine manebit. « Princeps pacis » quia ipse nos pacificavit cum angelis, et reddit Deo Patri.

« Multiplicabitur ejus imperium. » Quomodo multiplicabitur? Quia per universum orbem per prædicationem apostolorum, nomen illius propalatum est, et quotidie nomen Christianitatis augmentatur. « Super solium David sedebit, » id est, in populo Judæorum, vel etiam in cordibus illorum qui mites et mansueti humilesque fuerint, sicut David. « A modo, » id est, in sæcula sæculorum. « Zelus Domini exercituum faciet hoc. » Zelus est odium et invidia. Est et zelus dilectio videlicet et amor, de quo hic dicitur. Zelus, id est amor Domini quo dilexerit populum suum, omne genus videlicet hominum faciet istud, id est, mittet Filium suum, et liberabit genus humanum de faucibus diaboli.

« Verbum misit Dominus in Jacob » vox prophetæ. Jacob appellat in hoc loco tribum Juda, Israel autem reliquis tribus. Quid fuit istud verbum? Quantum ad litteram pertinet, misit Dominus verbum in Jacob : quia complacuit ei, et constituit ut ex tribu Juda reges semper eligerentur super universum Israel, a tempore quo cœpit regnare David mitissimus rex. Cecidit autem in Israel. Id est decem tribus, quia ipsi destruxerunt illud præceptum quando projecerunt domum David, et elegerunt sibi regem Hieroboam de tribu Ephraim : a quo postea appellatæ sunt Ephraim generaliter (*III Reg.* XII). Vel aliter : Verbum misit Dominus in Jacob, id est doctrinam Evangelicam in apostolos et in sanctos prædicatores, et cecidit, id est prævaricata est illa prædicatio sancti Evangelii ab hæreticis. Vel aliter : Verbum misit Dominus in Jacob, id est in populo Judæorum : sed cecidit in Israel, id est, in populo gentili. Hoc est verbum, de quo dicit eximius Evangelista Joannes : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum (*Joan.* I). » Quando est missum Verbum istud in populo Jacob? Quando carnem assumpsit ex virgine. Tunc autem venit ad gentes : quando Judæi noluerunt recipere prædicationem Domini neque apostolorum, et dictum est apostolis a Domino : « Ite, docete omnes gentes (*Matth.* XXVIII; *Marc.* XVI), » et cætera.

« Et sciet omnis populus Ephraim. » Ephraim appellat decem tribus : quæ nimis superbæ erant, propterea quia ipsi erant multo plures, quam Juda et Benjamin. Revera enim ita erant, quia ad comparationem decem parvus numerus est duo. Vel etiam propter hoc gloriabantur, quia illis conjuncti erant Rasin et Syri. Et quid est quod sciet Ephraim? Hoc sciet quia Rasin et Syri, qui ei conjuncti fuerant, quandoque ab eo recedent : et pugnabunt contra eos, sicut in subsequentibus manifestat. Quid dicebant illæ decem contra Judam et Benjamin?

« Lateres ceciderunt » et cætera. Quod significatur per lateres, hoc per sycomoros : videlicet fragiles et infirmi. Et quod per quadros lapides, hoc per cedros : fortissimi scilicet, et bellicosissimi homines. Sycomorus arbor est infructuosa et fatua, quam ficum sylvestrem dicunt. Cedrus imputribile lignum. Diximus superius, quia Rasin et decem tribus dixerunt : « Ascendamus ad Judam et evellamus eum ad nos, et ponamus in medio ejus filium Tabeel (*Isa.* VII). » Et erecti in superbiam, dicebant despective de Juda et Benjamin : Lateres ceciderunt, id est imbecilles et infirmi ceciderunt ex Juda in manus hostium. Sed cum habuerimus ipsas duas tribus redactas in potestate nostra : « ædificabimus » vobis ex « quadris lapidibus » domum, id est, fortissimis et bellicosissimis principibus et pugnatoribus, constituemus vobis principatum et imperium. Et addebant : « Sycomoros succiderunt, » id est, fragiles et sine robore viros ex illis duabus tribubus interfecerunt hostes, qui pugnaverunt contra eos. Sed nos cum habuerimus illos qui remanserunt subjugatos, pro illis imbecillibus immutabimus ex nobis ipsis cedros, id est fortissimos principes : qui sicut cedrus quod imputribile lignum est nunquam deficit, et sicut lapis quadrus qua parte inclinatus fuerit semper stabit : ita et illi inter omnia adversa fortiter permaneant stabiles. Quod autem non commemorant hostes qui illas duas tribus succiderunt, id est, interfecerunt, et in quorum manus illi ceciderunt, referendum est ad illa tempora quando Philistiim vel Rasin et Syri pugnaverunt contra eos, et multa millia ex eis occiderunt.

« Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum. » Vox prophetæ contra Rasin et Syros. Et elevabit, id est adducet, Dominus hostes Rasin, Sennacherib videlicet, super eum, id est, super Rasin, « et inimicos ejus Assyrios in tumultum vertet, » id est, in prælium contra eum. Et quare hoc? Quia debellavit Judam.

« Syriam ab oriente. » Vox Prophetæ ad decem

tribus. Hoc est quod superius dixit : quia sciet omnis Ephraim. Quid sciet? Quia adducet Dominus Syriam ab oriente, quæ ante erat ei conjuncta : « Et Philistiim ab occidente, » quia ab orientali plaga erant filii Israel, Syri et Philistiim ab occidentali. Quo tempore factum est hoc? Quando Sennacherib cepit Syros et Philistæos, et pariter cum illis venit super decem tribus

« Ad percutientem se, » id est, ad Deum. « Incurvantem. » Incurvare est hoc quod est rectum in alteram partem flectere. « Et depravantem. » Aliqui codices habent refrenantem, sed falso scriptum est. Depravantem autem dicit, quia ille populus depravabat et corrumpebat legem Dei, et viam gressuum suorum.

« Et erunt qui beatificant populum istum præcipitati, et populus qui beatificatur præcipitabitur. » Vepres, id est, omnia mala illorum, consumentur super ipsos

« Vir fratri suo non parcet. » Hoc impletum est illo tempore, quando obsessi sunt a Romanis, quia tunc fratrem suum frater occidit.

« Et declinabit ad dexteram, » id est, a justitia, « et esuriet » malum. « Et comedet ad sinistram, » id est, incrassabitur malitia, « et non ei sufficiet. » Simul Manasses et Ephraim pugnabunt contra Judam. Manasses enim et Ephraim erant ad invicem commoti, et tamen ad Judam debellandum concordes erant.

CAPUT X.

« Væ qui condunt leges iniquas. » Vox prophetæ ad scribas et Pharisæos, qui traditiones suas superponebant legi Dei (*Matth.* xv, *Marc.* vii).

« Quid facietis in die visitationis vestræ? » Condolet propheta malitiis populi sui. Visitatio in hoc loco in malam partem ponitur : et vocat visitationem ultionem et vindictam, quam Deus ex illis exegit, vel sub Sennacherib, vel etiam sub Romanis. « Væ Assur. » Vox Dei ad Sennacherib et populum ejus, Væ, id est, interitus imminet tibi perditionis. Quare comminatur Deus Sennacherib? Quia licet permiserit ei debellare decem tribus, tamen non præcepit ei ut penitus contereret illos : sed flagellaret et conculcaret eos, sicut lutum platearum. Ille autem, elatus in superbiam, putavit se hoc facere suis viribus et fortitudine : et non solum illas decem tribus captivas duxit, sed etiam maximam multitudinem eorum delevit. Virgam autem et baculum vocat illum, quia percussit et flagellavit per illum duodecim tribus.

« Nunquid non principes mei reges sunt? » Hoc ideo dicit Sennacherib, quia quando venit super decem tribus, multos reges adduxit secum quos ipse jam subjugaverat. « Nunquid non ut Carchamis, sic sunt sub mea potestate Chalamno, et Arphat, et Emat? » Vox prophetæ ex persona Sennacherib. Taliter enim gloriabatur. Illa Carchamis et illæ aliæ civitates quas enumeravit. gentium civitates erant, quas ipse jam ceperat. « Nunquid non ut Damascus, sic Samaria, » sub mea dominatione consistit. Damascus civitas est metropolis et regia, quam condidit servus Abraham Eliezer, super quam regnabat Rasin.

« Quomodo invenit manus mea? » id est, potestas mea, « regna idoli » Vox Sennacherib qualiter admirabatur de sua potentia. Et non est legendum affirmative, sed admirative et interrogative. Hoc autem quod sequitur, subauditione eget. Et est sensus : Sicut simulacra et regna, quæ superius commemoravi, sub meo dominio redacta sunt : sic et simulacra Samariæ et Jerusalem mea sunt. Pene sicut dixit, ita et implevit. Nam omnes civitates decem tribuum et Benjamin et Juda deprædatus est, præter Jerusalem. Ex Jerusalem etiam comprehendit inferiorem partem, quam tradidit ei Sobna scriba (*IV Reg.* xviii).

« Nunquid non ut feci Samariæ, sic faciam Jerusalem? » Non ita permisit ei Dominus in Jerusalem propter Ezechiam.

« Et erit, cum compleverit Dominus cuncta opera sua. » Vox prophetæ. « Visitabo, » id est ulciscar et vindicabo me de illo « super fructum, » id est super opera ejus.

« Abstulit terminos populorum. » Ipse enim Sennacherib multa regna comprehendit, et conclusit sub uno termino, id est, sub una potestate. « Invenit quasi nidum manus mea. » Sicut destruitur nidus quo recedunt pulli, ab illo a quo invenitur, sic destruxit ille omnia regna. Et metaphorice loquitur, et dicit. « Et sicut colliguntur ovaque derelicta sunt ab avibus. » Metaphoram servat. Sicuti per nidum regna, ita etiam per ova intelligere possumus habitatores regnorum. Quidam codices habent uvas, sed falso scriptum est. Quia enim primitus dixit de nido, sic post de ovis. Et vox est Sennacherib.

« Et non fuit, qui moveret pennam, » id est, qui auderet manum contra me erigere, « et ganniret. » Gannire proprie avium est, et posuit pro eo quod est mutire.

« Nunquid gloriabitur securis? » Vox prophetæ de Sennacherib. Et est sensus : Sennacherib namque ultionem quam fecit super decem tribus, non Dei voluntati reputavit, sed suæ fortitudini. Et dicitur ei a propheta : Si securis, aut serra, vel virga, aut etiam baculusque lignum est, erigantur in superbiam et dicant : Hoc quod facimus, nostra virtute et sagacitate adimplemus. Sic dicebat Sennacherib. Sicut ea quæ supra diximus nequeunt operari, et aliquid implere per se, si non fuerit qui in eis operetur : sic Sennacherib, hoc quod fecit non implesset, nisi Domino permittente propter peccata populi.

« Propterea mittet Dominus in pinguibus ejus tenuitatem. » Per pingues, debemus intelligere duces ac principes et fortes bellatores, quos attenuavit Dominus, quando misit angelum suum (sicut in subsequentibus videbimus) qui interfecit ex eis centum octoginta quinque millia (*IV Reg.* xix).

« Et subtus gloria ejus succensa, ardebit quasi combustio ignis. » Dicit beatus Hieronymus quodam loco : Quia quando exercitus illius interfectus est, omnia corpora exusta sunt ab igne cœlesti : vestimenta autem illæsa permanserunt. Et venientes Judæi accipiebant summitatem vestis, et excutiebant pulverem corporum, quæ in pulvere redacta sunt. Propterea ergo dicit : gloria ejus accensa ardebit quasi combustio ignis : Et accensa ardebit subtus, id est, sub vestimentis. Gloriam autem appellat multitudinem exercitus. Quia multitudo populi gloria regis est (*Prov.* XIV).

« Et erit lumen Israel in igne. » Lumen appellat angelum, qui succendit illos. « Et sanctus ejus in flamma. » Lumen et sanctus unum est, qui fuit in igne et flamma Assyriis, quos omnes combussit igne. Lumen autem, id est angelum, Israel dicit : quia unicuique genti a Deo legatus est angelus. Et dicunt Hebræi, quod Michael archangelus fuerit, cui commissa erat illa gens Israelitica, sicut in Daniele legimus. « Devorabitur spina ejus, » id est, gloria ejus et divitiæ, « et vepres » etiam consumentur. Id est iniquitates, et peccata apprehendent eum.

« In una die. Gloria saltus ejus et carmeli ejus. » Gloriam appellat multitudinem populorum. Carmelus mons magnus est, habens multitudinem lignorum. Et est sensus : Exercitus tuus, qui tantus est, sicuti arbores in sylvis et in monte Carmeli, peribit et in corpore et in anima. « Et erit terrore profugus. » Cum surrexisset mane Sennacherib, et vidisset omnem exercitum suum combustum igni : timore perterritus, fugit in terram suam. Et cum adoraret in templo Nesrach deum suum, filii sui interfecerunt eum (*IV Reg.* XIX).

« Et puer scribit eos, » id est, quorum ante adduxerat tantam multitudinem sicut arenam quæ est in littore maris, et sicut arbores quæ sunt in maximo saltu, a puero parvulo poterunt numerari. Quod ita factum est. Non remanserunt enim ex omni illa multitudine nisi decem viri qui pariter cum illo fuga lapsi sunt.

« Et erit in die illa. » Diem accipe pro tempore. « Non adjiciet residuum Israel. » Residuum Israel vocat illos qui remanserunt ex illis duabus tribubus, qui non sunt capti a Sennacherib. Omnes enim civitates munitas Judæ et Benjamin cepit, et partem etiam inferiorem de Hierusalem, tradente Sobna scriba præ timore. Quod autem dicit « qui fugerint Jacob : » ad hoc respicit, quia cum illæ omnes civitates Judæ depopularentur, omnes qui fugæ præsidium capere potuerunt in Hierusalem ad Ezechiam fugerunt. Et quod dicit « non adjiciet inniti, » id est confidere, « super eo qui percutit eos : » sic est intelligendum (*IV Reg.* XVI, XVIII) : Tempore illo quo Phacee et Rasin voluerunt venire, id est debellare duas tribus, misit rex Achaz duarum tribuum ad regem Ægypti, ut liberaret eum de manibus duorum regum dicens : » Servus tuus sum, tantummodo veni et aufer jugum Phacee et Rasin de collo meo. Ipse autem non liberavit eos, sed Dominus propter servum suum David. Cum autem ille mortuus fuisset, filiusque ejus Ezechias regni gubernacula cepisset, omnia simulacra quæ erant in Hierusalem confregit, populumque Dei quem pater ejus ad cultum gentium verterat, ipse ad Dei cultum revocavit. Nam per omnes angulos platearum, et super domos et in nemoribus et in lucis, ipse perfidus Achaz idola diversorum generum constituerat : quæ filius ejus Ezechias omnia minutatim confregit, et in pulverem redegit. Hoc audiens Sennacherib, spiritu malignitatis succensus, postquam habuit Syros et Philistæos, et decem tribus deprædationis onere captivatas venit ab Ægypto cum innumerabili multitudine, tendens iter ad Hierusalem in directum. Jam enim altera vice vastaverat civitates Judæ, præter Hierusalem. Propterea dirigitur sermo propheticus ad duas tribus, quæ antea spem posuerant super Ægyptios et Assyrios, qui eos sæpe percutiebant : ut non ultra innitantur super eos, sed in Domino Deo Israel spem ponant. « In veritate, » non ficta, nec duplici corde, sed toto mentis affectu « reliquiæ » quæ remanserunt, et quas Dominus sabaoth liberavit.

« Convertentur ad illum. Si enim fuerit populus tuus Israel. » Hoc ad adventum Christi pertinet. Vox prophetæ. O domus Israel, licet tanta multitudo sit in medio tui quasi arena maris : tamen ad comparationem illorum, quidquid in duritia cordis remanebit, adveniente Christo in carne, quasi reliquiæ convertentur ex ipsis ad ipsum (*Rom.* IX, XI). Quæ fuerunt istæ reliquiæ? Apostoli, et alii qui ante ascensionem Domini crediderunt ex Judæis. Et illi de quibus legitur in Actibus apostolorum : « Quia prædicante Petro crediderunt una die tria millia, altera die quinque millia (*Act.* II, IV). » « Consummatio, » id est perfectio sive completio « abbreviata inundabit, » id est inundare faciet « justitiam. » De adventu Domini continentur ista. Quomodo abbreviata est perfectio? Quia omnia quæ in lege et prophetis de Domino prædicta erant per longa ante tempora, ipse in brevi tempore adimplevit, in tribus videlicet annis et semi. Et quomodo fecit inundare, id est abundare justitiam? Quia prædicatio apostolorum in omnem terram exivit, et in fines terræ verba eorum pervenerunt (*Psal.* XVIII). Quæ fuit ista justitia? Quia humanum genus, quod diabolus per fallaciam possidebat, ipse per passionis trophæum a mortis vinculo liberavit.

« Consummationem, » id est perfectionem sive completionem, « et abbreviationem faciet Dominus in medio terræ, » sicuti jam diximus.

Vel etiam quod brevius possumus dicere, abbreviationem fecit Dominus : quando in tribus diebus omnia quæ de sua passione et resurrectione vel liberatione humani generis prædicta erant, complevit (*Luc.* XXIV). In medio autem terræ dicit, quia Hierusalem ubi hoc mysterium salutare patratum est, umbilicus dicitur esse terræ (*Ezech.* XVI). Vel etiam abbreviationem fecit, quando omnem infinitam multitudinem Assy-

riorum una nocte peremit, præter decem viros. Vox Dei per prophetam.

« Propter hoc dicit Dominus, » ut non timeat Ezechias et populus ejus ab Assur, hoc est, a Sennacherib et populo ejus : quia ipse in breyi tempore et momento percutiet eos. Et licet in virga, hoc est in deprædatione civitatum eorum, percutiat eos, tamen nullatenus prævalebit omnes penitus delere, quia civitatem Hierusalem liberabo de manu ejus propter David servum meum, et Ezechiam famulum meum (*IV Reg.* XIX). Quod autem dicit : « Baculum suum levabit super te in via Ægypti, » sic est intelligendum : Postquam Sennacherib habuit decem tribus deprædatas, reversus est per civitates Judæ et Benjamin quæ erant in via Ægypti, quas omnes subvertit. Vel etiam baculum suum, id est gladium suum, levabit super eos in via Ægypti, quia postquam semel habuit omnes civitates duarum tribuum comprehensas, et pars etiam civitatis Hierusalem tradita in manus Rapsacis principis illius a Sobna, scriba fuit (sicuti superius jam diximus) et reversus esset in Ægyptum : iterum cum rediret ad Hierusalem capiendam, omnes civitates illorum quæ remanserant, quæ erant in itinere ab Ægypto venientibus Hierusalem, ipse subvertit.

« Adhuc paululum » longo tempore postquam hæc prædicta sunt, completa sunt. Sed omnia sæcula æternitati Dei comparata, brevia putabuntur. Omnia enim quæ futura sunt, in præsentia Dei jam facta videntur.

Vox Dei ad Sennacherib et populum ejus : « Et consummabitur furor meus super scelus eorum, » id est super Ægyptios, et Assyrios, et Sennacherib.

« Et suscitabit super eum » hoc est, super Sennacherib « flagellum, » id est vindictam, « juxta plagam Madian in petra Oreb. » Vox prophetæ contra Sennacherib : Jam superius diximus, qualiter Madianitæ sine effusione sanguinis filiorum Israel peremptı sunt (*Judic.* VI, VII). Ideo comparat occisionem Madianitarum interfectioni Assyriorum. Quia sicut illi sine cruore sanguinis Judaici populi necati sunt, ita et isti. « Et virgam suam super mare, » subaudis, levabit. Per virgam intellige fortitudinem. Et est sensus : Antequam super te veniat, ibit contra Tharacam regem Æthiopiæ, et transibit mare Rubrum, et levabit eamdem virgam super Ægyptum. Et tunc revertetur cum multo exercitu, veniens super Hierusalem.

« Et erit in die illa. » Diem accipe pro tempore. Vox Dei ad tribum Judam et Benjamin. In qua die vel in quo tempore ablata est dominatio Sennacherib de collo duarum tribuum? Quando exercitus illius ab angelo interemptus est. « Et computrescet, » id est deficiet « jugum, » hoc est, dominatio et servitus de humero tuo, o populus duarum tribuum, « a facie olei, » id est a præsentia misericordiæ Dei. Per oleum namque misericordia notatur.

« Veniet in Aioth. » Vox prophetæ. Hæc est descriptio viarum, per quæ loca venerit Sennacherib ab Ægypto usque in Nob : ubi et populus ejus periit, sicut in subsequentibus videbimus. O populeus meus, veniet Sennacherib ab Ægypto in Aioth, et non figet ibi tentoria, « sed transibit in Magron et commendabit in civitate magna vasa sua » et saginas, id est sarcinas.

« Transierunt cursim. » Sic loquitur propheta de futuro quasi de præterito : quia transierunt cursim populi qui cum Sennacherib venerunt, et quia transierunt has civitates Judæorum quas enumeravimus. Vel etiam civitatem magnam, ubi sarcinas suas commendaverunt, cito transierunt et pervenerunt in Gabaa. Et cum ibi pervenissent, dixerunt : « Gabaa erit sedes nostra. » Ibi enim habuit diversorium, sicut dicit B. Hieronymus. Et territa est urbs vicina Rama. Quidam ita volunt distinguere, ut ita jungatur : Transierunt sedes Gabaæ cito : et sit sedes pluralis numerus, et postea jungant nostra Rama obstupuit : sed non ita est. Dicit enim beatus Hieronymus, quia cum illi transissent velociter civitates magnas, et ibi commendassent saginas suas, pervenissentque ad Gabaam, habuerunt ibi diversorium, sicut jam diximus. Gabaath autem Saulis cum hoc audisset, fugit. Altera est enim Gabaa, et altera Gabaath. Gabaa autem Hebræum nomen est, et ideo utrum dicamus. Gabaæ sive Gabaa non discrepat, quia alterius linguæ proprietatem tenet. Gabaath vero Saulis dicitur, quia Saulis quondam electi Domini fuit sedes regia ibi.

« Hoc Hinni voce tua, » id est eleva. Vox prophetæ. Gallim et Laisa, atque Anathoti civitates Israeliticæ erant, per quas illi transierunt.

« Migravit Medemena. » De loco suo ad alium. Medemena et Jabin, civitates sunt Judæ.

« Adhuc dies est, ut in Nobe (civitate) stetur, » id est habitetur a Sennacherib. Nobe civitas terræ repromissionis est, de qua fuit Gesbi qui fuit de triginta principibus David, sicut in libro Paralipomenon (*I Par.* XXVII) legimus. Est autem non longe ab Hierusalem. Et quare dicit : adhuc dies est ut in Nobe stetur ab illo? quia quando Sennacherib illuc pervenit, parum erat adhuc diei.

« Agitabit » ergo « manum suam, » id est movebit, minans multa mala Hierusalem; propterea autem « super montem Sion et collem Hierusalem, » quia Sion mons est et Hierusalem circa collem, id est circa vallem illius montis sita est. Quando vero Sennacherib exivit de Ægypto, prout citius quivit, acceleravit gressum, tendens iter ad Hierusalem ut supra dictum est.

Cum autem venisset in Nobe, tetendit ibi tentorium, volens diluculo occupare Hierusalem : et postquam illuc venit, non cessavit usque mediam noctem minari desolationem Hierusalem dicens : En ista sola civitas poterit liberari de manu mea? Non erit ita; sed sicut feci Samariæ et regi ejus, sic faciam Hierusalem et regi ipsius Ezechiæ. Sed post-

quam ierunt dormitum, omnes percussi sunt ab angelo Domini.

« Ecce Dominator Dominus, confringet laguncu-culam in terrore. » Vox prophetæ de passione Domini. Laguncula, diminutivum nomen est a lagena. Laguncula autem, quæ lutea est, significat corpus Dominicum, quod confractum est tempore passionis. In terrore autem dicit, quia monumenta aperta sunt, atque terræmotus factus est magnus, et cætera quæ in passione ejus ostensa sunt. « Excelsi succisi sunt, » id est Judæi humiliati sunt, et a proprio solo succisi et projecti sunt.

« Et subvertentur condensa. » Id est densitates « saltuum ferro. » Saltum appellat Hierusalem, propter multitudinem populorum quæ succisa est ferro Romanorum. « Et Libanus cum excelsis cadet, » id est, Hierusalem cum sacerdotibus et principibus suis. Per Libanum debemus intelligere templum vel civitatem, sicut dicitur per prophetam : Aperi, Libane, portas tuas, et devoret ignis cedros tuas.

CAPUT XI.

« Egredietur virga de radice Jesse. » Vox prophetæ de nativitate Domini. Prophetæ non servant ordinem historiæ. Superius enim dixit de passione Domini : nunc vero loquitur de nativitate illius. Virga de radice Jesse egressa est, quia virgo Maria ex propagine David orta est. « Flos de radice ejus ascendet, » id est de semine Jesse patris David Christus natus est, flos virtutum, et corona angelorum, et sertum etiam hominum electorum.

« Et requiescet super eum, » id est super Christum « spiritus Domini. » Hoc impletum est, quando baptizatus est a Joanne in Jordane. Requievit Spiritus sanctus super eum in specie columbæ, et vox Patris audita est (*Luc.* III). Attamen non est intelligendum quod ab illo solummodo tempore cœperit habitare Spiritus sanctus in Domino Jesu Christo, qui secundum divinitatem ante omnia sæcula æqualiter cum Patre possedit ipsum Spiritum sanctum ; sed sicuti ex tempore conceptionis secundum humanitatem, tanta est gratia collata ei Mediatori Dei et hominum homini Jesu Christo, ut verus esset Deus et verus homo : ita et secundum quod homo fuit, Spiritus sanctus super illum requievit, quando operatione ejusdem Spiritus sancti in utero virginis carnem nostræ fragilitatis assumpsit (*Luc.* I).

Hæc vero septem dona Spiritus sancti, quæ hic commemorantur, in Christo requiescunt, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* I *et* II).

« Non secundum visionem oculorum judicabit. » Id est non attendet personam hominis, quia de eo scriptum est : « Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum acceptus est illi (*Act.* X). »

« Arguet in æquitate pro mansuetis terræ. » Tunc increpavit Dominus reprehensores humilium, cum discipuli ejus ambulantes per sata evellebant A spicas, et confricabant manibus, et manducabant (*Matth.* XII ; *Marc.* VIII ; *Luc.* VI). Nam cum vidissent hoc quidam, reprehenderunt apostolos. Sed quid fecit Dominus ? redarguit apostolorum contradictores, et dixit illis : « Ite et discite quid est, misericordiam volo, et non sacrificium (*Matth.* IV ; *Ose.* VI). » « Et percutiet terram virga oris sui. » Terram posuit pro habitatoribus terræ; virgam pro doctrina evangelica. Quando percussit illos virga, id est doctrina evangelica ? Cum per prædicationem apostolorum principis Petri, post ascensionem illius crediderunt uno die tria millia, altera die quinque millia, et deinceps multa millia : dicentes qui crediderant audita ejus prædicatione : « Quid faciemus, viri fratres ? » Et Petrus ad illos : « Pœnitemini et convertimini, ut deleantur vestra peccata. » Similiter per prædicationem B apostolorum corda populorum percussit : quando relinquentes proprias voluntates, baptizabantur in nomine Jesu. Potest et per virgam sententia divini examinis intelligi. Veniens Dominus in carne, primum cœpit prædicare pœnitentiam dicens : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Et postmodum subintulit : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* VII). » Hac sententia, isti judicis advenientis terrenorum hominum corda, relinquentes pristina vitia, cœperunt ad baptismum illius confluere, de quibus discipuli Joannis invidentes Christo, dixerunt magistro suo : « Rabbi, ecce plures veniunt ad Jesum quem tu baptizasti, C quam ad te (*Joan.* III). » « Et spiritu labiorum suorum interficiet impium. » Id est Antichristum, sicut dicit egregius prædicator : « Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui (*II Thess.* II). » Et licet a Michaele prosternatur, sicut quidam dicunt, Domini tamen nutu illud adimplebitur.

« Et erit justitia cingulum lumborum ejus. » Quis vidit unquam cingulum de justitia, aut cinctorium de fide ? Per justitiam et fidem, debemus intelligere sanctos, qui per fidem et justitiam operando bona, Domino cohærent sicut vestimenta. Unde ex persona Patris loquitur Isaias alio in loco de Filio : Vivo ego, quia his omnibus velut vestimento vestieris.

« Habitabit lupus cum agno. » Hæc juxta historiam carent sensu. Allegorice autem, per lupum D possumus intelligere sævum et infidelem hominem ; agnus vero humili, et mansueto, fidelique assimilatur. Lupus ergo cum agno habitavit post adventum Domini, Paulus crudelis persecutor cum Anania mansueto, vel cum Petro. Sic et de multis accipiendum, qui de duritia incredulitatis ad fidem Domini venerunt. Pardus significat hominem multiplicibus criminibus et erroribus maculatum, honoribus tamen istius sæculi pollentem.

Hædus comparatur humili peccatori. « Pardus ergo cum hædo habitavit, » id est, superbus peccator cum humili peccatore infra sanctam Ecclesiam manebit, non despiciens illum, licet terrenis lucris polleat : quia verecundabitur de suis malis. Hædus

autem non ideo comparatur mansueto quod in sinistris sit : sed quia mortificat semetipsum Domino (*Col.* III). Per vitulum et ovem, similiter humiles et innocentes, qui se mortificant cum vitiis et concupiscentiis. Per leonem autem aliquem principem istius sæculi possumus intelligere, qui pariter cum innocentibus in Ecclesia moratur. Similiter per vitulum et ursum intelligendum est.

« Leo quasi bos comedet paleas. » Per leonem, rex, sive aliquis (ut dictum est) princeps intelligitur; per bovem autem, quilibet simplex. Leo ergo quasi bos comedit paleas, simplicem videlicet intellectum : quia principes istius sæculi litterali superficie et historia contenti sunt, sicut et simplices quique.

« Et delectabitur infans. » Infantem hic possumus intelligere Dominum Jesum Christum, propter innocentiam ; vel Petrum, aut alios apostolos, et clarissimos sanctos : qui malitia parvuli fuerunt, sensu autem perfecti (*I Cor.* XIV); quibus dedit Dominus potestatem ejicere dæmones de obsessis corporibus. (*Matth.* X ; *Marc.* VI ; *Luc.* IX *et* X). Aspis diabolum significat, qui in cavernis et foraminibus, id est in cordibus perversorum « hominum habitat. » Ab ubere, autem dicit separatum, id est a carnalibus desideriis retractum. « Et qui fuerit ablactatus, mittet manum suam in cavernam reguli. » Regulus est serpens, rex omnium serpentium, qui suo flatu vel visu non solum bestias, sed etiam aves per aera volantes necat, et significat diabolum. Ablactatus, dicitur a lacte separatus. Sancti ergo qui ab ubere, hoc est a carnalibus desideriis abstracti sunt, et qui ablactati sunt, id est a lacte separati, quia jam solidum cibum percipiunt (*Hebr.* V), id est jam perfecti sunt in fide et operatione : illi delectantur mittere manum suam, hoc est operationem suæ prædicationis, in foramine aspidis et in caverna reguli, id est in cordibus perfidorum, et extrahere inde serpentem, qui vocatur diabolus.

« Non nocebunt » ipsi serpentes « in monte sancto meo, » id est in Ecclesia mea. Vox Domini est : Et quare non nocebunt ? Propheta manifestat : « quia repleta est terra doctrina » evangelica. In fines enim orbis terræ, sonus prædicationis exivit (*Psal.* XVIII). Et quomodo repleta est ? « Sicut aquæ maris operientes » fundum sui. Aliqui codices habent aperientes ; sed falso scriptum est. Discrepat enim a sensu. Sicut ergo aquæ operientes profundum maris : sic omnis terra scientia Dei plena est.

« Et erit in die illa : Adjiciet Dominus secundo. » Vox prophetæ de Judæis qui in Dominum crediderunt. Dies accipiendus est pro tempore. In quo tempore erit istud ? quando « sepulcrum Domini fuerit gloriosum : » hoc est post resurrectionem ascensionemque ejus. Quare dicit secundo ? quia ipse ante passionem suam primum prædicavit, dicens : « Pœnitentiam agite (*Matth.* IV). » Post resurrectionem suam et ascensionem, secundo adjecit « manum, » id est prædicationem per apostolos, docens illos fructus dignos pœnitentiæ facere (*Luc.* III). « Residuum » autem dicit reliquias duarum tribuum, quas reliquerant illi populi qui enumerantur, et non interfecerant eos : sed per omnes plagas mundi illos exsules fecerant. Vel etiam secundo adjiciet manum suam in die judicii : quando, prædicante Elia et Enoch, omnis Israel qui inventus fuerit salvabitur.

« Et levabit signum » victoriæ, hoc est signum crucis « in nationes » per prædicationem apostolorum, ut sciant omnes gentes per quod sunt redempti devicto diabolo. « Et congregabit profugos Israel, » id est illos qui ex tribubus dispersi sunt per diversa regna. « Et dispersos Juda colliget, » hoc est ex tribu Juda et Benjamin. Hoc ad illud pertinet, quando apostoli, die Pentecostes linguis igneis inflammati, cœperunt variis loquelis loqui (*Act.* II). Tradunt enim historiæ, quia ex omnibus locis ubi Judæi antea dispersi fuerant, in illa festivitate aliqui illorum redissent ad proprium solum : sicut Lucas in Actibus apostolorum dicit : Erant autem in Hierusalem habitantes Judæi viri religiosi, ex omni natione quæ sub cœlo est. Ex quibus crediderunt una die (ut dictum est jam superius), prædicante Petro, tria millia, altera die quinque millia (*Act.* II, 4), et deinceps multa millia.

« Et auferetur zelus Ephraim, et hostes Juda peribunt. » Quando Isaias hoc prædicabat, contrariæ inter se decem tribus Juda ac Benjamin erant. Temporibus autem apostolorum, illi qui crediderant tam ex Juda quam ex Benjamin, non pugnabant inter se sicuti prius, his qui conjuncti erant in unitate fidei et dilectionis.

« Et volabunt in humeros Philistiim per mare. » Qui erunt isti qui volabunt ? Apostoli, de quibus alibi scriptum est : Qui sunt isti qui ut nubes volant ? Volare autem dicuntur, propter celerem cursum : quia apostoli per mare magnum navigio transierunt ad insulas Philistinorum : sicut beatus Paulus apostolus, qui Rhodum insulam et Pamphiliam verbum vitæ docuit (*Act.* XXVII). Propterea autem dicuntur volare super humeros Philistinorum, quia sicut avis evolat supra ramum subito, ita apostoli, inspirante Domino adierunt illos, et similiter prædati sunt filios Orientis sua prædicatione. « Idumæa et Moab præceptum manus eorum, » subaudis sequentur. Idumæi namque et Moabitæ præcepto evangelico se supposuerunt, credentes in Christum Filium Dei. « Et filii Ammon : » similiter « obedientes » fuerunt doctrinæ illorum.

« Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti. » Quemadmodum Idumæi et Moabitæ, et Ammonitæ obedientes exstiterunt præceptis evangelicis per prædicationem apostolorum : sic ipse Dominus desolabit per semetipsum linguam maris Ægypti. Mare Ægypti appellatur propter multitudinem populorum. Et notandum, quia mare non habet linguam, sed metaphorice loquitur. Linguam ergo maris, id est populum Ægypti desolavit Dominus, quando illos qui ante soliti erant labiis suis laudare et adorare idola manufacta, immutavit per prædicationem

apostolorum, ut possent et scirent laudare Creatorem suum et liberatorem. Gens enim Ægyptiorum plus omnibus gentibus dedita fuit idololatriæ et vanissimæ superstitioni dæmonum : in tantum ut accipitrem, et canem, et asinum, pro deo colerent. Tunc vero mutavit Dominus linguam ejus, quando destruxit simulacra quæ ante adorabat et laudabat, et cœpit confiteri Creatori suo iniquitatem suam, conversa ad pœnitentiam. « Et levabit Dominus manum suam super flumen, » hoc est super regnum Ægypti, « in fortitudine spiritus sui, » id est in fortitudine Romanorum. « Et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati. » Quando Isaias hoc prædicabat, nondum erat Nilus magnus fluvius divisus. Alexander vero Macedo divisit illum postea in septem rivos. Regnante autem Cæsare Augusto, quando flos de radice Jesse exortus est, et in urbe Romana prima facta est descriptio (*Luc.* II) : potentissimum regnum Ægyptiorum quod multis annis solidum manserat, in morte Cleopatræ destructum est : et divisa est omnis Ægyptus in septem rivos, hoc est in septem principes, quæ antea sub unius hominis regimine constabat. Nilus etiam fluvius aquarum multarum, qui antequam ab Alexandro dividerétur intransmeabilis erat, dum Romani ipsos rivos amplificassent, in tantum exsiccatus est decurrens per humillimas valles, ut siccis pedibus transiretur. Ideo autem dicitur maxime in septem rivis esse percussum illud regnum, quia septem principes pro uno habens, gloria potentiæ ejus minorata est. Nam alium regem habebat Libya, alium Pentapolis, alium Alexandria, atque alium Thebaïs. Propterea vero sub metaphora Nilus fluvius divisus est in partes, et cæsus in rivos : ut apostoli calceati, hoc est sine impedimento, verbum Evangelii prædicantes, possent discurrere libere, et ad ultimos populos Ægypti pervenire.

« Et erit via » per Ægyptum « residuo populo meo qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israeli in die qua ascendit de terra Ægypti. » Ante nativitatem Domini, non erat licitum populum aliquem de gente in gentem transire; post passionem vero illius, libitum habuit qui voluit de regione in regionem ire. Dicit vero Dominus de apostolis, et primitiva Ecclesia, et de Judæis qui in eum crediderunt, a quibus disseminatum est Evangelium per quatuor climata mundi : Quod sicut Israel nullo resistente transiit mare Rubrum, sic illi non solum per Ægyptum, verum etiam per fines terrarum (*Psal.* XVIII), sine aliquoobstaculo transituri essent.

CAPUT XII.

« Et dices in die illa. » Loquitur propheta ad cœtum credentium, ut confiteatur Domino in illa die, hoc est in illo tempore, cum dispersa fuerit Ægyptus in septem principes, et mutata lingua ejus ad laudandum Deum. Et sicut cantavit canticum Domino, quando egressus est ex ergastulo Ægyptiorum transito mari, dicens : Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est : sic pangat iterum cum solutum fuerit imperium illorum, et Dominus cœperit regnare super illos : psallens cum lætitia et exsultatione, dicens : « Confiteor tibi, Domine, » hoc est glorificabo te et magnificabo, « quoniam iram merui, sed furor tuus in misericordiam versus est, et consolatus es me, » id est suscepisti me et redemisti de manu mortis et calamitatis.

« Ecce Deus salvator meus. » Jesus Hebraice, Latine *Salvator* interpretatur. Et quare Salvator? quia « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). » Ecce Deus meus, Jesus meus jam venit, jam me suo sanguine pretioso redemit, jam gladium versatilem qui erat ante paradisum (*Gen.* III) extulit : confringens portas æreas barathri : jam aperuit mihi januam cœlestis regni, ideoque « fiducialiter agam » in mandatis ejus, « et non timebo, » quoniam non sunt timenda. Non ponam amplius in idolis spem meam, sed in Domino Deo meo, qui est « fortitudo » et protectio « mea » contra omnia adversa, « et » qui « factus est mihi in salutem » refugii et in liberatorem inimici.

« Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. » Alloquitur propheta credentes ex Judæis, et prædicit eis salutifera. Quem superius appellavit Emmanuel, et Spolia detrahet : ne videretur alter esse quam Gabriel archangelus nuntiavit Virgini dicens : « Et vocabis nomen ejus Jesum (*Luc.* I) : » nunc Salvatorem vocat, et de ejus fonte, hoc est doctrina evangelica, prædicat aquas hauriendas. Non de aquis fluminis Ægypti quæ percussæ sunt, sed de fonte Jesu. Hoc enim nomine, Hebræorum lingua Salvator exprimitur. Istæ sunt aquæ quas ipse credentibus in Evangelio promittit dare, dicens : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat : et de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Et ipse Evangelista exponit unde dixerit : Hoc autem, inquiens, dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes (*Joan.* VII). Fontes Jesu sunt doctrina evangelica et mysteria tam Veteris Testamenti quam Novi, quæ si bene intellexerimus et opere adimpleverimus : aquas, hoc est dona sancti Spiritus, ex eis hauriemus.

« Et dicetis in illa die, » hoc est in illo tempore, cum ex fontibus Salvatoris donum et gratiam sancti Spiritus acceperitis :

« Confitemini Domino, » omnes credentes in eum : « et invocate nomen ejus, » ut quia Jesus vocatur, salvet et protegat vos : « notas facite in populis adinventiones ejus : » hoc est, doctrinam evangelicam et præcepta quæ docuit ; et « mementote quoniam solus excelsus est » cui cantandum sit.

« Magnifice fecit Dominus, » quoniam sua morte simpla duplam nostram destruxit, resurgens a mortuis et ascendens ad superos : et quando carnem nostræ fragilitatis, quam assumpsit in utero virginis, transvexit ad cœlos (*Matth.* XXVIII).

« Annuntiate hoc in universa terra : » quod ipse qui nos creavit, ipse nos reparavit : et devicto mortis auctore, aditum regni cœlestis credentibus ape-

ruit. Alloquitur propheta apostolos et reliquos credentes, tam ex Judæis quam ex gentibus, ut soli confiteantur Domino, et, derelictis idolis, invocent nomen ejus, et cuncta opera ejus prædicent infidelibus et incredulis, quatenus et ipsi convertantur ad fidem Christi, et in omni orbe mirabilia et magnalia ejus prædicent, et qualiter sua miseratione nos redemit, cum perditi essemus.

« Exsulta et lauda, habitatio Sion : quia magnus in medio tui sanctus Israel. » Hortatur propheta Ecclesiam primitivam, et dicit : O Sion, habitatio Dei, exsulta, et lauda Deum tuum : quoniam qui tuus solummodo ante videbatur esse Deus, et claudebatur modicis angulis Judææ terræ, nunc per universum orbem scientia illius prædicatur, et regnat in gentibus, et ipsum adorant nationes populorum. Verumtamen secundo, hoc est ante diem judicii, adjiciet manum suam, et congregabit profugos Israel, et electos Juda colliget : « Quia cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI), » et hauriet aquas de fonte Salvatoris. Potest etiam et hoc referri ad Ecclesiam de gentibus. Sion quippe, quæ interpretatur speculum sive speculatio, sanctam Ecclesiam significat. Et merito. Prædicatores enim sancti et fideles intra Ecclesiam degentes, qui in terrenis nil ambiunt, sed toto desiderio mentis cœlestia appetunt, speculantes actus suos et opera, ne forte a diabolo subito seducantur : procul dubio a contemplatione Dei in die judicii non erunt immunes, sed videbunt eum sicuti est (*I Joan.* III).

CAPUT XIII.

« Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos. » In libris propheticis ubicunque onus legimus, ea quæ sequuntur plena sunt suppliciorum, et miseriarum, ac pondere tribulationis. Et quod dicit onus Babylonis, tale est ac si diceret : Pondus miseriarum Babylonis est hoc quod hic prædicatur. Babylon civitas fuit Chaldæorum metropolis et potentissima, tantæque magnitudinis (sicut Herodotus narrat et multi alii historiographi Græcorum) ita ut ab angulo in angulum extenderetur per quadrum sedecim millia passuum, id est simul sexaginta quatuor, qui faciunt leucas quadraginta duas, et duas partes unius. Ædificata est quoque regina quæ dicta est Semiramis. In cujus medio est arx, sive capitolium, turris scilicet, quam ædificaverunt filii Adam post diluvium, antequam dividerentur per universum orbem : quæ dicitur tenere in altitudinem tria millia passuum, id est leucas duas, paulatim de lato in angustum coarctatas, ut pondus imminens facilius a lateribus sustentetur. Et quia ibi confusum est labium universæ terræ, vocatur Hebraice Babel, Græce Babylon (*Gen.* XI). Cujus rex potentissimus Nabuchodonosor inter cæteras nationes, etiam Judæam devastavit. Idcirco Spiritus sanctus in consolationem Israelitici populi destructionem ejus, quæ facta est a Medis et Persis cum ducibus Dario et Cyro, longe ante per Isaiam prædicit. Vidit autem Isaias ista non oculis corporis, sed oculis mentis, Spiritu sancto revelante.

« Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem. » Montem dicit Babylonem, non quod in monte sit posita, sed propter superbiæ tumorem. Caliginosum autem, propter tristitiam et fletum captivorum, et illorum afflictionem quos redegerant ibidem habitantes in servos et ancillas. Vel propter maximum incendium quod præmonstravit, quando succensa est a Medis et Persis. Alloquitur propheta angelicas potestates, vel conprophetas suos : ut prædicent desolationem Babylonis inquiens : Super montem caliginosum levate signum victoriæ angelicæ potestates, vel conprophetæ mei « exaltate vocem, » id est, prædicate a Medis et Persis destructionem Babylonis. « Levate manum » quasi ad victoriam, et ingredientur portas Babylonis duces Medorum et Persarum, Darius et Cyrus.

« Ego mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea, exsultantes in gloria mea. » Sanctificatos suos et fortes appellat Medos et Persas : non quod sancti essent, sed quia Dei præcepto parentes ejus voluntatem compleverunt. Comparatione illorum qui Dei jussis non obtemperabant, sancti erant. Ego, inquit, mandavi sanctificatis meis Medis et Persis, ut venirent contra Babylonem : et vocavi fortes meos supra memoratos in ira, sive in vindicta mea. Tunc vocavit eos et mandavit ut venirent, quando inspiravit illis in corde. In hoc vero quod subjungit, exsultantes in gloria mea, ostendit eos non propria virtute hoc fecisse, sed Dei auxilio et fortitudine fretos tam sublime regnum evertere potuisse.

« Vox multitudinis, quasi populorum in montibus frequentium. » Impetum Medorum et Persarum describit, qui cum multis auxiliis populorum ad subvertendam Babylonem venerunt. Vox multitudinis populorum in montibus Babylonis, quasi populorum frequentium, id est multorum. « Vox sonitus regum, » subaudis Darii et Cyri, et aliorum qui cum ipsis erant « gentium congregatarum, » quæ a Dario et Cyro congregatæ sunt adversus Babylonem.

« Dominus, et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram. » Dominus, subaudis veniet et vasa furoris ejus, Darius videlicet et Cyrus ministri vindictæ illius, ut disperdat omnem terram Babylonis.

« Ululate, quia prope est dies Domini. » Fit apostropha ad Chaldæos, ut ventura mala deplorent : Ululate (inquit), quia prope est dies Domini, id est dies vindictæ illius, et destructionis Babylonis. « Quasi vastitas a Domino veniet, » id est in solitudinem redigetur.

« Propter hoc, » subaudis, quia Dominus veniet cum Medis et Persis, « omnes manus fortium » Chaldæorum « dissolventur » a pavore « et omne cor hominis tabescet, » sive deficiet.

« Et conteretur. Torsiones » subaudis ventris « et dolores » membrorum « tenebunt » Chaldæos : « quasi parturiens, dolebunt. Unusquisque ad proximum suum stupebit, » id est mirabuntur propter miseriam suam,

et calamitatem, et in amentiam vertentur : ita ut nullus alium valeat consolari super miseria illius : « facies combustæ » sive marcidus « vultus eorum » præ nimio dolore ; vel, quia multi incendio combusti sunt.

« Ecce dies Domini veniet, crudelis et indignationis » sive vindictæ « plenus, et iræ furorisque, ad ponendam terram, » subaudis Babylonis « in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. » Diem Domini crudelem, in hoc loco debemus intelligere captivitatis diem, vel etiam diem judicii generalem : non quod crudelis sit merito sui qui crudeles cruciat, vel in quo crudeles cruciantur : sed quod crudelis videatur afflictionem patientibus.

« Quoniam stellæ cœli, et splendor earum non expandent lumen suum : obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. » Afflictis et in tribulatione positis cuncta obtenebrari videntur ; vel, per solem regem Balthasar, per lunam reginam, per stellas possumus intelligere principes, qui omnes in morte obtenebrati sunt, advenientibus Medis et Persis. Possumus et hoc referre ad diem extremi examinis, quando omnia luminaria obtenebrari videbuntur, comparatione majoris luminis Christi.

« Et visitabo super orbis mala, » propter magnitudinem regni et ingentis populi multitudinem, Babylon orbis appellatur : sed minatur ei quod visitanda sit, non in bonum sed in malum sui, ut ubi fuerat prius innumerabilis turba populorum, ibi sit vastitas et desolatio hominum.

« Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo. » Quidquid raro invenitur pretiosum est. Unde hic dicitur, quia, post destructionem Babylonis et interfectionem populi ejus, pretiosior erit vir auro, id est rarior invenietur vir Babylonius quam aurum. Et homo Babylonius similiter rarior invenietur obrizo, hoc est rubro auro. Tale quid legitur in libro Regum (*I Reg.* III) : Sermo Domini erat pretiosus, id est raro inveniebatur. Similiter potest referri ad diem judicii, quando visitabit Dominus super mala totius mundi, et faciet quiescere superbiam dæmonum et infidelium hominum : et pauci invenientur electi, propter persecutionem Antichristi.

« Super hoc cœlum turbabo : » id est super thronum Babylonis, « et movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, et propter diem iræ furoris ejus. » Sicut supra diximus de stellarum obumbratione, quod afflictis omnia obumbrari videntur : ita potest et istud intelligi, ut tantus terror invaserit eos advenientibus Medis et Persis, ut non solum homines, sed etiam elementa viderentur contra eos insurgere. Potest et ita intelligi, ut, imminente subversione Babylonis, cœlum tonitruo sit permotum, terraque concussa sit funditus. Potest et ad diem judicii non incongrue referri.

« Et erit quasi damula fugiens, et quasi ovis : et « non erit qui congreget. » Advenientibus Medis et Persis, fugient omnes bellatores Babylonis a facie eorum sicut damula fugit a rugitu leonis, cui non audet resistere, neque valet se liberare. Et sicut ovis ab ululatu luporum, non habens defensorem, neque congregantem : « unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient. » Universi auxiliatores Babylonis, qui de diversis partibus venerint quibus prius defendebatur, postquam capti fuerint, revertentur ad propria, qui potuerint gladium evadere hostium ; vel universi populi qui tenebantur in Babylone captivi et servi, interfectis dominis a quibus prius dominabantur, ad propria revertentur.

« Omnis qui inventus fuerit, » in ea « occidetur : et omnis qui supervenerit, » subauditur ferre auxilium Chaldæis, « cadet in gladio hostium. » Qui non fugerit et resistere voluerit, mucrone punietur ; qui vero ad hoc venerit ut resistere velit, similiter gladio punietur.

« Infantes eorum, » id est Babyloniorum, « allident » sive percutient in oculis eorum. De hoc Psalmista longe ante prædixit : « Beatus qui tenebit, et allidet parvulos suos ad petram (*Psal.* CXXXVI). » « Diripientur domus » id est familiæ et divitiæ « eorum, et uxores eorum violabuntur » ab hostibus in oculis eorum. Immanissima victorum sævitia, ut nec innoxiæ parcatur ætati, ut cunctæ domorum diripiantur opes, et in conspectu maritali uxorum violetur pudicitia.

« Ecce ego suscitabo super eos Medos qui argentum non quærunt » usque « et super filios non parcet oculus eorum. » Hic ostendit de quibus gentibus superius dixerat : et non propriis viribus, sed Dei auxilio tam sublimis regni potentiam subvertisse, a quo suscitati sunt contra Chaldæos. Siquidem subjecti erant Chaldæis, ideoque nullo modo talia agerent nisi Deo volente. Pariterque describit tantam esse sævitiam Medorum atque Persarum, ut ardore sanguinis effundendi, aurum et argentum pro nihilo deputent, ac sagittis suis lactantes infantulos transverberent.

« Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, » id est quæ quondam fuit gloriosa in regnis, « inclyta in superbia Chaldæorum, » id est in qua gloriabantur et superbiebant Chaldæi, erit destructa et subversa in desolatione, « sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham. »

« Non habitabitur usque in finem, et non fundabitur a generatione in generationem, » id est, nunquam deinceps in æternum fundabitur. In veritate enim tenendum est, non esse illam reædificatam postmodum : sed (ut quidam dicunt) lacus ibi est, in medio ejus plenus serpentibus, et arbusta, atque virgulta, in quibus morantur bestiæ et aves : estque ibi venatio regia. Sed quia sunt ibi (sicut in subsequentibus dicitur) portenta dæmonum, inhabitabilis redditur. Duæ namque civitates potentissimæ apud Medos pro Babylone ædificatæ sunt : Seleucia et Ctesiphonte, quæ adhuc manere dicuntur. « Nec ponet ibi tentoria

Arabs » id est Saracenus, « nec pastores fessi labore post vestigia gregum requiescent ibi. »

« Sed requiescent ibi bestiæ; et replebuntur domus eorum, » id est Babyloniorum, « draconibus: et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi. Et respondebunt ibi ululæ » sibi invicem « in ædibus ejus, et Sirenes in delubris voluptatis. » Propter multitudinem bestiarum, et serpentium, ac dæmonum non audet quisquam pastorum, id est deserti appetitor, ibidem habitare. Struthio avis est miræ magnitudinis, solitudinem quærens : quæ hanc habet naturam (sicut physici dicunt) ut ova sua obliviscatur in deserto : per quam omnia genera avium solitudinem diligentium, et ibidem habitantium, debemus intelligere. Pilosi homines sunt sylvestres, hispidi, vel simii, qui et incubones, vel satyri a quibusdam vocantur, vel genera dæmonum. Ululæ sunt bubones, tantæ magnitudinis ut corvi, sed variis maculis repersi, qui solent rostrum defigere in paludem et fortiter resonare. Sirenæ dracones sunt, cristati et alati, ut fabulæ poetarum dicunt; pisces sunt marini, similitudinem mulierum habentes. Possunt et sirenæ portenta dæmonum intelligi. Ædes sunt domus magnæ. Delubra autem erant templa deorum, quæ dicebantur a deludendo, vel quod ibi sperarent se diluere, id est mundare a peccatis per multitudinem sacrificiorum ; quia juxta eadem templa erant fontes, in quibus diluebantur hostiæ. In delubris voluptatis dicit, quia ante aras deorum suorum luxuriabantur, et omnem carnis voluptatem explebant, sed ubi illi iram omnipotentis Dei contra se maxime concitaverunt : ibi minatur modo propheta habitare diversa genera serpentum, et portenta dæmoniorum.

CAPUT XIV.

« Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. » Omne tempus, quamlibet longum sit, æternitati Dei comparatum brevissimum est. Minatur ergo propheta destructionem Babylonis, et dicit : Prope est ut veniat dies eversionis Babylonis et captivitatis, et dies tribulationis ejus non elongabitur. « Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam. » Hoc ad tempus Cyri pertinet, cujus primo anno soluta est captivitas, quando misertus est eorum Dominus, educendo de captivitate, et elegit ex Israel illos qui redierunt cum Zorobabel, aliisque ducibus. Allegorice autem, possumus hoc referre ad tempus incarnationis Filii Dei, quod in proximo erat quando ipse misertus est Jacob, id est illorum qui supplantatores vitiorum fuerunt, dimittendo eis peccata : et quando elegit ex Israel apostolos aliosque credentes : quos requiescere facit super humum suam, hoc est in Ecclesia sua. « Adjungetur advena ad eos » subaudis, qui de captivitate revertentur. « Et adhærebit domui Jacob. »

« Et tenebunt eos populi, » subaudis non in servitio, sed in affectu dilectionis et maximi honoris « et addecent eos, » id est advenas « ad locum A suum » in Hierusalem. Datur intelligi multos gentilium Judæos de captivitate revertentes secutos esse, et in eorum ritum transisse. « Et possidebit eos domus Israel » usque « subjicient exactores suos. » Si propria voluntate venerunt, sicut supra dictum est, quomodo possederunt illos in servos et ancillas? Dupliciter potest solvi : vel quia ipsi propria voluntate supposuerunt se ditioni et dominio illorum; vel tantæ dignitatis fuerunt postquam de captivitate redierunt, ut de diversis gentibus multos servos et ancillas emerent. Quo vero sequitur : « Et erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient » sibi « exactores suos » sive tributarios, ad tempus Assueri et Holofernis est referendum.

« Et erit in die illa : cum requiem tibi dederit Dominus a labore tuo et a concussione tua, » id est a B violentia qua ductus est in captivitatem, « et a servitute dura qua ante servisti, » subaudis Chaldæis, id est cum soluta fuerit ex toto captivitas « sumes parabolam » sive proverbium, « contra regem Babylonis, » admirando, quomodo Dominus victorque terrarum, et tributis cuncta depopulans contritus sit, et ad nihilum redactus. Et sciendum, quia ista quæ sequuntur, tam ad Nabuchodonosor quam ad diabolum, ex persona electorum in die judicii referuntur. « Quomodo cessavit exactor » vel tributorum, vel pœnarum Nabuchodonosor, vel diabolus « quievit tributum? » subaudis quod ante solvebatur. Exactor est qui exigit a populis tributum. Et diabolus exactor est, quia cogit nos sibi servire, et exigit servitutem peccati. C Quia ergo non potentia hominis, sed Domini quievérit tributum interfecto exactore, manifestat sequentibus verbis propheta, ex persona populi Israelitici, vel electorum loquens.

« Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos plaga insanabili, » id est morte irrevocabili « persequentem crudeliter, » subaudis omnes populos. Nabuchodonosor vel diabolum appellat baculum impiorum; quia, sicut per illum flagellabantur impii a Deo, ita per diabolum flagellantur illi qui in pœnis inferni sunt. Vel dum cogit eos in hoc sæculo peccare, flagellat illos suis suggestionibus, et delectationibus pravis.

« Conquievit omnis terra, » subaudis a labore « et D siluit a fletu, » scilicet a clamoribus. Postquam ille contritus est, « gavisa est » de morte ejus, « et exsultavit » postmodum. Ad ruinam quidem ejus consiluit omnis terra, et vocem lætitiæ deprompsit.

« Abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri Libani. » Per abietes et cedros Libani, intelliguntur principes diversarum gentium, qui a Nabuchodonosor afflicti sunt ; vel, quod melius est, filii principum quorum patres occisi sunt a Nabuchodonosor, quia de morte ejus valde lætati sunt dicentes : « Ex quo dormisti, » id est ex quo mortuus es, « non ascendit qui succidat, » id est qui interficiat nos, sicut tu occidisti patres nostros.

« Infernus subter conturbatus est in occursum

adventus tui, suscitavit tibi gigantes. » Hinc discimus infernum subter terram esse, cujus habitatores hoc in loco nomine inferni designantur, vel angelus qui præpositus est pœnis inferni. Gigantes vero terreni et fortes accipiendi sunt principes. Hæc autem ita dicuntur, non quod facta sint : sed quod fieri potuerint. « Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis. » Animæ principum, quos ipse interfecerat, insultantes ei occurrerunt, ut quem prius honorabant pro potentia sua, postea mirarentur in pœnis. Solatium enim malorum est, cum inimicos suos vident eâdem sustinere.

« Et tu vulneratus es sicut et nos, et nostri similis effectus es. » Acsi dicerent aliis verbis : Putabamus te solum potentiæ Dei posse resistere, sed ut rebus ostenditur, et vulneratus es sicut nos, et nostri similis effectus es, id est mortalis et in infernum projectus. Quapropter minus dolemus nos fuisse succisos, cum tu et eadem securi corrueris. « Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, » subaudis in mortem; « subter te, » subaudis qui prius super pectora aliorum regum recumbebas, « sternetur tinea, » et qui prius operiebaris palliis, auro gemmisque redemitus : « operimentum tuum vermes. » Per hæc duo, magnitudo tribulationum infernalium exprimitur, vel materia suppliciorum quæ ex propriis nascitur corporibus : sicut vermes nascuntur ex cadavere, quandiu aliquis humor in eo est et tinea ex vestimento.

« Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? » Quantum ad litteram pertinet, Luciferum hoc in loco appellat Nabuchodonosor (*Dan.* IV), qui cecidit de solio potentiæ propter superbiam. Sicut enim Lucifer tenebras discutiens, in suo ortu clarus incedit et rutilus : sic et tuus pergressus in publicum, astro superiori similis esse videbatur. « Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam » usque « similis ero Altissimo. » Sic loquebatur Nabuchodonosor in corde suo elevatus in superbiam, putans se suis viribus tantam potentiam adquisiisse : Cum omnis terra mihi subjecta sit, quid mihi aliud restat, nisi ut in cœlum ascendam, et similis Altissimo? Vel cœlum et astra vocat Judæos, Dei cœli cognitione fulgentes. Montem Testamenti appellat montem Sion, qui in latere aquilonari habebat templum, in quo Testamentum Dei erat quod datum est per Mosen, Altitudinem nubium patriarchas et prophetas. De quibus nubibus dicit alibi idem propheta Isaias ex persona Dei : « Mandabo nubibus ne pluant super eos imbrem. » Sic denique dicebat Nabuchodonosor in corde suo, et insuper verbis, antequam caperet Judæos.

Quid mihi aliud restat, nisi ut ascendam super Judæos, Dei cœli cognitionem habentes : ubi sunt prophetæ ventura prædicentes, et templum magnificum? Possumus et ista referre allegorice ad diabolum, qui mane, id est in exordio mundi ortus, vel elevatus est inter cæteros angelos, sed cecidit de cœlo. Juxta quod Dominus dicit Lucæ decimo : « Videbant Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo. » Qui antequam corrueret, dicebat talia cogitando, vel postquam corruit. Sed antequam corrueret, cum esset in firmamento, cupiebat in cœlum ascendere, ubi solium Domini est. Sed postquam correptus per verba arrogantiæ est sicut et ille, gloriatur ascendere super angelos in cœlum, et super nubes, vel super corda electorum, et sedere « in monte Testamenti, » id est in Ecclesia, « et in lateribus aquilonis, » id est in frigidis mentibus ubi habitat.

« Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. » Nabuchodonosor vel diabolus qui per superbiam dixerat: In cœlum conscendam, ero similis Altissimo : non solum ad infernum corruit de solio gloriæ, sed ad ultimas partes inferni lapsus est; quia quanto altior gradus, tanto profundior casus.

« Qui te viderint, » subaudis, in ultimis partibus inferni positum, « ad te inclinabuntur, teque prospicient, » subaudis dicentes : « Nunquid iste est vir qui conturbavit terram, » Nabuchodonosor scilicet, « qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, et urbes ejus destruxit? » Hæc vox insultantium regum, et principum, atque mirantium, quomodo vastator omnium ipse vastatus sit. Qualia enim fecit, talia recepit : et adhuc ampliora. Quodque sequitur, « vinctis ejus, » id est vinctis orbis, « non aperuit carcerem, » magnitudo crudelitatis et impietatis ejus exprimitur, qui captivos non solum catenis gravabat, sed etiam tenebris includebat : in tantum ut filio suo Evilmerodach, quem tenebat captum cum aliis, nollet aperire carcerem (*IV Reg.* XXV; *Hier.* LII.)

« Omnes reges gentium, universi dormierunt in gloria : vir in domo sua, » in sepulcro suo.

« Tu autem projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, » subaudis tuo, « et descenderunt ad fundamenta laci. » Sensus hujuscemodi est : sepultis omnibus, qui a te interfecti sunt materiali gladio vel captivitate, tu solus insepultus jacebis; aliter : et si omnes animæ quæ apud inferos sunt aliquam requiem quandoque acceperint, tu solus in extremis finibus religatus eris. Omnium enim operieris sanguine, et universorum te cruor premet, velut involutum sanie mortuorum. In hoc versu quo dicit : Projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, videtur vera esse fabula Judæorum. Dicunt namque, quod postquam Nabuchodonosor in suum statum est regressus, Evilmerodach filium suum qui illis septem annis regnavit, quibus inter bestias commoratus est, posuit in carcerem : ubi fuit omnibus diebus vitæ patris cum Joachim rege Juda captivo. Quo mortuo, cum non esset ausus suscipere regnum timens patrem suum resurgere, dicens : Pater meus quando vult moritur, quando vult resurgit : iniit consilium cum Joachim. Qui suasit ei, ut acciperet trecentas aves de diversis partibus mundi, et effosso corpore patris minutatim discerpens, ligaret unicuique avi partem suam dicens : Cum hæ simul aves quandoque convenerint, tunc

resuscitabitur pater tuus. Quod vero subinfert, quasi stirps inutilis : proprie stirps intelligitur, quod in radicibus arborum nascitur. Ideoque dicitur inutilis, quia virtutem aufert arbori poma ferenti.

« Tu enim terram disperdidisti, tu populum occidisti. » Hoc est illos quos tibi Deus in correptionem dederat, tu perdidisti interficiendo eos. Aliter : propter superbiam tuam destructum est regnum Chaldæorum, quod adhuc mansisset si humiliter egisses. Vel ita : Tam crudelis fuisti, ut non solum externos, sed etiam tibi subjectos populos, et similes inique affligeres et opprimeres.

« Non vocabitur in æternum semen pessimorum, » id est, semen Nabuchodonosor filiorumque ejus. Hic omnes concordare videntur historiæ, quod occiso Balthasar, nullus postea de semine Nabuchodonosor regnavit; sed propter superbiam impietatemque patris omnis soboles deleta est.

« Præparate filios ejus occisioni iniquitate patrum eorum, » id est, propter iniquitatem patrum. « Non consurgent, » subaudis filii ejus in regnum : « nec hæreditabunt terram, » id est regnum paternum.

« Et consurgam super eos, » id est super filios Nabuchodonosor, per Darium et Cyrum.

Et perdam Babylonis nomen, » subaudis ut non amplius vocetur domina regnorum; « et reliquias et germen, » sive filios ejus « et progeniem » subaudis, perdam, « ait Dominus. »

« Et ponam eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum. » Per ericium omnes bestiæ et volucres et serpentes qui ibidem sunt, accipiuntur. Denique sic impletum hodie cernitur, sicut a propheta prædictum est : quia nihil est in ea nisi venatio regia, exceptis muris coctilibus, qui propter bestias ibidem includendas post annos plurimos restaurantur « Et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum, » sive militiarum. Sicut scopa tracta nil sordium remanet : ita nullus nominum relinquetur in ea.

« Juravit Dominus exercituum, dicens : Si non ut putavi » sive cogitavi, « ita erit, et quomodo mente tractavi sic eveniet; ut conteram Assyrium in terra mea, et in montibus conculcem eum. » Hactenus de Babylone et regibus ejus atque populis, nunc revertitur ad Sennacherib, et ad ea quæ tunc temporis imminebant super Assyrios, qui Samariam Judæamque vastaverant, excepta Hierusalem (*IV Reg.* XIX). Et quia in superbiam contra Dominum sunt elevati, una nocte centum octoginta quinque millia de exercitu illorum ab angelo Domini sunt interfecti in terra Judææ, et in montibus ejus, sicut Dominus prædixerat. Quod vero dicit : Juravit Dominus exercituum, humano loquitur more. Sermo enim omnipotentis Dei propter immobilem firmitatem pro juramento accipi debet : quia non potest mentiri qui est veritas. Neque enim habet se majorem, per quem juret (*Hebr.* VI). Et quod addit : Si non ut mente tractavi; tale est ac si diceret : Quia cogitavi ut conteram Assyrium, non potest aliter fieri.

« Et auferetur jugum, » sive potentia Assyriorum» « ab eis, » id est Hierosolymitis, quia obsidebantur, « et onus illius, » id est pondus afflictionis, « ab humero eorum tolletur. »

« Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram, et hæc est manus » sive potentia « extenta super universas gentes. » Vox Domini omnipotentis contra terram Assyriorum specialiter, vel generaliter contra omnem orbem; qui subjecti sunt potestati Sennacherib vel diaboli, et ejus voluntati obtemperant. Consilium autem omnipotentis Dei hoc in loco vocatur illud, de qua paulo superius dictum est. Sine, ut putavi ita erit, ut conteram Assyrium in terra mea.

« Dominus enim exercituum decrevit, » id est statuit. « Et quis poterit infirmare, » subaudis decretum illius, ut non conterat Assyrium? « Et manus ejus extenta, » id est ad percutiendum potentia ejus porrecta, « et quis avertet eam? » subaudis nullus, quin percutiat. Extensio enim manus, habitum percutientis ostendit.

« Anno quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud. » A principio libri usque ad hunc locum sub temporibus trium regum, Oziæ, Joatham, Achaz, ea quæ in medio continentur, a propheta vaticinata sunt. Hinc vero usque ad finem libri sub Ezechia, et ex parte completa sunt. « Ne læteris Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui. » Naturale est, sicut beatus Hieronymus dicit, ut mortuo rege inimici aliarum gentium lætentur : ex rebus novis bella civilia et seditiones exspectantes. Mortuo siquidem Achaz impiissimo rege jam longævo, qui Philistæos sive Palæstinos fortiter afflixerat, lætati sunt illi super morte ejus, insultantes Israelitis; quod maturo rege perdito Ezechiæ juveni filio ipsius subjacerent, sub cujus potestate putabant se posse invadere fines Israelitarum. « De radice colubri egredietur regulus, et semen ejus, » id est reguli « absorbens volucrem. » Regulus rex serpentium dicitur, quem Græci basiliscum vocant. Qui hanc perhibetur habere virtutem, ut aves supra se volantes non solum flatu, sed etiam suo conspectu interficiat. Virgam sive baculum percussoris, et colubrum appellat Achaz, qui Philistæos valde percussit et momordit : sed penitus non absorbuit. Regulum autem Ezechiam. Alloquitur ergo propheta illos, ne insultent Israeli propter mortem Achaz, inquiens : « Ne læteris. »

« Philistæa omnis tu super morte Achaz » maturæ ætatis. « Quoniam confracta est virga percussoris tui » Achaz qui te percutere solebat; quia « de radice colubri, » id est de semine Achaz « egredietur regulus, » Ezechias videlicet. « Et semen ejus absorbens volucrem. » Quomodo (inquit) nulla avis aspectum reguli potest illæsa transire, sed quamvis procul fuerit, ejus ore sorbetur : ita et tu a conspectu Ezechiæ totus peribis. Plus enim omnibus regibus Israel Ezechias Philistæos afflixit.

« Et pascentur primogeniti pauperum, » id est Israelitæ « et pauperes fiducialiter requiescent. » Isti sunt primogeniti, de quibus dicit Dominus per alium prophetam : Filius primogenitus meus Israel. Et « Dimitte filium meum primogenitum (*Exod.* IV). » Pauperes autem appellantur, quia non in divitiis, neque in potentia, sed in Deo habebant fiduciam. De talibus ait Dominus. « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V). Igitur, o Philistæa, cum te absorbuerit regulus, id est, cum te penitus deleverit Ezechias, nequaquam insidiaberis pauperculo meo : sed pressus angustiis, calamitatem tuam flebis. « Et interficiam in fame radicem tuam, » id est fortitudinem, vel progeniem tuam, « et reliquias tuas, » subaudis quæ ab Ezechia fuerint derelictæ, « interficiam » per Assyrios et Chaldæos.

« Ulula, porta ; clama, civitas : prostrata est Philistæa omnis. » Quantum ad rei veritatem attinet, nec porta potest ululare, neque civitas clamare. Portam ergo posuit pro his qui in porta sunt. Et civitatem pro habitatoribus civitatis. Dirigit itaque propheta sermonem ad urbes Philistinorum, ut lugeant et plorent miseriam suam quæ venit super Sennacherib : quia prostrata est jam omnis Philistæa gladio Assyriorum, « ab Aquilone enim fumus veniet, et non est qui effugiat agmen ejus. » Fumus in hoc loco pro multitudine exercituum Sennacherib ponitur. Vel fumo nominis ejus intelligitur, quod omnes gentes esset vastaturus, quia ab Aquilonari parte in Hierusalem venit. Ac si diceret propheta aliis verbis : Idcirco præcipio vobis, o Philistæi! ululare, quia ab Aquilone prævideo jam venire exercitum Sennacherib, et rumorem ejus quod vos sit capturus : ut non sit aliquis de multis gentibus qui effugere possit multitudinem illius sua virtute.

« Et quid respondebitur nuntiis gentis ? Quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi ejus. » In hoc quod dixit supra, nullus est qui effugiat agmen ejus, Judas quoque videbatur in generali sententia esse comprehensus, ideoque subdidit : Si (inquit) interpellaverint angeli qui præsunt Assyriis, quare sola Hierusalem de manu Sennacherib salvetur, respondendum est eis, quia Dominus fundavit Sion, et ipse humilem populum suum in se sperantem, sua virtute liberavit. Potest et sic simpliciter intelligi, quomodo illud in Hieremia quando posuit ipse propheta catenas ligneas super colla eorum qui ad se fuerant missi. Dicit ergo propheta ad Dominum : Quid respondebitur nuntiis diversarum gentium, cum venerint ad interrogandum super adventu Sennacherib ? Cui Dominus : Respondendum est illis, quod sint capiendi, et sola Hierusalem, quæ non in homine sed in Deo spem suam posuit, sit liberanda.

CAPUT XV.

« Onus Moab. » Quia Moabitæ gavisi sunt de captivitate Israelitarum, sicut et Philistiim : idcirco Spiritus sanctus per Isaiam prophetam prædicit eis pondus miseriarum, quod passuri erant. Moab autem filius fuit Loth, conceptus de incestu : a quo vocati sunt omnes de progenie illius Moabitæ, et provincia illorum Moab. Et istud unum nomen accipitur pro omni illius gentis populo. Sed et hoc sciendum, quia primum ab Assyriis, deinde a Chaldæis sunt vastati. « Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit, » sive siluit. Nihil ausa est rebellare contra Assyrios, vel Chaldæos. « Quia nocte vastatus est murus » subaudis Ar civitatis, « Moab conticuit. » Ar civitas fuit metropolis Moabitarum et regia, quæ hodie ex Hebræo et Græco sermone composita Areopolis nuncupatur : non quod Arios, id est, Martis, sit civitas : sicut quidam autumaverunt. Bene in nocte vastata est Ar, quia Moab de incestu filiæ nocte conceptus est. Vel nox significat magnitudinem mœroris. Vastata ergo civitate regia Ar, et destructis muris ejus, Moab provincia Arabiæ conticuit ; in qua ædificata est ipsa civitas. « Ascendit domus, » subaudis regia, « et Dibon, » quæ est civitas nobilis, « ad excelsa, » subaudis idolorum suorum, « in planctum, » id est ad plangendum ; quæ habebant in montibus suis, vel in tectis. Quidam male legunt : Ascendit domus Edibon ; quasi proprium nomen hominis sit, et domus ejus ascendere dicatur ; sed non est ita. Nam hoc modo legendum et intelligendum est : Ascendit domus sive familia regia ad excelsa idolorum suorum Edibon, id est habitatores ejus ascenderunt ad excelsa : non ad sacrificandum, sed ad flendum mala sua. « Super Nabo et super Medaba Moab ululabit. » Nomina civitatum sunt nobilium, super quarum subversione ululabit universa provincia Moab. « In cunctis capitibus ejus calvitium, omnis barba radetur. » Consuetudinem antiquorum tangit, qui tempore afflictionis et luctus capita barbasque radebant. Sicut legimus de beato Job, quod tonso capite corruit in terram.

« In triviis ejus accincti sunt sacco super tecta ejus, et in plateis ejus omnis ululatus. Descendet in fletum. » Hunc versiculum dupliciter exponunt, et distinguunt doctores. Quidam ita : in triviis, id est in publicis locis accincti sunt sacco : quod est vestimentum pœnitentiæ. Super tecta ejus et in plateis ejus omnis, subaudis Moab, ululat. De tecto sive de excelsis locis, vel de lætitia descendet ad terram in fletum, id est ad flendum. Et est sensus : Ascendet quidem ad excelsa ut ploret ante idola sua, et cum ibi nullum auxilium repererit, descendet ad domum suam, vel ad terram in fletum. Quidam etiam hoc modo distinguunt, ut omnis ululatus Moab descendet, sive perveniet ad fletum. Non plorabunt ergo alii Moab, et alii gaudebunt : sed generalis multitudo plorabit, incedendo per plateas, et per trivium, quod dicitur a tribus viis.

« Clamabit Esebon et Eleale : » quæ sunt civitates potentissimæ provinciæ Moab. « Usque Jasa, » subaudis civitatem, « audita est vox eorum, » id est vox Moabitarum. Hoc ergo indicat, quod ab initio regni ubi est sita civitas Esebon, usque ad extremos

fines ejus, in quibus consistit Jasa alia civitas, clamore tristitiæ, et captivitatis omnes resonabunt habitatores. « Super hoc, » subaudis malum captivitatis : « expediti Moab ululabunt. Anima ejus ululabit sibi, » id est unusquisque Moabita ululabit sibi. Expeditos appellat Propheta fortissimos prælialores, qui alieni adhuc sunt ab uxoribus; de talibus legitur in Genesi (*Gen.* XIV) quod elegerit Abraham expeditos vernaculos domus suæ, id est qui sine uxoribus erant, et est sensus : Non solum illi plorabunt atque ululabunt, qui provectæ sunt ætatis et conjugati, filios habentes : sed insuper illi qui defendere alios debebant, et non habent quos plangant nisi seipsos.

« Cor meum ad Moab clamabit. » Compassionem se dicit habere propheta super miseriis Moab. Quia licet hostes eorum essent, tamen creatura Dei erant. Tantis enim calamitatibus opprimebantur, ut etiam inimicis miserabiles fierent. Similiter, et Hieremias propheta dicit se compati miseriis Moab : Propterea (inquiens) cor meum ad Moab, quasi tibia resonanit. « Vectes ejus usque ad Segor : vitulam conternantem. » Segor una est ex quinque civitatibus Sodomiticis, quæ propter Loth tempore subversionis liberata est (*Gen.* XIX). Appellatur vitula, propter immundicitiam luxuriæ. Quod vero, dicit conternantem, quidam codices habent consternantem, sed falso scriptum est. Tradunt Hebræi, quod bis sustinens terræmotum, tertio corruerit : et hoc id est, quod dicit usque ad Segor vitulam conternantem, id est tertio terræmotu corruentem, vel conternantem dicit robustam, sicut solent animalia, tertio anno robustissima esse : ut homo tricesimo. Potest ergo intelligi, quia mansisset robustissima si deinceps non peccasset, postquam propter Loth liberata est. Per vectes quoque termini et fortitudo intelligendi sunt, et est sensus : Vectes sive termini Moab, deserti erunt usque ad Segor civitatem in finibus ejus positam, amisso et perdito omni robore. « Per ascensum enim Luith flens ascendet, » subaudis Moab, in captivitatem, « et in via Horonaim clamorem contritionis » sive captivitatis « levabunt » Moabitæ Luith clivus est in itinere per gentibus Assyriis, Horonaim civitas est Moab contra Assyrios. Dum enim ducebantur Moabitæ captivi in Assyrios per clivum Luith et per civitatem suam Horonaim flendo incedebant, et clamorem luctus levabant.

« Aquæ enim Menri desertæ erunt, quia aruit herba et defecit germen, viror omnis interiit. » Menri oppidum est supra mare, multos fontes habens et aquas : sed salsas et amaras, ideoque steriles. Tamen hoc attendendum, quia non propter steriles Menri aquas defecit et aruit herba in Moab, sed metaphorice locutus est. Et est sensus : In cuncto Moab erunt aquæ salsæ et amaræ, sicut sunt aquæ Menri, quæ habet amaros fontes, ideoque steriles : et arescet omnis herba, et interibit omnis viror herbarum vinearumque.

« Secundum magnitudinem operis et visitatio eorum. » Visitatio hic in malam partem capitur : sic et Psalmo : « Visitabo, inquit, in virga iniquitates eorum (*Psal.* LXXXVIII). » Et visitatio in bonam partem secundum quod Zacharias per Joannem dicit : « Visitavit nos oriens ex alto (*Luc.* I). » Est autem sensus hujusmodi : Sicut juxta magnitudinem morbi visitat medicus ægrotum : ita Moab secundum quantitatem peccati recipiet vindictam. « Ad torrentem salicum deducent eos : » id est Moabitas.

« Quoniam circuit clamor terminum Moab. » Hactenus locutus de captivitate quæ venit Moabitis per Assyrios : nunc de illa quæ facta est per Chaldæos. Torrentem salicum, Babyloniæ debemus accipere flumina : de quibus et Psalmus dicit : « In salicibus in medio ejus (*Psal.* CXXXVI), » etc. « Usque ad Gallim oppidum ululatus ejus, et usque ad puteum Elim clamor ejus, » id est, clamor Moab a principio usque ad finem regni.

« Quia aquæ Edibon civitatis repletæ sunt sanguine » occisorum Moab. Ac si diceret aliis verbis : Idcirco ululabit Moab, quia ubi prius erat luxuria et omnis delectatio, propter irriguos agros, et fontes jugiter emanantes, ibi præ multitudine interfectorum, rivi sanguinis fluent. « Ponam enim super Edibon additamentum. » Hoc est augmentum afflictionis, tribulationem videlicet super tribulationem « his qui fugerint de Moab leonem, et reliquiis terræ. » Modo exponit quod additamentum ponat, et hoc est leonem, et quibus illud imponat, his videlicet qui fugerunt de Moabitis, et reliquiis terræ quæ remanserint. Ponam (inquit) super Edibon, id est super habitatores ejus afflictionem : ut qui occisi non fuerint fame et pestilentia, et voluerunt fugere, his superveniat leo, hoc est persecutores hostium, vel bestiæ feroces quæ eos devorent. Et non solum his qui fugerint, sed etiam terræ quæ remanserint, immittam persecutores Chaldæos vel revera leones, ferocesque bestias.

CAPUT XVI.

« Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. » Idcirco prophetæ difficiles sunt ad intelligendum, quia subito mutant personas et tempora : et dum de una loquuntur, subito transeunt ad aliam. Dum enim loqueretur propheta Isaias de captivitate et miseriis Moab, subito in medio sermone tetendit oculum mentis ad Christi nativitatem, et cœpit alloqui Moab, et promittere bona inquiens : O Moab, non desperes de salute : sed age pœnitentiam : quia licet captivandus sis ab Assyriis vel Chaldæis : tamen de tua progenie nascetur agnus qui tollat peccata mundi, et qui dominetur in toto orbe (*Joan.* I). Christus enim dominator totius mundi est, juxta quod ei Deus Pater dixit : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II). » Et ipse post resurrectionem suam : « Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Unde est ergo missus iste agnus? « De petra deserti » hoc est de Ruth Moabitida : quæ morte viri viduata nupsit Booz, de quo genuit Obet, Obet genuit Jesse

patrem David regis. De cujus progenie processit intemerata virgo Maria, quæ genuit Christum, opere Spiritus sancti imprægnata, non semine virili gravida. Ruth Moabitida petra deserti appellatur, quia gentilitas ex qua ipsa erat, lapides pro Deo colebant, et duri corde erant, ideoque deserti, et derelicti a Creatore. Quo ergo est emissus ille agnus? « Ad montem filiæ Sion, » id est, ubi prædicavit, et miracula fecit, ubi etiam genus humanum redemit. Vel, quod melius est, ad Ecclesiam est missus, quæ in speculo mentis et altitudine virtutum consistit. Quisquis igitur quærit quæ causa exstiterit quare Booz acceperit Ruth Moabitam in uxorem, legat librum Ruth, ibique plenissime inveniet. Tamen sciendum est hoc divinitus procuratum esse, ut sicut Christus Judæos et gentiles redimere veniebat, in quibus comprehenduntur omnia genera hominum, ita etiam ab utroque populo secundum carnem originem traheret.

« Et erit sicut avis fugiens, et sicut pulli de nido avolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. » Vides quomodo de una re transit ad aliam. Revertitur iterum ad captivitatem Moab. Sicut avis, inquit, fugit ante accipitrem, et sicut pulli citissime avolant : sic cito transmigrabunt filiæ Moab de terra sua in transcensu Arnon : per quas debemus intelligere civitates et urbes, vel revera viros et mulieres. Arnon civitas est, terminus Moabitarum et Amorrhæorum. Transcensum autem dicit propter captivitatem. Sicut erunt in transcensu Arnon, id est, sic transibunt in captivitatem per Arnon.

« Ini consilium » Moabitidis, id est contra. Vel aliter, « Ini consilium, » id est, intra in consilium. « Lege consilium » hoc est, collige consilium tuum, et considera quomodo evadere possis captivitatem. « Pone quasi noctem umbram tuam in meridie, absconde fugientes, et vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris. » Notandum quia ante vastata est Hierusalem ab Assyriis, et postea a Chaldæis antequam Moab : ideoque præcipitur ei ut fugientes ad se de populo Dei suscipiat et abscondat. Pone quasi noctem umbram tuam, id est præbe populo meo fugienti ab Assyriis vel a Chaldæis defensionem tuam : ut eos abscondas a facie persequentium. Et in meridie istud adimple, id est, in aperta persecutione et captivitate abscondas fugientes Israelitas. Et vagos de loco ad locum fugitantes ne perdas, vel ne tradas hostibus suis. Vastata enim Hierusalem, quæ confinis est tibi, habitabunt apud te profugi mei. Idcoque præcipio tibi, Moab, ut sis latibulum eorum a facie Assyriorum vel Chaldæorum. « Finitus est pulvis. » Subito transit propheta ad interfectionem Sennacherib : qui pulvis appellatur et miser, quia omnis gloria et dominatio ejus cito transit quasi pulvis raptus a vento : et miserabiliter ab hac luce transiit, interfectus a filiis suis in præsentia Dei sui (*IV Reg.* XIX). Finitus est pulvis, Sennacherib « consummatus, » sive interfectus est ipse; « miser, defecit, qui conculcabat terram, » vastando illam, et interficiendo habitatores ejus.

« Et præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est. » Licet Judæi referant ista ad Ezechiam, qui post mortem Sennacherib in pace regnavit : melius tamen de Christo intelliguntur. Et pertinent quædam ex his ad primum adventum, quædam autem ad secundum. Hoc enim quod dicit præparabitur in misericordia Dei Patris solium, id est regnum Christi : et sedebit super illud in tabernaculo David, hoc est, in Ecclesia : ad primum ejus adventum est referendum, et ad tempus sextæ ætatis in qua modo sumus. Magna si quidem misericordia Dei Patris fuit, ut unigenitum Filium suum pro nostra salute ad nos redimendos mitteret : qui sedet modo in solio, sive in tabernaculo David, hoc est, in Ecclesia requiescens et regnans in cordibus fidelium per fidem et dilectionem. Hoc vero quod sequitur : Judicans (id est discernens) et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est : proprie ad diem judicii pertinet : quando ipse discernet inter electos et reprobos, reddens singulis quod justum est, bonis bona et malis mala. Et hoc velociter faciet, dicens electis : Venite, benedicti Patris mei. » Et reprobis : « Discedite a me, maledicti (*Matth.* XXV). »

« Audivimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia ejus et arrogantia ejus et indignatio ejus, plusquam fortitudo ejus, » id est major est superbia ejus, quam fortitudo ejus.

« Idcirco » subaudis, quia major est superbia ejus et indignatio contra Dominum, quam fortitudo illius : « ululabit Moab ad Moab, » cives videlicet ad cives, frater ad fratrem, « universus » subaudis Moab, « ululabit. » Revertitur iterum ad Moab propheta.

« His qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas, quoniam suburbana Esebon vastata sunt, et vinea Sabama » subaudis deserta est. Per hoc quod dicit, his Moabitis qui confidunt in junctionibus murorum latericiorum, loquimini plagas suas, id est mortem et captivitatem : et potentiam pristinæ felicitatis ostendit, et plagam repentinæ subversionis. Suburbana dicuntur vici et villulæ, adhærentes civitatibus. Esebon autem civitas fuit nobilis Moabitarum sicut et Sabama : quæ propter multitudinem populorum vinea appellatur. Suburbana, inquit, Esebon deserta sunt ab habitatoribus suis : et non solum suburbana, sed etiam ipsa civitas. « Domini gentium, » id est principes Assyriorum et Chaldæorum, qui multis gentibus dominabantur, « exciderunt flagella » ejus, id est habitatores Sabama occiderunt, « usque ad Jazer » civitatem « pervenerunt » ipsi domini gentium, « erraverunt in deserto : » lustrantes universam terram Moabitarum. Quia dixerat superius Sabama vineam esse, servavit metaphoram, subjungens fla-

gella. Similiter etiam servavit metaphoram, dicens : « progagines ejus relictæ sunt, transierunt mare. » Quis audivit unquam huic simile, ut propagines vinearum transirent mare? Propagines intellige fugitivos filios ejus, qui transierunt mare, dum ducerentur in Babylonem derelicti a Deo. « Super hoc plorabo in fletu Jazer vineam Sabama. » Vox prophetæ plangentis magnitudinem vastitatis urbium nobilium quondam Moabitarum. Super hoc, inquit, id est, super vastitatem urbium Moab, plorabo, et in fletu Jazer, plorabo etiam vineam Sabama. « Inebriabo te lacryma mea, » o « Esebon et Eleale, » id est, valde plorabo te, vel flere te faciam sicut ego te defleo, « quoniam super vindemiam tuam et super messem tuam vox calcantium irruit. » Calcatores in hoc loco intelliguntur Chaldæi et Assyrii prædatores, qui vindemiam et messem et omnia bona illorum sibi diripuerunt.

« Et auferetur lætitia et exsultatio de Carmelo, et in vineis non exsultabit neque jucundabit, » subaudis Moab, sicut prior vindemiator. Carmelus mons est fertilissimus inter Phœnicen et Palæstinam imminens Ptolemaidi, in quo Helias oravit (*III Reg.* XVIII). Et ponitur sæpe in Scriptura sacra pro omni fertilitate. Auferetur, inquit, omnis lætitia de Carmelo, id est, omnis fertilitas super quam lætabantur Moabitæ, auferetur ab eis. « Vinum in torculari non calcabit, » subaudis Moabita ; « vocem calcantium abstuli, » id est celeuma, quod cantare consueverant tempore vindemiæ.

« Super hoc venter meus. » Vox prophetæ dolentis super contritionem Moab. Super hoc, inquit, id est, propter destructionem Moab, « sicut cythara sonat, » sic sonabit sensus et intellectus meus ad Moab plangendo, « et viscera mea » sive interiora cordis mei, « ad murum » Arnon civitatis « cocti lateris, » id est, propter murum destructum, qui de coctis lateribus ædificatus fuit.

« Et erit, cum apparuerit quod laboravit Moab super excelsis suis, » id in montibus et tectis, « ingredietur ad sancta sua, » id est ad idola, quæ putabat esse sancta, « ut obsecret, et non valebit » subaudis in eis invenire auxilium. **Maxima enim miseria est,** nec in his quos semper venerata est, habere subsidium. Advenientibus siquidem Assyriis atque Chaldæis, ascendit Moab ad idola sua quæ antea venerabatur, et quorum protectione sperabat se defendere ab hostibus : sed non profuit ei, quia insensibilia erant. Tunc enim apparuit quia vanitatem colebat.

« Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab, » id est contra Moab, « ex tunc » subaudis, ex quo creatus est Moab. Et Dominus ait : Moabitæ et Ammonitæ non intrabunt in Ecclesiam meam. Vel ex tunc, id est, ex antiquo tempore ex quo in præsentia sua ista destinavit, et nunc locutus est Dominus, dicens : « In tribus annis quasi anni mercenarii, » et cætera. Sensus hujusmodi est : sicut paucissimi remanent racemi post vindemiatores, ita ex multitudine Moab pauci remanebunt venientibus hostibus. Quod vero dicit « in tribus annis auferetur gloria Moab, » dupliciter potest intelligi. Diximus superius, quia prophetia ista contra Philistæos et Moabitas, mortuo Achaz, ex quo propheta ista dixit cœpit dirigi. Et potest intelligi quod tertio anno post mortem Achaz ab Assyriis Moabitæ sint vastati. Et est sensus : Sicut mercenarius exspectat solis occubitum, et diebus ac noctibus finem operis sui præstolatur, ut statutam mercedem accipiat : sic post tres annos Moab ab Assyriis delebitur. Potest et de Babylonica captivitate intelligi, quod post captam Hierusalem tertio anno a Chaldæis vastanda sit : vel quod intra tres annos nulla ei clausa sit requies.

CAPUT XVII.

« Onus Damasci. » Damascus civitas fuit quondam metropolis Syriæ provinciæ, quam condidit Eliezer servus Abrahæ. Cujus rex Rasin, quia decem tribubus semper præbebat auxilium ad debellandum Judam, idcirco Spiritus sanctus per Isaiam prophetam minatur ei captivitatem destructionemque sui. Per Damascum ergo civitatem regiam, debemus intelligere omnem provinciam Syriæ, quæ similiter vastata est. Interpretatur autem Damascus sanguinem fundens, sive sanguis cilicii. Quantum ad litteram pertinet, sanguinem fundens recte potest appellari, quia ibi sanguis Abel fusus est a Cain (*Gen.* IV). Quantum vero ad istos pertinet, sanguinem fundens sive sanguis cilicii interpretatur : quia homicidæ erant multumque sanguinem fundentes, pœnitentiam debuerant agere : quod signatur per cilicium. Sed quoniam hoc non fecerunt, in captivitatem et deprædationem migraverunt. « Ecce Damascus desinet esse civitas, » subaudis potentissima, « et erit sicut acervus lapidum in ruina. » Sed postquam eversa fuerit ab Assyriis.

« Derelictæ, » subaudis ab hominibus, « civitates Aroer gregibus erunt, » subaudis in pascua, « et requiescent ibi, » in ipsis scilicet pascuis greges ovium : « et non erit qui exterreat. » Et est sensus : Tanta erit ibi solitudo, ut nec insidiator timendus sit, sed sine timore pascentur ibi. Aroer regio est provinciæ Syriæ, habens plurimas civitates. Interpretatur autem Aroer myrica est, quæ est arbor infructuosa, et nascitur in desertis locis atque salsuginosis. Ac si diceret : Sicut myrica, quæ est arbor infructuosa, nascitur in solitudine : ita in solitudine et sine fructu universi Syri.

« Et cessabit adjutorium, » subaudis Damasci « ab Ephraim, et regnum a Damasco, » subaudis, cessabit : quia ultra non regnabit ut prius. « Et erunt reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israel, dicit Dominus. » Gloria hic ironice pro ignominia ponitur, hoc est, qualem gloriam habebit Israel, dum in captivitatem ducetur, quia non in Deo sed in homine posuit spem suam : talem habebunt et Syri qui eis promittebant auxilium, ut separarent illos a timore Dei, quod et fecerunt. Ambo enim in captivitatem ducti sunt et illi et isti.

« Et erit in die illa » subaudis cum Syria vastata fuerit ab Assyriis, et Damascus desierit esse civitas : « attenuabitur gloria Jacob, » Syria videlicet et Damascus, in quibus gloriabatur et habebat fiduciam. « Et pinguedo ejus marcescet, » hoc est, fortitudo fiduciæ quam habebat in Syriis deficiet. Quidam codices habent, pingues carnes ejus : sed melius est ut doctores tradunt pinguedo legendum, per quam intelligitur refugium ac fortitudo, quam decem tribus habebant in Syriis.

« Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium ejus spicas leget, » et cætera quæ sequuntur usque « in cacuminibus fructus ejus. » Tres quidem dat comparationes, sed unus est in illis sensus. Sicut, inquit, rarissimæ remanent spicæ post terga metentium, et sicut paucissimi remanent racemi (qui a remanendo dicuntur) post vindemiatores, et sicut paucæ remanent olivæ post excussionem oleæ : ita paucissimi remanebunt in Damasco et in tota Syria, venientibus Assyriis primum, ac deinde Chaldæis. Nam sub captivitate Assyria pauci remanserunt qui tantummodo terram excolerent, et maxima pars in Cyrenem translata est, quæ est regio ultra Ægyptum.

« In die illa, » subaudis cum defecerit adjutorium Damasci a decem tribubus, « inclinabitur homo ad factorem suum, » et cætera. Hoc de reliquiis decem tribuum dicitur, quæ postquam maxima pars populi captivata est in Assyrios propter idola quæ colebant, unum in Dan alterum in Bethel, Ezechiæ regis litteris commonitæ : conversæ sunt ad cultum Dei, et ad templum Domini quod erat in Hierosolymis venerunt : sicut liber Paralipomenon (*II Paral.* XXX, XXXI) narrat : relinquentes idola quæ fecerant manus eorum, et quæ operati sunt digiti eorum. Et hoc est quod dicit cum deleta fuerit Damascus ab Assyriis, et Syri in quibus fiduciam suam decem tribus positam habebant : tunc homo qui relictus fuerit ex ipsis decem tribubus inclinabitur, et convertetur ad factorem suum Deum omnipotentem, et amplius non adorabit opera manuum suarum. « Non respiciet lucos et delubra, » subaudis homo, qui relictus fuerit de decem tribubus. Luci sunt loca nemorosa et opaca, in quibus propter amœnitatem collocabant idola sua, et omnem delectationem et voluptatem ante idolorum aras exercebant. Quare autem delubra dicantur, superius dictum est.

« In die illa, » subaudis venientibus Assyriis et vastantibus non solum Damascum, sed etiam terram decem tribuum : « erunt civitates fortitudinis ejus, » id est civitates decem tribuum « derelictæ » ab habitatoribus suis : « sicut aratra et segetes, quæ derelictæ sunt a facie filiorum Israel. » Hoc non contra Damascum loquitur, sed contra decem tribus quæ vocabantur Israelitæ. Et dicit, quia sicut venientibus olim filiis Israel Amorrhæi relictis aratris fugerunt : ita quoque ipsæ decem tribus venientibus Assyriis fugient, a quarum facie quondam fugerant alienæ gentes. « Et eris deserta, » o plebs decem tribuum, « quia oblita es Dei Salvatoris tui. » Ista, inquit, patieris, o Israel, quia dereliquisti Deum Salvatorem tuum qui te liberavit de Ægypto, et qui tibi gentes ferocissimas sua fortitudine subjugavit. « Propterea plantabis plantationem infidelem, et germen alienum seminabis, » ut beatus Hieronymus dicit, hoc expressius, et cum ironia est legendum. Et est sensus : Quia ergo tu oblita es Dei Salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata, o plebs Israel decem tribuum : num propterea plantationem fidelem, et non potius alienum semen seminare debes, quod hostis Assyrius comedat. Non plantabis propter hoc plantationem fidelem. Plantatio fidelis est, quando quilibet plantat et excolit vineam, et ipse fructum ejus colligit. Plantatio vero infidelis est et germen alienum, quando quod seminatur non colligitur ab illo qui seminavit, sed hostes diripiunt illud.

« In die plantationis tuæ labrusca et mane semen tuum florebit. » Ac si diceret : Quia oblita es Dei Salvatoris tui, hos capies fructus : Cum plantaveris vineam tuam optimam Soreth, degenerabit, et in die maturitatis cum quæsieris fructus plantationis tuæ, id est uvas optimi generis, et erit ibi labrusca. « Et mane, » inquit, id est, in exordio messis « semen tuum florebit. » Hoc dupliciter potest intelligi. In flore quidem videbitur tibi species salutis esse in eo, sed antequam perveniat ad maturitatem, consumetur ab ærugine. Vel mane, id est ante tempus florebit semen tuum, ideoque ad maturitatem non veniet, quod videmus ex istis seminibus quæ cito oriuntur. Unde et sequitur : « Ablata est messis in die hæreditatis, » hoc est, cum debuisset in horreum condi, ablata est vel ab hostibus, vel eo modo quo supra diximus. « Et dolebit graviter, » hoc est, super ablatis messibus.

« De multitudine populorum multorum, » subaudis venientium cum Sennacherib contra populum meum, « ut multitudo maris sonantis, et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. » Sennacherib et exercitui illius quem diversis gentibus congregaverat, per quem voluit delere populum Domini : minatur sermo propheticus Væ, id est æternam damnationem et æternum supplicium. Cum tanta enim multitudine veniebat, ut sonus exercituum comparari posset sonitui maris quod a longe resonat, aut etiam sonitui aquarum multarum.

« Sonabunt populi, » subaudis, venientes cum Sennacherib, « sicut sonitus aquarum inundantium. Et increpabit eum, » id est Sennacherib, dominum tantorum exercituum, « et fugiet procul » de Jerusalem in Niniven « et rapietur » de Jerusalem, vel de hoc mundo, « sicut pulvis montium a facie venti. » Nonne increpavit eum Dominus, quando omnem exercitum illius interfecit, præter decem viros? Nonne sicut pulvis est raptus de Jerusalem, quando cum paucissimis viris fugit in Niniven? Nonne de hoc mundo non est raptus, quando insperate interfectus est a filiis suis. Sequitur :

« In tempore vesperi, » subaudis noctis, id est ex-

trema parte noctis : « ecce turbatio » super illam multitudinem angelo Domini præliante. « In matutino » similiter turbatio « et non subsistet » exercitus illius. « Hæc est pars illorum qui vastaverunt nos, et pars diripientium nos. » Propheta loquitur ex persona populi Israel, et jungit se illis. Quæ fuit ergo pars Assyriorum qui vastaverunt omnem Israel, et qui bona illorum sibi diripuerunt? Ut in pulverem redigerentur atque favillam, consumpti ab igne spirituali.

CAPUT XVIII.

« Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumen Æthiopiæ. » Convertitur verus sermo propheticus ad Ægyptum, et appellat illam cymbalum alarum ob hujuscemodi causas. Nilus magnus fluvius, ipse est Gion veniens per Æthiopiam et currens per Ægyptum. Qui antequam divideretur in septem rivos ab Alexandro magno, necnon et postea cum magno sonitu fluebat, utpote per montana descendens : veluti solet sonitus multarum garrituum esse avium. Et ideo hujuscemodi multitudo populi alarum comparatur sonitui : velox quippe concitusque avium volatus, cymbali sonitum reddit. Potest etiam simpliciter ita intelligi : quia ipse fluvius citissime currens, sonitum alarum in modum cymbali habet. Cymbalum alarum dicitur propter velocitatem frugum inibi nascentium, quia sicut avis cito volat, ita ille fluvius comparatione aliarum terrarum cito fruges generat, Deo ita disponente. Dicamus et quarto modo, intelligentes per cymbalum alarum auxilium et protectionem, quam illi promittebant duabus tribubus. Quod per alas auxilium et protectionem intelligere debeamus, Psalmista ostendit, dicens ad Deum : « Sub umbra alarum tuarum protege me (*Psal.* XVI). » Idcirco ergo minatur Ægypto Dominus mala, quia sicut Syria decem tribubus, ita isti sua virtute confisi, promittendo istis protectionem, tulerunt ab eis timorem Domini. Væ (inquit) terræ Ægypti, quia in umbra alarum suarum promittit auxilium duabus tribubus, sicut Damascus decem : quia terra Ægypti est trans flumen Æthiopiæ, id est trans rivos Nili fluminis qui de Æthiopia fluit. Quod autem sequitur :

« Qui mittit in mari legatos ; » quia Ægyptus apud grammaticos feminino genere semper proferatur, potest ita resolvi, quia Ægyptius populus vel Mesraim qui et Ægyptus, mittit in mari legatos, id est nuntios ad duas tribus, « et in vasis papyri super aquas, » subaudis mittit epistolas, promittens eis auxilium. Quod vero dicit in vasis papyri, vel in navibus, debemus intelligere ex papyro factis quæ tantæ magnitudinis est apud illos, sicut in historia Alexander dicitur, ut naves inde fiant. Etiam per vasa chartas possumus intelligere ex papyro factas, ubi antiquitus scribebatur. Quia sicuti in vase aliquid continetur, ita in chartis scriptio. Possunt et tertio modo capsulæ indiculorum accipi ex papyro factæ. Cum illis ergo epistolis mittebant nuntios suos Ægyptii ad duas tribus dicentes. « Ite angeli, » id est nuntii nostri « veloces ad gentem Israel convulsam, » hoc est separatam a Deo, et a terra sua jam ex maxima parte, et dilaceratam impugnatione Assyriorum, « ad populum quondam terribilem, » dum Deum habebat protectorem. « Post quem, » subaudis populum, « non est alius » ita terribilis, id est, cujus potentiæ nullus comparandus est, « ad gentem exspecantem, » subaudis Dei auxilium vel nostrum, « et conculcatam » a diversis gentibus, « cujus terram flumina, » id est diversi reges et principes, « diripuerunt, » sive populati sunt. Quodque sequitur « ad montem nominis Domini exercituum, » montem Sion dupliciter potest intelligi. Primum, ut a parte prophetæ sit dictum, quasi interrogatus ab aliquo ad quam gentem vel terram mitterent illi nuntios, et responderit, ad locum nominis Domini montem Sion, ad Jerusalem. Potest et a parte Ægyptiorum principum esse dictum, quasi interrogati a nuntiis, quibus dicebant : Ite, angeli veloces : quo (inquiunt) præcipitis ut eamus, responderunt ironice, qui mittebant eos ad locum ubi quondam fuit nomen Dei, id est ad montem Sion.

« Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus videbitis, et clangorem tubæ audietis. » Alloquitur modo omnipotens Deus omnes gentes in toto orbe commorantes, dicens : Attendite, omnes gentes. Cum elevatum fuerit signum victoriæ Assyriorum in montibus Ægyptiorum, tunc videbitis, id est, intelligetis quod ego cogitaverim et præceperim super Ægyptum, quia tunc clangorem tubæ audietis, incipientibus pugnare Assyriis.

« Quia hæc dicit Dominus ad me : Quiescam in loco meo, » id est in cœlestibus sedebo, « et considerabo, » subaudis quisnam adveniat finis. Quid locutus est Dominus ad prophetam. Ea quæ sequuntur : « Sicut, » inquit, « meridiana dies clara est, et sicut nubes roris in die messis. » Et est sensus. Sicut in toto die nihil est clarius meridie, et sicut messoribus fatigatis gratissimus est ros, quia et eis præstat refrigerium, et arentes stipulas calcabiles facit, sic sermo omnis quem considerabo in loco meo adversus Ægyptum, gratissimus erit omnibus in me credentibus. Vel, sicut ea quæ de rore dicta sunt placent messoribus, ita placebit et Assyriis sua a me concessa victoria.

« Ante messem enim totus efflоruit, » subaudis populus Ægyptius, « et matura perfectio, germinavit. » Metaphoricos loquitur de populo Judæorum sub significatione messis, sed non potest per omnia verbum e verbo exponi : sensus tamen hujusmodi est : Quemadmodum segetes ante maturitatem cito erumpentes pereunt, et antequam perfectio temporis veniat germinantes, inutiles sunt : sic Ægyptus peribit et quasi inutiles ramusculi falcibus sive gladiis ab Assyriis præcidentur. Unde et sequitur : « Præcidentur ramusculi ejus falcibus, » id est habitatores ejus gladio Assyriorum interficientur. « Et quæ derelicta fuerint » ab Assyriis « abscindentur » a Chaldæis. « Excutientur, » subaudis de terra sua,

« et relinquentur simul avibus montium et bestiis terræ, » subaudis ad devorandum et lacerandum, illi scilicet qui interfecti fuerint, « et æstate perpetua erunt super eum volucres, » id est super populum interfectum, « et omnes bestiæ terræ super illum » interfectum populum « hyemabunt. » Hyperbolicos loquitur. Non enim omnes bestiæ venient ad devorandum corpora illorum, sed per hoc vult ostendere maximam multitudinem ibi interfectam esse Ægyptiorum, et tantam ut æstate et hyeme sufficientiam sibi habeant bestiæ quæ convenerint, et non sit necessitas aliam prædam quærere.

« In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo, » subaudis Israel, « divulso, » id est separato ad tempus a Deo et a terra sua, et a populo « dilacerato » ab hostibus primo post quem non fuit alius, subaudis ita terribilis, « agente, exspectante » Dei auxilium, exspectante diu, « cujus terram diripuerunt flumina, » reges videlicet ac principes diversarum gentium, « ad locum nominis Domini montem Sion. » Revertitur iterum sermo propheticus ad Israel et promittit ei bona dicens : In tempore illo vastata Ægypto nequaquam Judas sperabit in umbra Ægypti, sed deferet munus fidei bonorumque operum, necnon et alia munera ad locum nominis Domini, hoc est ad templum illius. Hoc autem impletum est sub Zorobabel aliisque ducibus, quando, permittente Cyro, post septuaginta annos de captivitate redierunt. De quibus muneribus legimus in Zacharia, coronas esse factas in domo Domini ipso præcipiente.

CAPUT XIX.

« Onus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur in Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet a facie ejus. » Hæc quæ de Ægypto hic dicuntur, tam ad ejus destructionem, quæ venit per Assyrios, quam ad Domini adventum possunt referri. Dicamus igitur quomodo ad Ægyptum pertineat. Nubem levem appellat exercitum Assyriorum velocem. Dicit ergo propheta quia nequaquam per angelum percutiet Dominus Ægyptum : sed ipse ascendet super exercitum Assyriorum velocissimum, et ingredietur Ægyptum. Super nubem enim Assyriorum ascendit Dominus, quia ipse inspiravit eis in corde ut perculerent Ægyptum, et ipse dedit virtutem bellandi ut se ulcisceretur de inimicis suis, qui populum suum sua promissione seduxerant. Ipsoque ingrediente cum Assyriis in Ægyptum, mota sunt simulacra Ægyptiorum, qui præ omnibus gentibus idola colebant : quia confracta sunt ab Assyriis, vel etiam Domino operante factum est, ut Assyriis venientibus, dæmones qui in idolis colebantur, responsa dare non possent. Tunc cor Ægypti tabuit, sive defecit consilium, non reperiens quomodo hostes suos evadere posset. Dominus etiam super nubem levem ascendit, quando corpus humanum accepit nullo humanæ commistionis semine prægravatum : et cum Maria et Joseph ad vocem angeli, metu Herodis fugit in Ægyptum (*Matth.* II) ad cujus ingressum potest esse, ut simulacra Ægyptiorum corruerent, aut etiam commutescerent, et corda sapientium Ægyptiorum pavore tabescerent. Aliter : Ægyptus, quæ interpretatur tenebræ vel mœror, significat hunc mundum, qui tenebris infidelitatis tegebatur ante Domini adventum. Ingressus est ergo Dominus Ægyptum, id est hunc mundum, cum nube levi, id est cum corpore nullo peccati pondere gravato, et commota sunt simulacra : quando relictis idolis ad Deum fide concurrerunt, et idola confregerunt.

« Et concurrere faciam Ægyptios adversum Ægyptios, » id est cives contra cives : « et pugnabit vir » Ægyptius « contra fratrem suum. » Venientibus Assyriis vel Chaldæis, completum est hoc : aliis tradere se volentibus, et aliis repugnare nitentibus. Unde facta est non modica seditio inter eos. Et hoc est gravissimum malum et magna miseria, ut hoste superveniente cives intra se seditionem moveant. In Domini quoque adventu, et prædicatione apostolorum, eadem discordia impleta est inter fideles et infideles in toto mundo, aliis credere volentibus, aliis nolentibus. Unde Dominus ait : « Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum (*Matth.* x), » et cætera quæ sequuntur.

« Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus, » subaudis quo rebellare nitetur : « præcipitabo, » id est, nihil faciam, « et interrogabunt simulacra sua et dominos suos et pythones et ariolos. » Orta seditione in Ægypto et imminente hoste, spiritus scindetur, id est voluntas Ægypti, cunctis diversa sapientibus et non eadem volentibus. Tunc ibunt et interrogabunt dæmones residentes in simulacris suis, et divinos sive vates, pythones quoque et ariolos, cur ita acciderit : et non proderit eis. Similiter in Domini adventu, spiritus, id est voluntas hujus mundi scissa est : aliis credere volentibus, et aliis repugnantibus. Tunc persecutores sanctorum et credentium interrogaverunt idola sua et divinos, quare talia exorta essent in mundo, ut homines deserentes antiquam consuetudinem novæ fidei se aptarent. Pythones sunt qui et ventiloqui appellantur, eo quod habeant in se malignum spiritum, cujus inspiratione plerumque falsa, plerumque etiam Deo permittente vera loquuntur. Arioli sunt incantatores, qui incantationibus quibusdam et carminibus rem peragunt.

« Et tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus. » In multorum dominorum manus legimus traditam esse Ægyptum. Primum quidem expugnata est ab Assyriis, deinde a Nabuchodonosor, tertio ab Alexandro, ad ultimum a Romanis, quando Antonio et Cleopatra superatis Augustus Romano imperio subjugavit. Sed ex his omnibus Chaldæos constat fuisse crudeliores, Romanos potentiores.

« Et arescet aqua de mari, et fluvius, » subaudis Nilus « desolabitur atque siccabitur. » Non de mari magno hoc dicitur, sed de lacu qui appellatur Mareotes. Omnes enim congregationes aquarum secundum proprietatem Hebrææ linguæ, sicut supradictum est, appellantur maria. « Et deficient flumina, » id est, septem rivi Nili attenuabuntur a suis aquis : « Calamus et juncus inarescet. »

« Nudabitur alveus rivi a fonte suo, » id est, et rivus et fons simul arescent. Naturale est, sicut beatus Hieronymus dicit, ut cum per iram Dei captivitas venerit, indignationem ejus pestilentia subsequatur, et adversus peccatores elementa cuncta desæviant. Potuit igitur esse, ut veniente captivitate Ægyptiorum per Chaldæos, vel etiam per Romanos aquæ de Nilo et de fontibus deficerent. Potest tamen et hyperbolice intelligi, ut propter nimiam tribulationem, flumina quoque dicantur exsiccata esse, et illa quæ in fluviis erant defecisse. Metaphorice autem in fluvio exsiccato, regnum desolatum intelligimus, in rivis ejus duces, in calamo et junco cunctam Ægypti abundantiam quæ harum rerum fertilissima est.

« Et mœrebunt » sive lugebunt « piscatores » propter siccitatem fluminum, « et expandentes rete super faciem aquæ inarescent, » id est, deficient. « Confundentur qui operabantur linum, » id est, qui ex lino sagenas et retia componebant, « plectentes et texentes subtilia » subaudis vestimenta, vel etiam quæ texebant ex junco diversi generis vascula, « erunt irrigua ejus, » id est Ægypti « flaccentia, » id est arentia. « Omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces, » subaudis deficient advenientibus hostibus. Hæc omnia, ut diximus, hyperbolicos accipienda sunt, quæ propter maximam vastationem ita expresse a propheta prolata sunt.

« Stulti principes Taphneos, sapientes consiliarii, Pharaoni dederunt consilium insipiens. » Taphneos, genitivus græcus est. Taphnis autem civitas est metropolis Ægypti, in qua Moses multa signa fecit, quæ in Exodo commemorantur. Et hoc dixit, quia adveniente Babylonica vel Romana captivitate, omnia magorum consilia annullata sunt. Principes enim Pharaoni, qui putabantur sapientes esse, dederunt consilium insipiens, id est inutile, ut præpararet se ad resistendum Nabuchodonosor, vel Romanis. « Quomodo dicitis Pharaoni : Filius sapientium ego, filius regum antiquorum. » Sic dicebat Pharaoni unusquisque consiliarius ejus, ut suum consilium bonum esse ostenderet, et ob hoc statueret illud. Tu es filius sapientium Ægyptiorum, et regum antiquorum, ideoque viriliter debes pugnare contra Assyrios vel Romanos. Ægyptii namque heroas et deos magnos auctores suæ gentis fuisse jactant, hoc est, Isin, et Isirin, et Typhonem. « Ubi sunt nunc sapientes tui? » subaudis adveniente vastitate, « annuntient tibi et indicent, quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum. » Propheta loquitur ad Ægyptum, interrogans ubi sunt sapientes ejus, et quare non annuntient ei quæ Dominus cogitaverit super illam, A respondet vero ipse sibimetipsi, quare non potuerunt annuntiare ei. « Stulti facti sunt principes Taphneos » sive Taphnis, subaudis qui putabantur sapientes esse, « emarcuerunt » seu defecerunt, « principes Mempheos, et deceperunt Ægyptum angulum populorum ejus. » Memphis civitas est Ægypti, magicis artibus quondam plena. Sed ubi putabantur esse sapientes, ibi non solum alii defecerunt, sed etiam ipsi. Quod vero appellat Ægyptum, angulum populorum, secundum idioma divinarum Scripturarum loquitur, quæ angulum pro regno ponunt, eo quod populos contineat, sicut angulus continet duos parietes, eo quod in tota domo illud fortissimum sit.

« Dominus miscuit in medio ejus, » id est Ægypti B « spiritum vertiginis et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens. » Dominus (inquit) miscuit, in medio ejus, id est, habere permisit sapientibus Ægyptiorum spiritum vertiginis, hoc est spiritum erroris, ut ignorarent quid loquerentur. Et errare fecerunt Ægyptum, sicut errat ebrius a mente sua, et alienus efficitur ab omni rationabili sensu : in tantum ut nesciat ubi sit, aut quid operetur.

« Et non erit Ægypto opus quod faciat caput et caudam, incurvantem et refrenantem. » Dicit beatus Hieronymus, quia pro eo quod debuit transferre incurvum et lascivientem, id est senem et puerum, ambiguitate verbi deceptus transtulit incurvantem et refrenantem. Sensus ergo hujusmodi est venientibus C Assyriis, vel Chaldæis, non erit Ægypto opus, id est consilium, quod aut caput habeat aut finem, aut senibus conveniat aut pueris : quorum alii per nimiam ætatem amittentes intellectum desipiunt aut delirant, alii per lasciviam et infantiam nesciunt quid faciant.

« In die illa erit Ægyptus quasi mulieres, » et reliqua. In die illa cum venerit vastitas Ægypti per Chaldæos, Assyrios, Romanosque : erit Ægyptus quasi mulieres, infirma et inermis et sine aliqua virtute. « Et stupebunt » Ægyptii sive in admirationem nimiam vertentur, « et timebunt a facie commotionis vindictæ Domini, » quæ intelligitur per manum ejus. « Quam » vindictam « movebit » ipse « Dominus per eum : » per Sennacherib vel Nabuchodonosor. D

« Et erit terra Juda Ægypto in pavorem. » Quidam codices habent, in festivitatem. Sed beatus Hieronymus reprehendit semetipsum ita transtulisse, quia rectius est dicere in pavorem vel formidinem. Et est sensus. Cum omnes manus virorum fortium Ægyptiorum quasi mulierum manus, præ nimio timore hostium dissolutæ fuerint : tunc vocabulum Judæ terror erit et pavor Ægypto, eo quod dum ei vult auxilium præbere, tanta mala perpessa sit. Recordabitur enim quia propter timorem omnipotentis Dei et amorem quem abstulit a Judæis, promittendo illis auxilium et protectionem, tanta mala ei a Domino eveniant. Unde et sequitur : « Omnis, » subaudis

homo Ægyptius « qui illius fuerit recordatus, » id est terræ Judæ, « pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eum, » id est, super Ægyptum? Quid ergo cogitavit Dominus super Ægyptum? Ut conterat illam et vastet per Chaldæos et Romanos, atque ad nihilum deducat.

« In illa die erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum. Civitas Solis vocabitur una. » Diem hic debemus accipere pro tempore. Hunc locum non intelligens Onias sacerdos, cum venisset in Ægyptum cum multitudine Judæorum, sicut historia Josephi narrat, ædificavit templum Domini et altare in civitate Heliopoleos, ut impleret vaticinium hujus prophetiæ, faciens utique contra præceptum Domini qui dixit: Non ædificabitis mihi altare per omnes urbes vestras, sed in loco quem elegero. Et notandum, quia non solum illam ubi templum ædificatum fuit, quæ appellabatur Heliopoleos, id est Solis civitas: sed etiam quatuor alias huic vicinas, quæ juxta rivum coruram sitæ sunt, manifestum est loqui lingua Chanaan, id est Syra. Putant autem quidam a Nabuchodonosor Syros et Arabes in civitatibus Ægypti collocatos fuisse, qui hucusque, ut diximus, lingua Chanaan sive Syra loquuntur. Quidam per quinque civitates, quinque libros legis intelligunt, qui in Alexandria primum interpretati sunt. Sed melius est ut ista omnia ad Domini adventum spiritualiter referantur. In die (inquit) illa, id est, post Domini passionem, erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan. Ægyptus, quæ interpretatur tenebræ vel mœror, significat hunc mundum. Chanaan autem interpretatur *commutata*. Quinque ergo civitates quinque sunt corporis sensus, visus videlicet, auditus et gustus, olfactus et tactus. Quarum civitatum una est civitas Solis, id est oculi, per quos lumen haurimus. Quicunque ergo vitiis serviunt, et a pravis cogitationibus atque delectationibus hos quinque corporis sensus non refrenant: lingua Ægyptiaca loquuntur, quia in tenebris peccatorum morantur. Qui vero virtutibus operam tribuunt, lingua Chanaan, id est, commutata loquuntur, quia de vitiis mutati sunt ad virtutes. « In die illa, » id est, in tempore illo post Domini passionem, « erit altare Domini in medio terræ Ægypti, » id est in hoc mundo, « et titulus juxta terminum ejus Domini. »

« Et erit, » subaudis illud altare, vel titulus « in signum » Dominicæ passionis et resurrectionis « et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti, » hoc est, in toto mundo. Per unum altare debemus intelligere omnia altaria totius mundi. Quia, sicut una est fides credentium, unum baptisma, una Ecclesia: ita unum altare. Titulus autem qui juxta illud altare est, Evangelium et Apostolorum intelligitur doctrina, quæ usque ad terminos orbis terræ venit. Potest et per hoc altare intelligi fides, quæ una est omnibus credentibus. Sicut enim super altare offeruntur Deo sacrificia: ita quidquid boni agimus, super fidem offerimus. Titulus juxta fidem intelligitur bona operatio, et imitatio passionis Christi. « Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos. » Cum fuerit, inquit, altare Domini in hoc mundo, et Evangelica doctrina diffamari cœperit, tempusque persecutionis ingruerit: tunc ii qui crediderint, apostoli videlicet ac martyres eorumque sequaces et alii fideles, clamabunt ad Deum Patrem a facie persecutorum, implorantes ejus misericordiam. Statimque mittet eis salvatorem, id est auxilium Filii sui Jesu, qui interpretatur Salvator, et erit propugnator seu defensor eorum, liberans eos. Quotiescunque enim affliguntur electi, aut a persecutoribus aut ab impugnatione dæmonum, et Dei auxilium habent a quo protegantur: quasi ipse Filius Dei mittitur a Deo Patre, dum ejus adjutorio illi salvantur.

« Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa. » Cum Dei clementia respexerit credentes positos in certamine, cognoscetur Dominus ab Ægypto, id est ab hoc mundo, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, habitatores videlicet hujus mundi, sive persecutores qui fuerint superati, sive credentes auxilio Dei liberati. « Et colent, » subaudis illi qui crediderint « Deum in hostiis, » corporis scilicet et sanguinis ejus quod offertur quotidie in Ecclesia, « et in muneribus » spiritualibus, « et vota, » id est bona opera, « vovebunt Domino, et solvent. Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam, et revertentur ad Dominum et placabitur eis, et sanabit eos. » Hæc de sanctis martyribus aliisque credentibus dicta sufficiant. Percutiet Dominus Ægyptum, id est percuti permittet electos a persecutoribus, et sanabit eamdem plagam, quia coronabit sanctos martyres pro se passos. Persecutio siquidem non ad negationem credentium pertinet, sed ad probationem et remunerationem. « Quem enim diligit Dominus, corripit (*Prov.* III). » Flagellat autem omnem filium quem recipit. Et si ad tempus, inquit, recesserunt ab eo: revertentur ad illum, et sanabit eos a peccatis et ab omni tribulatione.

« In die illa, » id est in tempore Dominici adventus, « erit via de Ægypto in Assyrios, et intrabit Assyrius Ægyptum, et Ægyptus in Assyrios, et servient Ægyptii Assur. » Ante Domini adventum singulæ gentes proprios reges habebant, nec erat licitum cuiquam de una regione transire in aliam, quia pro exploratoribus accipiebantur. In Romano autem imperio unum facta sunt, et maxime postquam in Christo crediderunt. Ab Euphrate enim usque Tigrim omne medium regio Assyriorum fuit, et quos veteres Assyrios nos modo Syros vocamus, a parte totum appellantes. Post Domini ergo passionem via de Ægypto fuit ad Assyrios: quia quicunque volunt modo de Ægyptiis transire in Assyrios et de Assyriis in Ægyptum, liberam potestatem habent, maxime negotiatores eorum, qui de regno ad regnum transeunt. Quod autem ait: Servient Ægyptii Assur: non idcirco dicit quod postea subjecti fuissent illi:

sed propter legiones Romanorum, quæ instructæ Assyrio milite custodiebant Ægyptum : vel quia utraque gens, ea quæ apud se abundant, in alia causa commercii transfert.

« In die illa erit Israel tertius Ægyptio, et Assyrius benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum. » Legimus in libro Machabæorum quod regnum Israel aliquando reges Assyriorum, aliquando Ægyptiorum sibi vindicabant. In Domini vero adventu, neque Assyriis erat subjugatum, neque Ægyptiis : sed sub Romano imperio erat constituta civitas, et ejusdem conditionis erat quam et illi. Quia, sicut serviebant Ægyptii et Assyrii Romanis, ita et Israel. Ac si diceret aliis verbis : Nequaquam ergo Israel inter Assyrios et Ægyptios medius vexabitur, sic erit eis tertius : quia servient illi duo populi Romanis sicut Israel, et erit eis benedictio in medio terræ. Quare benedictio? quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem, id est, benedicetur in toto mundo, in apostolis, aliisque credentibus. Cui ergo erit Israel benedictio? Illi populo cui benedixit Dominus, id est, ab illo benedicetur, a quo ante maledicebatur, cui benedixit Dominus. « Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio sit. » Hæ regiones præ omnibus regionibus abundant multitudine Monachorum, ideoque a Domino benedici merentur. « Hæreditas autem mea Israel. » Quare hæreditas? Quia ibi est natus, nutritus, passus, ibique redemit genus humanum, ibi et resurrexit.

CAPUT XX.

« In anno quo ingressus est Thartan in Ægyptum, cum misisset eum Sargon rex Assyriorum et pugnasset contra Azotum et cepisset eam, in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos. » Azotus una est urbs Philistinorum potentissima de quinque urbibus quam Sargon rex Assyriorum qui et Sennacherib appellatur, qui septem nominibus nuncupatus est, ut beatus Hieronymus dicit, misso duce exercitus sui Thartan nomine cepit ac tenuit. Illo tempore quando hæc urbs capta est, locutus est in manu Isaiæ, id est in operatione illius. Talia enim opera agebat propheta, ut dignus esset sermonem Dei audire.

« Vade et solve saccum de lumbis tuis. » Saccus vestimentum est cilicinum. Hic enim erat habitus prophetalis, plangentis delicta populi. « Et fecit sic : » vadens nudus et discalceatus. Mira prophetæ obedientia : quod vir nobilissimus non erubuerit nudus incedere, sed Dei præceptis obedire, nihil honestius judicans, deposuerit saccum, quo abjecto nudus fuit. Unam enim habebat tunicam, ut beatus Hieronymus dicit, ipsamque cilicinam. Ideo autem diximus illum nobilissimum fuisse, quia (sicut Hebræi tradunt) tantæ nobilitatis fuit, ut Manasses, rex duarum tribuum filius Ezechiæ regis, filiam ejus acciperet in uxorem.

« Et dixit Dominus, sicut servus meus, » Isaias « ambulavit nudus et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum, et super Ethiopiam. » Prophetæ viri portendentes erant, quia non solum ea quæ dicebant, sed etiam opera illorum plerumque aliud præfigurabant : sicut in hoc loco possumus cognoscere. Notandum autem, quia cum dicit, trium annorum signum erit, non debemus putare quod per tres annos ierit propheta nudus : sed per numerum annorum possumus intelligere dies : quod in volumine Ezechielis ostenditur, dicente Domino ad eum : Diem pro anno, id est, in quam diem pro anno dedi tibi.

« Sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, juvenem et senem, nudam, et discalceatam discoopertis natibus. » Subaudis tribus annis, sicut servus meus Isaias ambulavit tribus diebus, et tunc « ignominiam Ægypti, » subaudis videbunt omnes, cum ita minabitur in captivitatem.

« Et timebunt, » subaudis Judæi « et confundentur ab Æthiopia spe sua et ab Ægypto gloria sua. » Judæi gloriabantur in Ægyptiis qui eis promittebant protectionem et habebant fiduciam in Æthiopibus qui erant Ægyptiis sociati. Cum ergo audissent et vidissent tam Ægyptios quam Æthiopes minari in captivitatem ignominiose ab Assyriis, timuerunt valde, et erubuerunt quod spem suam in illis posuerint.

« Et dicet habitator hujus insulæ in die illa. » Insula dicitur eo quod in salo, id est in mari sit posita. Et Hierusalem insula appellatur, quia variis adversariorum persecutionibus tundebatur. « Hæccine erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum : et quomodo nos effugere potuerimus? « Nunquid ista est spes nostra quam habebamus in Ægypto et Æthiopia, et ad hos confugimus ut nobis præberent auxilium, qui se de captivitatis malo eruere nequiverunt. Et si illi capti sunt, quomodo nos effugere poterimus? Consideranda est providentia Dei, quomodo omnia regna contra se in superbiam elevata destruxerit, eorumque potestatem ad nihilum deduxerit. Contra Dei voluntatem Israel speravit in Damasco et Syriis ideoque tam illi qui adversariis Dei promittebant auxilium, quam illi qui in ipsis sperabant, vastati et captivati sunt ab Assyriis. Judas, id est, duæ tribus confidebant in Ægypto, et Ægyptii in Æthiopibus, ipsi quoque ab Assyriis Chaldæisque victi sunt. Assyrii superbi erant, putantes se victores exsistere sua virtute a Chaldæis regnum eorum periit. Chaldæi et Babylonii erexerunt caput contra Dominum, a Medis et Persis supposititi sunt. Persæ et Medi ab Alexandro magno. Alexander magnus cum se putaret esse ut Deum, veneno periit, regnumque ejus per partes divisum a Romanis est superatum, et in eorum potestatem redactum. Romanum imperium, quod quasi ferratis dentibus unguibusque carnes sanctorum laceravit, jam apparet destructum esse,

et destruetur in die judicii, cum regnum Christi advenerit.

CAPUT XXI.

« Onus deserti maris. » Mare appellatur in hoc loco Babylon, propter multitudinem populorum quæ in ea erat, unde et per Jeremiam dicitur ad Nabuchodonosor : « Desertum faciet Dominus mare ejus (*Jer.* LI). » Quod desertum dicitur, quia derelictum est a Deo, et evacuatum ab habitatoribus suis. « Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili visio dura nuntiata est mihi. » Vox Babylonis est. Sicut ab Africo, id est ab australi parte, tempestas vehemens venire consuevit : ita mihi de deserto Medorum et Persarum vastitas venit, et de terra horribili, id est terribili, cujus nec nomen audire possum sine formidine. Visio dura nuntiata est mihi, adventus scilicet Medorum et Persarum. Quid durius quam captivitatis malum ? Et quid durius quam ab ipsis subjectis non solum bona temporalia, sed etiam vitam præsentem auferri?

« Qui incredulus est, » id est qui infidelis est Deo, vel domino suo. Darius vel Cyrus « infideliter agit, » subaudis contra dominum suum Balthasar, occidendo illum : « et qui depopulator » sive vastator « vastat, » subaudis me. Vox ipsius Babylonis. Quamvis enim Deo permittente illud fieret, tamen infideliter egerunt Darius et Cyrus contra dominum suum Balthasar. « Ascende Elam, obside Bede. » Vox Domini alloquentis multitudinem Persarum et Medorum. Elam namque provincia est Persarum et civitas, per quam intelliguntur homines de Elam et Persida. Ascende, inquit, o exercitus Elam, id est qui de Elam provincia venis, et o exercitus Mede, qui de Meda es, obside Babylonem. Et est sensus : Ne timeatis, o Medi et Persi, vastare Babylonem, ascendite super equos vestros, et obsidete civitatem. « Omnem gemitum ejus cessare feci. » Tripliciter hæc sententia potest intelligi. Omnem gemitum ejus cessare feci, quo te et alias gentes gemere faciebat : vel quod nullus jam gemat pressus potentia Babylonis, seu quod tantis malis afflicta sit, ut coram te gemere non audeat.

« Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis. » Vox prophetæ plangentis Babylonem spiritu prophetali. Propterea, inquit, quia Babylon tantis est repleta miseriis, repleti sunt lumbi mei dolore : sicut lumbi mulierum parturientium. Angustia possedit me, prævidens tantæ multitudinis sanguinem fundi, sicut est angustia parturientis. « Corrui, » subaudis in tristitiam vel in terram, cum audirem, subaudis miseriam Babylonis, conturbatus sum cum viderem in spiritu destructionem ejus.

« Et inaruit, » id est defecit « cor meum » sive virtus mea ; « tenebræ, » id est, angustiæ et dolores « stupefecerunt me, » id est in magnam admirationem me converterunt. Vel etiam tenebræ stupefecerunt illum : quia multitudine lacrymarum caligaverunt oculi ejus. « Babylon dilecta mea, posita A est mihi in miraculum. » Vox prophetæ, qui ideo appellat eam Babylonem dilectam, quia homo erat et de hominibus loquebatur : idcirco non poterat non dolere super tantis miseriis eorum. Posita autem ei erat in miraculum, quare sic cito potuerit a subjectis everti.

« Pone mensam, contemplare in speculam, comedentes et bibentes. Surgite, principes, arripite clypeum. » Dupliciter potest intelligi istud. Et Persi et Medi, sumite cibum futuro prælio præparantes ut fortes sitis ad dimicandum et occidendum Babylonios. Cumque comederitis et biberitis, surgite, arma arripite, Babylonem debellate. Cumque debellaveritis, contemplamini in speculam, id est ea quæ exarata sunt in pariete perficite, quia Deus regnum istius numeB ravit. Aliter : O Babylon, para regi tuo Balthasar mensam, et contemplare quod post cibum eveniat ei. Vos autem, Dari et Cyre, qui cum rege comeditis, surgite et interficite dominum virum. Vel contemplare, o Balthasar, quod sit in pariete scriptum : « Mane, Techel, Phares (*Dan.* v). »

« Hæc enim dixit mihi Dominus : Vade et pone speculatorem, et quodcunque viderit, annuntiet. » Speculatorem hoc in loco prophetam intelligimus Isaiam, qui speculabatur quæ Dominus præcepturus erat super Babylonem. Prophetæ namque speculatores appellabantur, sicut ad Ezechielem dicitur : « Fili hominis, speculatorem dedi te Domui Israel (*Ezech.* III). » Tale est ac si diceret : Temetipsum constitue speculatorem, et quæcunque audieris a me C vel videris spiritu prophètali, annuntia.

« Et vidit » ille speculator, id est, ego vidi, « currum duorum equorum, » hoc est, bigam quæ duobus equis duci solebat, « ascensorem asini et ascensorem cameli, » subaudis vidi, id est ille ascensor qui residebat, pro equis utebatur disparibus animalibus, asino videlicet et camelo. Ascensor iste duorum animalium, intelligitur Cyrus qui duorum regnorum exstitit, Persiæ et Mediæ, post mortem Darii avunculi sui. Asinus regnum Persarum est, quod ante Cyrum ignobile fuit, et nullius dignitatis inter cætera regna. Camelus Medorum regnum est, quod semper fuit potentissimum. Ascensorem ergo bigæ vidit propheta venientem, quia cum Medis et Persis venit ipse Cyrus contra Babylonem pariter cum avunculo suo D Dario. « Et contemplatus est » speculator, id est ego contemplatus sum, « diligenter multo intuitu. »

« Et clamavit ut leo. » Ipse propheta qui appellatur speculator, nuncupatur et leo pro virtute animi : et quia dubium erat de persona speculatoris, ipse exponit manifestius, dicens : « Super specula Domini ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam meam, » id est, super locum contemplationis meæ « ego sum stans totis noctibus. » Super custodiam, inquit, meam sum, ut me custodiam ab omni peccato, ut sim dignus audire verba Dei : et super specula Domini sum jugiter, id est semper sum positus in contemplatione Dei, et diebus ac noctibus sum præparatus audire et loqui quod ipse præceperit.

« Et respondit, » subaudis leo qui supra clamaverat, « et dixit : Cecidit cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram. » Quod dicit cecidit Babylon, intelligendum est quia in prophetia Dei jam ceciderat. Vastante Cyro cum Dario Babylonem, non solum urbs est destructa, sed etiam idola ejus ad nihilum redacta sunt, destructo templo Belis et igne concremato.

« Tritura mea et filia areæ meæ quæ audivi a Domino exercituum Deo Israelis annuntiavi vobis. » Facit apostropham ad Hierusalem, quam appellat trituram, eo quod a diversis gentibus triturabatur sive conculcabatur. Triturare enim est conculcare. Filia etiam areæ appellatur, id est filia templi, quod erat constructum in area Ornam Jebusæi, qui et Areuna vocabatur (*II Reg.* XXIV). Et est sensus : O tritura mea, Hierusalem, quæ a multis gentibus es contrita, et, o filia areæ meæ, id est, templi quod situm est in area Areunæ, non tibi videatur incredibile esse, quod dixi de Babylone : quia non sunt mea verba : sed Domini exercituum, et quæ audivi ab illo annuntiavi vobis.

« Onus Duma. » Pro Duma Septuaginta Idumæam interpretati sunt, quæ est provincia Sarracenorum. Duma autem regio est Idumææ provinciæ, et sunt habitatores ejus de progenie Esau, qui et Edom sive Seir est appellatus. Constat vero Idumæos ab Assyriis vel Chaldæis expugnatos esse, sicut et duas tribus. Sed videntes post septuaginta annos duas tribus de captivitate Chaldaica esse reversas, et se in servitio detineri, divinum implorabant auxilium, cur non etiam ipsi fuerint liberati, cum de stirpe fuerint Abrahæ et Isaac. Unde dicit Dominus : « Ad me clamat ex Seir, » quilibet, id est Idumæus qui de Seir est captivatus in Babylonem et Medam, ubi adhuc detinetur. « Custos quid de nocte ? Custos quid de nocte? » subaudis liberas populum tuum. Et est sensus : O custos Israel omnipotens, qui populum tuum tueris custodia sempiterna, et quasi in nocte dormientibus illis vigilas ne hostis irrumpat super eos, liberans illos de nocte captivitatis, quare et nos qui de ejus genere sumus, simili clementia non protegis ?

« Dixit custos » non dubium quin Deus omnipotens. « Venit mane, » id est libertas populo meo, et nox, id est tempus tribulationis, venit genti Idumæorum. Populo meo præbebo lumen lætitiæ de captivitate revertendi, et vos derelinquam in tenebris captivitatis et servitutis, eo quod gavisi estis super vastatione populi mei. Nam quia Idumæi lætati sunt de captivitate populi Israelitici, idcirco et ipsi in captivitatem postmodum ducti sunt. « Si quæritis quærite : convertimini et venite. » Et est sensus : Si quæritis me, ex toto corde de captivitate redite. Aliter : Si quæritis tempore necessitatis meum auxilium, et in prosperitate similiter me quærite. Convertimini ad me toto animo, et venite appropinquantes mihi per bona opera, et suscipiam vos pœnitentes.

« Onus Arabiæ. » Arabes ipsi sunt Sarraceni et Ismaelitæ, ex Ismaele et filio ipsius Cedar ducentes originem, quorum regio appellatur Arabia. Qui cum recte Agareni vocari debuerunt, ab Agar matre sua, mutato nomine malunt se Sarracenos vocari quam Agarenos, quasi non de ancilla Agar, sed de libera Sara exorti (*Gen.* XXV). Quia ergo isti Judæis fugientibus a facie Chaldæorum cum debuissent aquam et panem dare, panem dantes, aquam retraxerunt, ut illi magis exardescerent in sitim et morerentur : idcirco et ipsi in captivitatem ducti sunt. Et licet illi hoc agerent, tamen alloquitur Deus omnipotens Judæos fugientes, inquiens : « In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dodanim. » Vos, o Judæi, qui obsidionem Babyloniam effugere potueritis, in saltu, id est in sylvis Sarracenorum, dormietis, sive requiescetis, fugientes Chaldæos. In semitis quoque Dodanim requiescetis. Dodanim interpretatur in propinquos vel cognatos. In semitis Dodanim dormietis, hoc est in itinere quod ducit ad propinquos vestros Sarracenos.

« Occurrentes sitienti, » subaudis populo meo, « ferte aquam. » Ad Ismaelitas sermo convertitur, ut ferant aquam fratribus suis Judæis ad se confugientibus. Currite, inquit, et lapsis fratribus ac periclitantibus ardore sitis ferte aquam, ne fervore solis nimio in solitudine pereant. « Qui habitatis terram Austri, » id est meridianam, « cum panibus occurrite fugienti, » populo meo. Non solum, inquit, aquam, sed panem ferte fugientibus, ut quos afflixit obsidio et persecutio hostium, vestra misericordia relevet.

« A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii, » subaudis Babyloniorum « imminentis, a facie arcus extenti, » id est a facie Elamitarum, qui sunt peritissimi sagittarii, et cum Chaldæis venerunt, « a facie gravis prælii. » Ac si diceret : ne despiciatis miseros, quia cito veniet vestra captivitas.

« Quoniam hæc dicit Dominus ad me : Adhuc in anno uno quasi in anno mercenarii, et auferetur omnis gloria Cedar, » id est, populus et divitiæ Sarracenorum, « et reliquiæ numeri sagittariorum, de filiis Cedar imminuentur. » Post unum annum Judaicæ captivitatis et destructionis Hierusalem et ipsi vastati sunt, ideoque dicit : Quando annus mercenarii velox est, et brevem putat laborem, dum tantummodo ad desideratam perveniat mercedem : sic parvissimum temporis spatium restat, donec captivemini, o Sarraceni! Reddit ergo causas quare præceperit occurrere illis. Fugerunt, inquit, Babylonium gladium, fugerunt arcus Elamitarum, fugerunt imminentem gladium, et quia vos non præbuisti eis misericordiam, expleto uno anno captivitatis eorum, auferetur omnis gloria vestra. Quod vero dicit, et reliquiæ muneri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur, hoc modo intelligitur : Reliquiæ Sarracenorum, quæ relictæ sunt ab Assyriis, imminuentur a Babyloniis. Sagittarii enim sunt Sarraceni, sicut et pater eorum Ismael, quia in solitudine morantur.

CAPUT XXII.

« Onus vallis visionis, » id est pondus miseriarum et pœnarum. Vallem appellat Hierusalem. Illa civitas domina gentium, et quæ antea vocabatur civitas magni regis, modo appellatur vallis despective a Spiritu sancto : non quod in valle sit posita (in monte enim sita est), sed propter transgressionem mandatorum Dei, et idololatriam. Sic etiam veniente Domino in carne, appellat eam castellum despective. « Ite, » inquiens ad apostolos, « in castellum quod est contra vos (*Matth.* XXI). » Et bene dicit, « vallis visionis. » Ibi enim fuerunt prophetæ justi, qui Domini visiones videre meruerunt, sicut fuit Samuel, David, Isaias, Jeremias, Daniel, et cæteri sancti (*IV Reg.* XVIII; *IV Reg.* XXIV; *II Par.* XXXVI). Et notandum est in hoc sermone, quia B non pertinet hoc quod propheta dicit ad illam obsidionem quæ facta est a Sennacherib temporibus Ezechiæ, sed potius ad illam quæ facta est a Nabuchodonosor temporibus Sedeciæ. « Quidnam tibi est? » Vox prophetæ ex persona Spiritus sancti. Quidnam tibi quoque, o Hierusalem, « quia ascendisti et tu et omnis in tecta? » bene dicit et tu. Ante enim ascendit Moab in tecta adorare idola, et Philistiim et reliquæ gentes, quam Hierusalem. Ac si diceret aliis verbis : Et si omnes gentes ascenderunt super tecta adorare idola, tu quare ascendisti derelinquens me redemptorem tuum? Ideo dicit :

« Clamoris plena, » subaudis civitas, quia ante obsidionem plena erat illa clamore exsultationis et gaudii, dum adorarent idola sua. Et adveniente C Nabuchodonosor, similiter repleta est clamore tristitiæ et timoris. Ascendentes illi miserrimi super domos adorare idola sua, et petere ab eis auxilium, sed non profuit illis. « Urbs frequens » appellatur propter multitudinem populorum quæ ibi erat, rex enim ejus jugiter in ea habitabat, et exercitus ejus. « Civitas exsultans » quondam, sicut temporibus David et Salomonis. « Interfecti tui, non interfecti gladio. » Hoc referendum est, sicut diximus, ad Nabuchodonosor et Sedeciam. Quomodo ergo interfectus est populus ejus obsidione? Fame et siti. Et quare non in prælio est? ipse manifestat.

« Omnes principes tui fugerunt. » Sicut enim in libro Jeremiæ legitur (*Jer.* XXXIX), cum obsidione obsideretur civitas a Chaldæis, per quoddam foramen D muri exivit Sedecias rex nocte, et principes cum eo fugientes per campos Jerichontinos. Sed non ideo liberati sunt, quia non habuerunt fiduciam in Domino. Persequentes enim eos Chaldæi, comprehenderunt illos in eisdem campis, et duxerunt ad Nabuchodonosor qui erat in Reblatha. Nam ipse non ascenderat ad Hierusalem, sed populum suum direxerat ad capiendam urbem. Tunc jussit Nabuchodonosor filios Sedeciæ ante oculos ejus occidi, et postea eruit illi oculos ejus, ducens secum cæcatum in cavea in Babylonem. Omnes autem principes et quicunque capi potuit ab illis, aut occisi sunt, aut etiam dure ligati et vincti et ducti in Babylonem.

A « Propterea dixi. » Vox prophetæ. Propterea quia cognovi desolationem populi mei, dixi conprophetis et condiscipulis meis : « Recedite a me, quia amare, » id est graviter, « flebo » desolationem populi mei. Superius diximus, quia cum audiret propheta mala quæ futura erant super Babylonem, flevit; quanto magis ergo vastationem populi sui. « Nolite incumbere super me. » Vox prophetæ est ad condiscipulos suos, qui eum volebant consolari. Sic enim erat gravatus dolore quasi in lecto ægrotaret, ideoque dicit : Nolite incumbere, id est inclinare ad me, ut consolemini.

« Dies enim interfectionis a Domino Deo, » subaudis oritur, « in valle visionis, » id est super Hierusalem. « Scrutans murum. » Ipse Dominus B scrutatus est murum Hierusalem, quia, sicut in subsequentibus videbitur, unusquisque principum Chaldæorum qui civitatem obsidebant, partem muri contra se positam destruxit. « Magnificus » etiam « super montem, » id est templum exstitit, quia permisit illud evertere.

« Elam sumpsit pharetram. » Elam civitas est et provincia in Persida provincia, et sunt illi Elamitæ optimi sagittarii. Elam ergo, id est Elamitæ sument pharetram, ad sagittandum populum Judæorum, « currum » etiam « hominis equitis » sument, ut possint cito discurrere per plateas Hierusalem. Licet currus duos habeat equos, potest tamen non incongrue ille qui desuper est, appellari eques. « Et parietes domus Domini nudabit clypeus. » Chaldæo- C rum, id est fortitudo illorum. Parietes domus, qui erant vestiti crustis aureis et marmoreis, nudavit clypeus, id est fortitudo et potestas Chaldæorum. Clypeus namque in hoc loco, pro fortitudine habetur.

« Et erunt electæ tuæ valles, plenæ quadrigarum. » Vox prophetæ ad Hierusalem. Hierusalem in monte sita est et in circuitu sui habebat valles delectabiles. Quando exercitus Nabuchodonosor venit contra eam, multitudo quadrigarum effusa est per latitudinem vallium. Equites autem qui in civitatem intraverunt, (non enim omnem illam multitudinem poterat capere illa civitas), posuerunt sedes suas in portis, ne quis Judæorum fuga posset salvari. Et de hoc dictum est in Jeremia : Ecce ego congregabo omnes cognationes regnorum aquilonis et oppugnabunt Hierusalem, D et ponent principes sedes suas super portas ejus. O Hierusalem, erunt valles tuæ quondam electæ plenæ quadrigis, et erunt equites ponentes sedes suas super portas tuas (*Jer.* XXV).

« Et revelabitur, » id est destruetur « operimentum Judæ. » Operimentum appellat templum Domini, quod opertum, id est absconsum, erat antea leprosis et immundis hominibus, sed etiam gentilibus, quia non licebat eis ingredi intus. Tunc autem revelatum est, quia violaverunt illud Chaldæi et gentes suo ingressu. « Et videbitis, » subaudis destructum « armamentarium in die illa, » in qua die cum Chaldæi ceperint civitatem, et dissipaverint templum, tunc videbitis, o Judæi, concives mei, destructum arma-

mentarium « domus saltus. » Armentarium est locus ubi reconduntur tela armorum. Erat enim domus juxta templum Domini, quam David ædificavit ad reponenda arma, in cujus circuitu erant arbores plantatæ : et propterea dicitur domus saltus, ipsaque domus non habebat parietes ex cæmento et lapidibus, sed ex ligno. Dicunt enim quia ex humore cæmenti et lapidum, nascitur rubigo in ferro.

« Et scissuras civitatis David videbitis. » Civitatem David, appellat Hierusalem. Sicuti superius diximus, murus civitatis multipliciter est perforatus ab hostibus, et multiplicatæ sunt scissuræ. « Et congregastis aquas piscinæ inferioris, » o filiæ Judæ et Benjamin. Vox prophetæ. Piscina lacus est sive cisterna, ubi colliguntur aquæ. Terra repromissionis (ut dicit beatus Hieronymus), licet fertilissima fuerit, tamen magnam penuriam aquæ habebat, maxime circa Hierusalem, et ideo faciebant cisternas ad colligendas aquas. Jordanis quippe fluvius currit inter Galilæam et Judæam. Fons Siloæ ad radices montis Sion oritur. In Hierusalem autem erant duæ piscinæ, una superior, altera inferior. Illa quæ superior erat, non poterat capi ab hostibus. Inferior vero, poterat auferri. Cum audissent autem adventum Chaldæorum, aquas quæ in piscina inferiori erant quæ capi poterant, per quasdam fistulas et meatus deduxerunt intra civitatem, et congregaverunt eas in locum unum, et numeraverunt domos Hierusalem, et constituerunt quantum unicuique domui daretur ex ea, detraxeruntque domos aliquantas, et muniverunt civitatem contra hostes, et ipsum lacum de quo supra diximus, fecerunt decurrere inter duos muros.

« Et lacum fecistis inter duos muros. » Duos muros dicit, quia Hierusalem duplici muro cingebatur, sicut legitur in Esdra. Isti habitant in Hierusalem prima, et isti in secunda. « Et aquam piscinæ veteris » quæ quondam non habuerat aquas, subaudis vos restituetis, habentes magis fiduciam in aquam quam in Dominum, qui condidit eam. « Et operatorem illius » aquæ, id est Dominum, « de longe non viderunt » usquequo venit super eos tribulatio.

« Et vocabit Dominus in die illa ad fletum. » Hoc est, tempore illo cum venerit Nabuchodonosor, convocabit Judæos. Legimus in Jeremia (*Jer.* XXXVIII). Quia cum Nabuchodonosor veniret super Hierusalem, antequam obsidere cœpisset populus ejus civitatem, misit Dominus Jeremiam ad Sedeciam et ad Judæos, ut agerent pœnitentiam, et misereretur eorum : sed pro nihilo duxerunt verbum Jeremiæ. Et epulati sunt et dicebant, positi in desperatione : « Comedamus et bibamus ; cras » in futuro « moriemur. » Ad calvitium autem provocavit eos, quia antiquitus erat consuetudo, ut in tempore pœnitentiæ tonderent capita, et raderent barbam suam.

« In auribus meis sonuit hæc vox Domini. » Quænam fuit vox illa? « Si dimittetur populo huic iniquitas hæc? » id est, non dimittetur. Si pro non positum est. Hæc dicit Dominus ad Isaiam : « Vade ad Sobnam præpositum templi, qui habitat in tabernaculo, » subaudis Domini. Iste Sobna summus pontifex erat, superbus et arrogans prævaricator legis Dei, opprimens universum populum, et avertens illos a præceptis et cultura Domini, et ipse tradidit præ timore inferiorem partem civitatis exercitui Semacherib, ideoque Dominus promittit ei mala futura. Hæc vero quæ hic dicuntur non pertinent ad illam captivitatem superius memoratam, quæ fuit temporibus Sedeciæ. Et quid dicitur ei a Domino?

« Quid tu hic » subaudis facis? Tu qui superbus es et lupus rapax, cur moraris in domo mea, « aut quasi quis hic? » Ac si diceret aliis verbis : Aut tu cur sedes in domo mea, non timens ire in captivitatem, quasi hic aliquis semper possit æternaliter manere? « Quia excidisti tibi hic sepulcrum. » Non excidit ille in ipso templo suum sepulcrum, sed in ipsa civitate ædificavit domunculam in petra, et in excelso loco, sperans non ire in captivitatem, ut superbia et potentia quo jam vivens obtinuit, etiam in sua morte ostenderetur. Sed non est ibi humatus, quia captivus est in Babylonem ductus. « Sicut asportatur gallus gallinaceus. » Gallus gallinaceus est gallus castratus, quem nos capum sive caponem dicimus. Et est sensus : Sicut ille portatur sine impedimento aliquo, et sicut sublevatur super scapulam saccus sine labore, sicut asportatus est ille a terra sua. « Coronans coronabit te. » Coronam appellat laminam auream, ubi erat scriptum nomen Domini, quam portabat sacerdos semel in anno in fronte. Pro illa corona tribulatus est tribulatione. « Quasi pilam mittet te in terram. » Sicut si posita fuerit pila in aliquo tumulo, sive monte, cito decurrit in vallem, sic ille lapsus est cito de gloria et superbia ad ruinam. « Et ibi erit currus gloriæ tuæ; » currum posuit pro omni gloria et potentia et dignitate, quæ omnia pariter cum illo ducta sunt, et ignominia, id est contaminatio domus Domini, reddita est illi.

« Et erit in die illa, » hoc est cum tu depositus fueris de statione, id est de loco tuo. « Vocabo servum meum Eliachim filium Helchiæ. » Eliachim unus erat ex viginti quatuor sacerdotibus, qui suscepit decus pontificale per Sobnam, quia inventus est justus. Sobna fuit quasi lupus rapax omni populo. Ille autem ut pater, tam populo quam sacerdotibus, domum David appellat domum Domini, ubi erat clavis aurea. Paxillum per metaphoram ipsum Eliachim nuncupat. Locum fidelem dicit, ubi conveniunt fideles. « Et erit ibi in solium gloriæ? » Cujus? « domui patris sui. » Magnum enim honorem habebant propinqui ejus et cognati, cum viderent eum ita glorificatum. « Et suspendam super eum, » id est super paxillum. Adhuc servat metaphoram. Sicut in paxillo, id est in stipite, suspenduntur diversa utensilia, sic omnis ornatus templi Domini in regimine illius constitit. « In die illa, dicit Dominus, auferetur paxillus. » Notandum isto in loco, quia hæc quæ dicuntur, non pertinent ad captivitatem Sobnæ, sed potius ad ultimam quæ fuit temporibus Sedeciæ, quam supe-

rius memoravimus. Considerandum est etiam, quia licet superius paxillum voluisset intelligere Eliachim pontificem, tamen modo convertit se ad alia : significans per paxillum ipsum sacerdotium, quod post mortem Eliachim destructum est. Nam quandiu ipse vixit, honorifice omnia acta sunt in templo Domini. Illo vero moriente, defecit et illud : in tantum ut quando captivitas advenit temporibus Sedeciæ, carerent sacerdotio. Possumus etiam hoc allegorice intelligere, quod de Eliachim scriptum est, et Sobnam. Per Sobnam, qui superbus et arrogans fuit, significantur sacerdotes Judæorum, Scribæ et Pharisæi. Per Eliachim vero humilem et justum, qui interpretatur *resurgens*, significatur Dominus Jesus, qui tertia die resurrexit, et qui factus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). Per hoc quod ipse Sobna ejectus est de ministerio, et pro eo Eliachim ordinatus est : significatur sacerdotium Judæorum destructum, et sanctam Ecclesiam pro illo constitutam a Domino esse in gentibus : qui modo est pater habitantibus in Jerusalem, hoc est, in Ecclesia. Clavis domus David scientia Scripturarum intelligitur, quam Dominus aperuit quando discipulis suis concessit, ut intelligerent omnia quæ de eo scripta erant in lege Moysi, et prophetis, et psalmis. Clausit autem, quia quæ ipse non aperuit, adhuc clausa permanent. Per clavem etiam, quam super humerum portavit, possumus intelligere imperium regni, et signum victoriæ, id est, crucem quam ipse proprio humero portavit (*Joan.* XIX) : sicut jam diximus illo in loco ubi dicitur : Cujus imperium super humerum ejus (*Isa.* IX). Fixit illum in loco fideli, id est, in Ecclesia fidelium. Unde recte sequitur : « Et erit solium gloriæ domui patris sui. » Domus Dei Patris angeli sunt, sive corda sanctorum, in quibus ipse inhabitat. Cujus domus solium est gloriæ Dominus Jesus Christus, quia ipse eminet supra omnem Ecclesiam, et ipse est caput omnium electorum, et gloria ipsorum præsidendo illis, et ad contemplationem suam ac Patris eos introducendo.

« Et suspendit super eum. » Attendere fecit ad doctrinam illius electos suos « vasorum diversa genera suspendit, » id est corda electorum. Per vas craterarum, hoc est, per vas vinarium, debemus intelligere apostolos et doctores sanctæ Ecclesiæ, qui nos vino, id est mysterio divinarum Scripturarum inebriant, et qui etiam gratia sancti Spiritus inebriati, nos etiam inebriant. Per vas autem musicorum, cantores sanctæ Ecclesiæ, qui suis modulationibus corda audientium ad amorem Dei provocant. Hoc autem quod dicitur : « In die illa auferetur paxillus, qui fuerat fixus loco fideli, » referendum est ad diem judicii. Veniente enim Antichristo, postquam plenitudo gentium intraverit, prædicante Elia et Enoch omnis Israel salvabitur (*Rom.* XI). Et illo in tempore complebitur illud quod dictum est : « Superabundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV). » Multi enim præ timore Antichristi, et afflictione negabunt Christum : et tunc confringetur paxillus, id est Evangelium quod erat in Ecclesia, et ex parte cessabit, et transibit ad Judæos.

CAPUT XXIII.

« Onus Tyri. » Onus, id est pondus miseriarum, et pœnarum. Tyrus civitas nobilissima fuit Chananæorum, plena divitiis et abundans opibus. Sed quando Isaias hoc ei prædicebat, in insula maris magni ædificata erat. Postea autem longo post tempore, veniente Nabuchodonosor cum omni exercitu suo, voluit eam continentem facere terræ. Et sicut legimus in Ezechiele (*Ezech.* XXIX), omnis humerus depilatus est, et omne caput decalvatum in servitute illius : sed non profuit illi, quia non potuit illam coæquare terræ. Cum autem vidissent illi qui in civitate erant, quia non poterant resistere Nabuchodonosor, quicunque illorum valuit naves conscendere (de illis dico qui naves habebant) fugerunt in Ægyptum, et ultra mare et in Moab, et in alias regiones sibi vicinas. Quod videns Nabuchodonosor, furore nimio succensus conscendit in naves, et subvertit omnem civitatem, omnesque quos ibi reperit duxit captivos : sicut in subsequentibus videbimus. Et reversus est in Chaldæam, datumque est illi pro Tyro a domino regnum Ægypti. Postea vero quam reædificata est post septuaginta annos, venit Alexander Magnus cum pergeret ad capiendam Ægyptum, et divisit partem exercitus sui ibi contra Tyrum, ut coæquarent illam terræ, et non potuerunt. Ille autem, subjugata Ægypto, veniens cum populo Æthiopum et diversarum gentium, ivit in sylvam et succidit arbores, adduxitque ad mare, et implevit illud tam ex lapidibus quam arboribus et humo : ut siccis pedibus posset venire ad civitatem, quod et fecit. Omnesque cepit qui in civitate erant, et ipsam subvertit. Non loquitur autem de ista destructione propheta, sed de illa quam Nabuchodonosor adimplevit. Quare autem hoc ei evenit? Hæc est causa. Cum Hierusalem capta esset a Chaldæis temporibus Sedeciæ, et populus ejus in captivitatem ductus, templumque dirutum, insultavit Tyrus vastationi ejus. Ideoque quia gavisa est de tribulatione illius, fecit ei Dominus similiter, mittens super eam Nabuchodonosor. Et prædixit ei per prophetam mala, quæ futura illi erant. « Ululate, naves maris. » Metaphorice loquitur prophetà : quia naves non possunt ululare : sed homines qui in illis consistunt. In Græco apertius dicitur : Ululate, naves Carthaginis, qui consueveratis venire ad Tyrum negotiationis causa. Carthago colonia fuit Tyriis, quia ab ipsis constructa est, et ipsi eam incoluerunt. Et quare dicit propheta, ululate? « Quia vastata est domus, » id est, civitas Tyrus, unde venire consueverat vobis aurum, vel vestra negotiatio. « De terra Cethim revelatum est » eis. Cethim pro Græcia posuit, sicut legimus in libro Machabæorum (*I Mach.* I) de Alexandro Magno, quia egressus est de terra Cethim, id est, de Græcia. Et quid revelatum est Carthaginensibus a Græcis? Vastatam esse Tyrum. De Græcia namque veniebant

negotiatores ad Tyrum, sicut et de diversis gentibus et civitatibus. Dumque illi reverterentur in patriam, nuntiaverunt Carthaginensibus destructionem Tyri.

« Tacete, » id est, pœnitentiam agite « qui habitatis insulam » maris, o Tyrii qui estis negotiatio Sidonis, quia ab ipsis ædificata est illorum civitas, ipsique Sidonii sæpe veniebant causa negotiandi ad Tyrum. Vox prophetæ est ad habitatores Tyri, sicut et hoc quod sequitur : « transfretantes mare. » Qui fuerunt isti transfretantes mare, et repleverunt eam positam in aquis multis suis divitiis? Sidonii, Carthaginenses, Græci et alii qui de diversis gentibus confluebant ad eam : maxime Ægyptii, sicut in subsequentibus habetur. « Semen Nili, messis fluminis fruges ejus. » Iste versiculus constructione eget, istaque est concatenatio : Fruges ejus, id est, Tyri, semen Nili fluminis, et messis ejus semen Nili fluminis. Terra Chananæorum in quorum medio Tyrorum civitas posita est, infertilis est. Terra autem Ægyptiorum quam Nilus fluvius irrigat, fertilissima est, et abundans admodum frugibus. Ideoque transibant mare negotiatores Tyrorum, et emebant ab Ægyptiis frumentum, fabam, hordeum, linum, et cætera quæ illa terra profert : dantes e contra aurum, argentum, pallia, et hujusmodi pretia. Et hoc est quod dicit, quod Ægyptii seminabant illi sumebant, et messis Ægyptiorum fructus et esca illorum erat. « Et facta est negotiatio gentium, » omnes gentes quæ in circuitu ejus erant concurrebant ad eam, quia ipsa erat locupletior omnibus.

« Erubesce, Sidon, ait, » enim « mare : et fortitudo maris, dicens. » Duobus modis intelligendus est iste versiculus. Potest enim sic intelligi, quod propheta loquatur ex persona maris, quasi ipsum fretum animam habeat, et condoleat civitati Tyro. Vel alio modo, ut habitatores diversarum civitatum qui in mari residebant, et quibus Tyrus mercimonia præbebat dicerent ad Sidonios, qui Tyrum ædificaverunt, compatiendo miseriis eorum : O Sidon civitas, erubesce, id est, confundere, et habe mœrorem et verecundiam, super desolationem filiæ tuæ Tyri : quoniam propter superbiam et fornicationem suam ad nihilum redacta est. « Non parturivi, et non peperi filios. » Vox populi habitantis in mari, vel etiam ipsum mare loquitur, si ita potest dici. Non propterea dicit quod non peperit filios, sed condolendo dicit, quod non fuerint filii ejus tales qui Tyrum possent defendere : vel etiam ad incrementum non pervenerunt, id est, ad perfectionem virgines illius et filii ante ab hostibus interfecti, quam plenum haberent.

« Cum auditum fuerit in Ægypto. » Vox prophetæ. Ægyptus in proximo erat civitati Tyro, erantque ad invicem connexi amicitiæ vinculis. Deferebant enim Tyri in Ægyptum hoc quo illi carebant, accipientes e contra ab illis frumentum, et cætera quæ in Ezechiele plenius commemorantur. Ideoque dicit : Cum audierint Ægyptii subversam esse Tyrum, dolebunt super eam.

« Transite maria. » Vox prophetæ dans consilium Tyriis. Sicut enim superius diximus, cum mente pertractassent non posse resistere se Nabuchodonosor, pars maxima illorum conscenderunt naves, et fugerunt trans mare ; pars etiam illorum carens navibus remansit in civitate. Loquitur ergo propheta ad illos qui fuga lapsi sunt, dicens : Transite maria. Illis autem qui in civitate relicti sunt, dicit :

« Ululate qui habitatis Tyri : » capiemini enim a Chaldæis. « Nunquid non hæc est vestra, » subaudis civitas « quæ gloriabatur propter antiquitatem sui? » Vox prophetæ ad negotiatores Carthaginis, et aliarum civitatum. Erigebatur enim in superbiam Tyrus, dicens : Ego in antiquo tempore ædificata repleta sum divitiis, et domina omnium negotiatorum. Et quia inflata superbia gloriata est, « ducent eam pedes sui in Chaldæam. » De illis modo loquitur quos duxit Nabuchodonosor in Babylonem.

« Quis cogitavit hoc super Tyrum, » ut destrueretur, quæ « quondam » fuit « coronata? » Vox prophetæ quis hoc cogitaverit, et ipse demonstrat quis cogitavit, cum dicitur : Dominus exercituum cogitavit hoc. Unde erat coronata? Sicut rex habens diadema in capite, sceptrum in manu, altior omni suo populo et præclarior exsistit : sic illa residens in medio mari, plena divitiis et negotiationibus, omnibus civitatibus locupletior et præcelsior erat. Vel etiam ex hoc appellatur coronata, quod omnes civitates et negotiatores in circuitu illius positi, confluebant undique, quibus erat circumdata quasi ex corona. Institores vocantur negotiatores, eo quod superinsistant negotiis et mercimoniis. Dicit ergo propheta, quia tam dignos et nobiles habebat negotiatores et institores, qui principes et inclyti poterant esse in regnis.

« Dominus cogitavit » ut de superbia deducatur « ad ruinam et universos inclytos terræ, » subaudis Chananæorum, « ponat ignominiam. Transi terram tuam » o filia maris. « Quasi » aliquis qui cito transnavigat aliquem « rivulum. » Quare hoc? « Quia non est cingulum tibi, » id est, non habes ultra vires resistendi Chaldæis. Per cingulum, fortitudinem sive vires intellige, quia in lumbis qui cinguntur cingulo, vis hominis consistit (*Job.* XXXVIII).

Consilium dat propheta Tyriis. « Manum suam extendet supra mare. » Vox prophetæ est. Quis extendet manum suam? Dominus. Ad quid faciendum? Ut conturbentur regna. Quæ regna? Ægyptiorum, Moabitarum, et cæterorum in circuitu Tyri. Cum enim audissent universa regna quæ erant in circuitu Tyrorum, quod illi deprædationis ruinam sustinerent, nimio timore perterriti dixerunt : Quid faciemus nos modo, quando regina nostra prædæ est data? Certe capiemur a Chaldæis. Sic factum est de regno Ægyptiorum. Legimus in Ezechiele (*Ezech.* XXIX), quia regnum Ægypti pro subversione Tyri dedit Dominus Nabuchodonosor, dicens : Fili homi-

nis, Nabuchodonosor servo meo merces non est reddita pro servitute, qua servivit mihi contra Tyrum, da ei Ægyptum pro Tyro. « Dominus mandavit adversum Chanaan. » Hoc quod superius dixit, extendet manum suam, modo dicit, mandavit. Extendere manus Dei, est mandare. Mandare illius voluntas, voluntas operatio. Ea virtute mandavit Nabuchodonosor. Quid? Ut veniret adversum Chanaan, « et contereret fortes ejus, » id est fortes Chananæorum. Tyrus, ut jam diximus, Chananæorum civitas erat : et fortissimi illorum in Tyro habitabant, et in contritione Tyrorum, illorum fortes perempti sunt.

« Et dixit, » subaudis Dominus, « Non adjicies ultra » etc. Calumnia est accusatio. Filia Sidonis appellatur Tyrus, quia ipsi ædificaverunt eam. Gloriabatur autem Tyrus in divitiis suis, et accusabatur ab omnibus in circuitu suo quod superba esset, ideo dixit : O virga filia Sidonis, postquam destructa fueris non gloriaberis amplius, et non accusabunt te populi quod typo superbiæ inflata sis. « In Cethim consurgens transfreta. » Vox prophetæ ad Tyrum. In Cethim, id est, in Græciam si ieris, non habebis requiem. De illis dicit qui transierunt mare : et fugerunt in Ægyptum et in Græciam. Et quare non habuerunt ibi requiem? Quia comprehensi sunt a Nabuchodonosor.

« Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit. » Notandum, quia non dixit non erit, sed non fuit. Verum est enim, quia usque ad mortem Nabuchodonosor fortissimi super omnes gentes Chaldæi Assyriique fuerunt. Postea autem Græcorum et Romanorum populus fortior fuit. « Assur fundavit eam, » subaudis illam terram. Assur potentissimus et fortissimus homo fuit, a quo fundata est, id est, a quo originem sumpserunt. Vox prophetæ. Ipse Assur venit super te, o Tyre, « in captivitatem transduxerunt robustos » sive captivos « ejus. » Cujus captivos? Tyri « suffoderunt domos ejus. » Quando Nabuchodonosor navigio venit ad Tyrum, non solum muros, sed etiam domos omnes subvertit, et quæ antea erat negotiatio civitatum, facta est siccatio saginarum per septuaginta annos.

« Et erit in die illa, in oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis, sicut dies regis unius. » Vox prophetæ : Sicut Hierusalem et templum destructum, et populus per septuaginta annos in captivitate mansit : ita et Tyrus quæ eorum malis insultavit. Sed non vacat quod dicit, sicut dies regis unius. Nunquid legimus in aliqua historia, quemque regum septuaginta annis regnasse? David quadraginta annis regnavit, totidemque filius ejus Salomon. Ozias autem qui et Azarias lepra percussus, quinquaginta duobus annis regni regimina tenuit. Dicit ergo propheta : O Tyre, sicut alicujus regis dies septuaginta annorum in oblivione traduntur, postquam spiritum exhalaverit, forsitan si hoc ei evenit ut tot annis regnaret : sic tu et omnis gloria tua per septuaginta annos omnibus populis in oblivione eris. « Post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis. » A Iste versiculus pertinet ad restaurationem illius, quæ fuit post septuaginta annos. Meretrices quæ multos habuerunt amatores, postquam derelinquuntur ab illis vel propter deformitatem, vel senectutem, solent residentes in domo componere sibi carmina, et cantare ut recipiant consolationem, vel etiam reducentes ad memoriam hoc quod prius gesserunt, cum cantico commemorant illud : sic et Tyrus postquam reversa est egit.

« Sume citharam, » o meretrix. Consilium dat ei propheta, qualiter agat pœnitentiam, ut evadere queat judicium Domini, dicens : « Sume citharam, et perge per tuam civitatem » cantando tuas miserias, quatenus misereatur tui Dominus. « Bene cane, frequenta canticum. » Hæc quæ sequuntur ex onere isto, ad reversionem illius pertinent. Propterea rogat propheta canere illam, et frequentare canticum miseriarum suarum : ut reducat ad memoriam pristina mala, propter quæ migravit a proprio solo, et propter quæ destructa est, ne iterum similia ei eveniant. Dicunt enim doctores : Quia vis est artis musicæ, ut si hominem lætum invenerit, lætiorem reddat. Sin autem tristem, tristitiam illi augeat.

« Visitabit Dominus Tyrum post septuaginta annos. » Ista visitatio in bona parte intelligenda est, quia post reversionem suam repleta est mercibus, sicut et antea. « Et rursum fornicabitur : » Fornicatio in hoc loco pro negotiatione ponitur, quia post restaurationem sui cum universis gentibus negotium suum exercuit.

« Et erunt negotiationes ejus sanctificatæ Domino. » Quomodo fuerunt mercedes illius sanctificatæ Domino? Dicit beatus Hieronymus, quia postquam reversi sunt filii Israel de captivitate sub ducibus Zorobabel et Nehemia, et Tyrii post illos, non longo tempore conjuncti sunt in amicitia simul. Etiam non abscondebantur neque reponebantur divitiæ eorum in thesauris cupiditatis causa, sed veniebant illi in Hierusalem, et offerebant Domino munera et hostias : aurum videlicet, argentum, pallia, gemmas, oves, et boves, et linteamina : unde et pars remanebat ad ornatum templi Domini, pars etiam cedebat in usus sacerdotum : ideoque erant sanctificatæ Domino negotiationes ejus. Possumus etiam et hoc aliter intelligere. Post ascensionem Domini ad superos, prædicante egregio prædicatore Paulo Tyriis et Sidoniis, conversi sunt toto mentis desiderio ad fidem Salvatoris. Tuncque fuerunt negotiationes ejus sanctificatæ Domino : quia non absconderunt eas in arcanis thesaurorum suorum avaritiæ cupiditatisque causa, sed ædificaverunt Ecclesias ex eis, et præbuerunt sumptus, et ea quæ necessaria erant prædicantibus Evangelium discipulis, videlicet beati Pauli, quos ipse apud eos dimisit necnon pauperibus egenisque pro nomine Christi. Quod autem addit « ut manducent, » subaudis hi qui habitaverint coram Domino, « usque in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem » ad

utrosque referri potest, et ad Judæos et ad credentes, qui coram Domino habitaverunt, hoc est voluntatem illius impleverunt, quod ex bonis illorum comederint usque ad saturitatem, sicut jam diximus, et vestiti sunt illorum vestimentis usque ad vetustatem, hoc est, usque ad sufficientiam.

CAPUT XXIV.

« Ecce Dominus dissipabit terram. » Hucusque propheta diversarum gentium et civitatum onera describit, Babyloniorum videlicet, Assyriorum, Ægyptiorum, cæterorumque multorum. Hæc vero quæ hic dicuntur, ad diem judicii pertinent, generaliter de universis habitatoribus orbis. A specie enim pervenit ad genus. Et quid est quod dicit propheta, Dominus dissipabit terram? Nunquid ita dissipabitur ut desinat esse quod est? Non Dominus etiam dicit in Evangelio : « Cœlum et terra transibunt (*Luc.* XXI). » Quomodo? Per immutationem et melioratio-
B nem, sicut aperte Joannes in Apocalypsi sua demonstrat : « Et erit cœlum novum et terra nova (*Apoc.* XXI). » Si enim ita transiret, penitus desineret esse. Quod et Salomon minime loqueretur. « Generatio præterit et generatio advenit, terra autem in æternum stat (*Eccle.* I). » Dissipabit ergo Dominus terram extremo judicio, id est per ignem faciet eam transire, mutans illam ab hac specie, quam nunc habet in meliorem. « Et nudabit eam ab habitatoribus, » ab hominibus, a bestiis, a serpentibus, ab arboribus, ab omni sorde vel spurcitia, « et afflget faciem ejus » quia per ignem transibit. Medicus enim
C quando infirmum cum igne curat, licet sanitati illum restituat, affligit tamen illum. « Et disperget habitatores ejus, » id est dividet. Quando erit illud? Quando segregabuntur oves ab hædis, « justi ab injustis (*Matth.* XXV). » In præsenti enim sæculo pariter mixti sunt boni et mali. Tunc autem alias erit, quia ibunt impii in supplicium æternæ damnationis, justi in gaudium æternæ quietis.

« Et erit sicut populus, sic sacerdos. » Bonus laicus cum bono sacerdote remunerabitur, et malus laicus cum malo sacerdote damnabitur. Non erit discretio inter Dominum et servum, inter ancillam et dominam, si uterque bonus vel utraque bona vel mala fuerit. Sic et de cæteris est dicendum. Fœne-
D rator est, qui commodat vel præstat alicui aliquid. Mutare quidam dicunt, mutatam pecuniam reddere, ut pro argento equum. Vel etiam dicunt : Quia mutuum dicitur, meum tuum. Et tractum est ex jure.

« Dissipatione dissipabitur terra, » quia omnia dissipabuntur et ardebunt, quæ in ea sunt. Quare? « Quoniam deprædabitur a Domino. » Et quomodo deprædabitur? Quia habitatores ejus non erunt in ea.

« Luxit et defluxit, » pro eo quod est lugebit et defluet, id est deficiet. Et quomodo potest terra lugere? Per terram habitatores ejus intelligamus. Defluxit, id est, deficiet orbis et altitudo populorum, id est, superbi et potentes quique infirmabuntur in die illa.

A « Et terra interfecta est. » Quis potest terram interficere? Nunquidnam animam habet? Per terram terreni homines, et carnaliter viventes intelliguntur. Terra ergo interfecta est ab habitatoribus suis, id est, terreni homines interfecti sunt ab aliis terrenis hominibus, qui habitabant in terra. « Quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus. » Hæc ad sequentia pertinent. Quod est lex hoc etiam et jus, fœdus, amicitia. Quicunque ergo legem bene et rite observaverit, procul dubio ille meretur Deo conjungi per bona opera, et post conjunctionem fœdus habebit
B cum illo, id est amicitiam. Sicut ipse dicit apostolis : « Jam non dicam vos servos, sed amicos meos (*Joan.* XV). » Judæi jactabant se de generis nobilitate dicentes : Nos regale sacerdotium, gens sancta, et filii Abrahæ, nobis quoque solis data est lex. Sed mentiebantur in hoc, quod ipsi soli legem acceperint. Nam omnibus hominibus Deus omnipotens naturalem legem præcepit observare. Quæ est naturalis lex? Quod tibi non vis fieri, alii non feceris. Judæi ergo et legem naturalem et legem scriptam, et insuper Evangelium spreverunt, pro nihilo ducentes. Gentes autem et legem naturalem et Evangelium transgressæ sunt, et hoc de illis dictum esse attendendum est, qui Christum non imitaverunt.

« Propter hoc maledictio devorabit terram. » Propter quid? Quia transgressi sunt leges. Per terram intelligendi sunt homines terreni. Et quæ erit illa maledictio, quæ vorabit et disperdet universam ter-
C ram? Sententia super omnes terribilis, cum dixerit judex omnium : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » « Ideoque insanient cultores ejus. » Insanire est in amentiam et in stuporem nimium verti, cultores terræ sunt ejus amatores, qui terrenis desideriis et curis mundanis incubant. Atque vertentur in amentiam amoris ejus, quia videbunt illum cujus præcepta spreverunt, et audient suam damnationem perpetuam. « Et relinquentur homines pauci ; » hoc ad electos pertinet. Cum fuerint omnes reprobi in barathrum æternæ cruciationis demersi, pauci electi remanebunt. Sicut ipsa Veritas dixit : « Multi vocati, pauci electi (*Matth.* XX et XXII). » Sed si bene attendimus, non erunt pauci. In suo enim numero perfectionem habebunt, sed com-
D paratione reproborum pauci videntur esse numero.

« Luxit vindemia. » Vox prophetæ sic loquentis de futuro quasi de præterito. « Luxit et infirmata est, » pro eo quod est lugebit et infirmabitur vitis. Quomodo potest vindemia sive vitis lugere? Metaphorice intelligendum est. Per vindemiam sive vitem, potatores vini et ebriosos accipere debemus. Sicut a propheta superius dictum est : Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Quando lugebunt isti? In die judicii, quia sicut dicit Apostolus : « Ebriosi regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* VI). » « Quievit sonitus lætantium : » pro eo quod est, quiescet in die judicii. Maximus mœror erit recordatio lætitiæ hujus sæculi.

« Amara erit potio » illis qui modo, in hoc sæculo, diversis prandiis, et diversis potionibus delectantur, in die judicii amara erit illis, bibentibus illam in hoc sæculo.

« Attrita est civitas, » pro eo quod est finem accipiet. Per unam civitatem omnes civitates intelligendæ sunt : vel etiam per istam civitas vanitatis Babylon, quæ fuit civitas civitatum, potest intelligi. Vel aliter : ut per civitatem unam mundus iste significetur qui finem tunc accipiet. Et quare dicit vanitatis? Quia quidquid transit et mutabile est vanitas est, juxta quod Sapientia dicit : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (*Sap.* I). »

« Clamor erit super vino in plateis. » Platos Græcum nomen est, et dicitur a latitudine. Quid ergo per plateam isto in loco intelligendum est, nisi illi qui per latitudinem istius sæculi vagantur? Unde et ipsa Veritas dicit : « Lata et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem (*Matth.* VII). » Vinum in hoc loco significat errorem, quia illi qui ebrii sunt, errant et insaniunt. Veniente ergo die extremi judicii, clamor erit in illis qui terrenis curis et desideriis deserviunt super suum errorem, quia dum debuerunt facere uvas, fecerunt labruscas.

« Relicta est in urbe solitudo. » Quod jam diximus de una civitate superius, hoc etiam dicendum est et de una urbe, « quia hæc erunt in medio terræ. » Quid erit in medio terræ?

« Ideo erit solitudo in urbe, » hoc est in hoc mundo, quia hæc erunt opere adimpleta in medio terræ quod hactenus dicta sunt, videlicet quia Dominus mutabit terram. In medio terræ dicit in Hierusalem, quæ est umbilicus terræ. Multi autumantes dicunt, quod Dominus super montem Oliveti sedebit, ex quo ascendit ad cœlos. Dominus non descendet in terram ad judicium, sed in aere sedebit in nube contra montem Oliveti. Non descendet ergo in terram, sed in spatio istius aeris sedebit in nube contra montem Oliveti, constipatus agminibus et virtutibus cœlorum. In nube ascendit, et in nube iterum veniet, sicut dictum est ab angelis : « Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I). » Et ipse Dominus per semetipsum dicit : « Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus (*Luc.* XXI). » Et qui ante venit humilis, tunc veniet cum potestate magna vindicare se de hostibus suis. « Quomodo si paucæ olivæ remanserint, et racemi post collectionem. » Hæc ad subsequentia pertinent, et loquitur propheta de electis dicens : Quia sicut pauci racemi remanent finita vindemia, sic pauci remanebunt electi in die judicii. Non in suo numero pauci, sed ad comparationem reproborum. Hi vero qui remanserint, « laudabunt Dominum cum glorificatus fuerit, et hinnient de mari, » id est de hoc mundo, subaudis liberati. Non quod illi hinnient sicut equi, sed sicut illi exsultantes hinniunt, ita et hi qui remanserint, vocem lætitiæ emittent.

« Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum. » Hortatur propheta apostolos et doctores sanctæ Ecclesiæ, ut laudent Dominum, et dicit : O apostoli et doctores qui docti estis, propter hoc quia Dominus glorificatus est, et vidistis præmium vestrum et supplicium reproborum, glorificate Dominum in doctrina vestra. « Et in insulis maris nomen Domini, » subaudis prædicate.

« A finibus terræ laudes audivimus. » Vox electorum in die judicii. Qui sunt fines terræ? Patriarchæ, prophetæ, apostoli, et doctores sanctæ Ecclesiæ. Et quare vocantur illi fines? Quia sicut terra finibus et terminis suis consistit, et sine illis stare non valet : ita mundus iste doctrina et meritis illorum consistit. In Hebræo enim ab alis terræ laudes audivimus (ut beatus Hieronymus dicit) habetur. Alæ terræ sancti intelligendi sunt, qui de terrenis ad cœlestia, de caducis ad mansura et perpetua evolant. Dicent enim electi in die judicii : A finibus terræ sive ab alis, audivimus hæc quæ modo videmus, o Domine Deus noster, laudes tuas et magnitudinem tuam, qui nobis semper hæc prædixerunt, invitantes nos ad hæc et monentes tuam voluntatem totis viribus exsequi. Audivimus etiam gloriam justi, vel specialiter gloriam Domini, qui est via et veritas, vel generaliter gloriam omnium justorum. Et dixi : « Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi. » Vox prophetæ. Ac si diceret aliis verbis : Scio quidem, scio : quod non possum dicere. Et quia non possum dicere, væ mihi. Cum vidisset propheta et intellexisset spiritu incomprehensibilia tormenta reproborum et gloriam ineffabilem justorum, et non potuisset ea præmagnitudine sui neque ore proferre, neque scribere (quæ sicut Apostolus dicit, tanta erunt, qualia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt), dixit præ dolore : Væ mihi, quia non sum dignus proferre quæ vidi. « Prævaricantes prævaricati sunt, » subaudis impii legem Dei. Prævaricari est transgredi. Transgredi autem est ultra ire. Vox prophetæ de reprobis. Formido est timor. Fovea : fossa, laqueus, ruina. Dicit ergo propheta : O qui habitator es terræ, id est, qui carnaliter vivis, et terrenis rebus totis conatibus inservis : formido veniet super te. Hæc verba possunt non incongrue tam ad tempora apostolorum vel martyrum, quam etiam ad tempora Antichristi referri. Temporibus enim quando persecutio eminus contra Christianos exorta est, erant multi Christiani imperfecti adhuc in fide, qui metu tormentorum dicebant intra semetipsos : Quia ergo ista persecutio sic nos urget, negabo Christum tantum verbis : et postea agam pœnitentiam. Aliter enim evadere non possum. Sed hoc dicens præ timore cadebat in foveam negationis. Et dum pœnitentiam vellet agere, instigante diabolo perimebatur a persecutoribus. Et tunc de fovea ruebat in laqueum æternæ damnationis. Sic erit et temporibus Antichristi.

« Quia cataractæ de excelsis apertæ sunt, » id est, de cœlis. Cataractæ Græce, Latine dicuntur fenestræ. Et quare apertæ sunt illæ fenestræ? Ut Deus omnipotens vindictam sumat de hostibus suis. Dicit enim

beatus Hieronymus : Quia quocunque se verterint, judicium Dei non effugient. Et quomodo aperiuntur illi fenestræ? Quia ubique videt, et ubique præsens adest : in ore nostro loquitur. Deus enim omnipotens quando peccatores non punit, videtur esse absens. Quando percutit illos, tunc videtur illis approximare. « Et concutientur fundamenta terræ. » Juxta historiam hæc omnia implebuntur, quia terræ motus magnus erit. Allegorice autem per fundamenta terræ, principes istius sæculi intelliguntur qui terrene vivunt. Similiter per terram, homines terrenis rebus inhærentes.

« Agitatione agitabitur terra » id est, commotione movebitur, vel ipsa terra vel habitatores ejus. In momento enim omnia transibunt ab ea. « Et gravabit eam iniquitas sua. » Terra non potest iniquitatem agere. Iniquitate ergo terrenorum hominum gravabitur terra, « ut non resurgat, » id est, ut non sit jam amplius habitatio hominum in ea.

« Et erit in die illa, » id est, in die judicii « visitabit Dominus » in malum scilicet et non in bonum « super militiam cœli in excelso. » Militiam cœli appellat propheta Antichristum, sociosque ejus dæmones : qui per cœlum, id est, per istum aerem discurrunt. « Et super reges terræ. » Reges terræ sunt, qui terrena sectantur, et ad cœlestia nunquam animum extollunt. Super illos tales visitabit Dominus omnipotens in die judicii, quia reddet illis secundum quod merentur (*Matth.* XVI; *I Cor.* III). Ipsi etiam principes dæmonum possunt appellari reges. Sicut dicit angelus ad Danielem (*Daniel.* X) : « Princeps autem Persarum restitit mihi. » Et paulo post : « Et ecce princeps Græcorum veniens. » Et egregius prædicator : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, et adversus mundi rectores tenebrarum harum (*Eph.* VI). »

« Et congregabuntur in congregationem unius falcis in lacum, et claudentur ibi in carcerem, et post multos dies visitabuntur. » De hoc versiculo Isaiæ prophetæ multipliciter multi disputaverunt, sed non omnes æqualiter senserunt. Origenes dicit : Quia postquam acceperint a Domino illam sententiam terribilem, « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV), » post multos dies, id est post mille annos finito judicio a Domino visitandi sunt. Quam sententiam nemo sanctorum Patrum corroborat, sed omnes denegant : habentes illam sententiam Domini ante oculos : Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Quidquid æternum est, sine termino est. Sicut ergo Dominus justis posuit gaudium æternum, ita impiis supplicium æternum. Quæ sententia idcirco videtur obscura esse, quia postquam dixit propheta, et claudentur ibi in carcerem, statim addidit, post multos dies visitabuntur.

Beda interrogatus de hac sententia per epistolam ab Acca presbytero, his verbis respondit : Profiteor, dilectissime, nequaquam me ausim dicere, quod intellexerim quid in hac sententia senserit et sentiri voluerit propheta Isaias. Attamen quid ipse pure et catholice in his propheta verbis senserit, dicendum est. Et congregabuntur, inquit, in congregationem unius fascis in lacum. Hoc de animabus illorum quorum corpora Domino visitante dabuntur in mortem potest intelligi : quæ etsi non simul egrediantur a corporibus, cunctæ tamen unaquæque in suo ordine eumdem congregabuntur in fascem : et eodem pœnarum perennium concludentur ergastulo, juxta utique dispositionem districti judicis : ut, qui pari mente Ecclesiam impugnaverunt, pariter quia contra Deum pugnam inierunt, supplicium luant. Quia qui pares sunt in culpis, pariter damnandi sunt in pœnis. Hoc est avari cum avaris, luxuriosi cum luxuriosis, perjuri cum perjuris. Quod Dominus manifestat, cum ait de zizaniis : Alligate et facite fasciculos ad comburendum. Congregabuntur ergo pereunte Antichristo ministri deceptionum ejus in carcerem gehennalium pœnarum : et post multos dies visitabuntur, tempore videlicet resurrectionis omnium : quando ad hoc tantum animæ eorum modicum evocabuntur ab inferis, ut recepto corpore statim expleto judicio cum cæteris peccatoribus eas relabantur in pœnas. Nam quod non statim exstincto Antichristo universale sit venturum judicium, Daniel propheta testatur : qui in ultima suæ prophetiæ visione regni illius acta describens, cum ejusdem regni tempora mille ducentis nonaginta diebus, id est, tribus semis annis comprehenderet, repente intulit : « Beatus, qui expectat et pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque (*Daniel.* XII). » Quem versiculum beatus Hieronymus ita exponit : Beatus (inquit) qui interfecto Antichristo, dies supra numerum præfinitum quadraginta quinque præstolatur : quibus est Dominus in sua majestate venturus. Quare autem post interfectionem Antichristi quadraginta quinque dierum silentium sit, divinæ scientiæ est : nisi forte dicamus quod dilatio regni comprobatio patientiæ sanctorum est. Notandum est autem hoc quod dicit, et post multos annos visitabuntur. Quia multorum dierum appellatio, congruentius hujus sæculi temporibus assignatur, quæ alterna dierum ac noctium vicissitudine multiplicantur, quam futuri cessantibus horarum discursibus, erit Dominus sanctis in lucem sempiternam, et impii mittentur in tenebras exteriores (*Matth.* XI). Ideoque recte sciendum, quia qui nunc infernalium tenebrarum carcere tenentur, post multos hujus sæculi labentis dies visitabuntur : in illa utique hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei. « Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii (*Johan.* VI). »

Hucusque sensus et dicta egregii doctoris Bedæ. Potest et secundum quod quidam dicunt ordo esse præposterus, ut postquam dixit propheta paulo superius, non adjiciet ut resurgat, de illis loquens, qui temporibus Antichristi fidem sanctæ Trinitatis negantes mortui fuerint antequam ille a Domino interficiatur : debuit subjungere : Et post multos dies

interfectionis Antichristi visitabuntur, ac deinde adjicere :

« Et erit in die illa, » id est in die judicii « visitabit Dominus super illum, et super reges, et super militiam cœli, » id est, super multitudinem illius qui illum imitati sunt : « et claudet illos in carcerem» æterni supplicii. Quod autem dictum est superius: Visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, ita est intelligendum : Visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, mittendo angelum de cœlis, qui hominem peccati, filium perditionis qui elevatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur (*II Thes.* II), divina virtute perimat. Quod beatus Gregorius per Michaelem archangelum fore arbritratur vel intelligit. Visitabitur ergo super militiam cœli, cum perimetur Antichristus : quia et illo interempto virtus spirituum malignorum, qui eum in ostensis signis mendacii juverant, infirmata cassabitur. Potest et ipse non sine ratione inter militiam cœli deputari, pro eo quod se non solum super omnes angelos, verum etiam super omnem divinæ majestatis celsitudinem exaltare præsumet. Visitabitur et super reges terræ qui sunt super terram, ministros videlicet Antichristi, et factionum fraudumque ejus fautores et cooperatores, qui infirmis ac terrenis mentibus impio dominantur imperio : quos dubium non est esse perituros. Juxta quod in hominibus qui contra Ecclesiam exarserunt factum esse dignoscitur. Et notandum, quod non ait aperte : Super omnes reges terræ. Sicut nec super omnem militiam cœli; sed absolute : Visitabit (inquit) Dominus super militiam cœli, et super reges terræ : quia non de generali omnium sed de speciali quorumdam hominum angelorumque malorumque dejectione dicta intelliguntur.

« Et erubescet luna, et confundetur sol. » Et hoc in tempore visitationis complebitur, id est, in die judicii. Erubescet luna, id est, tabescet. Nunquid ita erubescet luna, et confundetur sol ut cadant de cœlo? Non. Sed qualiter hoc faciet, Dominus manifestat cum dicit : « Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum (*Matth.* XXIV ; *Luc.* XXI). » Dicit enim beatus Augustinus : Quia neque sol, neque luna, neque stellæ lumen suum amittent : cum alibi idem propheta dicat : erit lux lunæ sicut lux solis septempliciter : sicut lux septem dierum : sed ad comparationem veræ lucis, quæ est Christus, sicut ipse dixit : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII). » Et Joannes de eo : « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), » omnia sidera et lumina videbuntur obscurari. Quem enim splendorem præstat lumen cerei, si positum fuerit in medio solis radio, aut quid luminis auget cernentibus illud? Nullum. Vel aliter. Reprobis enim positis in inenarrabili metu et timore, omnia videbuntur obscurari. Quod autem subjungit propheta, quasi sub eodem textu in clausula dicens : « Cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Hierusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus, » magis exacto judicii discrimine complebitur : dum ablatis impiis ne videant gloriam Dei, sancti omnes in supernæ civitatis mansionem ad contemplandam perpetuam speciem sui conditoris intrabunt. Senes autem appellat Abraham, Isaac, Jacob, prophetas, apostolos, et omnes sanctos : in quorum conspectu Dominus glorificabitur, quando ibunt impii in supplicium æternum, ipsi autem in vitam æternam (*Matth.* XXV). Glorificatio autem Domini, non ea qua cunctis in judicio et in justis apparebit est intelligenda, sed illa qua in conspectu senum suorum tantummodo, id est, electorum revelabitur.

CAPUT XXV.

« Domine Deus meus, exaltabo te. » Vox prophetæ de die judicii loquens : Exaltabo te, id est, magnum prædicabo te. « Confitebor nomini tuo, » id est, gratias ago tibi. Gratias agit propheta Domino Deo, « quia fecit mirabilia et cogitationes antiquas fideles. Amen. » Mirabilia fecit, quando justis et impiis juxta quod merebantur, reddidit. Cogitationes antiquæ erant, quia ante mundi constitutionem prædestinavit electos suos. Sicut dicit Apostolus: « Qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem (*Ephes.* I). »

« Quia posuisti civitatem in tumulum. » Quidam habent in tumultum. In tumulum posita est, quando destructa est. Nam civitas quando destruitur in tumulum redigitur. « Domum alienorum, » subaudis humiliasti, « ut non sit civitas et non ædificetur in sempiternum. » Judæi alieni appellantur qui alieni sunt a Deo, ut in Psalmo legitur : « Filii alieni mentiti sunt mihi (*Psalm.* VII). » Et in Evangelio, Domino dicente : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII). » Quod autem dicit ut in sempiternum non ædificentur, subaudis sicut superius. Nam destructa est a Nabuchodonosor (*IV Reg.* XXV), sed postea reædificata est a Nehemia et Jesu sacerdote magno (*I Esdr.* I). Iterum destructa est a Romanis, sed ab Ælio Hadriano postmodum restaurata : non tamen ipso in loco ubi prius. Et licet reædificata sit, tamen in pristinum statum postea non fuit, sicut temporibus David et Salomonis.

« Super hoc, » id est, propterea quia reddidisti eis quod merebantur impii Judæi. « Laudabit te populus gentilium fortis, et civitas, » id est, Ecclesia gentium « robustarum timebit te. » Gentiles enim fortes et robusti fuerunt ad toleranda tormenta pro Christi nomine.

« Quia factus es fortitudo pauperi. » Laudat propheta Deum Patrem. Pauperem appellat Dominum Jesum. « Qui cum dives esset, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* VIII). » Ipse enim dicit : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet (*Matth.* VIII). » Ipsum etiam nuncupat egenum. « Spes a turbine, » subaudis fuisti ei, id est, solatium a tribulatione

passionis : quia te operante passionem sustinuit patienter. Ipse enim dicit : Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam. « Umbraculum ab æstu, » id est, protectio ab æstu mortis fuisti ei, ut tertia die resurgeret. « Spiritus enim robustorum, quasi turbo impellens parietem. » Robustos vocat Judæos, parietem Dominum. Turbinem, virtutem illorum. Sicut enim paries impulsus a turbine immobilis permanet, sic Dominus impulsus quidem a Judæis tempore passionis, sed non potuerunt illi victores exsistere. Licet enim humanitatem interfecissent, ipse per divinitatem cito resurrexit vivificans illam. Dixerunt namque : « Venite, mittamus lignum in panem ejus, » id est, lignum crucis in carnem illius, « et perdamus memoriam illius de terra (*Jer.* XI). » Sed unde memoriam illius conati sunt auferre, per hoc nomen ejus per universum orbem dilataverunt.

« Sicut æstu in siti tumultus alienorum, » id est, Judæorum humiliabis « et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium inarescere facies. » Duas comparationes dat de passione Domini. Quidam codices habent sicut æstus in siti, quod duobus modis potest intelligi. Sicut in siti et æstu tumultus hominum pro afflictione cassatur, et sicut inarescunt propagines vitis sub nube dum fortiter torret calor solis, sicut deficit et flos cadens : sic facta est fortitudo Judæorum contra Dominum. Si autem legeris, sicut æstus in siti : sic expones : Quemadmodum æstus humiliat hominem positum in siti, sic defecerunt illi.

« Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium. » Revertitur propheta ad diem judicii, et faciet in die videlicet judicii. Quod autem dicit omnibus, synecdochicos loquitur, a parte totum ponens. Omnibus enim populis dicit omnibus electis, in monte hoc, id est, in Ecclesia regni cœlestis. Vel in monte hoc, id est super montem Oliveti, super quem Dominus veniet in nube. Non tamen ad terras descendet, sed in spatio hujus aeris sedebit. Et quale convivium præparabit eis? « Convivium pinguium, et vindemiæ defæcatæ. » Fæx purgamentum vini est. Vindemia defæcata, est vinum purum sine fæce. Animadvertendum est autem, quod sancti in illa beatitudine neque manducabunt neque bibent, sed ideo dicit eis convivium præparari, quia omnibus deliciis et suavitate pleni erunt, et nulla re unquam indigebunt.

« Et præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati. » Quod appellat vinculum, hoc mortem, hoc telam. Vinculum enim mortis quod a primo parente nostro quasi tela orditum est, super omne genus humanum præcipitabit Dominus, id est, destruet in die judicii : reddens omnes immortales, tam electos quam reprobos. Justi enim immortales erunt in gloria, et impii in supplicio : et postea neque mors corporis neque animæ erit, sicut dicit Apostolus : « Absorpta est mors in victoria Christi (*I Cor.* XV). » Sicut etiam vinculum mortis et telam appellat ipsum diabolum, qui vinculo suo colligaverat omnes gentes, et orditus est ipsam telam, trahens omnia in mortem corporis, et multos in mortem animæ. Qui cum in die fuerit tractus judicii, absorbebitur potestas ejus.

« Et auferet Dominus lacrymam ab omni facie, » subaudis electorum suorum. In præsenti siquidem sæculo sancti in lacrymis se affligunt : ideo in æterna requie omnes ploratus et lacrymas amittent. Unde et Joannes in Apocalypsi sua dicit : « Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum (*Apoc.* XXI), » et reliqua. « Et opprobrium populi sui auferet, » hoc est servitutem et dominationem diaboli. Genus humanum postquam primus parens noster peccavit, in paradiso lignum vetitæ arboris comedens, servituti diaboli subjectum est (*Gen.* III). Et istud opprobrium tam mortis quam servitutis, dissipabit Dominus in die judicii, retrudens illum de claustris inferni, qui dominatus fuerat universo orbi.

« Et dicent justi in die illa, » id est in die judicii : « Ecce Deus noster, » usque « requiescet manus Domini, » id est potentia divinitatis ejus « in monte isto, » hoc est in Ecclesia et regno cœlorum. Montem appellat Ecclesiam electorum, qui cum Domino regnabunt.

« Et triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleæ in plaustro. » Vox prophetæ de diabolo et principibus illius. Triturare est terere. Sunt quædam regiones, in quibus deest fenum, habitatores autem illarum congregant stramina frugum suarum in campo, et deducunt huc atque illuc plaustrum cum serratis rotis super stramina, comminuunt illa, ut animalia levius ea ruminare possint. Sic conteretur Moab sub eo, id est sub Christo in die judicii. Moab filius fuit Loth (*Gen.* XIX), a quo Moabitæ originem sumpserunt : fueruntque filiis Israel semper infensi. Nam cum de Ægyptiaca servitute Domino protegente exirent, et appropinquarent regioni illorum, fecit peccare eos contra Dominum Balath rex Moabitarum, consilio Balaam harioli usus (*Num.* XXV). Ideoque per Moab debemus in hoc loco diabolum intelligere, qui semper Israel, id est electis, qui per Israel signantur, contrarius exsistit. In die namque extremi judicii conteretur diabolus, et principes ejus sub Christo, sicuti teruntur paleæ in plaustris. « Et sicut extendit natans ad natandum. » Ita extendet diabolus manus suas sub eo, hoc est, sub Christo. Quando labitur aliquis de superioribus ad ima, extensis manibus ruit, sicuti qui natat.

« Et humiliabit Dominus gloriam » diaboli in die illa « cum allisione, » hoc est contritione « manuum ejus » id est operationem ejus. « Et munimenta sublimium murorum tuorum concident. » Apostropham facit propheta ad ipsum principem dæmonum. Munimenta diaboli, sunt satellites ejus. Murus vero illius homines sequaces ejus, qui eum imitati sunt : quibus ipse quasi muro vallatus est. In die judicii et ipse et ministri ejus, quosque ipse decepit, concident in barathrum æternæ damnationis.

CAPUT XXVI.

« In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda. » Potest hoc referri et ad præsentem Ecclesiam et supernam, quæ in die judicii complebitur. Sancta Ecclesia modo canticum novum cantat, dum nativitatem Domini, passionem, resurrectionem, ascensionemque ejus ad cœlos laudando prædicat, et dum canit electos cœlos penetrare. Vetusta enim res est homines ad inferni claustra descendere, nova autem cœlos penetrare. « Urbs fortitudinis nostra Sion: salvator ponetur in ea murus et antemurale. » Vox justorum sive in præsenti Ecclesia sive in futura. Urbs, id est protectio sanctorum Christus est, qui eis fortitudinem præstat inter adversa, et ipse est murus illorum et antemurale, qui eos munit et defendit. Vel etiam prophetæ antemurale fuerunt, et Christus murus. Vel aliter : Antemurale est fides, murus autem operatio. Ab ipso enim et velle et posse habemus.

« Aperite portas. » Vox Dei ad angelos: O angeli mei, aperite portas, subauditur justitiæ et portas gloriæ, ut ingrediatur gens justa, id est omnes electi mei, qui custodierunt veritatem Evangelii. Sicut enim portæ justitiæ, ita mortis et iniquitatis. Portæ justitiæ sunt fides, charitas, humilitas, cæteræque virtutes. Portæ vero mortis et iniquitatis sunt, odium, avaritia, et cætera vitia.

« Vetus error abiit, servabis pacem. » Vox electorum. Vetus error est, adorare idola manufacta, et creaturam præponere creatori. Dicent ergo sancti in die judicii : O Domine redemptor noster, jam quia vetus error longe recessit a nobis, et in te speravimus, servabis pacem æternam nobis, et corporis et animæ.

« Sperastis in Domino, » o sancti et electi Domini : « in sæculis et in perpetuum, » subaudis sperate. Vox prophetæ.

« Quia incurvabit habitantes in excelso » De Judæis modo loquitur propheta, et ad ea quæ superius dixit de sanctis pertinet. Sperate in Domino. Quare? Quia incurvabit, id est humiliabit Judæos, qui nostris prædicationibus contrarii exstiterunt.

« Conculcabit eam, » subaudis civitatem. « Pes pauperis. » De captivitate et destructione Hierosolymorum temporibus. Vespasiani facta loquitur modo propheta : alloquens apostolos et doctores primitivæ Ecclesiæ. In quibusdam codicibus continetur : conculcabit eam pes pedis pauperis : quod manifestissime videtur falso scriptum esse.Sic enim videtur sonare, quasi pes habeat alterum pedem. Pauperem vocat Christum qui pro nobis pauper factus est (*II Cor.* VIII). Egenos vero apostolos qui Domini humilitatem imitati sunt. Et est sensus : Conculcabit Hierusalem pes, hoc est transitus. Cujus pes sive transitus? Pes pauperis, subaudis Christi, et gressus etiam egenorum apostolorum. Propterea ergo quia Dominum et Deum suum condemnaverunt morti, et prædicationem ejus apostolorumque illius comtempserunt, a Romanis conculcati et desolati sunt.

A « Semita justi recta est. » Vox prophetæ. Per semitam et callem unum intelligendum est, hoc est, evangelica doctrina. Semita ergo, hoc est Evangelium Christi rectum est, quod a veritate procedit quæ est Christus (*Joan.* XIV).

« In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te. » Vox electorum in die judicii. Semitam hic vocat Evangelium, ubi omnia judicia et præcepta tam Veteris Testamenti quam Novi continentur.

« Anima mea desiderabit te in nocte, » id est in tribulatione : usque « vigilabo ad te. » Vox prophetæ. Dicit enim : Certe et in nocte, hoc est in tribulatione : et mane, hoc est, in prosperitate, semper vigilabo, desiderans te videre. Vel aliter : De mane vigilabo ad te, hoc est in opera mandatorum
B tuorum nocte et die laboro, sperans præmium a te recipere. « Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. » Vox prophetæ, de Judæis : O Deus et immensa pietas, quandiu non facis judicia tua super habitatores orbis, non cognosceris ab impiis? Percute, inquit propheta, impios, et discent tuas leges.

« Misereamur impio. » Vox prophetæ de impiis, estque distinguendum per interrogationem et responsionem. Dicit Dominus : O propheta, misereamur impio, ut agat pœnitentiam. Et propheta. « Et non discent facere justitiam? » Et est sensus : Et non ostendes eis tuam potentiam. Certe aliter non credent, nisi eos flagellaveris. Addiditque propheta lo-
C quens : « In terra sanctorum iniqua gessit. » Synecdochicos per unum, omnes reprobi intelliguntur. Terram sanctorum vocat apostolos, martyres, et omnes sanctos, qui ab impiis multa tulerunt. Ac si diceret : Ideo non debes parcere illi, quia sanctos peremit. Condolebat enim propheta neci sanctorum quæ futura erat, et quasi causabatur cum illo, ut interficeret iniquos. « Et non videbit gloriam Domini. » Vox Filii Dei ad prophetam. Gloria Dei Patris est Filius, cui Pater omne judicium dedit (*Joan.* V). Per interrogationem legendum est. Et est sensus: Melius est ut videat gloriam Dei Patris, id est, me in die judicii, et erubescat super malis suis. Sed quid ei respondit propheta?

« Domine, exaltetur manus tua, » id est potentia
D tua in die judicii super impios : « et non videant, » subaudis gloriam Dei Patris. Hoc obsecrative dixit et affirmative. Non vult propheta, ut impius gloriam Domini in die judicii cernat. « Videant et confundantur zelantes, » id est, invidentes « populi » et hostes tuos vel sanctorum meorum devoret ignis. Vox Dei ad prophetam. Et est sensus: Volo ut videant me exaltatum, et magnitudinem electorum meorum in die judicii omnes populi qui invident electis meis, et ignis sive pœnitentiæ sive gehennæ vel ardoris devoret postea hostes tuos, et sanctorum meorum. Et exhilaratus animo propheta, dixit:

« Domine, dabis pacem nobis. » Ac si diceret : Cum hoc feceris tradens impios morti, tunc dabis

pacem nobis. Omnia enim bona quæ operamur, tua misericordia largiris nobis.

« Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui. » Vox prophetæ ex persona Judaici populi, qui post passionem Domini ad fidem venerunt. Domine, possederunt nos domini, dæmones videlicet quos in idolis adoravimus, derelinquentes te Creatorem et Dominum nostrum. Tantum in te recordemur nominis tui. Ac si diceret aliis verbis : Tamen licet peccaverimus coram te adorantes idola, tu fac ut credamus in te, et digni simus recordari nominis tui, quatenus a te qui Christus es christiani vocemur.

« Morientes non vivant, gigantes non resurgant. » Non loquitur Propheta optando illis mala, sed prævidens quæ ventura erant super illos, talia loquebatur. Morientes subaudis peccatis et iniquitate, non vivant in gloria quandiu in peccatis permanserint. Gigantes, hoc est, superbi et qui fortes sunt ad perpetranda mala, non resurgant ad gloriam in die judicii. Duæ mortes sunt corporis et animæ. Mors corporis est exhalatio et transitio animæ. Mors animæ est peccatum, et perpetratio sceleris : sicut dicitur in lege : « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XVIII). » Sicut enim justorum vita est fides, operatio bona, dilectio erga Deum et proximum : ita mors impiorum superbia, odium et avaritia, cæteraque vitia. « Propterea visitabis eos. » Sic loquitur Propheta de futuro, quasi de præterito. Propterea, subaudis quia mortui sunt peccato, et fortes ad operandum malum : visitabis eos in die judicii in malum non in bonum, et conteres eos, et perdes eorum memoriam de regno et beatitudine justorum.

« Indulsisti, Domine, genti, » ac si diceret : Sæpe indulsisti eis, et misertus es eis, Domine : sed ideo non sunt conversi ad te. «¡Nunquid glorificatus es, » subauditur ab eis? Ac si diceret : Quanquam tu eis misertus esses, nunquid glorificaverunt te? Non es glorificatus ab eis. « Elongasti omnes terminos terræ, » id est, elongari permisisti omnes nationes a te, ut permanerent in errore suo.

« Domine, in angustia requisierunt te » pro eo quod est requirent. Et est sensus : Domine, percute illos, ut vel in augustia positi requirant te : quatenus qui noluerunt te requirere tempore prosperitatis, requirant tempore angustiæ et persecutionis. « In tribulatione murmuris doctrina tua eis, » subauditur sit. Ac si diceret : Qui noluerint doctrinam tuam discere tempore pacis, per tribulationem erudi eos : et sit doctrina tua eis in recordatione. Ac sic percute illos, ut præ timore non audiant ad te palam clamare : sed quasi sub murmure.

« Concepimus et peperimus sanctum, » Vox prophetarum in persona sanctorum martyrum. Non pepererunt illi positi in agone filios carnis, sed Spiritum salutis ut illuminati et inflammati a sancto Spiritu, quo amplius cruciarentur, et amplius arderent amore Dei, et toto mentis ardore in eum crederent. « Salutes, » hoc est, bona opera « non fecimus, ideo non ceciderunt habitantes, » id est amatores terræ, qui nos opprimunt et persequuntur. Qui sunt amatores terræ? Qui totam spem suam in terrenis rebus ponunt, servientes plus mundo quam Deo.

« Vivent mortui tui, » hoc est, martyres tui. « Interfecti mei, » id est socii mei « resurgent, » ad Dominum loquitur Propheta. Martyres Christi sunt qui pro ejus nomine ab impiis perempti sunt. Socios autem suos vocat eos propheta Isaias, quia ipse pro Dei nomine serra lignea sectus est. « Exspergisimini et laudate Dominum, qui habitatis in pulvere. » Hortatur et Propheta sanctos : O vos martyres sancti, expergiscimini, hoc est, surgite de sepulcris vestris, et laudate Dominum : quia « ros lucis ros tuus. » Apostropham facit Propheta ad Dominum. Rorem ponit pro misericordia. Ros lucis ros tuus, hoc est, misericordia tua illuminans est, qui illuminat corda illorum super quos requiescit. Magnam virtutem profert pro frugibus terræ. Projicitur semen in terra, et humore roris excrescit in herbam, ac deinde facit excrescere in fructum. Sic et misericordia Dei generat fidem, et ipsam fidem convertit ad operationem. « Et terram gigantum detrahes in ruinam. » Terram gigantum dicit corpora terrenorum hominum, et superborum. Corpora ergo sanctorum cum animabus illorum transferentur in die judicii ad perpetuam requiem, et corpora reproborum cum animabus illorum in perpetuam damnationem.

« Vade, populus meus, intra in cubicula tua » usque « donec pertranseat indignatio mea. » Vox Dei omnipotentis ad martyres : O martyres mei clarissimi, intrate cubicula vestra, id est, requiescite in sepulcris vestris, et claudite ora sepulcrorum, donec veniat dies judicii, et transeat vindicta mea super impios, quando reddam unicuique prout gessit.

« Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet, » id est vindicet, « iniquitatem habitationis terræ contra eum. » De die judicii loquitur Propheta. Quid est locus Domini? Nonne ipse dicit per Jeremiam prophetam : « Cœlum et terram ego impleo (*Jerem.* XXXIII)? » Locus Domini est misericordia et pietas. Quando ergo ipse dicitur ulcisci se de inimicis suis, id est illorum malis hoc promerentibus : tunc dicitur exire de loco suo. Non quod ille loco moveatur, quia ubique est. Habitatorem terræ vocat superbos, et terrena sapientes. In die judicii Dominus de loco suo egredietur, id est misericordiam non impendet reprobis, ut vindicet iniquitatem eorum contra eos. « Et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos. » Duobus modis intelligi potest. In die judicii terra sanguinem suum, id est, sanguinem sanctorum martyrum revelabit quem suscepit : et non tenebit amplius corpora interfectorum suorum, id est sanctorum martyrum. Terra sanguinem suscepit, sicut dicit Dominus ad Cain : « Maledicta terra in opere tuo, quæ suscepit sanguinem fratris tui de manu tua (*Gen.* IV). » Vel aliter : Terra, id

est, animæ impiorum revelabunt sanguinem sanctorum martyrum in die judicii quæ fuderunt illum, et ultra non latebit scelus eorum. Omnibus enim hominibus parebit et cognitum erit in die illa, quem quis occiderit.

CAPUT XXVII.

« In die illa, » hoc est in die judicii, « visitabit Dominus, » Deus Pater « in gladio suo duro super Leviathan » usque « et occidet cæcum qui in mari est. » Quis est gladius iste, in quo judicabit Deus pater in die judicii universum orbem? Verbum Dei, id est sapientia Dei Patris, per quod ipse Pater omnia fecit. De isto gladio Apostolus dicit : « Et gladium spiritus, quod est Verbum Dei (*Ephes.* VI). » Iste gladius justis et sanctis innocuus est, impiis autem et peccatoribus et patri illorum diabolo, durus erit in die judicii, quando dicet : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » Et aperte iste gladius secabit, id est dividet in die illa justos ab injustis. Leviathan interpretatur *additamentum eorum* sive *adversarius*, significat diabolum, qui semper nititur adversari humano generi. Quare appellatur Leviathan serpens vectis et tortuosus? Quia in rectitudine stat semper anfractuosus, decipiens sua calliditate multos. Ipse appellatur cæcus qui et serpens et Leviathan, id est diabolus. Ferunt enim, quia draco in aquis natat, ut piscis, in terra repit, in aere volat.

« In die illa, » hoc est in die judicii : « vinea meri cantabit ei. » Cui cantabit? Domino. Non tamen canticum lætitiæ, sed doloris et tristitiæ. Est canticum lætitiæ, et est canticum tristitiæ. Moses, Debbora, David et Salomon cantaverunt Domino canticum lætitiæ. Jeremias autem canticum tristitiæ. Eodem modo cantabit in die judicii vinea meri, id est plebs israelitica, quæ Dominum et sanctum ejus interfecit. Merum dicunt græci purum. Et quare vocatur ista vinea mera? Quia sæpe bibit Dominus ex ea merum vinum, et sæpe protulit botros et palmites jucundos, videlicet in prophetis et regibus justis. Quando autem hoc Isaias dixit, non erat jam mera, sed pro uvis labruscas proferebat. Vinea meri, hoc est vinea plebis Israeliticæ cantabit Domino in die judicii canticum tristitiæ, quia damnabitur, eo quod factorem et redemptorem nostrum crucis patibulo suspendit. De illis dico, qui postea non sunt conversi ad fidem.

« Ego Dominus qui servo eam, repente propinabo ei. » Vox Domini. Ac si diceret aliis verbis : Ego qui modo ab hominibus adversis servo eam, repente, hoc est in die judicii, propinabo ei potum æternæ damnationis, « ne forte visitetur contra eam, » aliqua calamitas. « Nocte et die servo eam, » id est in prosperis et in adversis : sed illa semper econtra prona est ad labendum.

« Indignatio non est mihi? » Vox Dei omnipotentis, et legendum est sub interrogatione. Ac si diceret aliis verbis : Nunquid nescio indignari, si provocatus fuero a te? Tu semper inique agis contra me, cum econtra bona tibi semper impendam, et non indignabor contra te propter hoc? « Quis dabit me spinas et veprem in prælio? » Vox Domini ad Judæos. Quis dabit me, hoc est, quis me faciet durum, crudelem et asperum? Vel quis docebit me esse tyrannum, et insurgam in prælium contra vos? Ego mitis et misericordissimus existens, vestra malitia me excitante efficiar vobis durus. « Gradiar super eam, succendam eam pariter, » vox Dei ad vineam dicit : Super vineam istam pravam gradiar, et succendam eam, ac destruam.

« An potius tenebo fortitudinem meam? » Vox Dei Patris. In quibusdam codicibus invenitur, tenebit fortitudinem meam : sed mendacium ibi habetur. Dubitative videtur loqui Deus Pater isto in loco. Sed quomodo potest dubitare, apud quem omnia jam facta sunt, et qui omnia cognoscit? More nostro loquitur. Fortitudo Dei Patris Filius est, quia per ipsum fecit omnia (*Joan.* I), et per ipsum redemit genus humanum, per ipsum etiam decrevit omnigenas gentes judicare. Dicit ergo : Permittam incarnari fortitudinem meam, hoc est filium meum pro redemptione totius generis hominum. An potius tenebo illum ad me? Mittam illum assumere carnem ex virgine, qui sua incarnatione faciat pacem mihi. Pacem faciat mihi, id est hominem quem condidi per ipsum, qui a pace mea recessit transgrediendo legem meam, sua incarnatione et passione reconciliabit mihi. Ipse namque, sicut dicit Apostolus, reconciliavit nos Deo Patri (*II Cor.* V).

« Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine. » Vox prophetæ. De apostolis Christi. Qui sunt isti qui ingrediuntur? Apostoli, dicit. Verba quæ prophetæ loquuntur a Spiritu sancto illuminati, non possumus per omnia ad contextum orationis convertere, tamen sensus ibit subtilissime inquirentibus. Sensus istius versiculi talis est : Apostoli Christi cum ingrediuntur, id est cum regressi fuerint impetu ad Jacob, id est colenter vel cum velocitate, tunc florebit Israel fide, et germinabit operationem, in illis dico qui prædicatione apostolorum ad Dominum conversi sunt. Ipsi etiam apostoli impleverunt faciem orbis semine prædicationis, sicut scriptum est. « In omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* XVIII). » Quando impleverunt apostoli universum orbem sua prædicatione? Quando audientes a Domino : « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium (*Marc.* XVI), profecti sunt prædicantes ubique Domino cooperante. »

« Nunquid juxta plagam percutientis se percussit eum, » id est populum Judæorum? « Aut sicut occidit interfectos ejus, sic occisus est, » subauditur ab eo? Vox prophetæ loquens de Filio Dei. Et est sensus : Nunquid sic percussit Filius Dei populum Judæorum, quomodo ipse percussus est ab eis? Aut sic interfecit eum, quomodo interfecit martyres ejus? Minime. Illi immisericordes exstiterunt erga illum illudentes ei, et flagellantes et crucifigentes. Ipse autem non eodem momento percussit illos ut

merebantur, sed per quadraginta duorum annorum curricula, dilationem pœnitentiæ concessit eis, quibus pœniterent mala quæ patraverunt, occidendo illum et discipulos ejus. Sed quid dicit de illis Propheta Domini, nolentibus converti ad pœnitentiam?

« In mensura contra mensuram. Cum abjecta fuerit a te, judicabis eam plebem, » hoc est dicere: Qualia egerunt, talia recipient a Romanis. Et æternum supplicium in inferno modo patiuntur, et in die judicii augebitur illis pœna gehennæ. Notandum quod dicit, cum abjecta fuerit a te, quando pœnitentiam noluit agere de suis iniquitatibus, et apostolos ejus fugavit a se, nolens recipere prædicationem illorum. « Meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus, » vox prophetæ. Qui est meditatus? Deus omnipotens ipse est meditatus, id est ipse cogitavit et locutus est per diem æstus : hoc est tempore tribulationis vel suæ vel apostolorum, quando patiebatur ab eis. Quid redditurus esset eis? Videlicet vastatorem Romanorum missurus super eos?

« Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Jacobi : et omnis iste fructus ut auferatur peccatum ejus, cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos. » Vox prophetæ. Poterat aliquis dicere : Quid commeruit iste populus, vel quid longe post resurrectionem Domini, ut aliquis illorum sit cui Deus dimiserit peccatum ejus, dans ei cor ut in eum crederet? Ad hæc respondet Propheta. « Idcirco super hoc, » id est propter hoc, « dimittetur domui Jacob iniquitas ejus, et omnis fructus » ejus malus: quia apostoli ex illorum prosapia originem duxerunt. Hæc a Domino promeruerunt, ut aliquis illorum salvaretur eo, quod ipsi omnia altaria sua prædicatione per universum pene orbem destruxerunt, et lapides illorum altarium in cineres redegerunt. Ideoque dicit Propheta : « Cum posueris choros apostolorum omnes lapides altaris diabolo dedicatos sicut cineres, auferetur peccatum domui Jacob. » De illis dico qui baptizati sunt, et fidem sanctæ Trinitatis susceperunt, de quibus dicit Lucas : « Quia crediderunt una die tria millia, altera die quinque millia, et deinceps multa millia (*Act.* II *et* IV). « Non stabunt, » id est non permanebunt, « Luci et delubra : » ubicunque apostoli prædicaverunt. Delubra sunt templa idolorum. Luci autem nemora ubi erant ædificatæ aræ dæmonum.

« Civitas munita desolata erit. » Transit Propheta ad subversionem Jerusalem quæ fuit peracta a Romanis. Civitatem munitam appellat Jerusalem, quæ quondam fuit munita custodia angelorum et muris. « Speciosa » civitas, quæ fuit temporibus David et Salomonis, plena omni dignitate, « relinquetur quasi desertum, et dimittetur » a Deo.

« Ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit, et consumet summitates ejus. » Vitulum appellat Titum et Romanorum exercitum, quem in psalmo David vocavit aprum dicens : « Vastavit eam aper de silva (*Psal.* LXXIX). » Sicuti vinea exsiccatur, si palmites et propagines excisæ fuerint : sic illa civitas exsiccata est ab habitatoribus suis. Et quia superius dixit Propheta, ibi pascetur vitulus, id est in vinea, servavit metaphoram cum dixit : Et devorabit « summitates ejus. »

« In siccitate messis illius conterentur mulieres, venientes et docentes eam. » Metaphorice loquitur Propheta, per messem vel vineam volens ostendere plebem Israeliticam. Mulieres appellat hic synagogas diversarum gentium Ægyptiorum, Philistinorum cæterarumque. Quando autem Jerusalem destructa est a Romanis, et omnis populus ejus præda fuit gentibus synagogæ diversarum gentium quæ in circuitu ejus erant, convenerunt ad illam, et contritæ sunt dolore et luctu, non de Domini passione, sed de subversione tantæ civitatis. Vel etiam Judæorum mulierum sapientes quæ dispersæ erant per diversas regiones, quæque solitæ erant venire ante illam captivitatem, et docere eos qualiter se præpararent contra hostes : cum audissent eam dirutam et venissent videre ignominiam suorum propinquorum, contritæ sunt et attritæ dolore nimio. Sicut enim verecundum fuit illud quod Debbora ivit in bellum, et hoc quod Orda mulier imminente captivitate Chaldæorum tacentibus viris prophetavit, sic quoque turpe admodum fuit, quod mulieres ad docendum illos veniebant imminente captivitate Romanorum. In siccitate ergo vastationis Jerusalem mulieres quæ solitæ erant venire et docere eos, contritæ sunt, videntes ignominiam suorum. « Non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur ei Deus qui fecit eum. » Ecce hic demonstrat propheta, quare mulieres conveniebant eos, videlicet ut docerent illos quia inscii erant, ideoque incurrerunt in damnationem sui.

« Et erit in die illa, » hoc est in tempore captivitatis Jerusalem, « percutiet Dominus » omnem terram Judæorum, « ab alveo fluminis, » hoc est, ab Euphrate flumine « usque ad torrentem Ægypti, » id est usque ad Nilum. Melius habetur in septuaginta interpretibus, qui dicunt ab Euphrate usque ad Rinocoruram. Est enim rivus non adeo magnus, qui dividit terram repromissionis et Ægyptum super quem Rinocorura civitas sita est. Qui versus ita est intelligendus quod a loco in quo inchoatur usque ad eum locum ubi terminatur, a Romanis sit deprædata omnis regio Judæorum. « Et vos congregabimini et omnes filii Israel. » Vox prophetæ ad illos qui post ascensionem Domini prædicantibus apostolis ad Dominum conversi sunt, de quibus dicitur in Actibus apostolorum (*Act.* II et IV), quod una die crediderunt tria millia, et cætera. Pro paucitate autem dicit, unus et unus. Comparatione enim illorum qui in perfidia et infidelitate remanserunt, pauci fuerunt illi numero.

« Et erit in die illa, » id est post ascensionem Domini, vel post subversionem urbis, « clangetur » ab apostolis « in tuba magna, » id est in doctrina evangelica, « et convenient » gentiles ad fidem, « qui perditi fuerant » per idololatriam « de terra Assyriorum,

et qui ejecti sunt a Domino in terra Ægypti, et adorabunt Dominum in monte sancto Jerusalem, » hoc est in Ecclesia. Et modo est illud tempus. Ab ortu enim solis usque ad occasum, laudatur nomen Domini (*Malach.* I). Hic notandum est, quia per istas duas gentes omnes intelligendæ sunt, quæ venturæ sunt ad fidem Christi.

CAPUT XXVIII.

« Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, et gloriæ exsultationis ejus. » Superius locutus est Propheta de die judicii, et de destructione Hierusalem, et fide gentium. Nunc vero loquitur sermo divinus contra decem tribus quæ appellabantur Ephraim, vel ab Jeroboam filio Nabath, qui peccare fecit Israel, qui primus super illas decem tribus constitutus est rex : vel a Josue filio Nun, qui Mosi successit in regimen populi. Istæ enim decem tribus superbæ erant, confidentes in multitudine sua. Majores namque et fortiores existebant duabus tribubus Juda et Benjamin, numero et potentia. Et ideo vocantur corona superbiæ, quia sicut caput regis ornatur diademate, vel corona ex auro et gemmarum varietate : ita illi ornabant regem suum circumstantes undique illi. Multitudo enim populi gloria regis est. Ebrii autem vocantur non ebrietate corporis, sed idololatria, et errore et cultu dæmonum. Flos siquidem decidens appellatur, quia cito decidit pulchritudo ac gloria exsultationis eorum : ac propterea audivit a sancto Spiritu : « Væ coronæ superbiæ Ephraim, flori decidenti, et væ etiam gloriæ exsultationis ejus, quia desolabitur et ad nihilum deducetur : » Qui erant temporibus David et Salomonis in vertice, hoc est in templo, quod erat constructum super vallem pinguissimam Gethsemani. Gethsemani enim est vallis pinguissima, ubi Dominus nocte comprehensus est : super quam vallem mons Sion sive Hierusalem consistit. Gethsemani autem interpretatur *vallis pinguium* sive *pinguedinum*, propter ubertatem frugum, quia fertilissima erat. Non autem ideo dicitur qui erant in vertice vallis Gethsemani, quod ibi illi habitarent, neque enim in sortem illorum cesserat : sed ideo quia temporibus David et Salomonis, quando illi vel in festivitatibus vel etiam jussu regis ad Hierusalem veniebant, ibi aliquantulum demorabantur, sed et conscensus illorum per illam vallem erat, ibique soliti erant figere aliqui illorum causa ludendi tentoria sua, interim dum morabantur cum rege errantes a vino. Jeroboam rex illorum miscuit ac propinavit eis potionem amaram, quando conflavit duos vitulos, et illi adoraverunt eos dicentes : « Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de servitute Ægypti. » Ab illo siquidem tempore erraverunt a vino, hoc est ab idololatria et errore dæmonum.

« Ecce validus et fortis Dominus » usque. Et emissarum super terram spatiosam, hoc est planam, Vox prophetæ est. Grandinem et aquas inundantes comparat exercitui Sennacherib, turbinem venti et terram plenam decem tribubus. Et dat duas similitudines. Sicut turbo constringitur a grandine, hoc est a tempestate, et sicut ab impetu aquarum inundantium decurrentium per terram planam, omnes stipulæ levis ponderis auferuntur. Sic ab impetu et multitudine Assyriorum decem tribus devastatæ et conculcatæ et in captivitatem ductæ.

« Pedibus » Assyriorum « conculcabitur corona, » id est multitudo « Ephraim. » Tantæ pulchritudinis et dignitatis erant illæ decem tribus temporibus David et Salomonis, ut corona et flos pulcherrimus a Domino vocarentur. Illo autem tempore quando Isaias ei hoc prædicebat, omissam habebat jam gloriam dignitatis suæ, adorando idola.

« Et erit flos decidens, » hoc est pulchritudo et decor « gloriæ ejus » usque « devorabit illud. » Vox prophetæ. Verticem vallis pinguis appellat domum Domini, quæ sita erat super verticem vallis Gethsemani, ob hujusmodi causam quam superius diximus. Dat similitudinem Propheta, qualiter dissipatæ sunt illæ decem tribus. Sicut, inquit, si inventus fuerit racemus ante maturitatem autumni, vel in aliqua arbore fructus ante æstatem, statim ut conspexerit aliquis concupiscentia ductus devorat illum : sic Sennacherib et exercitus illius concupivit gloriam decem tribuum, et omnia bona illorum abstulit.

« In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exsultationis residuo populi sui. » Dies hic accipiendus est pro tempore. Quod est corona et sertum. Sed dicunt aliqui coronam esse ex auro et gemmis, sertum autem ex floribus, quod solent pueri ferre super capita. Residuum populi sui dicit duas tribus quæ non sunt ductæ in captivitatem ab Assyriis temporibus Ezechiæ. « In die illa, » inquit, hoc est in illo tempore « cum ductæ fuerint decem tribus ab Assyriis in captivitatem : erit Dominus Judæ et Benjamin corona victoriæ et munimentum protectionis, ut liberet eos de manu Sennacherib. »

« Et spiritus judicii sedenti super judicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam. » Ipse Dominus erit spiritus judicii. Cui erit Dominus spiritus judicii? Ezechiæ regi sedenti super judicium. Ezechias rex filius Achaz, amabilis fuit Domino, quia populum Domini juste docebat et juste judicabat. Ideoque dicit propheta quod ipse Dominus erit ei spiritus judicii, id est inspirabit ei quomodo vel quemadmodum judicet, quia ipse Ezechias super judicium sedet, hoc est judicium æquum et justum desiderat. Et ipse Dominus erit fortitudo revertentibus de bello ad portam. Non legimus ullo in loco, Ezechiam bellum egisse contra quamlibet gentem. Et quare dicitur : Erit Dominus fortitudo revertentibus de bello? Hoc sciendum est, quia illius belli memoratur quod cœlitus actum est, quando Dominus misit angelum suum, et interfecit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia (*IV Reg.* XIX). Judæi ergo cum vidissent tantam stragem hostium suorum sine sui periculo, ierunt et collegerunt spolia, et reversi sunt cum lætitia et exsultatione ad portas Jerusalem.

« Verum hi quoque præ vino nescierunt, et præ

ebrietate erraverunt. » Propterea quia Juda et Benjamin cito prævaricati sunt legem Domini sicut et aliæ decem tribus, quæ procul ductæ sunt in captivitatem, nec recordati sunt bonorum Domini qui ipsos liberavit de manibus inimicorum, loquitur contra eos propheta et dicit : Verum hi quoque, id est Juda et Benjamin præ vino nescierunt, hoc est præ errore quo decepti sunt nescierunt Creatorem suum ac liberatorem, et præ ebrietate, hoc est pro idololatria, erraverunt recedentes a Deo. « Sacerdos » iniquus « et propheta » falsus « nescierunt » Creatorem suum « præ ebrietate, » hoc est pro cultu dæmonum, quibus serviebant. « Et absorpti sunt a vino, » id est ab errore falso. « Erraverunt » sacerdos et propheta « in ebrietate, » hoc est in idololatria. « Nescierunt videntem, » id est non considera- B verunt quod Deus, qui omnia absconsa penetrat suo intuitu, cerneret eorum cogitationes et facta. « Ignoraverunt judicium, » nescientes habere discretionem inter justum et impium, inter sanctum et profanum.

« Omnes mensæ » illorum « repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus » in eis Domino. Vomitum et sordes posuit pro omni immunditia et spurcitia et sordibus. De hoc dicit : Quia postquam liberati sunt a Domino de manibus inimicorum, statim conversi sunt ad errorem pristinum, adorantes idola in lucis et nemoribus insuper et super tecta, et omnes cibos quibus vescebantur, dæmonibus consecrabant, statuentes mensas ante aras illorum. Locus ergo non est inventus in eis Domino, C quia repleta erant corda illorum odio et omni iniquitate. Sicut ipse in Evangelio dicit legis doctori : « Vulpes foveas habent in corde suo, et volucres cœli nidos. Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet (*Matth.* VIII). »

« Quem docebit scientia, et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatus a lacte, avulsus ab uberibus. » Vox prophetæ. Ablactatus dicitur, quasi a lacte abstractus, qui solido cibo vescitur. Avulsus ab uberibus, repulsus, vel separatus. Dicit ergo Propheta, loquens ad Judæos : Quem ex vobis docebit Dominus scientiam, et quem faciet intelligere auditum, id est, ut quæ audierit intelligat vera esse, et mente retinens opere adimpleat. Ac si diceret : Non docebit D vos qui lac sugitis, id est, pueriliter vivitis et sine sensu estis, opera infantium imitantes : sed illos qui jam solidamentum fidei habent, et qui non jam lacte, sed solido cibo pascantur (*Hebr.* V). Sunt in sancta Ecclesia qui lac adhuc sugunt, hoc est, levia præcepta adimplent, non valentes solidum cibum sumere, id est, fortia præcepta perficere. De quibus dicit beatus Petrus apostolus : « Quasi modo geniti infantes, lac concupiscite (*I Petr.* II). » Et egregius prædicator : « Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam, » et cætera usque ad id : « Adhuc enim carnales estis (*I Cor.* III). » Sunt etiam nonnulli qui solidos cibos sumunt, id est, qui majora præcepta legis et Evangelii adimplent, contemnentes terrena et appetentes cœlestia. Juxta quod præcepit Dominus : « Vade, vende omnia quæ possides, et sequere me (*Matth.* X). » Et illi tales ambulant de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion (*Psal.* VIII) : et manentes adhuc in carne possunt dicere cum Apostolo : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III). » Lac sugit aliquis nostrum, cum dicit : « Pater noster qui es in cœlis (*Matth.* VI). » Solido cibo vescitur ille, qui novit dicere sicuti dicendum est : « In principio erat Verbum (*Joan.* I), » et reliqua.

« Quia manda remanda, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi. » Omnipotens Deus cujus misericordia omnia subsistunt, « qui non desiderat mortem peccatoris, sed vult ut convertatur per pœnitentiam et vivat (*Ezech.* XVIII), » prædicebat per prophetas suos captivitates, et mala quæ passurus erat ille populus a Nabuchodonosor vel a Sennacherib, ut prætermitteret errorem suum convertens se ad illum. Sed ille qui semper duræ cervicis exstitit, irritans Deum suis operibus propterea quia captivitas statim ut eis annuntiabatur non veniebat super illos : dicebant ad prophetam deridendo : Manda remanda, id est præcipe quæ facere debeamus, et minare nobis mala : non veniet enim super nos illo in tempore malum. At contra Propheta : Exspecta, et iterum reexspecta, et modicum ibi, subaudis in illa exspectatione permane : quia veniens veniet super te calamitas. Et quid si modo non venerit ? Veniet procul dubio quandoque. Illi vero econtrario non se corrigebant de suis facinoribus et sceleribus, sed ipsa verba prophetæ sumebant ei dicentes : « Manda remanda, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi. » Ac si dicerent aliis verbis : Iterum præcipe quid faciamus, et ut exspectemus captivitatem ac præstolemur modicum in illa exspectatione frequentius jube tu. Ante enim omnes moriemur, et transibimus de hac vita ad aliam, quam hoc veniat quod prædicis.

« In loquela enim labii et lingua altera loquetur Dominus ad populum istum, cui dixit. » Vox prophetæ. Quænam est illa loquela altera qua loquetur ? Hæc est ut statim ut comminatus fuerit captivitatem, adducat illam super illos : non dans jam locum pœnitentiæ. Et est sensus : Propterea quia despexistis verba prophetarum, ducentes omnia pro nihilo quæ ab illis dicebantur, et dixistis : Hæc quæ isti prophetant, in futurum venient et non occupabit nos malum : ecce ego loquor in altera loquela ad vos. Et statim ut dixero, veniet super vos tribulatio et captivitas. Non prænuntiabo vobis amplius per prophetas meos, quid vobis mali venturum sit : usque irruat super vos et capiamini. Dixi enim vobis :

« Hæc est requies mea, reficite lassum. » Vox prophetæ. Semetipsum dicit iniquitatibus illorum lassatum. Quando sumus dediti orationibus, jejuniis, vigiliis, eleemosynis, cæterisque bonis operibus insistimus : tunc reficimus Dominum, et requiescere facimus eum in nobismetipsis. Quando vero avaritiæ aliisque

malis operibus insudamus, facimus eum laborare. Sicut ipse dicit per eumdem prophetam : « Laborare me fecistis in vestris iniquitatibus (*Isa.* XLV). » Et illud : « Laboravi sustinens. » « Et hoc est meum desiderium, » subauditur, ut reficiatis me vestris bonis operibus. Requies enim mea est, in cordibus electorum sedere et habitare. « Anima enim justi sedes est sapientiæ (*Sap.* VII). »

« Et erit eis verbum Domini, manda remanda » usque ad id quod dicitur « modicum ibi. » Loquitur propheta contra illos qui in derisionem sumpserunt verbum Domini, et dicit : Idcirco quia despectui habuistis verba Domini ac prophetarum ejus, sumentes hoc quod illi vobis pronuntiabant pro mendacio, insuper et in scurrilitatem illud vertistis : erit vobis verbum Domini in ruinam et calamitatem. Vel etiam ad quos ierit, erit eis Verbum Domini « ut vadant in interitum sui, et cadant retrorsum » interfecti ab hostibus suis.

« Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum. » Vox prophetæ ex persona Domini, contra pontifices scribasque et Pharisæos, et principes Judæorum. Illusores appellantur, eo quod verba Prophetæ in derisione sumpserunt, quando dicebant « manda remanda, etc. »

« Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, » hoc est cum diabolo « et cum inferno, » hoc est, cum pœnis inferni « fecimus pactum. » Quid est fœdus, idipsum est et pactum. Pactum autem dicitur, quasi pacis auctum. Impiissimi Judæi non recordantes judiciorum et bonorum Domini, quibus illos omnibus gentibus prætulerat quondam et exaltaverat, dans eis terram omnibus terris fertiliorem, dicebant : Nequicquam laboramus in lege, observantes præcepta quæ ibi continentur, quia descensuri sumus ad inferni claustra, sicut et omnes gentes. Levius etiam et tolerabilius erit illis quam nobis, quia illi quotidie placant hostiis et muneribus principes inferni. Melius ergo nobis est ut convertamur ad ritum gentium, et statuamus pactum cum diabolo et pœnis inferni, offerentes eis thura et hostias, « flagellum » captivitatis et tribulationis « inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, » id est, in diabolo habemus spem « et mendacio, » hoc est, a diabolo « protecti sumus » pro eo quod est, protecti erimus vel protegemur. Mendacium appellat diabolum, juxta quod Dominus dicit (*Joan.* VIII) : Quia mendax est, et pater ejus, id est, pater mendacii, veritatem semper refugiens.

« Idcirco hæc dicit Dominus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem. » Vox prophetæ, ex persona Dei Patris de Filio Dei. Idcirco quia hæc omnia fecistis quæ jam dicta sunt, ponentes mendacium spem vestram, loquitur Dominus dicens : « Ecce ego mittam in fundamentis Sion, » hoc est, in fundamentis Ecclesiæ « lapidem. » Sion quæ interpretatur speculum sive contemplatio sanctam Ecclesiam A significat, quæ semper speculum cordis et contemplationem mentis ad Deum erigit. Lapis autem appellatur Dominus Jesus, propter firmitatem et soliditatem. Omnis enim qui in illo fuerit fundatus, nulla inundatione aut procella movetur. Sicut dicit apostolus Petrus : « Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum (*I Petr.* II). » Hic est lapis quem vidit Daniel « præcisum de monte sine manibus, » id est, « de semine Judæorum absque virili coitu natum, qui implevit universam terram (*Daniel.* II). » Hic est lapis qui reprobatus est ab ædificantibus (*Psal.* CXVII), probatus autem dicitur a Deo Patre. Angularis vocatur, quia sicut lapis angularis duos parietes continet : ita et ille duos populos in semetipso conjunxit, et ex duobus unam Ecclesiam B constituit, qui fecit utraque unum sicut dicit Apostolus : « Pretiosus est, quia peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus (*Ephes.* II) : » ideoque est in fundamentis Ecclesiæ fundatus. « Qui crediderit » subaudis in illum lapidem « non festinet, » hoc est, cum viderit Filium incarnatum, non putet statim subsecuturum judicium illius secundum, sed præstoletur illud. Sicut dicit Propheta : « Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet et non tardabit (*Habac.* II). »

« Et ponam judicium in pondere, » hoc est, in consideratione « et justitiam in mensura, » ut reddat unicuique secundum opera sua. Vox Dei Patris de Filio. Et est sensus : Cum misero Filium meum, qui est lapis probatus, ad redimendum mihi meos C electos : tunc ponam ego omnia in mensura, judicans per illum omnigenas gentes examine justo. De hoc judicio sibi dato dicit Filius : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V). » Per illum enim omnia fecit et redemit, per illum etiam judicium suum implebit. « Et subvertet grando, » hoc est, multitudo tormentorum « spem mendacii » ubi spem suam collocabant, « et aquæ inundabunt protectionem, » hoc est multitudo pœnarum et tribulationum opprimet diabolum, a quo illi se putabant protegi, et ipsos etiam qui dixerunt : Mendacio (hoc est diabolo) protecti erimus.

« Et delebitur fœdus vestrum, quod pepigisti cum morte, » hoc est cum diabolo « et pactum vestrum, » quod statuistis « cum pœnis inferni non D erit stabile » dicentes levius vobis fore in inferno, si secundum ritum gentium dæmonia adoretis. Flagellum, sive captivitatis sive mortis, cum venerit vel a Sennacherib, vel a Nabuchodonosor : conculcabit vos et destruet.

« Quoniam mane diluculo pertransibit in die et in nocte. » Diluculum dicitur quasi dubia lux. Per mane et diluculum, continuum tempus intelligere debemus. Per diem et noctem, continua pœna signatur. « Et tantummodo sola vexatio tribulationis dabit auditui vestro intellectum, » hoc est supplicium. Et pœna cui subjacebitis, faciet vos intelligere vera esse, quæ prophetæ ex nomine meo locuti sunt. « Coangustatum enim est stratum, ita ut alter de-

cidat : et pallium breve utrumque operire non potest. » Vox Domini ad Hierusalem. Et est metaphorice ductum a marito et conjuge, ad Deum et ad Hierusalem. Verbi gratia. Si aliquis dixerit uxori suæ : O conjux adultera, istud stratum angustum est : non potest capere me et illum cum quo violas illud. Et istud pallium breve est et angustum, nec valet operire me et adulterum. Et est sensus : O Hierusalem, si vis habere me conjugem et protectorem, necesse est ut prætermittas deos alienos : qui tibi semper in ruinam et calamitatem sunt. Non poteris enim utrumque adimplere, videlicet deos alienos adorare, et me protectorem habere : cum amatoribus adulterare et mihi placere. « Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI). »

« Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus, B sicut in valle quæ est in Sabaa irascetur. » Vox prophetæ contra Hierusalem. Subauditiones isto in loco necessariæ sunt. « Sicut in monte divisionum stetit Dominus, » dividens Philistæos pugnante David (*I Paral.* XIV) : sic stabit Dominus contra vos, o Juda et Benjamin. Regum historia narrat, quod Philistæis congregatis in uno globo, supervenit illis David, et Domino sibi opitulante, divisit illos ab alterutrum. Illi namque qui mortui remanserunt sejuncti sunt ab illis qui per diversas solitudines longe lateque dispersi sunt, persequente illos David. Unde vocatus est locus ille Baal Pharasim (*Jos.* X). « Et sicut in valle quæ est in Sabaa » iratus est contra Chananæos pugnante Josue adversum eos, quando ad jussum illius omnia sidera in cacumine medii C cœli spatio unius diei steterunt : sic « irascetur » Dominus super Hierusalem « ut faciat opus suum? » Potius est interrogative legendum, quam affirmative. Dicit Propheta : « Nunquid ideo irascetur Dominus, ut faciat opus suum? » Non. « Alienum opus ejus ab eo. » Quare est alienum? Quia opus Dei est misereri et parcere, et omnibus subsidium suæ misericordiæ impendere. Quando vero irritatus malis hominum percutit illos et ulciscitur se de eis, opus crudelis hominis et tyranni est illud quod agit : et ideo alienum est ab eo quod operatur, ut operetur opus suum? Si igitur interrogative pronuntiandum est : « Nunquid ideo irascetur contra impios, ut operetur opus suum? » Minime. « Peregrinum est enim opus quod operatur D ab eo. » Nempe sicuti diximus, quando vindictam accipit ex suis contemptoribus, sævi et cruenti hominis officium operatur. Beatus Gregorius aliter dicit : Ideo venit Dominus in mundum, ut faceret opus suum, hoc est ut redimeret genus humanum de potestate diaboli, et misereretur ejus, sed alienum fuit opus ejus ab eo, quia non conveniret Deitati ut spueretur, flagellaretur, crucifigeretur.

« Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur. » Hortatur Propheta illos qui verba illius in derisionem sumpserunt, dicentes : Manda, remanda, et cætera quæ ibi dicuntur, quatenus conquiescant et desistant illudere, ne forte vinculis peccatorum suorum constricti, constringantur etiam vinculis captivitatis, ut celerius ducantur in deprædationem. « Consummationem et abbreviationem audivi a Domino per universam terram. » Ideo vobis ista annuntio, quoniam a Domino audivi abbreviationem vestræ captivitatis et calamitatis. Non enim elongabit ut vos putatis, dicentes deridendo, exspecta, reexspecta, seditio, sed repente veniet, si non fueritis conversi ad pœnitentiam. Quod autem dicit super universam terram, vel specialiter dici potest de terra Judæorum, vel etiam generaliter ad diem judicii, quando universus orbis a Domino visitabitur.

« Auribus percipite et audite vocem meam. » Vox prophetæ ad scribas et pharisæos.

« Nunquid tota die, » hoc est omni tempore « arabit arans, » hoc est agricola, « ut seminet semen suum? » Non. Qui operabitur tunc proscindet, hoc est antequam tempus seminationis adveniat, arabit illam terram una vice vel duabus, ut cum tempus seminandi venerit, præparata sit ; « et faciet, » id est circumfodiet humum suam rastro. Hoc quod carruca et vomere non potest scindi propter angustationem loci, ubi non potest carruca verti, illud etiam tempore sibi congruo circumfodit fossorio. « Nonne cum adæquaverit faciem ejus, » hoc est, cum æqualem reddiderit et emollierit illam « seret, » hoc est seminabit « gith et cyminum sparget? » Gith genus est leguminis, tantæ magnitudinis habens grana ut cyminum, sed nigra, et solet poni in pane propter dulcorationis saporem.

« Et ponet triticum per ordinem, » subauditur locorum suorum. Quia non omnia spatia terræ æqualiter conveniunt seminibus. « Et viciam in finibus suis sparget, » quia in marginibus camporum, in circuitu messis seminatur vicia.

« Et erudiet illum agricolam in judicio, » hoc est in discretione. Scilicet Deus suus docebit illum, quo tempore debeat arare et proscindere, et ubi seminare triticum et ubi milium, et quando. Media distinctio ponenda est illo in loco, ubi dicitur : Et erudiet illum in judicio. Et subjungendum, « Deus suus docebit illum. » Quis erudiet illum? Deus suus. Subaudiendum est enim ibi Deus, ut sit et erudiet illum Deus suus. Cum autem venerit tempus collectionis « neque gith triturabitur serris, » hoc est excutietur, « neque super cyminum rota plaustri circumibit, sed in virga, » hoc est, in flagello et baculo « excutientur. » Sunt quædam regiones, in quibus pro penuria feni congregant triticum in unum locum, et inducunt super plaustra cum rotis ferratis et excutitur triticum ; et stramina etiam in paleas rediguntur, ut animalia melius ea sumant.

« Panis autem comminuetur, » subauditur, rotis ferratis et plaustro. Panem appellat triticum, hordeum, et omne unde panis fit. « Verum non in perpetuum triturans » plaustrum « triturabit illum » panem, hoc est triticum, « neque vexabit eum, » id est, panem « rota plaustri, nec ungulis suis comminuet eum. » Quis non comminuet ipsum panem?

Plaustrum vel rota; jam excussus est. Ungulas posuit pro summitate serrarum rotarum.

« Et hoc » consilium « a Domino Deo exercituum, » et vult subauditur, ut sciret agricola quo tempore sulcaret terram, et quo etiam seminare deberet. Hæc juxta litteram diximus, quomodo Deus agricolam erudiat ut non semper uno eodemque tempore unius culturæ operi insistat : sed prævideat quid uno vel quid alio tempore operetur. Iterum vero repetenda est ista sententia a capite, et considerandum quid spiritualiter enucleare velit. « Auribus percipite. » Ad scribas et pharisæos loquitur Propheta, quos superius illusores appellavit. Nunquid tota die, hoc est omni tempore, arabit arans ut serat? Deus omnipotens, pius et misericors, varie disposuit omne genus hominum et affectus eorum. Ideoque comparatur isto in loco agricolæ, qui per diversa tempora varie exercetur, et ex terra quam incolit fructus desiderat recipere. Ut Deus omnipotens aliquando proscindit terram, hoc est habitatores, pestilentia percussam : aliquando miseretur et parcit, aliquando facit contemptores suos migrare in captivitatem, aliquando de captivitate revocat. Et hoc ideo agit ut convertantur ad pœnitentiam, et fructus bonæ operationis ex eis recipiat. Non vult enim mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII). Pergit, et per cyminum quod in virga excutitur, omnes gentes possumus intelligere, quæ cognitionem Dei non perceperunt, quæ in virga, hoc est in pœnis inferni excutientur. Per triticum et hordeum unde panis fit, Judæos qui cognitionem Dei perceperunt in lege, sed noluerunt eam adimplere : et ideo majora tormenta sufferent, quam illi qui necdum Deum cognoverunt. Vel aliter : per triticum et hordeum prælatos sanctæ Ecclesiæ et principes istius sæculi, qui semetipsos custodire, et alios etiam ad gaudia supernæ patriæ revocare debent. Isti, dum se totis viribus terrenis lucris implicant, et suo malo exemplo subjectos suos a via veritatis deviare faciunt, procul dubio nisi pœnitentiam perfectam ante extremum judicii diem egerint, tradendi sunt pœnis inferni : quia potentes potenter tormenta patientur (*Sap.* VI). Per cyminum autem et gith populares et simplices quique intelliguntur, qui fidem sanctæ Trinitatis et baptismum regenerationis male vivendo corrumpunt, qui nisi lacrymis et pœnitentia abluti fuerint, tradendi sunt suppliciis gehennæ. Verum non in perpetuum triturabitur panis, neque cyminum virga excutietur. In hoc loco consolationem dat peccatoribus. Misericors enim Dominus creaturæ suæ in die judicii miserebitur : si in isto sæculo pœnitentiam ante præoccupationem mortis egerit. Multi namque sunt in igne purgatorio, qui pœnitentiam hic inchoaverunt : sed surripiente mortis articulo non ad effectum perduxerunt, qui Domino largiente in die judicii salvabuntur. Notandum autem quia non de impiis dicimus, qui in ipsa impietate transierunt ab hac luce : sed de his qui post flagitia peracta ad pœnitentiam conversi sunt.

Et hoc a Domino Deo exivit ut ita disponeret actus hominum, et magnificaret justitiam suam.

CAPUT XXIX.

« Væ, Ariel, Ariel, civitas quam expugnavit David. » Plangentis affectu loquitur Deus omnipotens ad Hierusalem. Tale quid et in Evangelio egit, quando videns civitatem flevit super illam, dicens : « Quia si cognovisses et tu (*Luc.* XIX). » Non propterea vocatur a Domino Hierusalem Ariel, quod aliquando hoc nomen habuerit, sed propter interpretationem nominis. Ariel siquidem interpretatur leo Dei. Et Hierusalem leo Dei idcirco appellatur, quia fortissima et potentissima semper exstitit. Nam tantæ fortitudinis fuit antequam caperetur a David, ut illi Jebusæi qui in ea residebant deridendo dicerent ad David : « Tanta est, inquiunt, civitas, ut a debilibus arcearis, et non permitteris intus introire nisi cæcos et claudos antea expellas (*III Reg.* V). » Unde exivit proverbium : Cæcus et claudus non introibunt in templum. Postea autem quam capta est ab illo, multo magis per multa curricula annorum, fortitudine pugnatorum et ambitu murorum, insuper et multitudine divitiarum aucta et multiplicata est. Maxime temporibus Salomonis, quando templum illud gloriosissimum ædificatum est, et tanta fuit copia argenti et auri in ea ut lapidum. Ideoque prædicit ei væ imminere, hoc est perpetuam damnationem, quia omnis gloria illa et sublimitas auferenda erat propter peccata illorum a Chaldæis et Romanis, sicut in subsequentibus videbimus.

« Additus est annus ad annum, solemnitates evolutæ sunt. » Ideo dixit : Væ tibi, Ariel, quia hoc ei futurum erat. Et loquitur de futuro quasi de præterito. Annus anno additus est, quia quando ducti sunt in captivitatem a Nabuchodonosor, non offerebant sacrificia, quia deerat templum; et solemnitates tabernaculorum, et paschæ evolutæ sunt, hoc est perierunt. Et sicut fuit primus annus captivitatis usque his omnibus, sic fuit et subsequens, ideoque additus dicitur esse annus ad annum. Dicit enim beatus Hieronymus, quia hoc est mirum quod uno eodemque tempore et civitas destructa, et templum succensum et populus ductus est in captivitatem, in illo tempore quando Sedecias comprehensus est : sic etiam et in adventu Romanorum actum est.

« Et circumvallabo Ariel, » hoc est Hierusalem : « et erit tristis et mœrens. » Circumdata hostili exercitu Chaldæorum : sicut Dominus etiam per Jeremiam prædixit : Ecce ego congregabo veteres cognationes regnorum aquilonis, dicit Dominus, et ponent sedes suas super portas Hierusalem. Sic enim factum est. Nam quando Sedecias et principes cum eo per quoddam foramen muri fugerunt, et comprehensi sunt ab equitatu Nabuchodonosor in campis Jericuntinis, principes Chaldæorum portas jam obtinentes, sedes suas collocaverant desuper. « Et erit mihi quasi Ariel, et circumdabo quasi feram in circuitu tuo. » Hoc ad tempus Romanorum pertinet. Et

erit mihi quasi Ariel, et circumdabo quasi feram. Ac si diceret aliis verbis : Cum venerit Vespasianus et Titus constipati milite Romano, eris mihi quasi Ariel : hoc est nomen tantummodo pristinum habebis, sed omni dignitate et gloria privata eris, quibus temporibus priscis floruisti. Templum quidem habebis et sacerdotes quasi temporibus Salomonis, sed nec templum tanti decoris, nec sacerdotes tantæ dignitatis. Solummodo nomen retinebis ut Hierusalem voceris, sed cæteris rebus prioribus carebis. Quod autem addit, et circumdabo quasi feram in circuitu tuo, convenit ad illud, quod dicit in Evangelio : « Et circumdabunt te inimici tui vallo, » id est munitione vel obsidione, « ut nequeas effugere de manibus illorum (*Luc.* XIX). »

« Humiliaberis, » cum hæc venerint tibi, « de terra loqueris, » non de cœlestibus rebus. Ac si diceret aliis verbis : Quæ ante solita eras proferre prophetas, qui cum Domino loquebantur et de cœlestibus disputabant, postquam venerint Romani, jam postea desistes loqui aliud nisi terrena. « Et de humo audietur eloquium tuum. » Per hoc voluit Dominus, dicit beatus Hieronymus, ostendere magos futuros ex illo populo, sicut postea multos audivimus fuisse, ut fuit Simon magus. Fuerunt magi qui per nigromantiam, quæ dicitur mortuorum excitatio, animas ab inferis evocabant, et emittebant subtilissimas voces, prædicentes hoc unde requirebantur a magis. Idem sunt et pythones, qui ventriloqui appellantur, eo quod in ventre habeant diabolum. Nam sic fecit pythonissa quæ erat in Endor, quæ precatu Saulis impulsa Samuelem ab inferis evocavit (*I Reg.* XXVIII). « Et de humo mussitabit eloquium tuum : » idipsum est quod superius dictum est.

« Et erit, » o Ariel, « multitudo ventilantium te, sicut pulvis tenuis, et sicut favilla pertransiens. » Multitudinem Romanorum quæ venit super Hierusalem comparat pulveri tenuissimo et favillæ, non propter parvitatem et modicitatem sui, sed propterea quia innumerabilis exstitit sicut pulvis terræ. Et sicut multitudo favillæ, quæ dum pertransierit mota a vento, enumerari non potest.

« Eritque repente, » id est confestim « a Domino exercituum » illa captivitas. « Et visitabitur Hierusalem » vel a Domino de cœlo, vel etiam illo permittente « in tonitruo et commotione magna. » Romani pacem habuere cum Judæis, sed cito ac repente diruptum est pactum, quia Judæi noluerunt solvere tributa. Tunc vero imperator Romanorum misit duos principes suos Vespasianum et Titum, ut delerent civitatem. Quod autem dicitur, visitabitur in tonitruo et flamma devoranti, dupliciter intelligi potest. Nam antequam Romani ad civitatem venirent, facta sunt tonitrua cœlitus et terræmotus, et voces etiam auditæ sunt in aere, tempestates, et insuper ignis devorans, id est fulgura percutientia homines : ut ostenderetur non solum homines, verum etiam omnia elementa contra illos esse commota. Potest etiam referri ad Romanos, qui cum tonitruo, hoc est impetu magno, et quasi tempestas venerunt super illos, a quorum multitudine terra videbatur moveri. Ipsi viderunt flammas ignis quæ succenderunt templum et civitatem, et omnia consumpserunt sicut ardor ignis.

« Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel. » Apostropham facit Propheta ad Romanos, qui Jerusalem destruxerunt. Cum enim, Domino permittente, civitatem cepissent, et templum omnesque divitias tam thesaurorum Domini quam etiam populi, et ex eis locupletati essent, non dederunt Domino gratias qui hoc eis concessit, sed glorificaverunt deos suos quasi illorum virtute protecti, ditati essent copiis Judæorum. Et idcirco loquitur contra eos Propheta, quod cito transituri et morituri sunt, dans ex hoc tres similitudines. Sicut, inquit, somnium, hoc est visio quæ videtur, quando videt aliquis arbores et montes transire, statim ut evigilaverit, vacua est anima ejus : sic cito transibunt gentes Romanorum quæ dimicaverunt contra Hierusalem, eo quod non egerunt gratias Deo qui dedit eis omnia bona Judæorum, sed virtute numinum suorum putaverunt se hoc fecisse.

« Obstupescite, » o scribæ et Pharisæi, « et admiramini, » miseriam vestram ; « fluctuate, » hoc est, titubate « et vacillate, » id est huc illucque vos vertite. Iterum loquitur sermo divinus contra scribas et Pharisæos. « Inebriamini et non a vino, » sed a dolore cordis et contritione corporis, quoniam venient super vos mala. « Movemini et non ad ebrietatem, » hoc est agite pœnitentiam, ut possitis evadere calamitatis periculum : « quoniam miscuit Dominus vobis spiritum soporis, » hoc est alienationem mentis propter vestra innumerabilia scelera.

« Claudet oculos vestros, » ut videntes dicta legis et prophetarum non intelligatis. « Prophetas vestros qui vident visiones operiet, » id est abscondet a vobis, « et principes vestros, » in quibus confiditis « operiet, » id est tollet a vobis et auferet. « Et erit vobis visio omnium, » id est prophetia omnium librorum « quasi signata, » id est, sigillata sit. « Et cum dederit librum qui apprehenderit illum scienti litteras, » id est scribæ et pharisæo, vel legis doctori, « dicet : Signatus est liber, » id est obscura est, et difficilis mihi ejus intelligentia. « Et cum iterum dabitur nescienti litteras, » id est vulgari populo qui nunquam litteras didicit vel alicui gentili, « respondebit : Ignoro litteras. » Quod non est solummodo de uno libro Psalmorum intelligendum, sicut quidam senserunt, sed de omni Veteri Testamento. Quod tunc impletum est quando amiserunt sacerdotium et dignitatem, et civitas destructa est, et templum eversum a principibus Romanorum.

« Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat, » subaudis, mihi, « populus iste ore suo, et labiis me glorificat, cor autem eorum longe est a me. » Appropinquare quidem videbatur populus Israel Deo suo cum idola non colebat, et glorificabat illum so-

lummodo labiis ; sed corde elongabatur ab eo, quia ita colebat Deum-Patrem, ut in Filium ejus non crederet. Et sicut Dominus dicit in Evangelio : Qui non credit in Filium, nec credit ei qui misit illum (*Joan.* III). Quomodo ergo potest a Deo elongari, qui ubique est, et omnia implet, sicut ipse dicit : Cœlum et terram ego impleo? (*Jerem.* XXXIII.) Sed quando bona operamur implentes dilectionem Dei et proximi, tunc proximamus Deo et ipse appropinquat nobis,quia templum in nobis illi præparamus, et ipse habitaculum suum in nobis facit. Cum vero male agimus deservientes fornicationi, adulterio, vel aliis vitiis, elongatur a nobis Deus, quia non habitat in corpore subdito peccatis (*Sap.* I, *Matth.* XV, *Marc.* VII). « Et timuerunt me, » id est coluerunt « mandato hominis, » id est pro mandato vel traditione scribarum et Pharisæorum. Scribæ et Pharisæi prætermittentes præcepta legis, traditiones suas superponebant mandatis Dei. Unde et Dominus dicit eis : « Væ vobis, scribæ et Pharisæi, qui prætermittitis mandata Dei propter traditiones vestras : » qui dicitis : « Munus quodcunque est ex me tibi proderit. » Et miseri Judæi potius sequebantur mandata illorum quam Dei. Ideo « quia suam justitiam statuerunt (*Rom.* X), et justitiæ meæ non sunt subjecti, ecce ego addam, ut admirationem faciam. » Quæ fuit illa admiratio? Ipse exponit.

« Peribit enim sapientia a sapientibus, » id est a scribis et Pharisæis. Non dixit, peribit sapientia ab omnibus hominibus, sed a scribis et Pharisæis, qui sibi sapientes esse videbantur cum essent stulti (*I Cor.* III). Quam tunc Judæi perdiderunt, quando et terram sibi datam, et civitatem ac templum, omnemque dignitatem, temporibus Romanorum amiserunt.

« Væ qui profundi estis corde ut a Domino absondatis consilium. » Contra scribas et Pharisæos ac principes Judæorum loquitur Dominus. Illi namque foris per hypocrisim simulabant se sanctos et innocentes esse, cum in tenebris, hoc est in nocte vel sub conclavi, multa mala opera adimplerent. Dicebant enim illi : « Quis poterit cognoscere voluntatem et operationem nostram? » Sic dixit pater noster Adam, quando fecit ex foliis ficus perizomata postquam aperti sunt oculi ejus, gustando de ligno vetito, absconditque se sub arbore scientiæ boni et mali, putans se non videri a Deo. Sic Cain quando dixit : Ero vagus et profugus, et a facie tua abscondar (*Gen.* III *et* IV). Similiter de sapientibus et philosophis istius sæculi, atque hæreticis est intelligendum.

« Perversa est hæc vestra cogitatio, quasi si lutum dicat factori suo : Non fecisti me, » Sicut enim lutum, si posset loqui et diceret contra factorem suum, non scis bene fingere, sic et illorum verba sonant. Omnis enim Creatori suo creatura cognita est, nec potest aliquid cogitare vel facere, ut ipse omnia non videat. Apud eum non est nox, non sunt tenebræ, sed omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.

« Nonne adhuc in modico et brevi tempore convertetur Libanus in Chermel, et Chermel in saltum reputabitur? » Modicum tempus dixit ex eo quo Isaias ista prædicabat, usque ad Domini ascensionem. Omnia enim tempora et sæcula æternitati omnipotentis Dei comparata, brevia et modica videntur esse, quia finem habent. Dei autem æternitas, neque initio inchoatur, neque fine clauditur. Libanus mons est in provincia Phœnicis, et interpretatur *dealbatio*. Chermel vero similiter mons est in confinio regionis Palæstinæ et Phœnicis, adjacens civitati Tholomaidæ, et interpretatur *scientia circumcisionis*. Est autem et alius in terra repromissionis mons ejusdem nominis, unde fuit Nabal Carmelites. Sed quod nos dicimus Carmelum, Hebræi dicunt Chermel. Dicit beatus Hieronymus isto in loco : Respondeant nobis nunc illi qui mysteria divinarum Scripturarum nolunt recipere, sed contenti sunt tantum superficie litterali historialiter omnia requirentes. Quando mons Libanus transivit in Chermel, et iterum Chermel in Libanum? Deficiet enim sensus et cogitatio illorum in hoc loco. Per Libanum namque qui interpretatur *dealbatio*, significantur gentiles : qui dealbati et mundati sunt per prædicationem apostolorum, et conversi sunt in Chermel, hoc est in veram scientiam circumcisionis, quæ circumcisio verissima est regenerationis et recreationis. Per Chermel vero qui interpretatur, ut dictum est, *scientia circumcisionis*, Judæi exprimuntur, qui carnaliter se circumcidebant et non in mente, ideoque reputati sunt in saltum, hoc est in sylvam infructuosam. Gentiles namque ante prædicationem apostolorum infructuosi erant, quia licet facerent fructus, tamen amari et acidi erant. Post ascensionem autem Domini, cum Judæi prædicationem apostolorum sprevissent et venissent ad gentes, conversus est Libanus in Chermel, et Chermel in saltum, id est gentiles qui ante erant cauda, conversi sunt in caput, et Judæi in caudam reputati sunt, qui quondam fuerunt in caput. « Et erit in die illa, » hoc est in illo tempore, cum prædicatio Evangelii ad gentes transierit, « audient surdi verba libri, » signati, « et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. » Gentiles qui Dei cognitionem, antea non perceperant, et tenebris ignorantiæ et caligine peccatorum pressi erant, habentes oculos cordis obcæcatos : in die illa, hoc est, cum conversus fuerit Libanus, id est Chermel, et Chermel in saltum reputatus, intelligent verba libri signati, hoc est Vetus Testamentum et Novum, quod scribis et Pharisæis signatum fuit, et videbunt mysteria et arcana divinorum eloquiorum.

« Et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in sancto Israel exsultabunt. » Mites appellantur apostoli, de quibus etiam Dominus in Evangelio dicit : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V). » Cum vidissent ergo apostoli multitudinem gentium ad fidem Christi occurrere, magna lætitia addita est illis. Pauperes etiam apostoli dicuntur, quoniam ipsi fuerunt pauperes spiritu. Possumus vero et nos gentiles pauperes appellari. Nam

patres nostri pauperes exstiterunt, quia non habuerunt divitias spirituales, et pinguedine spei et dilectionis expertes manserunt. Cum autem ebriati fuerint aquis spiritualibus de fonte Salvatoris, exsultabunt in sancto Israel.

« Quoniam defecit qui prævalebat, consummatus est illusor. » Ante adventum Redemptoris nostri diabolus prævalebat super omnes gentes, quia ipse eas suo dominio subjugatas habuit: donec venit fortior illo Dominus Jesus qui universa ejus abstulit, sicut in Evangelio legitur: « cum autem fortior illo supervenerit, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat (*Luc.* XI). » Ideo enim prævalebat, quia princeps istius mundi erat. Sicut Dominus dixit: « Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV). » Et: « Nunc princeps mundi ejicietur foras. » Ipse etiam appellatur illusor, qui omne genus hominum illudebat, et seducebat ad errorem sui. « Succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo. » Ipsi qui succisi sunt: discipuli principis mundi intelliguntur, dæmones videlicet, qui vigilabant semper ad malum. Tunc illi succisi sunt qui peccare fecerunt homines in verbo, hoc est, Judæos quando veneno iniquitatis illorum corde obcæcato dixerunt Domino: « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicis dæmonia (*Luc.* XI). » Et: « Crucifige, crucifige eum: » et alia hujusmodi. « Et arguentem in porta supplantabant. » Quis est iste qui in porta supplantabatur? Dominus Jesus, vel etiam aliquis prophetarum qui in porta annuntiabat populo, quatenus agens pœnitentiam converteretur ad fidei operationem: tamen non supplantabatur ille, quia justus ex fide vivens immobilis permanebat (*Rom.* I). « Et declinaverunt frustra justum. » In quibusdam codicibus reperitur *a justo*, sed beatus Hieronymus « justum » exponit dicens ita: Quantum in ipsis dæmonibus fuit, declinare conati sunt justum a justitia, sed frustra, quia fundatus erat. Possumus etiam hoc referre ad scribas et pharisæos, qui semper vigilabant ad iniquitatem, et qui peccare faciebant homines simplices in verbo, quando dicebant de Domino Jesu Christo, non esse illum qui promissus erat in lege et prophetis. Nam illi eum conabantur supplantare, quando consilium inibant qualiter caperent eum in sermone (*Matth.* XXII). Huic vero sensui congruit utrumque, « et declinaverunt frustra justum, » vel a justo. Frustra conati sunt scribæ et Pharisæi declinare justum, quia non prævaluerunt. Vel etiam quando dixerunt: « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* X), » frustra declinaverunt a justo, hoc est, stulte egerunt recedentes a vita, et eligentes mortem. Postquam idem fecit, quia prævalebat diabolus, et succisi sunt tam dæmones ministri illius quam scribæ et Pharisæi, addiderunt mites lætitiam: et pauperes spiritu, gentiles exsultaverunt in Domino.

« Propter hæc dicit Dominus ad domum Jacob qui redemit Abraham. » Quomodo redemit Dominus Abraham? Legimus in historiis: Quia Chaldæi projecerunt Abraham et Aran in ignem, qui lingua eorum *ur* appellatur: eo quod nollent colere illum. Mortuus est autem ibi Aran ante Tharan patrem suum, et Abraham illæsus exivit ab eo (*Gen.* XI). Unde et dicit ei Dominus: « Ego Deus qui eduxi te de urbe Chaldæorum. » « Non modo confundetur Jacob, non modo vultus ejus erubescet: sed cum viderit filios suos opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum. » Loquitur Dominus omnipotens per Isaiam prophetam, et dicit: Non modo hoc, hoc est isto in tempore, erubescet Jacob, id est verecundabitur, et dolebit super iniquitates suas: sed cum filios suos, apostolos scilicet meos, opera manuum mearum, quos ego creavi et reparavi, et erudivi scientia spirituali: in medio sui viderint sanctificantes nomen meum. Postquam enim Dominus ac Redemptor humani generis « devicto mortis imperio resurrexit et ascendit ad dexteram Dei Patris, » decimo ascensionis suæ die « misit Spiritum sanctum super apostolos in linguis igneis, et cœperunt loqui magnalia Dei (*Act.* II). » Audientes hoc Judæi qui Dominum morti tradiderant, erubuerunt de peccatis suis, quod Dominum ac Deum suum damnassent, et pœnitentia ducti dixerunt ad apostolos: « Quid faciemus, viri fratres? » Et Petrus ad illos: « Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur in nomine Domini Jesu unusquisque vestrum. » Impletumque est illud quod hic dicitur: « Cum videritis filios vestros apostolos meos effectos sanctificantes nomen meum, erubescetis de sceleribus vestris, et confundemini super vestris erroribus. » « Et sanctificabunt » apostoli Christi nomen « sanctum Jacob, et Deum Israel prædicabunt. » Vox prophetæ. Sanctus Jacob in loco isto Christus est, qui de semine et propagine illius efflоruit. Deus autem Israel, Dominus Jesus cum Patre et Spiritu sancto intelligitur.

« Et discent in die illa errantes spiritu intellectum et mussitatores discent legem. » Errantes appellantur Judæi, a falso errore seducti, qui idola adoraverunt recedentes a Deo vero. Ipsi vocantur et mussitatores, quoniam semper murmuratores exstiterunt et mussitatores, tam in eremo quam etiam postquam introducti sunt in terram omnibus meliorem.

CAPUT XXX.

« Væ, filii desertores, dicit Dominus. » Væ, sicuti superius jam diximus, interitum perditionis et mortis significat. Desertores namque Judæi nuncupantur, qui dereliquerunt legem Domini et transgressi sunt pactum ejus. Nunc prædicit Isaias Spiritu sancto ebriatus historiam quæ temporibus Jeremiæ adimpleta est, quando Nabuchodonosor rex Chaldæorum venit in Hierusalem, et duxit Sedeciam orbatum oculis filiorumque morte, et omnem populum terræ pene captivavit, reliquis qui remanserunt præfecit Godoliam qui erat de semine regio. Venit autem Ismael et alii viri nequam cum eo, et interfecerunt Godoliam, invidia ducti contra eum. Tunc nimio timore perterriti omnes qui remanserunt, venerunt ad Jeremiam dixeruntque ei: Ora pro nobis ad Dominum

Deum, et dic quid agere debeamus. Sciebant enim quia pro interfectione Godoliæ quem proposuerat illis Nabuchodonosor, mala passuri erant. Decimo autem die postquam illi Jeremiam consuluerunt, factus est sermo Domini ad illum dicens : « Dic reliquis qui remanserunt : Manete in loco isto, et protegam vos, eritque vobis bene. » Cumque Jeremias hæc verba eis retulisset, dixerunt illi : « Non manebimus hic, sed ad Ægyptum fugiemus, ne forte moriamur isto in loco interfecti a Chaldæis. » « Ut faceretis consilium, et non ex me : et ordiremini telam, et non per spiritum meum. » Consilium et telam orditi sunt absque voluntate Domini, quando dixerunt : Melius est ut fugiamus in Ægyptum et ibi salvemur, quam hic interficiamur a Chaldæis.

« Qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum, et os meum non interrogastis. » Cum dicit qui ambulatis, loquitur de futuro quasi de præsenti. Nam ab Isaia qui hoc prædixit usque ad Jeremiam cujus temporibus adimpletum est, centum quinquaginta anni fuerunt. « Os meum, » inquit, hoc est Jeremiam. Prophetæ namque os Domini appellantur, quia per illorum ora omnipotens Deus mysteriorum arcana prædicit : Unde solent prophetæ ita dicere : « Os enim Domini locutum est. »

« Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem. » Pharao nomen dignitatis est apud Ægyptios : sicut apud Romanos ut Augusti et Cæsares appellarentur. Ille enim Pharao cujus temporibus isti confugerunt in Ægyptum, alio nomine Vafre vocitabatur, sicut et Pharao Nechao.

« Ierant enim principes tui in Taphnis et nuntii tui usque ad Anes [Thanes] pervenerunt. » Iste versiculus ironice est legendus. Ac si diceret : Recessisti ideo a me ut ires in Taphnis, quid tibi profuit? Taphnis civitas est regalis Ægypti, in qua magi contra Mosen signa fecerunt. Anes etiam civitas est in finibus Ægyptiorum.

« Omnes confusi sunt super populo qui eis prodesse non potuit. » Dicit beatus Hieronymus, quia quando illi ierunt in Ægyptum ad civitatem Taphnis sperantes protegi a fortitudine Pharaonis, ivit pariter cum eis Jeremias. Accipiensque magnos lapides comportavit illos super portam civitatis, et dixit : « Hæc dicit Dominus : Ecce ego adducam Nabuchodonosor servum meum, et ponet sedem suam super hos lapides, et comprehendet vos pariter cum omnibus Ægyptiis in quibus confisi estis, et peribitis fame, captivitate dura, et gladio : eo quod noluistis audire vocem meam, ut habitaretis in terra vestra. »

« Onus jumentorum Austri. » Post decem onera diversarum gentium, undecimo loco onus reliquarum duarum tribuum ponitur, id est tribus Judæ et Benjamin : quæ remanserunt ducto Sedecia et principibus populi in Babylonem. Qui ideo jumenta ob sui insensibilitatem appellantur, quia flagellum Dei sibi instans non declinaverunt per pœnitentiam. Unde in psalmo legitur : Homo cum in honore esset, comparatus est jumentis insipientibus (*Psal.* XLVIII).

A Onus vero jumentorum Austri ideo dicitur, quia ad australem plagam habitabant ipsæ tribus. « In terra tribulationis et angustiæ. » Terra tribulationis et angustiæ, latitudo illius eremi appellatur, per quam Johannan, filius Careæ, aliique duces reliquiarum transduxerunt in Ægyptum ipsas reliquias contra præceptum Domini. Vel ipsa terra in qua ducti sunt, afflicti miseriis multis. Quod autem dicit « leæna et leo. » Per leænam Hierusalem est intelligenda et populus ejus. Et per leonem Johannan aliique principes. Permanet in metaphora cum dicit « ex eis, » subaudis jumentis, id est, ex leæna et leone nata est « vipera, et regulus volans, » hoc est cito transiens. Quis audivit hujuscemodi rem, ut ex leæna et leone oriretur vipera et regulus. Juxta historiam enim non

B sunt firma ratione tenenda. Diximus namque per leænam et leonem significari Hierusalem et principes ejus, servantes metaphoram. Per viperam et regulum filios illorum intelligi, qui quasi ex venenatis parentibus procreati virulenti remanserunt, et cito transierunt sicut et patres eorum. De istis dicit Dominus in Evangelio : « Generatio viperarum (*Matth.* XII). Et generatio mala. » Et Moses : « Generatio prava atque perversa (*Deut.* XXXII). » « Portantes super humeros jumentorum divitias suas. » Ipsi patres cum suis filiis portaverunt divitias suas et thesauros suos super jumenta et super camelos, fugientes ad populum Ægyptiorum qui eis non profuit : quia veniente Nabuchodonosor, sicut jam dictum est, pariter cum

C Ægyptiis in quibus confidebant, fame, captivitate, gladio periere. Ægyptus enim frustra et inane promisit auxilium præstare illis, quoniam et ipsi similiter capti sunt a Chaldæis. « Ideo » subaudis quia « Ægyptus frustra auxiliabatur ei : clamavi superbia tantum est, » subaudis in Ægypto et in potentia regni, et non fortitudo belli. « Quiesce, » id est hic mane in terra tua. Vox Dei omnipotentis ad reliquias. Et hoc quod temporibus Jeremiæ impletum est, tempore Isaiæ prædicitur.

« Nunc ingressus scribe eis super buxum. » Loquitur Dominus ad Jeremiam : O Jeremia, cum ingressus fueris in Ægyptum cum eis, scribe diligenter in buxo et in libro hoc quod eis prædixi, ut non irent in Ægyptum, sed manerent in loco isto. Et quare

D præcipio tibi scribere istud? Ut cognoscant omnes qui legerint ea me illis bona permisisse, et illos contra me mala egisse. « Et erit » illis scriptura « in testimonium in die novissimo, » id est in tempore hujus consummationis cum venerit Nabuchodonosor super Ægyptum, et comprehenderit tam Ægyptios quam illos qui ad eorum auxilium confugerant, « et usque in æternum memoriale erit omnibus » legentibus sive audientibus.

« Populus enim ad iracundiam provocans est, et filii mendaces. Judaicus populus non solum in eremo, sed etiam in terra sibi data a Domino, semper ad iracundiam Dominum provocare paratus fuit. Mendax enim fuit, quando dixit : « Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus (*Exod.* XXIV). » Et statim conver-

sus ad idololatriam, fecit sibi vitulum aureum et adoravit eum qui ei fuit in ruinam. Isti etiam Dominum ad iracundiam provocaverunt et mendaces exstiterunt: quando venientes dixerunt Jeremiæ: « Cadat oratio nostra apud te, et ora pro nobis Dominum Deum tuum, ut dicat nobis quid agere debeamus (*Jerem.* XLII).» Cum enim sermo Domini factus fuisset decimo die ad Jeremiam dicens, dic reliquis qui remanserunt, manete hic et bene vobis erit: illi Dominum ad iracundiam provocaverunt dicentes: Non manebimus hic, sed in Ægyptum fugiemus.

« Qui dicunt videntibus, » id est prophetis Jeremiæ, et Baruch, et Olda « nolite » nobis « videre » prospera. Videntes appellantur prophetæ eo quod futura prævideant. Dicebant enim illi prophetis: Nolite nobis annuntiare verbum Domini, quia non audiemus illud. Quod autem dicit « et aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, » id est quæ Dominus jubet ut hic stemus, idipsum est. « Loquimini nobis, » o Jeremia et Baruch et Olda, « placentia, » scilicet ut eamus in Ægyptum, et opere adimplebimus. « Videte nobis errores, » id est sinite nos errare.

« Auferte a me viam, » hoc est permittite ut recedat a nobis rectitudo, « et declinate a me semitam, » id est, tollite a me veritatem. « Cesset a facie, » id est a præsentia « nostra sanctus Israel: » cujus monita sæpe nuntiatis dicentes: Hæc dicit Dominus. « Propterea » quia reprobastis Deum, dicentes cesset a facie nostra sanctus Israel. « Hæc dicit Dominus: Pro eo quod reprobastis verbum hoc ut habitaretis in terra vestra, et sperastis in calumniam, » hoc est in deceptionem: « et innixi estis super eo, » hoc est spem posuistis « in tumultu, » id est in superbia Ægypti.

« Propterea erit vobis iniquitas hæc, » id est transgressio peccati « sicut irruptio, » id est obmissio « cadens. » Et est sensus. Sicut murus sublimis casu ruens post longam intermissionem dure reparatur, et sicut si vas fictile penitus sit comminutum, non remanet ex eo pars in qua aut ignis aut aqua tolli possit: sic cito conteremini vos a Chaldæis, et non remanebunt ex vobis qui apti sint ad aliquod opus.

« Quia hoc dicit sanctus Israel: Si revertamini » ab iniquitate ut agatis pœnitentiam « et quiescatis » in loco isto, « salvi eritis » a malo. Hortatur sermo divinus longe ante populum reliquiarum quam veniat eis calamitas ad pœnitentiam, ut resipiscat ab omnibus sceleribus suis et quiescat in terra sua, ut possit salvari, versa ira Domini ad misericordiam. Dixi vobis « in silentio » quiescite hic, « et in spe » meæ protectionis, « erit fortitudo, » id est defensio « vestra. » Ac si diceret aliis verbis: Habete fiduciam et spem firmam in me, et liberabo vos non in superbia Ægyptiorum, sed in fortitudine misericordiæ meæ, « et noluistis » audire me, id est obedire verbis meis, ponentes fiduciam in umbra Ægypti.

« Et dixistis, nequaquam » hic manebimus: « sed ad equos » Ægyptiorum « fugiemus. Ideo » quia hæc dixistis, certe « fugietis, sed velociores erunt » Chaldæi « qui persequuntur vos » quorum manus effugere non poteritis. « Mille homines » Ægyptiorum in quibus confiditis fugient « a facie unius » Chaldæi et quinque millia ex vobis fugient « a facie quinque » Chaldæorum: « donec relinquamini quasi malus in vertice montis. » Et est sensus: Sicut post naufragium malus navis, cum positus fuerit in vertice montis, vel super collem, in signum est fractæ navis: sic qui remanserit ex vobis in signum erit immanissimæ vastationis templi et civitatis.

« Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri. » Ac si diceret: Quia ista supra dicta venient super vos « nisi egeritis pœnitentiam. » Exspectat Dominus adhuc propter hoc, ut misereatur vestri, « et ideo exaltabitur, » id est in misericordia sua magnus dignoscetur, quia Deus, id est Christus judicii Dominus, « quoniam Pater non judicat nisi per Filium (*Joan.* V): » « Beati omnes qui exspectant eum, » in spe scilicet futuræ gloriæ.

« Populus enim Sion habitabit in Jerusalem. » Vox prophetæ. Judæi referunt hoc ad illud tempus quando post septuaginta annos captivitatis, a Jesu sacerdote magno et Zorobabel reducti sunt in Hierusalem, et flebant bona quæ ante habuerant. Sed melius est ut referatur ad Ecclesiam electorum. Sion (quæ interpretatur *speculatio*) significat sanctam Ecclesiam, quæ in terra corpore posita, mente contemplatur Dominum, dicens cum Apostolo: Mea conversatio in cœlis est (*Philip.* III). Hierusalem autem (quæ interpretatur *visio pacis*) significat cœlestem beatitudinem, in qua hi qui sunt modo in Sion, hoc est corpori Ecclesiæ sociati, post finitos hujus vitæ labores lætabuntur semper cum Deo, sequentes Agnum quocumque ierit. « Plorans neque plorabis. » Licet enim lugeant filii Ecclesiæ quandiu in exsilio hujus peregrinationis et ærumnosæ vitæ degent, propter peccata sua et aliorum, vel quia differuntur a regno, sicut Dominus dicit: « Mundus gaudebit, vos autem contristabimini (*Joan.* XVI): » tamen lætantur corde ob remunerationem quæ est in spe. Cum autem finitum habuerint cursum hujus ærumnæ, tristitia illorum vertetur in gaudium, quoniam auferet Dominus omnem lacrymam ab oculis eorum (*Apoc.* II). « Miserans miserebitur tui. » His verbis multitudo misericordiæ Christi ostenditur, et dicit hoc Propheta propter confirmationem sermonis. Quotidie enim Deus omnipotens miseretur electorum suorum, quando ab ærumnis hujus vitæ eos liberat, et ad gaudia patriæ cœlestis pervenire facit. Sed plenius post diem judicii hæc miseratio fiet, cum receptis corporibus in corpore et anima remunerabuntur in sæcula sæculorum. « Ad vocem clamoris tui, » id est, precum tuarum, « statim ut audierit, » hoc est ut susceperit vota tua: « respondebit tibi » obtinuisse veniam. Loquitur Propheta ad populum: in fide Christi manentem. O populo Christiane, cum clamaveris ad Deum statim exaudiet te, et dicet: Ecce adsum. Mul-

tos credentes legimus clamasse ad Dominum, et tamen non statim exauditos esse. Oravit beatus Paulus ut auferetur ab eo spiritus Satanæ (*II Cor.* XII), sed tamen non obtinuit. Et quare hoc? Ne magnitudine revelationum extolleretur. Ideo etiam solet differri nostra postulatio, ut præmium amplius pro perseverantia capiamus.

« Et dabit vobis Dominus panem arctum et aquam brevem. » Dicunt Hebræi, quia quando egressi sunt de captivitate, panem arctum et aquam brevem, hoc est modiam cibi et potus, habuerunt, volentes hoc referre ad se. Sed dicit beatus Hieronymus potius referendum esse ad populum, in unitate fidei congregatum. Per panem ergo et aquam intelligitur isto in loco doctrina evangelica, quæ arcta est ad comparationem legis. Quid enim arctius, quam in duobus mandatis legem et prophetas consistere? Dominus dicit in Evangelio : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum (*Matth.* XXII). » Et addidit : In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ (*Ibid.*). Sciendum præterea quia sancta Scriptura aliquando nobis est panis, aliquando aqua. Illis enim in locis panis est, ubi profunda et occulta sunt mysteria quæ non facile a nobis intelliguntur, sed quasi mandendo glutiuntur, ut est illud : « In principio erat Verbum (*Joan.* I). » Aqua vero est, cum facile capitur, sicuti est superficies litteralis, vel aperta mysteria, ut est illud : « Pater noster qui es in cœlis. »

« Et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum. » Doctor noster Christus est, qui nos docet intrinsecus (*Greg.*). Nisi Dominus cor illustraverit audientis, in vanum laborat lingua docentis. Non faciet ergo avolare, hoc est recedere a te Deus Pater, o populo Christiane, ultra doctorem tuum, qui propter peccatum Ecclesiæ non abstrahit filium ab ea per communem consensum utriusque personæ Deitatis, sed docet per internam inspirationem : quod plenius implebitur, quando erit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV), et cum illo sine fine regnabunt. « Et erunt oculi tui, » hoc est oculi mentis tuæ « videntes præceptorem tuum, » ipsum Jesum Christum. Modo Ecclesia per mentis contemplationem videt Deum in spe, tunc autem videbit in idipsum.

« Et aures tuæ audient vocem post tergum monentis. » Quando omnipotens Deus primum hominem condidit a quo omnes originem ducimus, sanctum justumque corpore et anima, in faciem ejus locutus est dicens : « Crescite et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* I, III). » Cum autem peccasset gustando de cibo sibi interdicto, quasi dorsum Christo opposuit : quia propter peccatum suum a primo statu dignitatis ruisse se novit, et jam non in facie, sed post tergum audivit Dominum dicentem : « Maledicta terra in opere tuo. » In cujus casu nos omnes retro ivimus, quia peccator et transgressor mandatorum Dei, peccatores et transgressores filios genuit. Sed dicitur nobis a Christo : « Pœnitentiam agite (*Matth.* IV) : » et iterum : « Convertimini ad me et ego revertar ad vos (*Zach.* I), et revertimini ad me in toto corde vestro : » ut his admonitionibus flexi anteriora petamus. « Hæc est via, » id est, fidei rectitudo quæ est Christus « ambulate in ea. » Vox Christi ad credentes, hortans illos ut proficiant de virtute in virtutem. Hæc est via, id est, Christus qui dixit in Evangelio : « Ego sum via et veritas et vita. » Quid est ambulare in via, nisi Christum imitari? Ipse namque dixit : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et sequere me (*Matth.* XIX). » Et, qui mihi ministrat me sequatur, id est me imitetur.

« Neque ad dexteram neque ad sinistram declinetis. » Quomodo potest aliquis ad dexteram declinare? Nunquid si per dexteram ambulat, non graditur recte? Salomon namque dixit : « Vias quæ a dextris sunt novit Dominus (*Prov.* IV). » Sed ipse alio in loco ostendit : quid sit declinare ad dexteram, cum dicit. Ne sis multum sapiens, neque sis multum justus (*Eccles.* VI). Omnia enim cum mensura bona sunt. Ad dexteram ergo declinat, qui ultra sanctam religiosorum conversationem prætendit sanctitatem. Sic itaque debet unusquisque justus apparere, ut de illo veraciter possit dici, quod de Zacharia et Elizabeth dictum est (*Luc.* I) : « Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis Domini, sine querela, » hoc est sine reprehensione. Ad sinistram autem declinare est : de bono deviare ad malum. Nihil ergo melius est, quam regia via gradiendum. « Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui. » Loquitur sermo divinus gentibus ad fidem venientibus, quæ idololatriæ deditæ erant, jacentes in volutabro vitiorum. O populo Christiane, cum venerint apostoli mei prædicantes regni verbum, contaminabis tu, hoc est contaminatam projicies omnem, scilicet idololatriam, tam sculptile quam conflatile ex auro vel argento, cum vestibus, id est cum omnibus ornamentis in locum immundum, et disperges minutatim sicut immunditiam menstruatæ mulieris. « Egredere et dices ei. » Vox Dei omnipotentis. O Isaia vel Jeremia egredere, et dic populo Christiano.

« Et dabitur pluvia semini tuo, ubicunque seminaveris in terra. » Propheta loquitur de gentibus. Pluviam appellat gratiam sancti Spiritus. Semen vero verbum doctrinæ. Ac si diceret aliis verbis : O Ecclesia de gentibus congregata, dabitur gratia cœlestis doctrinæ tuæ, ut ubicunque, id est in quamcunque gentem prædicationem tuam infuderis, emittet fructum bonæ operationis. « Et panis frugum terræ erit uberrimus et pinguis. » Panis noster Christus est qui dicit : « Ego sum panis vivus (*Joan.* VI), » Christus ergo, qui fructificatur in cordibus electorum per fidem et dilectionem, uberrimus est, quia per quadripartitum orbem doctrina illius coruscat, et in nomine ejus Ecclesiæ sunt fundatæ, quæ uberrimos fructus bonorum operum proferunt. Ipse etiam panis, id est Christus pinguis est, quia corda electorum suorum gratia et pinguedine Spiritus sancti reficit. « Pascetur in possessione tua, » o populo Christiane,

in die illo agnus spatiose. Possessio Christianorum Ecclesia est, ubi pascitur agnus, id est quilibet mitis doctrina divinorum eloquiorum. Quod autem dicit « in die illo. » Ad hoc pertinet quod superius dixit, quando populus gentilis idola et simulacra confregit. « Tauri tui et pulli asinorum tuorum commixtum migma comedent sicut in area, ut ventilatum est. » Scimus quia tauri gregibus ducatum præstant, et ideo non incongrue per illos designantur apostoli, et prælati sanctæ Ecclesiæ qui ei ducatum præbent, qualiter vel per quæ ambulare debeat. In Evangelio legimus (*Matth.* XXI), quia tendens Dominus Hierosolymam, in comitatu suo habuit asinam et pullum. Et per asinam intelligimus populum Judaicum, per pullum autem gentilem qui dissolutus et lascivus exstitit sequendo idola. Ideoque non inconvenienter isto in loco per pullos filii illorum intelliguntur, in unitate fidei copulati. Migma est hordeum pariter cum palea. Per paleas superficies litteralis intelligitur. Hordeum autem intelligentiam interiorem significat. Tauri ergo et pulli, hoc est prælati et subjecti in sancta Ecclesia coadunati, migma comedunt, quia ea quæ spiritualiter intelligenda sunt, spiritualiter intelligunt, et quæ historialiter historiali sensu capiunt. Quæ vero utrique sensui conveniunt, utrumque mente capiunt, sicut in area, hoc est in Scriptura continetur.

« Et erunt super omnem montem excelsum et super collem rivi aquarum currentium, in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres. » Hæc verba ad diem judicii pertinere videntur. Per montes et colles intelliguntur sancti, propter altitudinem virtutum : vel expositores divinorum eloquiorum, sicut Augustinus, Hieronymus et reliqui. Rivi currentium sunt doctrina spiritualis Evangelii. Dies vero interfectionis, dies judicii intelligitur. Per turres diabolus et omnes superbi et potentes istius sæculi. In die ergo judicii, quando omnes impii peribunt, et interficientur gladio verbi Dei omnes reprobi, et ceciderint ipsi dæmones, qui muniunt modo suos ut turres, per colles et montes rivi discurrent, quia et bona opera sanctorum apparebunt, quæ per observantiam mandatorum Dei impleverunt, et pene per omnes gentes doctrina Evangelii quæ modo in illis non lucet, appropinquante die judicii, Helia et Enoch prædicantibus, clarebit.

« Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus, » hoc est, sanaverit, « vulnus populi sui, et percussuras plagæ ejus sanaverit. » Post diem judicii erit istud, cum fuerit cœlum novum et terra nova, quod a Propheta prædicitur implendum. Omnia enim quæ Deus omnipotens per spatium sex dierum operatus est, propter hominem facta sunt : in cujus lapsu omnia elementa detrimentum sustinuerunt. Nam terra antea spinas et tribulos non proferebat. Aer iste non tantæ crassitudinis erat, sed purus. Sic sol et luna et sidera detrimentum sui luminis sustinuerunt. In die autem judicii determinato illo examine cum fuerint omnes reprobi una cum diabolo in inferno conclusi : sustollet se Dominus Jesus pariter cum corpore suo (quod sunt omnes electi) in cœlum, et tunc mutuabit sibi luna splendorem solis, et sol septempliciter clarius lucebit quam modo : sicut lux septem dierum, hoc est, multipliciter, recipietque lumen et splendorem quem amisit peccante primo homine. Dicit enim beatus Isidorus in libro creaturarum. Quod neque sol, neque luna ad occasum ventura sint postea : sed in hoc loco quo creata sunt sine fine manebunt. Juxta illud Habacuc III : « Sol et luna steterunt in habitaculo suo, » pro eo quod est stabunt. Et quare hoc? Ne claritate solis sive lunæ illi qui apud inferos erunt perfruantur. De hoc etiam statu, dicit propheta quidam : « Non occidet tibi ultra sol tuus (*Infra*, LX) : » Quod autem dicit, « in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui : » populum suum appellat omnes electos a primo homine usque ad novissimum justum qui nasciturus est in die judicii. Vulnus et plagam appellat mortalitatem et ruinam quam peccante primo parente attraximus, quando perdidimus imaginem et similitudinem Dei. Ad imaginem quippe Dei factus est homo, quia sanctus et justus creatus est (*Gen.* I) : quam imaginem præcipit nobis Dominus tenere, cum dicit : « Sancti estote, quia sanctus et ego sum (*Levit.* XI). » Similitudinem vero habuit, quia immortalis conditus est. Hoc vulnus et hanc plagam in die judicii Dominus in electis suis sanabit, quando faciet eos immortales et incorruptibiles corpore, et immutabiles in anima.

« Ecce nomen Domini venit de longinquo, » id est Filius Patris Deus verus Jesus Christus in nomine Patris venit, quia Deus verax est sicut Pater. Unum quippe nomen est Patris et Filii et Spiritus sancti, juxta quod ipse Apostolus dicit : « Ite, docete omnes gentes (*Matth.* XXVIII). » Non dicit in nominibus, sed in nomine uno quod est Deus : qui licet trinitas sit in personis, unitas tamen est in Deitate. Ecce, inquit, Filius Dei verus venit de longinquo, hoc est longo post tempore veniet ad damnandum reprobos, et remunerandum electos. Unde et subditur : « Ardens furor ejus et gravis ad portandum » reprobis. Nunquid Deus irasci potest? Ergo ne mutabilis est? Absit hoc a cordibus electorum. Tunc enim omnipotens furere dicitur, more nostro loquente Scriptura, quando ultionem et vindictam accipit de inimicis suis. Nam in die judicii gravis et importabilis apparebit reprobis, justis autem blandus et pius. « Labia ejus, » hoc est, Filii Dei « repleta erunt indignatione » cum dicet reprobis : « Esurivi, et non dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV). » « Lingua ejus quasi ignis devorans, » erit cum dicet : Ite, maledicti, in ignem æternum. Sententia enim illa gladius acutus erit, quia interficiet omnes iniquos cum auctore suo diabolo, sicut Apostolus dicit : « Et gladius spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI). »

« Spiritus ejus velut torrens inundans. » Sicut impetus aquarum inundantium cum pervenerit « us-

que ad medium colli » hominis vel animantis, suffocat illum : sic spiritus Filii Dei, hoc est judicium illius, omnes impios perdet, et suffocabit in die judicii « in nihilum, » id est, ut nihil sint. « Et frenum erroris, » id est, idololatriæ « quod erat in maxillis, » hoc est, in laude vel operatione « populorum » perdet et confringet. Frenum appellat hic diabolum, qui quasi sub freno, hoc est sub suo dominio universas gentes habebat : quando Christus pro redemptione generis humani carnem nostræ fragilitatis accepit, et sua morte simpla duplam nostram destruxit. Vocatur autem diabolus isto in loco frenum populorum, non quod ipse regeret illos ad salutem animarum : sed sicut equum infrenatum qua parte vult sessor deflectit et deducit : sic diabolus omne genus humanum sub sua potestate habens redactum, deducebat ad suam voluntatem perpetrandam et ad perniciem illorum. In die autem judicii peribit istud frenum, quia claudetur igni perpetuo cruciandus.

« Canticum erit vobis sicut vox sanctificatæ solemnitatis, et lætitia cordis. » Hactenus de pœna reproborum, nunc vero de gloria electorum loquitur. Sicut filii Israel liberandi per potentiam Domini a servitute Ægyptiaca ad vesperum comederunt agnum celebrantes solemnitatem paschæ (*Exod.* I), et transito mari Rubro mane cum vidissent Pharaonem et Ægyptios submersos, cantaverunt Domino canticum, dicentes cum nimia lætitia cordis : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est (*Exod.* XV). » Sic sancti in die judicii transito mari, quod significat mundum hunc, cum viderint Pharaonem, hoc est diabolum, traditum æternæ damnationi pariter cum omnibus sequacibus illius, qui significantur per Ægyptios, cum magna exsultatione et lætitia cordis cantabunt Domino laudes. « Sicut qui pergit cum tibia ad montem Domini. » Permanet Propheta in comparatione laudis illorum. Dominus præcepit filiis Israel ut cum ingressi essent terram repromissionis, ex omnibus frugibus et bonis sibi a Deo datis decimas ferrent ad domum Domini (*Levit.* XXVII; *Num.* XVIII; *Deut.* XII). Et sicut illi tempore illo cum ferrent suas decimas ad Jerusalem adoraturi in templo Domini cum tibia, hoc est cum gaudio et lætitia ferebant eas, laudantes Deum qui eis bona terræ dabat : sic sancti, cum ingressi fuerint in die judicii in cœlestem patriam, quæ significat terram repromissionis, gaudebunt et exsultabunt, ferentes decimas in manibus, hoc est, bona opera, laudantes Creatorem suum, cujus auxilio impleverunt, per quæ ad æternam patriam pervenerunt. Hæc juxta sanctum Hieronymum. Beatus tamen Gregorius aliter dicit, referens hoc ad tempora apostolorum et præsentiam, quando per illorum prædicationem idola reliquerunt gentes, et idololatria cessavit ab ore illorum. Frenum appellat idololatriam, et cultum dæmonum. Nam patres nostri qui antea dicebant Jovi vel Mercurio : Tu es Deus meus, et tu me genuisti : illo freno, hoc est, idololatria derelicta et perdita cantaverunt Domino, et nos modo cantamus : « Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit : et simulacra gentium argentum et aurum (*Psal.* XCV) : » non est spiritus enim in ore ipsorum. Erit, inquit, frenum erroris, hoc est, idololatria, in canticum Domini, et laudabitis illum sicut laudaverunt filii Israel transito mari : vel sicut laudabant quando munera et decimas suas ad templum cum lætitia cordis deferebant.

« Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, et terrorem brachii sui ostendet. » Iterum revertitur Propheta ad impios, loquens de die judicii. Auditam faciet in die judicii Dominus pater gloriam vocis suæ. Vox Dei Patris et brachium filius ejus est, qui per illum cuncta operatus est et per illum redemit mundum, et judicabit universum orbem in æquitate. In die enim judicii non apparebit persona Dei Patris reprobis, sed Filii : ut ipse qui primo adventu humilis apparuit, appareat terribilis ad perdendos omnes impios cum patre ipsorum diabolo, et judicet illos juste a quibus judicatus est injuste. Gloria ergo Filii Dei erit ultio et vindicta qua damnabit iniquos, ipsamque gloriam auditam faciet Deus Pater omnibus virtutibus cœlorum, et omnibus electis suis, et terrorem ejus ostendet cum dixerit : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » Vel etiam gloriam vocis suæ, hoc est, Filii sui audire faciet, quia ad vocem Filii omnes resurgent. Sicut ipse dixit : « Veniet hora, quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei (*Joan.* V). » « In comminatione furoris et flammæ ignis devorantis. » Cum ostenderit Deus Pater reprobis terrorem Filii sui, minabitur illis. « Vox Filii Dei in comminatione furoris, et comminatione flammæ ignis devorantis. » Sententia enim judicis vorabit illos, « et allidet in turbine, » hoc est, tempestate, « et in lapide grandinis, » hoc est tribulatione.

« A voce enim Domini pavebit Assur, virga percussus. » Si Assyrius solus pavebit in die judicii, quid facient omnes reprobi? Per Assyrium debemus intelligere diabolum omnesque satellites illius, et quos ipse falso errore seduxit, qui eum imitati sunt. Virgam appellat sententiam judicis terribilem. Quod autem addit :

« Et erit transitus virgæ fundatus, » hoc est, persecutio sententiæ Domini, aperte manifestat quia illa dura et aspera sententia semper manebit super illos. Non enim relevabit eam Dominus postquam dederit, sicut Origenes dicit, sed in æternum faciet eam requiescere super illos. « In tympanis et citharis et in bellis præcipuis expugnabit eos. » Ac si diceret aliis verbis : In lætitia omnium sanctorum suorum, et in præcipua gloria expugnabit omnes reprobos cum principe illorum, tradens eos igni perpetuo cruciandos, qui se et sanctos suos persecuti sunt.

« Præparata est enim ab heri, » hoc est, a præterito tempore, ab initio mundi, in præsentia Dei a rege omnipotente « tophet, » id est, vallis profunda gehenna impiis, « et dilatata. Nutrimenta ejus, » id est gehennæ « ignis et ligna multa, » hoc

est, omnes peccatores, « Flatus Domini, » id est spiritus Domini « sicut torrens sulphuris succendens eam, » subaudis gehennam. Sulphur terræ putorem emanans, et ardorem generans. Hæc omnia erunt impiis in inferno. Erit ibi ignis inexstinguibilis, et fetor et putor intolerabilis, et cruciabuntur incomprehensibili cruciatu.

CAPUT XXXI.

« Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis Ægyptiorum. » Hactenus de gloria electorum, et pœna reproborum locutus est : nunc vero revertitur iterum ad reliquias quæ remanserunt in terra Juda, ducto Sedecia et omnibus principibus in Babylonem, de quibus jam superius multa dixit. Sed hoc distat inter illud quod superius dixit, et istud quod modo loquitur. Quia illic præmonuit illos, ne irent in Ægyptum, sed manerent in terra Juda, et bene eis esset : hic vero qui contra voluntatem præceptorum Domini ierunt, habentes magis fiduciam in Ægypto quam in Domino, minatur eis mala et dicit : « Væ qui descendunt in Ægyptum, sperantes in equis Ægyptorum et quadrigis, et Dominum non requisierunt, » quando dixerunt ad Hieremiam : « Cadat oratio nostra in conspectu tuo, et ora pro nobis Dominum quid agere debeamus. (*Jerem.* XLII) » Requisierunt quidem verbis, sed non corde. Cum enim decimo die, sicut jam superius diximus, sermo Domini factus esset ad Hieremiam : Vade, inquiens, et dic filiis reliquiarum : manete in loco isto et ego protegam vos : responderunt illi : Non faciemus, sed ad Ægyptum fugiemus. Ideoque dicit non requisierunt, qui licet requirerent verbo, non requisierunt corde puro.

« Ipse autem sapiens, » id est, Deus omnipotens quem aspernaverunt « adduxit » super eos « malum, et verba sua » quæ locutus est per os Isaiæ et Hieremiæ « non abstulit, » sed adduxit super eos Nabuchodonosor, sicut sequentia docebunt. « Et consurget » in ira furoris sui « contra domum pessimorum. » Hoc est, contra illos qui in Ægyptum fugerunt, « et contra auxilium operantium iniquitatem, » hoc est, contra Ægyptios, qui eis auxilium conati sunt præstare.

« Ægyptius » rex, scilicet Pharao Vafre, vel populus illius, « homo est et non Deus, et equi eorum, » in quibus illi confidebant, « caro et non spiritus. Et Dominus inclinavit manum suam. » Secundum metaphoram aurigæ loquitur. Sicut auriga qui regit currum vel quadrigam, quando vult ut equi celerius currant remittit habenas; sic Deus omnipotens iram et vindictam suam cito adduxit super Ægyptios et illos qui ad eos confugerant. Nam diximus superius quomodo Hieremias prædixit eis quod Nabuchodonosor super Ægyptios, et super illos qui fugerant ad auxilium eorum venerit; et quomodo omnes aut gladio, aut fame, aut captivitate male perdiderit. « Et corruet » inquit, « auxiliator » Ægyptius a fortitudine Nabuchodonosor, « et cadet » populus reliquiarum qui ad eum confugit, « cui præstabatur auxilium, simulque omnes consumentur, » et Ægyptii et Judæi qui in eis habebant fiduciam.

« Quia hæc dicit Dominus ad me. » Locutus est superius de reliquiis quæ ierunt in Ægyptum, confidentes in fortitudine Pharaonis : nunc vero loquitur de illis qui ducti sunt in Babylonem cum Sedecia rege Juda et principibus ejus; sed post septuaginta annos, Domino miserante, reversi sunt in Hierusalem sub Jesu sacerdote magno, et Zorobabel, et Esdra, aliisque principibus. Et promittit eis bona, dans duas similitudines quomodo a Domino illic protecti sunt, et dicit : « Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam : » et cætera. Sicut leo esuriens, si cernat gregem ovium currit et apprehendit arietem; cum occurrerit ei multitudo pastorum, non terretur a voce illorum, confidens virtute virium suarum; et sicut aves, ut defendant fœtus suos, volitant super nidos; et sive hominem seu serpentem viderint avesque alias accedere ad pullos suos, pugnant rostro et unguibus, oblitæ imbecillitatis suæ, et si aliud non possunt dolorem pectoris congeminant garrula voce; « sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion et super collem ejus, et proteget illam protegens et liberans, transiens et salvans. » Notandum quod non dicit contra montem Sion, sed super montem Sion stans pugnabit contra inimicos ejus. Sic fecit temporibus illis cum Samaritani voluerunt impedire ut non reædificaretur templum, et temporibus Machabæorum, quando paucis fidelibus multæ victoriæ a Domino collatæ sunt. Dominus leoni comparatur, quia ipse est leo fortissimus qui tertia die surrexit, de quo dicit Joannes Evangelista in Apocalypsi sua (*Cap.* v) : « Ecce vicit leo de tribu Juda. » Aut etiam assimilatur, sicut ipse dixit in Evangelio : Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas qui ad te missi sunt : « Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina pullos suos, sed noluisti (*Matth.* XXIII). » Et in Deuteronomio (*Cap.* XXXII) : « Sicut aquila provocans pullos suos, et extendit alas suas, et portavit eos, » cæteraque hujusmodi quamplura.

« Convertimini, » filii Israel, « sicut in profundum » malorum, « recesseratis. » Locutus est parumper superius de illis qui reversi sunt de captivitate sub Jesu sacerdote magno. Iterum revertitur ad tempora Ezechiæ. Prophetia enim non servat ordinem temporis, neque historiæ. Antequam Sennacherib cum Assyriis revertens de Ægypto veniret Hierusalem, præmonuit propheta tribum Juda et Benjamin, ut converterentur ad Deum suum, ut sicut in profundum malorum recesserant, sic converterentur ad Dominum in profundum bonorum toto mentis affectu, ne traderentur in manibus Assyriorum.

« In die enim illa abijciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum. » Hæc verba Spiritus sancti non juxta historiam, sed spiritualiter, sunt intelligenda. Si conversi fueritis, o filii Juda et Benjamin, ad Dominum

Deum vestrum, et abjeceritis idola vestra aurea et argentea, quæ fecistis vobis ad peccatum vestrum.

« Cadet Assur in gladio non viri, » hoc est Assyrius populus, « et gladius non hominis vorabit eum. » Quando Sennacherib cum populo suo Assyriorum venit contra Ezechiam et populum ejus, nocte percussus est, quando interfecta sunt centum octoginta quinque millia ex eis (*IV Reg.* XIX), « et fugiet » ipse Sennacherib « non a facie gladii » sed a timore Domini, « et juvenes ejus » qui remanserint « vectigales erunt : » hoc est tributarii Medis et Persis. Illud enim fortissimum regnum Assyriorum destructum est a Nabuchodonosor, et postea a Medis et Persis tam Assyriorum quam etiam Chaldæorum sub Dario et Tyro, qui Belthasar interfecerunt.

« Et fortitudo ejus, » hoc est multitudo Sennacherib « a torrente » angeli « transibit, et pavebunt fugientes principes ejus. » Nam, ut Hebræi tradunt sicut supra commemoratum est, non remanserunt ex omni illa multitudine nisi decem, qui reversi sunt cum Sennacherib. « Dixit Dominus : » Quia periturus est Sennacherib et populus ejus, si conversi fueritis ad illum « cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Hierusalem. » Quantum ad litteram pertinet, ignis et caminus Domini fuit in Hierusalem, quia ibi erat templum in quo erant altaria in quorum uno ignis perpetuus nutriebatur, et in altero holocausta quotidie comburebantur. Quantum vero ad altiorem intellectum attinet; per Sion, quæ interpretatur speculum sive speculatio, intelligitur sancta Ecclesia de gentibus ad fidem Christi coadunata; Hierusalem, quæ interpretatur visio pacis, cœlestem patriam significat. Per ignem et caminum, intelligitur ardor amoris et dilectionis quo ardent et flagrant omnes electi erga Deum et proximum, tam in præsenti sæculo constituti, quam in superna Hierusalem. Quod enim per ignem significetur dilectio Dei et proximi, manifestat Dominus cum dicit : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat ? » (*Luc.* XII.) Sed considerandum, quia ad comparationem camini ignis parvus potest esse, et quantum est inter ignem parvum et caminum maximum, tantum interest et multo amplius inter amorem et fervorem dilectionis Dei quem habent modo electi in præsenti sæculo, et illum quem habent sancti jam conjuncti Domino in cœlo. Dixit ergo Dominus cujus ignis est, id est fervor dilectionis in Ecclesia posita adhuc in terra, et cujus caminus est, id est plenitudo dilectionis in cœlesti Hierusalem, cui dicere facere est : quia si projeceritis idola vestra, illum vestris bonis operibus placaveritis, ipse pugnabit pro vobis, et cadet Assur in gladio non viri, sed devorabitur ab igne cœlesti. Dicunt etiam aliqui doctorum alio modo istud quod dicitur : In die enim illa projiciet vir idola argenti sui, hoc est cum ceciderit Assur in gladio non hominis, et fugerint paventes principes ejus, abjiciet vir idola argenti sui, et convertetur ad Dominum. Hoc adimpletum est temporibus Ezechiæ. Nam cum esset justus, et liberasset eum Dominus de manibus Assyriorum, convertit populum Judæ a malis, in quibus pater ejus fecit declinare Judam et Benjamin a via Domini (*II Paral.* XXIX). Et non solum illos convertit ad ritum Dei, qui sub ejus regimine degebant, videlicet Judam et Benjamin : verum etiam per Ecclesias suas revocavit illos qui remanserant in decem tribus.

CAPUT XXXII.

« Ecce in justitia regnabit, et principes in judicio præerunt. » De Domino et apostolis ejus loquitur modo sermo propheticus. Dominus ipse in justitia regnat, quia ipse docet nos quomodo juste et recte vivamus. Nam ipse est rex, qui regit mentes electorum suorum. Ipse est rex, qui daturus est electis suis regnum Patris in die judicii, dicens : Percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV). In justitia etiam regnabit Christus, quia personam alicujus hominis in judicio non accipiet in secundo adventu, sicuti nec in primo. Cujus principes appellantur apostoli, qui docti a veritate et justitia judicium prædicaverunt. Ipso spiritus judicio per illorum prædicationem repleta est omnis terra scientia Domini (*Psal.* XVIII), nec ipsi etiam judicantes personam alicujus accipient.

« Et erit vir sicut qui absconditur a vento. » De populo credentium loquitur modo, qui a Domino protegitur et defenditur ab incursu dæmonum, dans inde tres similitudines : Sicut, inquiens, qui abscondit se in domo propter ventum validum et tempestatem nimiam et requiescit ; et sicut qui sitit, cum invenerit rivos aquarum bibit et refocillatur anima illius; et sicut qui ambulat per desertum urente sole cum invenerit miræ magnitudinis petram, sub umbra illius protegitur a calore nimio : sic erit qui crediderit protectus a rege Domino Deo et qui fugerit sub umbra sanctæ Ecclesiæ.

« Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium, » Christum « diligenter auscultabunt, » monita ejus. Videntes et audientes appellantur isto in loco apostoli. Ipsi enim audierunt a Domino : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis, et aures quæ audiunt quæ vos auditis (*Matth.* XIII), » et cætera. Nam quod prophetæ prædixerunt, et in ænigmate ac speculo viderunt : isti et oculis corporis et oculis mentis viderunt. Aures etiam possunt appellari apostolici viri et credentes, qui libenter verba Domini susceperunt. Dominus enim dicit in Evangelio : « Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* VIII). » Similiter et Joannes in Apocalypsi (*Cap.* II et III) sua loquens ad septem ecclesias.

« Cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane. » Stulti appellabantur qui non habebant ante adventum Domini scientiam neque fidem, uti fuerunt apostoli. Balbus est qui non potest expedite loqui, vel qui non habet perfectam fidem. Sed quid fecit Dominus veniens in

mundum per incarnationis mysterium ? Vocavit stultos, inscios et illitteratos, et qui lumen veræ fidei non habebant; replevit illos sua sapientia, et per illos ad nihilum redegit sapientes hujus sæculi. « Infirma enim mundi elegit Deus, ut confunderet fortia (*I Cor.* I). » Potest et per cor stultorum populus gentilis intelligi, qui erat stultus, alienus scilicet a Christo ante prædicationem apostolorum. Post ascensionem ergo Filii Dei ad cœlos, doctrina et miraculis apostolorum, de stultitia idolorum conversi sunt ad veram scientiam, et linguæ incredulorum qui non noverant dicere, Credo in Deum : jam fidem habentes rectam cœperunt laudare Deum plane, hoc est tranquilla mente.

« Non vocabitur ultra hic qui insipiens est princeps, neque fraudulentus appellabitur major. » Insipientes vocat philosophos humanæ sapientiæ, qui principatum videbantur habere in populis, ut fuit Plato, Aristoteles, aliique quamplurimi, qui post Christi prædicamenta stulti sunt reputati, quia omnem illorum sapientiam Christi transcendit doctrina. Et ideo illorum inanis doctrina stulta reputata est, sicut egregius prædicator dicit : « Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum (*I Cor.* III). » Et : « Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi. » Christi vero sapientia floret, quæ corda reficit fidelium. Fraudulentus appellatur scriba et Pharisæus, quia fraudabant legem Christi simplicibus ob suas traditiones, et etiam contra ipsum Dominum fraudulenti existentes. Isti enim, post adventum Domini, neque principes vocati sunt in sancta Ecclesia, neque majores, quæ sancta Ecclesia non recepit in unitate sui, sed victores, sed fundatos in veritate, quæ est Christus.

« Stultus enim fatua loquitur, et cor ejus faciet iniquitatem. » Stultus iterum appellatur scriba et Pharisæus. Fatua enim locuti sunt, quando dixerunt : « Dæmonium habes, et in Beelzebub ejicis dæmonia (*Joan.* VIII ; *Luc.* XI). » Cor eorum iniquitatem fecit, cum dixerunt : « Non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit (*Joan.* IX). » « Ut proferat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter. » Simulatores illi erant, quia ostendebant se esse justos, cum essent pleni iniquitate, quibus et Dominus dixit : « Væ vobis, scribæ et Pharisæi, et hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis. » Fraudulenter locuti sunt, quando dixerunt : « Magister scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces, » usque: « Licet censum dari Cæsari, an non? » (*Matth.* XXII.) Sed quid audierunt a Domino? Quid me (inquit) tentatis, hypocritæ? « Et vacuam » hoc est alienam a pane verbi Dei « faciet animam, » id est mentem « esurientis » ille scriba et Pharisæus : « et potum, » id est, scientiam « auferet. » Populus namque Judæorum volebat a Domino percipere panem spiritualem et aquam, hoc est doctrinam salutarem, sed a scribis et Pharisæis prohibebatur. Dicebant illi doctores, non doctores sed potius seductores : Cur recipitis prædicationem hujus, et cur creditis in illum ? Non est iste qui nobis promissus est in lege et prophetis. Christus cum venerit, nemo scit unde sit (*Joan.* IX). Mendaces mendacium loquebantur, quia a diabolo, qui mendax est et in veritate non stetit, docti fuerant (*Joan.* VIII).

« Fraudulenti vasa pessima sunt. » Fraudulentos appellat scribas et Pharisæos, sicut et superius. Vasa autem corda illorum, vel etiam subjectorum eorum, quorum corda ipsi sua doctrina prava et fraudulenta fecerant. Ex malis enim parentibus mali filii nascuntur, et ex pessimis magistris pessimi discipuli. Nam sicut vipera viperam parit : sic scribæ et Pharisæi pessimos discipulos docuere. De quibus et dicitur : « Genimina viperarum. Et : Generatio mala et adultera (*Matth.* III, XII, XVI et XXIII). » « Ipse enim, » subaudis ordo scribarum et Pharisæorum, « iniqua et falsa concinnavit, » hoc est præparavit et cogitavit « ad perdendos mites in sermone mendacii. » Cogitationes perversas cogitaverunt ad perdendos mites, id est simplices quosque quando dixerunt Nicodemo : « Scrutare diligenter Scripturas, et videbis quia a Galilæa Christus non surget (*Joan.* VII). » Similiter quando dicebant cæco a Domino illuminato : Da gloriam Deo, id est nega quod accepisti, et noli dicere quia Jesus te illuminavit, sed Deus Pater (*Joan.* IX). Ideo enim eos suis falsis documentis imbuebant : ut a vera Christi prædicatione subtraherent. « Cum loqueretur pauper, » id est Christus, « judicium » hoc est discretionem, subaudis redarguebant eum. Pauperem autem vocat eum, quia, cum dives esset, pro nobis pauper factus est, ut nos sua paupertate ditaret (*II Cor.* VIII). Judicium loquebatur, quando dicebat : « Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi (*Joan.* X). » « Princeps vero, » id est Christus, « ea quæ digna principe sunt, cogitabit, et ipse super duces stabit. » Dominus Jesus ea quæ eo digna erant loquebatur et cogitabat, cum diceret : Ego a Deo processi et veni, ego et Pater unum sumus. Et : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Duces vocantur apostoli, quia ipsi ducatum præbuerunt universis credentibus, de quorum uno loquitur Psalmista : « Tu vero homo unanimis dux meus et notus meus (*Psal.* LIV). »

« Mulieres opulentæ, surgite et audite. » Loquitur propheta ad mulieres Judæorum, quæ ductæ sunt in prædationem a Romanis in ultima captivitate, et præcipit ut diligenter auscultent verba illius. Per has mulieres, debemus intelligere synagogas Judæorum vel urbes : vel etiam matronas nobiles et divites, quæ ideo opulentæ dicuntur, quia abundaverunt operibus. Et quid dicit eis ? O mulieres, quæ quondam fuistis opulentæ, nunc autem captivæ tenemini, surgite. Jacenti vel sedenti dicitur, surge. Et illæ jacebant in volutabro vitiorum, torpentes a bono opere. Et quid est dicere Surgite, nisi « agite pœnitentiam ? (*Matth.* IV.) » « Et audite vocem meam, » id est corde intelligite, et conscendite de vitiis ad virtutes, de terrenis ad cœlestia. Filiæ quæ quondam fuistis confidentes in vestris divitiis, percipite auribus elo-

quium meum. Ipsæ sunt filiæ quæ et mulieres. Nam repetitio sermonis, confirmatio est rei de qua agitur.

« Post dies enim et annum, et vos conturbabimini, confidentes » in bonis vestris. Modo prædicationis Domini appellat dies et annos. Verbi gratia : Duos annos et dimidium comprehendit in hoc, cum dicit dies. Tertium autem, cum dicit post dies, et adjungit annum. Potest etiam appellari omne spatium prædicationis Domini, sicut dicit ipse Isaias alio in loco : Spiritus Domini super me, usque illud : Et prædicare annum Domini (*Inf.* LXI, LXIII) ;,et illud : Quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicii Sion (*Jerem.* XLVI). Post ascensionem enim Domini ad cœlos, cœperunt illi conturbari, licet non statim ; tamen quadragesimo secundo anno post ejus ascensionem, dissipati et deprædati sunt a Romanis. Ideoque quia noluerunt recipere prædicationem Domini, et eum morti damnaverunt, alloquitur eos propheta ut revertantur ad pœnitentiam : Reducite (inquit) ad memoriam, quia noluistis audire verba salutifera, et vel in captivitate positæ revertimini ad illum ut misereatur vestri, et dignetur vos aggregare intra sanctam et immaculatam Ecclesiam. « Consummata est enim vindemia, collectio ultra non veniet, » subaudis super vos. Collectionem et vindemiam vocat ultimam captivitatem. Consummata est (inquit) vindemia, id est perfecta et adimpleta vestra captivitas. Amplius etiam non erit necesse ut eatis in captivitatem, quia per universas nationes dispersæ estis.

« Obstupescite, » hoc est, admiramini miseriam vestram. O miserrimæ mulieres Judæorum quæ quondam « opulentæ » fuistis, et abundastis opibus, « conturbamini » miserrimæ, quæ confisæ fuistis in vestris divitiis : hoc est pœnitentiam agite. « Exuite vos, » id est, nudate pectora vestra, ut in alia editione habetur, « et confundimini » hoc est erubescite super vestram malitiam. « Accingite lumbos vestros » cilicio pœnitentiæ, et plorate ut iram Domini placare possitis.

« Super ubera plangite, » hoc est super filios uberum vestrorum, qui interfecti sunt fame, gladio et captivitate, et dispersi per omnes gentes. Sic enim Dominus dixit eis : Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros (*Luc.* XXIII), et cætera quæ sequuntur. Nam illa maledictio qua dixerunt : Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII), protelata est super posteras generationes eorum. « Super regione desiderabili, » id est pro regione vestra desiderabili, lac et mel fluente, plangite : quia expulsi estis ab illa, exsules effecti longe lateque. « Super vinea fertili, » id est, pingui, subaudis plangite. Ista est vinea de qua alio in loco dicit : Vinea enim Domini sabaoth domus Israel est (*Isa.* V) ; et : Vineam de Ægypto transtulisti (*Psal.* LXXIX).

« Super humum populi mei vepres et spinæ ascendent, quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exsultantis? » Humum populi sui appellat tribum Juda et Benjamin, quia ibi erat templum et altaria, in quibus offerebatur mane et vespere sacrificium. Domos autem vocat civitates aliarum tribuum et dicit : Quia si super illam venit calamitas, multo magis super alias civitates et regiones eorum. Cum enim destructa esset civitas et templum (*Luc.* XIX), ita ut Dominus prædixit, ascenderunt spinæ et rumices illis in locis ubi ante gloria et dignitas summa erat.

« Domus enim dimissa est, » id est, templum derelictum est a Deo. « Multitudo urbis, » id est multitudo domorum « relicta est » ab habitatoribus suis, sicut Dominus eis prædixit : Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). « Tenebræ et palpatio » dicit pro eo quod sunt tenebræ palpabiles. Tale quid legimus in Exodo : Factæque sunt tenebræ palpabiles super terram Ægypti (*Exod.* X). Domus enim thesaurorum, et porticus, et atria quæ adhærebant templo, despective speluncæ vocantur modo. Cum enim spinæ et vepres conscendissent, factæ sunt ibi tenebræ. « Gaudium onagrorum pascua gregum, » subaudis erit ibi. Onager est asinus solitarius, per quem omnes bestias quæ solitudinem diligunt, et insuper aves quæ ibi longa tempora habitaverunt, intelligere debemus. Allegorice autem, per onagrum intelliguntur pagani, qui illam terram postea inhabitaverunt, et more bestiarum insensati fuerunt, adorantes varia portenta dæmonum. Quod autem addit propheta :

« Donec effundatur super nos spiritus de excelso, » sic videtur sonare, quasi aliquis ei diceret : Quamdiu erit ibi gaudium onagrorum, id est, quamdiu habitabunt ibi homines pagani et bestiales. At contra propheta : Tamdiu erit illud : donec Spiritus sanctus, qui super Apostolos die Pentecostes descendit (*Act.* II), prædicantibus Elia et Enoch, redeat ad nos, et emolliat corda nostra lapidea. Junxit se beatus Isaias cum illis qui in adventu Christi reperientur justi, ideo ait super nos. « Et erit desertum in Chermel, et Chermel in saltum reputabitur. » Chermel mons est provinciæ Phœnicis. Diximus jam superius, quia per desertum sive Libanum, qui interpretatur dealbatio seu candidatio, significaretur gentilitas quæ deserta est, hoc est derelicta erat a Deo. Sed dealbata est in baptismate per prædicationem apostolorum, et conversa est in Chermel, qui interpretatur scientia circumcisionis. Quod enim carnaliter agebant, modo gentes veraciter et spiritualiter adimplent per baptismum mutati in veram circumcisionem. Judæi autem conversi sunt in desertum sive in saltum, hoc est in infidelitatem gentilium. Hoc adimpletum est post Domini ascensionem, quando apostoli expulsi a Judæis, profecti per omnes gentes prædicaverunt ubique.

« Et habitabit in solitudine, » hoc est in gentilitate. « Judicium et justitia, » id est, Christus « in Chermel sedebit. » Per judicium, intellige judicem judicii, Dominum Jesum Christum, qui dixit : Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio

(*Joan.* v). Christus ergo in solitudine habitat, hoc est in cordibus gentilium per fidem et dilectionem, et ipse qui est justitia et veritas sedet in Chermel, hoc est in congregatione fidelium, qui veram circumcisionem habent. Sic enim dicit Apostolus : Templum Dei sanctum est quod estis vos (*I Cor.* III, 6); et : Habitare Christum per fidem in cordibus vestris (*Ephes.* III); et ipse Dominus : Qui manet in me, et ego in eo (*Joan.* XV); et per prophetam : Inhabitabo in illis et inambulabo (*Levit.* XXVI). « Et erit opus justitiæ pax, » id est Christi, qui dixit : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* XIV) : pro eo quod est dabo. Quia ad hoc venit, ut mundum per suum sanguinem pacificaret Deo Patri. « Et cultus justitiæ silentium. » Cultus, hoc est religio Christi, fides est et operatio non ficta. Quod autem dicit cultus justitiæ erit silentium, ostendit quia gentiles qui Deum ubique præsentem esse sentiunt, non in multiloquio credunt se exaudiri, sicut scribæ et Pharisæi, qui amant in angulis platearum et in competis orare, ut videantur ab hominibus (*Matth.* VI). « Et securitas usque in sempiternum. » Et ubi est ista securitas? In Ecclesia, hoc est in congregatione fidelium. Sancti enim licet plerumque adversa istius sæculi tolerent, tamen in securitate habitant, certi de spe æternæ remunerationis. Quia manentes adhuc in carne, cœlestia mente jam possident, dicentes cum Apostolo. « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* V). »

« Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. » Populum dicit isto in loco non Judaïcum sed gentilem, qui modo sedet in Ecclesia ubi est maxima pulchritudo in decore fidei, et dignitas et pax unaque concordia. Ecclesia namque in pulchritudine sedet, habens episcopos, presbyteros, levitas, cæterosque gradus quibus adornatur ; et insuper tres ordines prælatorum virginum et conjugatorum. Ista est clarissima pulchritudo. Et in tabernaculis fiduciæ. Sancta Ecclesia, cum sit una in fide, in baptismate, tamen diffusa est per quatuor istius mundi climata, habitans in tabernaculis fiduciæ. Et quomodo in tabernaculis fiduciæ? Quia in Christo fundata est, quia est lapis angularis (*Ephes.* II), ex duobus populis copulans sibi unam Ecclesiam. Vel etiam in tabernaculis fiduciæ habitat mente non corpore, de quibus dixit Dominus, « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). » Dum enim sancti in terrenis nil ambiunt, sed toto mentis ardore cœlestia contemplantur, quasi in cœlestibus tabernaculis habitant in spe. « Et in requie opulenta, » hoc est opibus plena. Sancta Ecclesia in requie opulenta sedet, quia pascitur mysteriis Veteris Testamenti et Novi. Vel etiam in requie opulenta sedebit, cum viderit Dominum Jesum Christum in gloria paternæ majestatis, quomodo Pater in Filio et Filius in Patre (*Joan* XIV), et Spiritus sanctus in utroque. Et cum viderit quomodo Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, et Ecclesia in illo manet, quando erit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV).

« Grando autem » erit « in descensione saltus, et humilitate humiliabitur civitas. » Saltum vocat judaicum populum, qui in infidelitatem gentium conversus est. Hoc etiam impletum est et impletur quotidie, ad extremum etiam in die judicii implebitur. Grando, hoc est tempestas tribulationis et calamitatis super Judæos venit : quando interfecti sunt a Romanis, et civitas ac templum illorum succensum est, ipsique remanserunt ac per universum mundi ambitum distracti sunt. Modo etiam grando miseriarum super illos est, quia in servitutem gentium redacti sunt. Et quod gravius est, alieni a Deo existentes, quotidie miserrimæ illorum animæ a diabolo captivantur. In die autem judicii, super omnes qui Domini prædicationem apostolorumque ejus despexerunt et in infidelitatis errore permanserunt, ira et sententia Dei omnipotentis super illos veniet, tradenturque igni perpetuo, cruciandi in corpore et in anima.

« Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini. » Locutus est sermo divinus hactenus de subversione et miseria Judæorum ; convertit se iterum ad apostolos et prædicatores sanctos, qui ad fidem vocaverunt, dicens : Beati qui seminatis verbum Evangelii super omnes aquas, id est super corda omnium gentium, immittentes pedem, hoc est actionem bovis et asini in vincula præceptorum Dei. Per bovem, quod est mundum animal et jugum trahit, judaicus populus designatur, quia præcepta Dei longa per tempora custodiens mundus exstitit, et grave jugum legis sustinuit. Asinus autem, qui immundus est, significat gentiles, qui per idololatriæ cultum immundi et iniqui exstiterunt : longe semoti a cognitione et servitio Dei. Dicit ergo sermo divinus : Beati estis, o sancti prædicatores, qui doctrinam Evangelii et verbum fidei seminatis super corda Judæorum et gentilium, immittentes, hoc est introducentes actionem et operationem illorum in vincula præceptorum cœlestium, ut ex duobus populis unam sanctam et immaculatam Ecclesiam Domino ædificare possitis.

CAPUT XXXIII.

« Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis ? Et qui spernis, nonne et ipse sperneris? » Contra Sennacherib modo loquitur. Nam ipse omnes provincias et regiones quæ in circuitu suo erant deprædatus est, et insuper decem tribus, ad ultimum omnes civitates Judæ et Benjamin præter Hierusalem : atque ob hujuscemodi causam elatus in superbiam gloriabatur sua virtute et potentia omnia hæc fecisse, non recolens quod propter peccata eorum tradidisset eos Dominus in conculcatione : ideoque dirigitur contra eum sermo divinus : O Sennacherib superbissime, tu qui prædaris alios, utique prædaberis ab aliis. Et qui spernis, hoc est despicis omnes gentes, sperneris et contemneris. « Cum consummaveris depræda-

tionem » Ægypti, vel Judææ, etiam partem Hierusalem quam Sobna tradidit. « Deprædaberis, cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. » Et hoc adimpletum est, sicut hic prædicitur (*IV Reg.* XIX). Siquidem cum veniret fatigatus de Ægypto ob tædium multorum super Hierusalem et contra regem Ezechiam, egressus angelus Domini (ut sequentia docent) interfecit in castris illius centum octoginta quinque millia hominum. Potest etiam et hoc referri ad omnes qui impie agunt, et deprædantur domos pauperum et pupillorum, et ad ipsum insuper diabolum. Qui enim rapinam semper exercent et superbiam sectantur, aliisque malis implicati sunt, si fructus dignos pœnitentiæ non fecerint (*Luc.* III), licet in præsenti temporaliter non puniantur, tamen post finitum hujus vitæ cursum, humiliabuntur sententia, et judicii pœnas exsolvent.

« Domine, miserere nostri, te exspectavimus : esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. » Loquitur modo Isaias propheta ex persona populi Hierusalem, qui obsidebatur ab exercitu Sennacherib, et exorat Dominum, dicens : Domine, miserere nostri, et libera nos de manibus Assyriorum, et civitatem istam protege : quia te exspectavimus in fide ut nos liberes. Non quæsivimus idola et sculptilia, quia non possunt nobis prodesse, sed te qui es solus potens. Esto brachium eorum in mane. Aliqui codices habent brachium nostrum. Sed si dixerimus, secundum beatum Hieronymum : esto brachium eorum, erit sensus : Esto brachium, id est expugnatio eorum et repulsio. Si autem dixerimus nostrum, erit sensus : Esto brachium nostrum, hoc est fortitudo et defensio nostra, et defende nos tua virtute et potentia. Non est autem prætermittendum, quare dicat in mane. Cum interfectus est exercitus Assyriorum eo modo quo superius dictum est, illi qui remanserant ex Sennacherib non cognoverunt quod factum erat in castris eorum, quousque mane surgerent, et viderent omnia corpora combusta. Tunc nimio timore perculsi fugerunt in terram suam. Et ideo quia illi mane cognoverunt quod erat gestum, et mane fugam petierunt, dicit propheta : Esto brachium eorum in mane, hoc est expugnatio et repulsio, et salus nostra in tempore tribulationis.

« A voce angeli fugerunt populi, ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes. » Nonnulli angelum Michaelem autumant fuisse, qui constitutus est princeps Judaici populi, sicut in volumine Danielis habetur : Nemo est, inquit, adjutor meus in omnibus nis, nisi Michael princeps vester (*Dan.* X). Quidam vero dicunt Gabrielem fuisse, qui Dei fortitudo interpretatur, eo quod ipse præsit populis. Idipsum et doctores Judæorum affirmant, quod ipse percusserit illa tot millia Assyriorum, et illorum corda quæ remanserunt terrore nimio impleverit (*III Reg.* XIX). Et hoc est quod dicit, a voce angeli, id est a terrore Gabrielis fugerunt populi, id est decem duces qui remanserant, qui etiam cum ipso Sennacherib venerant. Ideo autem dicit : Ab exaltatione tua, Domine, dispersæ sunt gentes : quia omnipotens Deus tunc exaltatus est et magnus prædicatus, ab omnibus qui audierunt quod sua virtute tot millia hominum contra se superbientium, per unum angelum suum straverit. Tunc omnipotens Deus aliquando exaltari dicitur, cum se ulciscitur de hostibus suis : quia qui noluerunt illum cognoscere tempore tranquillitatis, cognoscent tempore tribulationis.

« Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo. » In quibusdam codicibus reperitur spolia nostra. Si dixerimus spolia vestra, erit sensus : O miseri et superbissimi Assyrii, cum veneritis contra Hierusalem, congregabuntur spolia vestra a Judæis, et implebuntur eorum domus spoliis : sicut impletur fossa ex multitudine bruchorum. Si autem legerimus spolia nostra, erit sensus : O Judæi qui habitatis in Hierusalem, nolite timere a facie Assyriorum : quia omnia spolia et omnes divitiæ illorum jam nostræ sunt, et colligentur a nobis sicut colligitur bruchus. Ex locusta nascitur bruchus, qui ita vocatur quousque alas habeat. Sed cum cœperint ei jam alæ succrescere ac nisus fuerit volitare, vocatur athelech. Cum vero plenissime poterit volare, efficitur iterum locusta. Et est multo gravior bruchus quam locusta et athelech, quia desunt ei alæ nec potest cito ambulare : ideoque ubicunque venerit, penitus comedit fruges. Solent autem homines illarum regionum ad quas locustæ veniunt, eas congregare in fossas, et operire humo : ut si hoc venerit quatenus a vento projiciantur in mare, et ab undis projiciantur in terram, et fœtibus illarum oriantur bruchi. Sic enim sæpe fit ut ex ovis nascantur, quæ adhuc in ventre matris erant.

« Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso. » Magnificatus est, id est magnus prædicatus et laudatus ab Ezechia, et ab illis qui victoriam Domini viderunt de hostibus suis (*IV Reg.* XVIII). In excelso autem habitabit, vel in templo gloriæ suæ, in Hierusalem (*II Paral.* XXIX). Vel etiam in excelso cœlorum, vel in cordibus electorum, qui ad cœlestia anhelant. « Implevit Sion judicio et justitia : » quia Ezechias rex juste judicavit populum habitantem in Sion, hoc est in Hierusalem, revocans illum ad cultum Dei ab idololatria. Et hoc per internam inspirationem actum est, ut ipse juste viveret, et plebem Domini juste judicaret. Quod autem addit propheta :

« Et erit fides in temporibus tuis, » duplici modo intelligi potest. Quidam enim codices habent in temporibus suis. Sed si dixerimus tuis, erit sensus, ut alloquatur propheta Ezechiam : O Ezechia, cum percusserit Deus inimicos tuos, erit fides, hoc est, probabitur in temporibus suis. Si autem legerimus suis, erit sensus : Cum liberaverit Deus omnipotens populum suum a timore hostium, probabitur fides obsessi populi in temporibus suis. In hoc enim probata est, quia relinquentes idola servierunt Domino cum devotione mentis. « Divitiæ salutis » Judicia populi

« sapientia et scientia » fuit. Inter sapientiam et scientiam beatus Augustinus hanc discretionem facit, quod sapientia divinarum rerum est intelligentia, scientia autem humanarum. Et ille populus sapientiam habuit, quia conversus est de iniquitate ad justitiam, de idololatria ad cultum et servitutem Dei. Scientiam habuit, quia non tradidit se Assyrio cum multa mala ei minatus esset. « Timor Domini ipse thesaurus ejus, » id est salutis. Sine timore enim Domini, neque sapientia, neque scientia aliquid proderit, neque salus adipisci potest. Initium quippe sapientiæ timor Domini (*Psal.* cx). Et Tobias ad filium: Habebis (inquit) multa bona, si timueris Deum (*Tob.* iv).

« Ecce videntes clamabunt foris : angeli pacis amare flebunt. » Revertitur sermo divinus ad ultimam captivitatem. Isti sunt videntes de quibus superius dixit : Beati qui seminatis super omnes aquas. (*Mach.* xiii.) Et de quibus Dominus dixit : Beati oculi qui vident quæ vos videtis (*Luc.* x). Et ad Judæos : Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas (*Matt.* xxiii). Ipsi enim fuerunt angeli pacis, hoc est nuntii qui nuntiaverunt verba Christi, qui est pax vera, et qui dixit eis : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* xiv). » Et qui nos pacificavit Deo Patri et sanctis angelis (*Col.* xiii). Apostoli ergo, post ascensionem Domini, imminente tempore captivitatis, jam non clamabant in Hierusalem annuntiantes verbum Evangelii, sed foris, hoc est gentibus quibus cum ipsi sprevissent eos, dixerunt apostoli (*Act.* xiii) : Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Domini; sed quia repulistis illud, ecce convertimur ad gentes. Angeli autem pacis, hoc est apostoli nuntii pacis et Evangelii amare fleverunt, propter incrèdulitatem Judæorum, de quorum stirpe descenderant, condolentes perditioni illorum et malitiæ. De quorum numero unus dicit (*Rom.* ix) : Tristitia est mihi magna et continuus dolor cordi meo pro fratribus meis qui sunt Israelitæ. Optabam ego anathema esse pro eis, hoc est interfici pro salute illorum.

« Dissipatæ sunt viæ Hierusalem, cessavit transiens per eam. » Hoc factum est post vastationem Romanorum; ideo dissipatæ sunt viæ, quia defuit qui veniret ad templum tempore solennitatis, sicut dicit Hieremias : Viæ Sion lugent, eo quod non sit qui veniat ad solennitatem (*Thren.* i). « Irritum factum est pactum » quod pepigit Deus cum Abraham et patribus eorum, dicens : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. (*Gen.* xvi et xvii). » Et per quemdam prophetam : Habitatis in loco isto amodo et usque in sæculum (*Eccl.* xxxvii). Et ad Salomonem : Erit nomen meum ibi usque in sempiternum. « Projecit civitates » illorum, « non reputavit » eos esse « homines. » Ideo reputati sunt a Domino ad instar jumentorum, quia illi non cognoscentes se homines esse, bestiarum more vixerunt luxuriose viventes, omnique immunditia pullulantes. « Luxit et elanguit terra. » Luxit, id est defecit. Tabefacta est non A terra, sed habitantes in ea. « Confusus est Libanus, et obsurduit : » non dubium quin per Libanum significetur templum. De quo legimus in Zacharia : « Aperi, Libane, portas tuas, et devoret ignis cedros tuas (*Zach.* ii) ; » et in Ezechiele : « Aquila magnarum alarum venit ad Libanum, et tulit medullam cedri (*Ezech.* xvii). » Illud ergo templum, in quo antea exaudiebantur preces postulantium, in surditatem redactum est tempore ultimæ captivitatis propter peccata populi, quia licet orarent Dominum ut misereretur eorum, non meruerunt exaudiri propter necem Filii Dei et apostolorum ejus. « Et factus est Saron sicut desertum, et concussa est Basan et Carmelus. » Saronas appellatur omnis provincia inter Joppen et Liddam, in qua latissimi campi fertilesque tendun- B tur. Basan quoque regio est trans Jordanem quæ fuit Og regis, quam tradidit Moses duabus tribubus ac dimidiæ ad possidendum, et interpretatur uberrima vel pinguis. Carmelus autem mons est terræ repromissionis fertilissimus; et per Basan et Saronas ac Carmelum, debemus intelligere omnem fertilitatem terræ Judæorum, quæ omnia amiserunt, quia Dominum cum suis discipulis spreverunt.

« Nunc consurgam, dicit Dominus » de nimia pace mea ad percutiendum et interficiendum Judaicum populum. « Nunc exsultabor, » hoc est glorificabor a gentibus, cum viderint me hoc fecisse, « et sublevabor, » id est magnus prædicabor : Potest et hoc referri ad resurrectionem ascensionemque Domini. Nunc consurgam, inquit Dominus, ab inferis devicto C mortis imperio. Et exaltabor et sublevabor ascendendo ad Patrem.

« Concipietis ardorem, » O miseri Judæi, cum ego ascendero ad cœlos, concipietis ardorem, hoc est fervore invidiæ replebimini, audientes nomen meum prædicari ab apostolis meis (*Act.* v *et* xiii). Sic enim in Actibus apostolorum legimus : Quia videntes turbas, Judæi repleti sunt zelo invidiæ (*Act.* xiii). « Parietis stipulam, » id est verba blasphemiæ, quæ pro nihilo ita ducentur, ut stipula. Legimus enim, quia contradicebant his quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes. Dicamus et aliter : Concipietis ardorem, hoc est angustiam et malam voluntatem, et parietis verba inania vel operationem iniquam. Tamen et D conceptum et partum, hoc est cogitationem et operationem, devorabit utrumque, vel ignis Romanorum adventus, vel ignis gehennæ tribulationis in die judicii. « Spiritus vester, » id est mala vestra voluptas, « ut ignis vorabit vos, et erunt populi quasi de incendio cinis. » Sicut ex multitudine lignorum post incendium ad indicium pauci remanent cineres, ita ex multitudine Judæorum post finitam captivitatem pauci remanserunt Judæi (*Jacob.* i). « Spinæ congregatæ, » hoc est peccata Judæorum coadunata igni perpetuo comburentur. Peccata enim, cum consummata fuerint, generant mortem. Quod spinæ significent punctiones peccatorum, demonstratur illo in loco, ubi dicitur : « Terra tua, » hoc est caro tua, « spinas germinabit tibi (*Gen.* iii). »

« Audite, » o gentiles « qui longe estis » ab hac terra, vel a Deo « quæ fecerim, et cognoscite vicini, » Moabitæ et aliæ gentes, quæ fecerim ego; quomodo ultus sum me de inimicis meis Judæis. Vastatione Judæorum peracta, convertit se sermo divinus ad gentes.

« Contriti sunt, » id est, deleti « in Sion, » hoc est in Hierusalem « peccatores : » qui Dominum suum interfecerunt. « Possedit timor hypocritas, » scribas scilibet et Pharisæos, propter adventum Romanorum.

Quibus et dixit : « Væ vobis, scribæ et Pharisæi, hypocritæ (*Luc.* II). » « Quis poterit habitare » hoc est esse « de vobis » fidelibus « cum igne devorante? » Alloquitur sermo propheticus vel justos gentiles post Dei magnalia narrata. Ignem appellat Deum omnipotentem, de quo dicit Moses : Deus ignis consumens est. Et ipse Dominus in Evangelio : « Ignem veni mittere in terram (*Luc.* XII). » Ipse enim est ignis, quia igne tribulationis contrivit Judæos, et in die judicii omnes reprobos damnabit igne suæ sententiæ. « Aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? » Ardor Deus omnipotens est, quia ipse facit ardere corda electorum ad amorem suum, et ipse consumet peccata pœnitentium igne sancti Spiritus.

« Qui ambulat in justitiis, » hoc est, qui proficit in virtutibus, « et loquitur veritatem, » subaudis ille poterit habitare cum Deo. Justitia est fides, spes, charitas, cæteræque virtutes quæ in justitia consistunt. Loqui veritatem est, non cum dolo et fraude, sed cum fide recta. « Qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere. » Avaritiam appellat cupiditatem malam. Calumnia est aliquando accusatio falsa. Sed isto in loco pro damno ponitur. Qui ergo non habet cupiditatem malam ex damno alterius, et excutit manus suas ab omni munere, subaudis ille poterit habitare cum Deo. Ideo autem dicit ab omni munere, quia est munus a manu et munus ab ore. Munus a manu, est a dando et accipiendo; munus ab ore laus humana et favor nihil proficiens. « Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, » id est ne consentiat peccatum et non faciat, « et claudit oculos suos ne videat malum, » hoc est qui avertit oculos a concupiscentia : ille talis poterit habitare cum Deo.

« Et habitabit in excelsis, » id est in æterna felicitate cum Christo. Felix namque conscientia, quæ nec consentit, nec facit. « Munimenta saxorum sublimitas ejus. » Saxa vocantur sancti propter soliditatem fidei in Christo fundata, quorum exemplis et dictis instruimur, ut cœlestia et sublimia petamus. « Panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. » Propter merita sua datus est panis et aqua, hoc est doctrina divinarum Scripturarum, quæ in obscuris locis est panis, et aqua in apertioribus. Aquæ autem ejus fideles sunt, quia doctrina divina vera est.

« Regem » scilicet Dominum omnipotentem, « in decore, » hoc est in splendore divinitatis suæ « videbunt oculi ejus, » id est, oculi omnium sanctorum post diem judicii. « Cernent terram oculi ejus, » hoc est soliditatem æternæ quietis nunc in spe, tunc autem in re. De hac terra dicit Psalmista : Credo videre bona Domini in terra viventium (*Psal.* XXVI).

« Cor tuum, » id est mens tua, o juste « meditabitur timorem. » Difficile sanctitas sine timore custoditur; unde dicitur : Sapientia est timere Deum (*Eccl.* I). Et Simeon justus legitur fuisse et timoratus. « Ubi est litteratus, ubi est verba legis ponderans, ubi doctor parvulorum? » Interrogat sermo divinus justum, ubi sit litteratus, id est grammaticus Judæorum, vel gentium philosophi humanæ sapientiæ, et ubi sit legis verba ponderans scriba et Pharisæus, qui sua interpretatione falsa legem onerabant et ponderabant, et ubi sit modo doctor parvulorum, id est, scriba insipientium Judæorum.

« Populum impudentem non videbis, » o juste, in cœlesti Hierusalem, neque populum alti et profundi sermonis videbis ibi, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus. « In quo » subauditur philosopho vel gentili « non est sapientia vera. » Populum impudentem vocat Platonem, Aristotelem, cæterosque gentium philosophos, qui inverecundose miscuerunt falsa veris. Similiter populum altitudinis habentem disertitudinem linguæ appellat philosophos humanæ sapientiæ, qui diserte et polite loquuntur, aliqui secundum Tullium, aliqui secundum Aristotelem, qui tantummodo pompam habent verborum, non scientiam divinorum mysteriorum.

« Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ. » Alloquitur Isaias propheta justum de quo supra locutus est, et jungit se numero electorum, loquens de Hierusalem cœlesti : O juste, cui supradictum est, cor tuum meditabitur timorem, et populum impudentem non videbis : respice cœlestem Sion civitatem solemnitatis et lætitiæ perpetuæ. « Oculi tui videbunt, » o juste, « Hierusalem opulentam. » Ac si diceret aliis verbis : Qui modo contemplaris eam mente, tunc videbis illam in veritate opulentam, hoc est opibus plenam de visione omnipotentis Dei. « Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum. » Nunc de præsenti Ecclesia loquitur, quam præfigurabat tabernaculum vetus : quæ ideo transferri non poterit, neque moveri, ita ut corruat, quia solidata est supra firmam petram, de qua dicit Apostolus : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X). » Habuerunt Judæi tabernaculum, sed portatum est de loco ad locum : de eremo videlicet in Silo, de Silo in Nobe, de Nobe in Hierusalem, et de Hierusalem (sicut in libro Machabæorum legitur) delatum ad sepulcrum Mosi ab Hieremia. Istud vero tabernaculum, hoc est præsens Ecclesia, non transferetur de loco ad locum, id est non mutabitur de bono ad malum, quia sessionem habet Christum et est fixa super eum. Quod autem dicit, non auferentur clavi ejus, per metaphoram loquitur. Sicuti tabernaculum vel tentorium sive papilio firmatur clavis, extenditur funiculis : sic sancta Ecclesia solidatur clavis, id est doctoribus sanctis, quorum miraculis eruditur : et exten-

ditur funiculis, hoc est, divinorum eloquiorum fundatis.

« Quia ibi » hoc est, in cordibus electorum suorum, « magnificus est Dominus Deus noster : » et non in conventiculis hæreticorum, neque in synagogis Judæorum, « locus fluviorum, » subaudis est ibi et « rivi altissimi et patentes. » Fluvios appellat prophetas et apostolos; qui a vero fonte sumpserunt quæ nobis protulerunt. Rivos autem patentes, expositores sanctarum Scripturarum, qui nobis ea quæ a prophetis et apostolis obscure prolata sunt, ipsi patenter fecerunt, ut Hieronymus, Augustinus, et Gregorius. « Non transibit per eum, » subaudis tabernaculum, quod est congregatio electorum, « navis remigium, » id est, diabolus, « neque trieris magna transgreditur eum, » subaudis populum sanctum Dei. Trieris navis est tres ordines remorum habens. Significat diabolum in isto loco propter superbiam, qui tres partes istius orbis, Asiam, Europam, Africamque ante adventum Domini suo sub imperio subjugatas habebat.

« Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos, » subaudis a diabolo. Vox electorum in pœnitenti Ecclesia adhuc commorantium. Judex noster Deus omnipotens est, quia ipse est discretor judicii, et ipse judicabit orbem universum in æquitate. Legifer etiam noster est, quia ipse dedit nobis legem naturalem, quæ est : Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Et legem per Mosen. Ad extremum vero legem evangelicæ veritatis.

« Laxati sunt funiculi tui, sed non prævalebunt. » Hactenus locutus est de Hierusalem cœlesti, et de Ecclesia præsentis sæculi. Nunc vero revertitur ad terrenam Hierusalem, loquens de ea sub specie navis. Laxati sunt funiculi tui, pro eo quod est omnis fortitudo populi tui laxabitur, et extendetur, nitens pugnare contra Romanos : sed non prævalebit, quia Dominus adducet eos ad tui internecionem. « Sic erit malus tuus, » hoc est templum inclytum tuum, in quo quondam pendebant vela pretiosissima. « Ut dilatare signum non queas, » id est, ut non appareat in quo loco primitus constructum fuit, quia non relinquetur ex eo lapis super lapidem. « Tunc, » id est, cum Hierusalem fuerit succensa et templum, « dividentur spolia prædarum multarum » a Romanis, hoc est omnes divitiæ et cuncta bona Judæorum. « Claudi diripient prædam, nec dicet vicinus, Elangui, » id est, non dicet Romanus Romano, Infirmus sum : quia Christus ministrabit eis vires, ut possint delere gentem inimicando. Claudi appellantur Romani, non quod claudi essent, sed hoc quod contra Judæos egerunt non suis viribus illud adimpleverunt, sed Dei potentia. « Populus, » subaudis Romanus, « qui habitat in ea » terra, hoc est qui sub sua potestate tenet eam redactam. « Auferetur ab eo iniquitas. » Et est sensus : Si populus Romanus dignus esset et aliquod peccatum exinde haberet, quod Judæos interfecit et eorum terram incoluit, auferetur ab eo iniquitas ejus ex hoc facto, quia Domini vindictam exercuit.

CAPUT XXXIV.

« Accedite, gentes, et audite; et populi attendite. » De die judicii generalis sententia loquitur, et vocat omnes gentes ut audiant justam retributionem Judæis redditam. Vocat etiam terram et plenitudinem ejus, id est, omnes homines, et dicit :

« Quia indignatio, » id est, vindicta « Domini super omnes gentes. » Non super gentes in quascunque specialiter ira Domini desæviet in die judicii, sed super omnes reprobos. Quod autem addit : « Et furor super universam militiam eorum, » id est, reproborum, de angelis malignis intelligendum est, qui per spatia aeris istius discurrunt, et cum quibus Apostolus dicit nos habere luctamen (*Ephes.* VI). Interfecit eos Christus sententia sua dicens : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » « Et dedit eis occisionem, » hoc est ire permisit in æternam damnationem.

« Interfecti eorum projicientur » in infernum « et de cadaveribus eorum ascendet fetor. » Quos diabolus suadendo et mali homines male vivendo, et pravis exemplis docendo interfecerunt non in corpore sed in anima, projicientur in die judicii pariter cum his a quibus decepti sunt in æternam damnationem cruciandi : et dabunt ex se malum odorem, quia et in corpore et in anima cruciabuntur.

« Tabescent montes a sanguine eorum, et tabescet omnis militia cœlorum. » Montes appellat in isto loco reges et principes et tyrannos istius sæculi, ut fuit Nabuchodonosor, qui multarum gentium sanguinem super subjectum sibi populum fudit : ut fuerunt interfectores sanctorum martyrum. Militiam vero cœli angulos istius aeris qui singulis regnis principantur, sicut in Danielis libro (*cap.* X) cognoscere possumus, in quo legitur de principe Persarum et principe Græcorum. Et egregius prædicator : Non est (inquit) nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores (*Ephes.* VI). Deficient enim reges pro malis subjectorum suorum quia ipsi fuerunt auctores iniquitatum eorum : et deficient dæmones principes diversarum gentium, quorum malo consilio et deceptu et reges peccaverunt et subjecti perierunt. « Et complicabuntur sicut liber cœli, et omnis militia eorum, » subaudis cœlorum, « defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu, » appropinquante hyeme, « quoniam inebriatus est in cœlo gladius meus. »

Pluralem numerum posuit pro singulari cum dixit cœli, quia de isto aere hoc intelligendum est. Cœlum enim appellatur aer usitato more. Unde et volucres cœli dicimus. Militia cœli defluet, id est, sol et luna et stellæ, vel etiam maligni spiritus. Non enim defluent ita sidera ut cadant, sed adveniente vera luce Christo obtenebrabuntur illa : unde et Salvator dicit : « Stellæ cadent de cœlo (*Matth.* XXIV), » id est,

cadere videbuntur. Spiritus vero maligni defluent, quia amittent omnem potestatem, et recludentur in inferno. Complicabitur enim iste aer, quia igne involvetur, et videbitur complicari sicut liber. Videamus et aliter de complicatione cœlorum. Non dicit interire cœlos, sed complicari quasi librum : ut postquam omnia peccata aperta fuerint, complicentur qui prius aperti fuerant, ut nequaquam ultra scribantur in eis delicta malorum. De hujuscemodi libris Daniel dicit (*cap.* VII) : « Judicium sedit, et libri aperti sunt, in quibus descripta erant opera singulorum. » Hæc autem omnia fient quia inebriatus est, id est, repletus est gladius in cœlo meus, hoc est in isto aere, ad perdendos dæmones et omnes reprobos. Gladius (inquit) meus inebriatus est malitia hominum, hoc est sententia vel ultio sive vindicta ad perdendos reprobos consummata est. « Ecce super Idumæam descendet gladius meus, et super populum interfectionis meæ ad judicium, » subaudis damnationis veniet. Idumæa, quæ interpretatur terrena, significat hunc mundum. Damnatis enim dæmonibus in aere, veniet vindicta super reprobos in terra.

« Gladius, » id est, vindicta, « Domini repletus est sanguine, » hoc est peccatis hominum. « Incrassatus, » id est, repletus. « Adipe, » id est, iniquitate « Impiorum, » id est, « de sanguine agnorum et hircorum, » subaudis repletus est. Agni vocantur in isto loco non mansueti et justi, sed impotentes et vulgares homines. Hirci autem appellantur potentes et principes istius sæculi; id est, quodquod subjungit, de sanguine medullatorum. Sed per hircos possumus intelligere libidinosos. Dies enim judicii super omnes conditiones, et super omnia genera veniet super liberos et servos, super reges principesque ac subjectos, super potentes et impotentes, et super omnes qui in sua iniquitate mortui sunt. « Victima enim Domini, » id est, vindicta. « In Bosra, et interfectio magna in terra Edom. » Bosra, quæ interpretatur munita vel circumdata sive firmata, et Edom, qui interpretatur terrenus sive sanguineus, significat hunc mundum qui munitus est et circumdatus aquis, subaudis plenus sanguine et malitia hominum.

« Et descendent » in infernum « unicornes cum eis » de quibus superius dictum est, « et tauri cum potentibus. » Unicornes appellantur reges et imperatores, qui monarchiam totius mundi habuerunt : ut fuit Octavianus, Nero, cæterique imperatores Romanorum. Tauri vocantur reguli : comites, et principes. Potentes vero, amici et consiliarii regum, et nobiles quique. Reges enim terrene viventes cum suis principibus et amicis sui similibus in infernum descendent : ut sicut fuerunt uniti in malis, sic sint conjuncti in pœnis. « Inebriatur terra, » id est, infernus « sanguine eorum, » id est, malitia reproborum, « et humus » hoc est barathrum æternæ damnationis replebitur, « adipe, » id est, superbia « pinguium » hominum.

« Quia dies ultionis Domini annus retributionum A judicii Sion, » subaudis veniet. Ista quæ hic dicuntur, non pertinent ad superiora. Post generalem totius orbis consummationem, revertitur sermo propheticus ad Hierusalem, cui in tempore illo loquebatur, et vastationem ejus pleno sermone describit, quæ a Romanis facta est. Dies ultionis Domini est vindicatio sanguinis Christi. Annum retributionum judicii Sion, appellat omne tempus prædicationis Christi, hoc est trium annorum et dimidii : quo tempore contempserunt habitatores Sion recipere salvatorem suum et legislatorem, quo etiam tempore morti eum tradiderunt. Iste est annus, de quo in subsequentibus dicit Isaias (*Inf.* LXI) ex persona Filii Dei : « Spiritus Domini super me eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus misit me, et vocare B annum acceptabilem Domino. »

« Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur. » Propter nimiam Romanorum sævitiam et crebra incendia, quibus omnis terra repromissionis vallata est : insuper et civitas sed et templum igne consumptum est : torrentes et humus ejus dicuntur conversa esse in picem et sulphur. « Et erit terra ejus in picem ardentem, nocte et die non exstinguetur. » Per noctem et diem continuatio temporis intelligenda est. Notandum autem, quod non ideo hoc dicit ut illa terra semper ardeat : sed propter nimiam tribulationem Judæorum, et desolationem illius terræ. « In sempiternum ascendet fumus ejus » hoc est signum exterminii et calamitatis illorum « a generatione » illa qua hæc facta sunt, C « in generationem » ultimam, subaudis vindicta Dei omnipotentis habitabit super illos. « Desolabitur in sæcula sæculorum, » id est, in solitudinem redigetur usque in sæcula sæculorum. « Non erit vir » Judæus « transiens per eam. » Multi quidam Judæorum post illam ultimam captivitatem transierunt per eam, sed libere non sicut antea soliti erant, neque postea ibi habitaverunt. Posuerunt enim Romani legem, ut non permitterent quemquam Judæorum reverti in terram nativitatis suæ.

« Et possidebunt illam, » subaudis, terram Judæorum. « Onocrotalus et eritius, et ibix, et corvus habitabunt in ea. » Onocrotalus avis aquatica est inimica serpentibus, rostrum acutissimum habens et D longum, quas dicit Josephus a Mose delatas in bello contra Æthiopes, propter multitudinem serpentium quibus repleta erat terra, per quam progredi debebat contra Æthiopes. Ascendit enim super caput serpentis, et ictu rostri interficit eum. Hæ aves vel animalia solitudinem quærunt, et post desolationem hominum habitaverunt ibi ubi antea templum et sedes regia erant. « Et extendetur super eam, » subaudis terram, « mensura, » id est, Dei sententia, ut non sit habitatio Judæorum ibi, sed dæmonum : « ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem » subaudis redigatur. Perpendiculum est quo cæmentarii maceriam ad rectitudinem reducunt, et illa terra in arbitrio sententiæ Dei posita est in solitudine.

« Nobiles ejus, » id est, apostoli et credentes « non erunt ibi » cum venerit captivitas et calamitas : « regem » Christum « potius vocabunt, et omnes principes ejus, » id est, sacerdotes et Pharisæi « erunt in nihilum. » Quando Romani venerunt super Israel, jam erant apostoli dispersi per quadripartitum orbem. Credentes quoque et sancti qui illic commanebant, admoniti a Sancto Spiritu transierunt Jordanem ad regnum Agrippæ regis, qui pacem habebat cum Romanis.

« Orientur in domibus ejus » quondam pulcherrimis et divitiis plenis, « spinæ et urticæ, et paliurus in munitionibus » ejus, subaudis nascetur. Paliurus genus est cardui, acutissimos aculeos habens. « Et erit ibi cubile draconum, et pascua struthionum. » Struthio avis est solitudinem quærens.

« Et occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum. » Quidam codices habent, occurrent dæmonia, ita dividentes ut subaudiatur sibi. Onocentaurus et pilosus clamabit alter ad alterum. Sed melius est ita distinguendum, occurent dæmonia onocentauris. Onocentaurus compositum nomen est ex Græco et Latino, ab eo quod est onos et taurus. Onos namque Græca lingua dicitur asinus. Onocentaurus monstrum est, quod inchoatur ab asino et desinit in taurum. Per asinum, quod est animal promptum ad libidinem explendam, designantur homines libidinosi, qui semper in fetore luxuriæ jacent. Per taurum vero superbi. His dæmones occurrere dicuntur, quia favent eis suadendo in corde per pravam suggestionem, ut deterius agant, quasi bene agentes. Pilosos alii dicunt esse simias, quidam homines sylvaticos. Alii incubones dæmones qui cum feminis coeunt. « Ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem ericius. » Lamia monstrum est, habens faciem totumque corpus femineum perpulchrum, pedes tamen habet equinos.

« Requirite tamen diligenter in libro Domini et legite. » Librum Domini dicit propheta hunc, quem ipse a Domino percipiens conscripsit. Et evocat eos qui futuri erant, ut legerent ista. « Unum ex eis, » subaudis monstris supradictis, « non defuit. Alter alterum non quæsivit, » id est, neque masculus feminam, neque femina masculum, quia Dominus adduxit eos omnes ad illum locum. « Quia quod ex ore meo procedit. » Vox prophetæ. « Ille, » id est Christus, « mandavit, » hoc est præcepit, « et spiritus ejus, » id est Spiritus sanctus, « ipse congregavit ea » animantia ipse Spiritus.

« Et misit eis sortem, » subaudis habitationis, ubi cuncta discrete manerent. « Et manus ejus, » id est, potentia ejus, « divisit eam, » subaudis terram « in mensuram, » hoc est in deserto possessionis ubi scilicet habitarent dracones, ubi lamia, ubi struthio, ubi diversæ bestiæ, in generationem et generationem habitabunt in ea. Quantum ad litteram attinet, istæ aves vel animalia non sunt usque modo ibi, licet ad tempus fuerint. Quantum vero ad spiritualem intellectum, per aves bestias debemus intelligere omnes qui illam terram ex eo tempore incolunt, more bestiarum viventes, et diversa portenta adorantes.

CAPUT XXXV.

« Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. » Hactenus de vastatione Judæorum, nunc de gentium conversione loquitur. Deserta appellatur gentilitas, quia derelicta erat a Deo propter corruptam naturalem legem et propter idololatriam. Invia erat, quia non erat in Christo qui dixit : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV). » Invia etiam erat, quia non transierat per eam propheta, non apostolus, non quilibet doctor viam veritatis ei ostendens. Relicta ergo Judæa lætabitur gentilitas, et gaudebit et florebit quasi lilium. Sicut lilium dum emittit flores, bonum odorem reddit : sic gentilitas veniens ad fidem, odorem virtutum ex se protulit. Sic enim dicit egregius prædicator : Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II Cor.* II).

« Germinans, » subaudis fidem et spem, « germinabit » operationem, « et exsultabit lætabunda et laudans » Creatorem suum. Quæ antea in mœrore peccatorum consistebat, conversa ad fidem cœpit exsultare et gaudere in Domino. Sic dicit Apostolus : « Lætare sterilis quæ non paris, erumpe in lætitiam et clama (*Gal.* IV). » « Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. » Templum appellat hic Libanum, sicut superius dictum est, Carmelum vero et Saron, fertilitatem terræ repromissionis. Gloria enim quæ quondam erat in illo templo et cultus, modo habetur in sancta Ecclesia, et multo amplior. « Ipsi » fideles « videbunt gloriam Domini, » id est, divinitatem Patris et Filii et Spiritus sancti, « et decorem Dei nostri, » id est, quomodo Pater in Filio est et Filius in Patre et Spiritus sanctus in utroque, nunc vident in spe, tunc videbunt in re.

« Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. » Alloquitur apostolos et sequaces eorum de quibus superius dixit, Ipsi videbunt gloriam Domini, ut confortent manus gentilium a bono opere vacuas, et dicit : O apostoli mei, confortate manus gentilium fatigatas ex malitia, et genua debilia roborate, id est, gressus a Dei cultu claudicantes, firmate in fide.

« Dicite, » o doctores mei, pusillanimibus gentilibus in fide : « Confortamini, » hoc est spem vestram in Christo ponite, « et nolite timere » diabolum. « Ecce Deus vester, » o fideles, « ultionem adducet retributionis. » Alloquitur propheta gentiles firmatos in fide : Ecce, inquit, Deus vester vindictam reddet malis in die judicii dignam merito, « et veniet ut salvet vos » in sua magna misericordia, qui prædicationem apostolorum ejus recepistis et opere implevistis.

« Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. » Ad primum Domini adventum referenda sunt ista. Corporaliter quidem hoc adimplevit Dominus : sicut dixit discipulis Joannis : « Euntes renuntiate Joanni, quia cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur (*Matth.* XI) », et cætera quæ ibi

continentur. Spiritualiter quotidie adimpletur in sanctam Ecclesiam, dum aliquis infidelis oculos mentis cæcatos homines, et aures ad audiendum verbum Dei obturatas, convertitur ad Christum, et baptizatus aquam baptismi salutaris illuminatur. Oculi enim gentilium, qui obcæcati erant ad cognoscendum Creatorem suum, prædicatione apostolorum illuminati sunt. Similiter et aures eorum quæ ad audiendum verbum Dei apertæ minime fuerant, prædicantibus apostolis auditum meruerunt recipere.

« Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. » Gentilis quisque qui gressus fidei nondum habens in opere Dei claudicabat, veniens ad fidem quasi cervus saltum dabit, dum de infidelitate ad fidem, de vitiis ad virtutes, de terrenis ad cœlestia transilierit, et in virtutibus crescere studuerit. Ponamus unum ex omnibus Paulum quondam persecutorem Ecclesiæ, nunc apostolum et doctorem gentium, et videamus quam magnum saltum dedit. Nam qui erat infidelis et persecutor Christianorum, transilivit de perfidia ad fidem, de iniquitate ad cultum veræ justitiæ. Transiliensque de virtute in virtutem, dixit : « Cupio dissolvi et cum Christo esse (*Phil.* I). » Lingua etiam malorum, quæ non habebat confessionem veræ fidei, sed muta erat ad confitendum peccata sua et laudandum Creatorem suum, prædicantibus apostolis aperta est ad fidem rectam confitendam. « Quia scissæ sunt, » hoc est apertæ sunt « in deserto aquæ. » Ideo aperta est lingua mutorum, quia apertæ sunt in deserto quondam gentilium aquæ baptismi salutaris, « et torrentes in solitudine » gentium exorti sunt, hoc est diversæ gratiæ spirituales, vel doctrinæ Veteris et Novi Testamenti.

« Et quæ erat arida, » id est, gentilitas a fide Dei, « in stagnum, » subaudis conversa est, id est, in scientiam Veteris et Novi Testamenti. « Et sitiens in fontes aquarum » conversa est, hoc est in doctrinam divinorum eloquiorum. « In cubilibus, » id est, in cordibus gentilium « in quibus prius dracones, » id est, dæmones « habitabant, orietur viror calami et junci. » Per calamum quo Scriptura antiquitus complebatur, significatur doctorum prædicatio. Per juncum intenta subditorum auditio. Calamus enim et juncus super aquas nascuntur, et viriditatem retinent. Sic et corda gentilium intenta ad audiendum verbum Dei, tunc viriditatem habent, quando quod aure percipiunt opere adimplere satagunt.

« Et erit ibi, » subaudis in solitudine gentium, « semita et via, » hoc est Christus, qui dixit : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV). » « Et illa via sancta vocabitur. Non transibit per eam, » subaudis Ecclesiam, « pollutus » diabolus, qui inquinatus est sanguine multorum et omni spurcitia. « Et hæc erit vobis discreta via, » hoc est plana fides Christi, « ita ut stulti » quondam gentiles, qui pro Creatore adorabant creaturam, « non errent per eam » conversi ad fidem Christi.

« Non erit ibi leo, » princeps scilicet dæmonum de quo dicit Apostolus ; « Quia adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* V). » « Et mala bestia, » id est, satellites diaboli, « non ascendet per eam, » hoc est, per congregationem fidelium. « Nec invenietur ibi » in cordibus electorum, quia per confessionem fidei expulsus est. « Et ambulabunt » de virtute in virtutem, « qui liberati fuerint » a vinculis peccatorum, et ab errore « et redempti a Domino » sanguine veri agni, ac deinde « convertentur » ad pœnitentiam, et postea « venient in Sion, » hoc est, in Hierusalem cœlestem « cum laude » Creatoris sui, « et lætitia sempiterna » pro spe æternæ remunerationis, erit « super capita eorum, » id est, in mentibus eorum. Quidam codices habent : et ambulabunt qui liberati fuerint, et redempti a Domino convertentur. Ita dividentes. Sed falso scriptum est : Beatus enim Hieronymus ita exponit, sicuti superius dictum est : « Gaudium et lætitiam obtinebunt » cum venerint in Hierusalem cœlestem, « et fugiet » ab eis « dolor et gemitus. » Quia licet gemant et lugeant inter ærumnas istius sæculi pro suis erratibus vel aliorum, tamen in spe lætantur pro remuneratione quam percepturi sunt. Et tunc lætabuntur in re, possidentes jam gaudia vitæ æternæ.

CAPUT XXXVI.

« Et factum est in quarto decimo anno regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib, rex Assyriorum, super omnes civitates Judæ munitas, et cepit eas. » Jam decem tribubus ductis in captivitatem, et omnibus civitatibus Judæ vastatis, pervenitur ad Hierusalem. Sed in hoc loco quæstio non modica est : Quis fuerit iste Sennacherib? Nam sicut historia regum manifestat et Paralipomenon (*cap.* XXXII), septimo anno regni Ezechiæ venit Salmanasar rex Assyriorum, et transtulit maximam partem populi decem tribuum ultra montes Medorum et Persarum : cum quibus et Tobias vir justus ductus est in captivitatem, sicut in libro ejus habetur. Sic enim dicitur ibi : Cum captus esset Tobias in diebus Salmanasar (*Tob.* I.) Post Salmanasar autem venit iterum Ful, qui et ipse partem populi captivavit. Deinde Teglat, Phallasar, et Sargon, successerunt in regnum Assyriorum usque ad Sennacherib. Si ergo septimo anno regni Ezechiæ primum ductæ sunt decem tribus in captivitatem a Salmanasar, quod verissimum est : quomodo potest esse, ut inter spatium octo annorum, tot reges sibi in uno anno successerint? Juncti enim octo cum sex quatuordecim faciunt. Dicit beatus Hieronymus : Quia traditio Judæorum est, quod unus homo Sennacherib, scilicet tot nominibus nuncupatus sit. Ipse est enim vocatus Salmanasar, et Ful, ipse Teglat, Phallasar, et Sargon, et Sennacherib. Quod a veritate non videtur discrepare.

« Et misit rex Assyriorum Rapsacem de Lachis. » Lachis civitas erat Judææ, quam expugnabat tunc Sennacherib. Misit ergo Rapsacem « ad Ezechiam in manu gravi, » id est, in multitudine exercitus. « Stetitque in aquæ ductu piscinæ superioris, in via

agri fullonis, » hoc est, ubi fullo manebat. Piscina superior dicitur, quia erat ibi et alia inferior.

« Et egressus est ad eum Eliachim qui erat super domum Domini, » hoc est, summus pontifex. Iste est Eliachim qui successit post superbissimum Sobnam in sacerdotii dignitatem, de quo superius dixit Dominus : Ecce ego vocabo Eliachim servum meum, et erit mihi in sacerdotem (*Sup.* XXII). Egressus est etiam « et Sobna scriba, » id est, grammaticus. Non debemus putare quod iste sit Sobna cui superius dictum est a propheta : Quid tu hic, aut quasi quis hic? Egressus est « et Joe filius Asaph a commentariis. » A commentariis vocabatur qui gesta rerum conscribebat, id est, cancellarius. Et iste et Joe a cancellariis sive a commentariis quibus præerat veniens, ivit cum supradictis.

« Et dixit ad eos Rapsaces : Dicite Ezechiæ : Hæc dicit rex magnus Assyriorum. » Verba Dei quæ sæpe a patre suo audierat dicente : Hæc dicit Dominus, propter potentiæ dignitatem suo regi dabat : et ut sermo illius majori auctoritate roboraretur. « Quæ est ista fiducia in qua confidis, aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? » Ex persona regis ista loquebatur Rapsaces. Primum siquidem factus est Ezechias tributarius, sed postea rebellavit, nolens reddere tributum. Ideo dicit, aut in qua fortitudine rebellare disponis : atque ob hanc causam quia ab eo recessit, veniebat contra eum.

« Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum. » Ob copiam aquarum Nili fluvii, subaudis ubi multæ arundines sunt : per quas subsannando designat fortitudinem Ægypti, « sic Pharao rex Ægypti » impotens est.

« Quod si responderis mihi : In Domino Deo nostro confidimus : nonne est ipse cui abstulit Ezechias excelsa et altaria, et dixit Judæ et Hierusalem : Coram altari isto adorabitis, quod est in templo Domini? » Sic verba regis sui narrabat iste, quasi præsens esset uterque rex, et conflictum inter se haberent. Ezechias rex suo tempore destruxit aras et simulacra quæ fecerat pater ejus Achaz. Sed quod ille causa religionis egit, hoc Rapsaces in malam partem mutaverat.

« Et nunc trade te, » o Ezechia, « domino meo, et dabo tibi duo millia equorum, nec poteris præbere ex te; » hoc est, ex tuis militibus « ascensores eorum. » Ex persona regis ista dicebat. Non de imbecillitate venit populo Judæorum equitandi carere scientia, sed de observatione mandatorum Dei, qui per Mosen super regem Israel præcepit dicens : Non multiplicabit sibi equos et currus, neque uxores plurimas (*Deut.* XVII) : quod quia Salomon egit, incidit in iram Domini. Poterat enim Ezechias habere currus et equos, sed ob hanc causam omisit, timens incidere in peccatum.

« Et nunc, » id est, « nunquid modo sine Domino » hoc est, sine jussu et voluntate Domini, « ascendi? »

« Loquere ad servos tuos Syra lingua, » id est, Chaldaica. « Intelligimus enim » eam Hæbraice. Loquebatur ille Perside, quia in schola patris sui Isaiæ hoc didicerat. Ideo hoc dixerunt, ne incuteret terrorem suis verbis populo astanti super murum.

« Nunquid ad Dominum tuum et ad te misit me Dominus meus, et non potius ad viros qui sedent super muros ut comedant stercora sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum? » In superbiam elatus ob eorum humilitatem, unum e supradictis nuntiis taliter alloquitur. Urinam pedum dicit, quia ad pedes tendit. Sensus talis est : Tandiu erit obsessa civitas hæc, quousque compulsi famę, stercora et urinam pedum suorum consumant in proprios usus : ut qui non fuerit ab hostibus interemptus, famis inopia pereat.

« Et clamabat voce magna » Judaice, ut terreret populum suis minis : « Audite verbum regis magni Assyriorum. » Superbe hoc protulit, et cum nimia arrogantia.

« Non seducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos, » blasphemia Rapsacis testimonium Ezechiæ est, quod captis cunctis Judææ urbibus confisus in Domino sit. Audierat enim ille perfidus quod confortasset Ezechias populum Domini, ne timeret a facie Assyriorum dicens : Nolite metuere neque paveatis, multo enim plures sunt nobiscum quam cum illis. Cum illis est brachium carneum, nobiscum autem Dominus Deus noster, qui auxiliator erit nostri et pugnabit pro nobis. His et hujusmodi verbis confortatus est populus.

« Facite nobis benedictionem, » hoc est, laudate me, benedicete me. Vel, ut in alia editione habetur, facite quod vobis utile est, ut me recipientes pax vobis remaneat. « Et comedite unusquisque bona terræ vestræ cum securitate, donec veniam, » subaudis, de Ægypto quo decretum habeo ire.

« Et tollam vos ad terram quæ est ut terra vestra. » Non dicit nomen regionis quam eis promittit, quia æqualem terræ repromissionis invenire non poterat, sed similitudinem pollicetur. Beatus tamen Hieronymus dicit, terram Medorum similitudinem quamdam habere terræ repromissionis in cultu et situ, et non est dubium quin illam eis promiserit.

« Ubi est Deus Emath, et Ephath, ubi est Deus urbis Sepharvaim? » Subaudis contriti sunt. Hæ civitates diversos Deos colentes perierunt. Ac si diceret aliis verbis : Si multi dii non potuerunt resistere mihi, unus Deus poterit? Ex hoc autem quod dicit « nunquid liberaverunt Samariam de manu mea? » Ostenditur decem tribus, in quarum medio erat urbs regalis, multos Deos coluisse antequam in captivitatem ducerentur, et ideo perierunt.

« Et siluerunt et non responderunt ei verbum. » Quare non responderunt, manifestatur cum subjungitur. « Mandaverat enim eis rex, Ne respondeatis ei. » Vel etiam ideo non responderunt, quia recordati sunt illud Salomonis : Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne videaris ejus esse similis (*Prov.* XXVI). Et illud : Ne succendas carbones.

Idcirco etiam non responderunt ei, ne illum ad majorem blasphemiam provocarent contra Dominum, et nec terrorem suis verbis inferret populo hæc audienti.

« Et ingressi sunt scissis vestibus ad regem. » Consuetudo erat illius populi, ut si quando audiret blasphemiam contra Dominum, scinderet vestimenta sua. Sic legimus fecisse principem sacerdotum quando Dominus dixit : « Amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus (*Matth.* XXVI). » Sic fecerunt etiam Paulus et Barnabas Licaoniæ, quando illi offerentes ei coronas adorare volebant ut Deum (*Act.* XIV).

CAPUT XXXVII.

« Et factum est, cum audisset rex Ezechias verba ista, scidit vestimenta et obvolutus est sacco, » id est, pro purpura vilibus vestimentis, « et intravit in domum Domini. » Illi sciderunt vestimenta sua propter blasphemiam quam audierunt : iste qui peccatis suis impedientibus reputavit obsidionem et vastationem evenire.

« Hæc dicit Ezechias. » Non dicit : hæc dicit rex Ezechias, sed tantummodo cum humilitate protulit : hæc dicit Ezechias. « Dies tribulationis, » subaudis nostri, « et correptionis Dei et blasphemiæ, » hostium « dies hæc. Quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi : si quomodo, » id est fortassis « audiat Dominus Deus tuus. » Et est sensus : Sicut mulier tempore parturitionis cum nequit emittere partum, angustatur carens consilio quid facere possit : sic nos modo obsessi undique ignoramus quid agere debeamus. Vel etiam alio modo : Filii nostri consilia sunt nostra, et quando concipimus consilium et illud opere non valemus adimplere, graviter angustiamur : sic illi consilium pariebant, sed opere implere minime valebant. « Leva ergo orationem ad Dominum Deum tuum pro reliquiis, quæ repertæ sunt tantum in Hierusalem. » Jam enim decem tribus ductæ erant in captivitatem, et omnes civitates Judæ et Benjamin vastatæ. Pars etiam inferior civitatis tradita fuerat in manus hostium per manum Sobnæ impiissimi pontificis, qui jam sacerdotale officium compleverat. Ideoque dicit pro reliquiis quæ repertæ sunt :

« Et venerunt servi regis Ezechiæ ad Isaiam. » Jam dicti viri servi vocantur. Revera enim omnes duces servi vocantur, exceptis consiliariis qui amici regis vocantur. Unde cum dicitur : Quare non isti cum amico tuo ?

« Et dixit ad eos Isaias. » Prævenit propheta nuntios illius, quia per spiritum quo futura prædicebat cognovit quid actum esset, quid Rapsaces dixerat, et quid ei rex mandabat. « Hæc dicetis Domino vestro, » subaudis, non meo. « Hæc dicit Dominus meus. » Pueri vocantur duces regum qui obsequuntur regibus suis.

« Ecce ego dabo ei spiritum » et revertetur ad terram suam, hoc est, in Chaldæam, dabo ei spiritum non sanctum sed malignum, « et audire faciam ei nuntium. » In subsequentibus videbimus, quia de Taracha rege Æthiopum dixit.

« Reversus est autem Rapsaces. » Domino permittente venit, et illo præcipiente recessit « Et invenit regem suum præliantem adversus Lobnam, superata jam Lachis. » Lobna civitas fuit Judææ. Nam in Lachis creditum esse, unde missus fuerat ad Hierusalem : sed jam recesserat inde secutusque est eum in Lobnam.

« Et audivit Sennacherib de Taracha rege. » Iste est nuntius de quo dictum est superius.

« Ecce tu audisti omnia quæ fecerunt reges Assyriorum » patres mei, qui multas Deo permittente vastaverunt regiones, « Bozan, et Aran, et reges Assyriorum » fuerunt potentissimi, « et filios Eden, » subaudis subverterunt. Eden regio est orientis. Ana et Ava gentes vel civitates nobilissimæ.

« Et tulit Ezechias libros, » id est, epulas quas miserat ad eum Sennacherib.

« Et ascendit in domum Domini, et oravit dicens. » Ideo dicitur ascendisse in domum Domini, quia in superioribus erat. Primum quando ascendit in domum Domini scissa veste, obsessa civitate, non legimus eum orasse Dominum, quia propter peccata sua reputabat hoc evenire. Jam vero securior de liberatione orat, dicens :

« Domine exercituum qui es Dominus omnium » et angelorum et hominum, « inclina aurem tuam et audi, aperi oculos tuos et vide, et vindica. » Inclinare dicitur Deus omnipotens aurem, quando exaudit orantes. Et aperire oculos dicitur, quando miseretur.

« Et dederunt deos eorum igni, » id est, idola propter quæ perierunt, « non enim erant dii. » Exponit quare perierint. Despexit eos Sennacherib.

« Subsannavit te, » id est irrisit, te virgo filia Sion. « Post te caput movit filia Hierusalem. » Populus Hierosolymitanus ideo virgo appellatur, et filia, quia cunctis gentibus simulacra adorantibus mortuorum hominum, iste conservavit solus castitatem religionis Dei, et unius Dei cultum. Virginitas enim non solum corporis, verum etiam et mentis est. Tunc despexit et irrisit ille populus Sennacherib et Assyrios, quando Eliachim et cæteri missi Ezechiæ non responderunt nuntiis illius. Postea autem interfectis Assyriis, et redeunte Sennacherib cum ignominia, captivavit filia Sion sive Hierusalem, subsannando et inconculcando ei.

« Cui exprobasti, et quem blasphemasti, » per servos tuos? Vox Ezechiæ sub irrisione ad Sennacherib. « Super quem levasti altitudinem oculorum tuorum ad sanctum Israel, » id est, contra Deum omnipotentem, non contra me. Hoc proprie superborum est, ut supercilia erigant.

« Dixisti, » o Sennacherib, « ascendam Altitudinem montium, juga Libani, et succidam excelsa, et thronum ejus, et electas abietes illius. » Per cedros metaphorice et abietes, superbia, regna, et reges diversarum gentium qui sub ejus dominio constite-

runt, designantur. Per Libanum autem et summitatem vel altitudinem ejus Hierusalem et templum, ad quod ipse voluit ascendere. Per saltum Carmeli, populus Hierosolymitanus.

« Ego fodi et bibi aquam, et exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum. » Tanta fuit multitudo exercitus illius, ut omnia fluenta terræ Judææ exsiccaverit : et ideo compulsi puteos sibi foderunt. Metaphorice autem per rivos alveorum et per aquam debemus intelligere regna et regiones quas ipse exsiccavit, habitatoribus earum interfectis.

« Nunquid non audisti, » id est nunquid, non intellexisti, o Isaia, « quæ olim fecerim ei, » hoc est, quæ ei prædestinaverim? Vox Dei ad prophetam de Sennacherib. « Ex diebus antiquis, » id est, a principio creaturarum « ego plasmavi illud, » subaudis malum, quod Sennacherib ab universis gentibus illatum est. « Et nunc » quod in prædestinatione mea erat « adduxi » super eum, ut qualia fecit, talia recipiat. « Factum est » illud malum « in eradicationem collium impugnantium, et civitatum munitarum. » Per colles reges et principes qui ab invicem inter se dimicant, debemus intelligere illos quos veniens Sennacherib Domino permittente, non propter istius merita, sed pro eorum peccatis eradicavit. In eradicationem etiam civitatum munitarum fuit.

« Habitatores earum » terrarum vel civitatum « breviata manu contremuerunt, » id est, non præbente me more solito illis auxilium, et retracto meo adjutorio ab illis, « confusi sunt » et in suis malis consumpti. Ideo non comparantur olivæ et vineæ fructuosisque arboribus : sed feno et gramini herbisque, quæ frugibus impedimenta præstant, et ante marcescunt quam ad maturitatem perveniant. « Facit sunt » habitatores scilicet earum civitatum « sicut fenum agri et gramen pascuæ, et sicut herba tectorum. » Gramen in hoc loco herba est, quæ apud nos trinua vocatur. Per fenum et reliqua quæ hic dicuntur, debemus intelligere populos, qui cito peccatis impedientibus perierunt, antequam tempus mortis eorum advenisset, traditi in manus Sennacherib. « Habitationem tuam. » Babylonem videlicet, cognovi, o Sennacherib, « et egressum tuum » inde « et introitum tuum » in terram repromissionis « et insaniam tuam » hoc est dementiam « contra me. » Tunc insanivit, quando dixit : Quis Deus poterit vos liberare de manu mea?

« Ponam ergo circulum in naribus tuis. » Per frenum et circulum, potentiam divinitatis debemus intelligere. Ac si diceret aliis verbis : Os tuum blasphemum potentia virtutis meæ infrenabo, et reducam te ab Hierusalem in terram tuam cum ignominia.

« Tibi autem, » o Ezechia. « Hoc erit signum » salutis tuæ. Alloquitur propheta Ezechiam regem, quid agere debeat. « Comede hoc anno, tu et populus tuus, quæ sponte nascuntur, » id est, quæ prius severas quam veniret Assyrius « et in anno secundo pomis vescere. » Illo tempore cum jam tempus messionis instaret, venerunt Assyrii et conculcaverunt messes, vineta, et oliveta eorum. Et ob nimiam obsessionem vastatis segetibus, quod postmodum ex granis reparatum est habuerunt primo anno in victum, similiter anno secundo : quia anno obsessionis serere non potuerunt quæ repererunt ex frugibus et pomis sumpserunt. « In anno autem tertio, » fugato jam Assyrio cum securitate, « seminate et metite, et plantate vineas » iterum quas vastaverunt et eradicaverunt Assyrii.

« Et mittet, » subaudis genus hominum, « quod salvatum fuerat » a Domino « de domo Juda, et quod reliquum est mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum. » Sicut arbor deorsum mittit radicem suo tempore, et pomis repletur sursum : sic omnis terra duarum tribuum ex parvo populo repleta est. Ideo autem addit :

« De Sion et de Hierusalem exibunt reliquiæ » quia decem tribus et omnes civitates Judæ vastatæ erant. « Zelus Domini, » id est, fervor amoris et misericordiæ, « faciet istud » quod superius dictum est, non illorum meritum.

« Non intrabit civitatem hanc. » Obsedit quidem eam, sed non intrabit in illam. « Non faciet ibi sagittam » ut interficiat ibi aliquem.

« Et protegam civitatem istam, ut salvem eam propter me, » non propter vestrum meritum, « sed propter David servum meum. » Cum dicit propter David, ostendit aliquos ibi esse qui habebant aliquid meriti et fidei David, et per hoc datur intelligi, quia pro bonis patrum miseretur Dominus omnipotens malis filiis.

« Egressus est autem angelus Domini, » subaudis a loco suo, « et percussit Assyriorum octoginta quinque millia. » Non gladio materiali interfecit eos, sed Dei potentia. Sine vulnere interfecti sunt, et redacti in cinerem. « Et surrexerunt mane, » videlicet Sennacherib cum paucis, decem scilicet viris tantummodo, ut Judæi tradunt, « et ecce omnes » illi interfecti erant « cadavera mortuorum. »

« Et egressus est Sennacherib de finibus Judæ, et abiit in terram suam Niniven civitatem. Et factum est cum adoraret in templo Nesrach deum suum, Adramelech et Sarasar filii ejus percusserunt eum. » Quæritur, quare non periit cum populo cui præerat, cum illorum malitia ob quam perierunt jussu illius facta esset. Ad quod dicendum, quia in hoc nequior ostensus est, quod non fuit dignus mori in terra Domini, sed in sua, et coram deo suo a filiis suis interfici. Sic et Pharao inter decem plagas reservatus est, ut Dominus amplius glorificaretur. Quæri etiam potest, quæ causa exstiterit, ut a filiis suis interficeretur? Hebræorum traditio est habuisse eum plurimas uxores, ex quibus tres filios habebat : Adramelech, et Sarasan, et Assaradon. Sed quia matrem Assaradon præ cæteris diligebat, decrevit illum in regnum succedere sibi. Videntes autem illi duo se exhæredatos, interfecerunt patrem suum. Et quia jam gubernacula regni tenebat Assaradon frater eorum, fugerunt in terram Ararad, quæ est regio Armeniæ.

CAPUT XXXVIII.

« In diebus illis » quibus interfectus est Assyrius, « ægrotavit Ezechias gravissima infirmitate. » Hic non manifestatur, quare ægrotaverit, vel quare infirmatus sit. Sed in libro Regum et Paralipomenon apertius ostenditur ideo eum ægrotasse, quod non cantavit Domino laudes neque retulit ei gratias de victoria sibi ab illo collata, sed in superbiam se erexit (*IV Reg.* XX; *II Paral.* XXXII). « Dispone domui tuæ, » id est, ordina, qui tibi succedere debeat in regnum.

« Et convertit faciem suam ad parietem, » domus suæ vel templi, ne a circumstantibus audiretur gemitus ejus, et viderentur lacrymæ.

« In veritate ambulavi coram te, » hoc est, in cultu religionis « in corde perfecto, » non claudicans post idola. Quòd bonum fuit in oculis Domini feci, quia idola quæ pater ejus fecerat destruxit. Et ostia domus Domini, quæ clauserat impius genitor ejus, ipse aperuit, et serpentem æneum qui erat in Gabaon, quem Judæi adorabant, minutatim confregit et in ventum sparsit. « Et flevit fletu magno Ezechias. » Ideo flebat, quia sine filiis erat. Et videbat in se deperire propter peccata sua promissionem illam, quæ ad David a Domino facta est: « Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum quod egredietur de lumbis tuis, et ponam illud super thronum Israel in sempiternum. Et erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem (*I Paral.* XXII; *II Reg.* VII; *Hebr.* I). »

« Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos. » In prædestinatione Dei primum dati sunt illi, sed superbia et peccatis suis impedientibus subtracti sunt ei, propter humilitatem suam vero restituti. Dicunt quidam, quod duobus modis potest homo anticipare terminum vitæ suæ, vel male vivendo ut propter peccata sua non mereatur pervenire ad illum: vel etiam ut bene et juste vivendo et seipsum affligendo ante tempus vitæ suæ, ob præmia meritorum suorum vocari mereatur a Domino ad gaudia vitæ æternæ.

« Hoc tibi erit signum. » Judæi semper signa quærunt. « Et reversus est sol decem lineis. » Ab undecima vel decima hora subito rediit in primam, et pene duplicata est dies.

« Scriptura Ezechiæ, cum ægrotasset et convaluisset de infirmitate sua. » In septuaginta interpretibus habetur oratio, sed potius ista est veritas rei, quia veritatem narrat : Cum omnipotens Deus pius et misericors victoriam dedisset Ezechiæ de hostibus suis sine aliquo labore, et ei gratias pro munere sibi collato non retulisset, in infirmitatem devenit ut qui noluit de prosperitate decantare laudes, depromeret postmodum de sua calamitate. Et postquam convaluit, dixit quid secum cogitarit positus in angustia.

« Ego dixi, » subaudis tempore angustiæ meæ. « In dimidio dierum meorum : vadam ad portas inferi. » Non complebo numerum meorum dierum, ut perveniam ad senectutem bonam sicut patres mei : subaudis potius moriar, et ibo ad infernum. Illuc enim noverat omnes ante adventum Domini descendere, sed aliter pios, aliter impios.

« Quæsivi residuum annorum meorum, » id est, quæsivi orando sublatos mihi ob peccatum superbiæ annos a Deo. « Dixi » apud me, positus in infirmitate. « Non videbo Deum Deum in terra viventium. »

« Non aspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis. » Quidam codices habent Dominum Deum : sed falso scriptum est. Bis enim repeti debet Deum, sicut beatus Hieronymus dicit. Quidam etiam dividunt ita : Non aspiciam hominem ultra, et habitatorem, terminantes ibi versum ; et ad sequentia jungunt : Quievit generatio mea. Et beatus quidem Hieronymus propter ambiguitatem verbi primum ita transtulit, sed postea correxit habitatorem quietis. Sensus hujus versiculi talis est : Si descendero ad inferni claustra, et ibi damnatus fuero propter mea scelera : non videbo Dominum, id est, Deum omnipotentem in terra viventium, hoc est, in requie justorum et in cœlesti beatitudine. Non aspiciam hominem ultra, si damnatus fuero æternaliter in pœnis inferni : non videbo postmodum quomodo Filius Dei, qui nobis repromissus est, verus Deus et verus homo consistat. Vel etiam non videbo quemlibet sanctorum in gloria æternitatis. Non videbo etiam habitatorem quietis. Vera quies et vera exsultatio vitæ æternæ est, contemplatio et visio Trinitatis. Quis est habitator æternæ vitæ, nisi ipse Deus omnipotens et electi illius? Non videbo (inquit) quemlibet sanctum habitatorem quietis, qui ibi habitans a malis omnibus requiescit.

« Generatio mea ablata est a me, » hoc est, filii qui mihi succedere debuerant, non sunt « et convoluta est a me quasi tabernaculum pastorum; » Sicut tabernaculum plicatur, et magnitudo ejus non patet : sic magnitudo generis mei periit, quia desunt filii qui eam administrent.

« Præcisa est velut a texente vita mea. » Dat aliam comparationem. Et est sensus: Sicut fœmina telam imperfectam, quam perficere debuerat, præcidit : sic mea ætas imperfecta præciditur et subtrahitur a me, in juvenili ætate adhuc posito. « De mane usque ad vesperam finies me. » More febricitantis vel alicujus ægroti (ut ait beatus Hieronymus) locutus est : qui mane afflictus dicit in corde suo : Veniente vespere, aut moriar, aut mutabitur infirmitas mea. Et veniente vespere, dicit : Mane aut moriar, aut tolerabilius mihi erit. Sic iste dicebat positus in infirmitate, cum diceret:

« Sperabam usque ad mane, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea. » Leoni comparat Ezechias Deum omnipotentem. Sicut leo (inquiens), cuncta comminuit edendo non solum carnes, verumetiam et ossa : sic ego non solum corporis verumetiam vires amissas habeo ossium præ gravi infirmitate.

« De mane usque ad vesperam finies me. » Suspensus eloquebatur. Ac si diceret : Aut mane aut

vespere finem mihi dabis, « Sicut pullus hirundinis sic clamabo ; » velut clamat pullus hirundinis ad patrem et matrem, ut audiatur et percipiat escam, et sicut gemit columba : sic ego in clamore et gemitu perstiti ad Deum, ut redderet mihi sanitatem.

« Attenuati sunt oculi mei, » hoc est, tenues effecti sunt, dum prospicerem in cœlum ad Deum meum, qui me suis attriverat flagellis.

« Domine, vim patior. » Vox obsecrantis est : Plus quam dignus sim affligor, et ultra quam vires sufferre possint. « Sponde pro me. » Quidam codices habent responde pro me, sed falso scriptum est. Melius est enim sponde, quia sic exponit beatus Hieronymus. Ac si diceret : si quid erravi, convertar ad melius; tu sponde pro me; hoc est, sis mihi fidejussor, et accipe me in fide et protectione tua. « Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei (*Rom.* IX). » « Quid dicam, » subaudis factori meo, cum juste sustineam ista? « Aut quid respondebit mihi » iste qui fecit me, et quod voluit tribuit mihi? Sustinenda ergo sunt mihi omnia quæcunque decreverit.

« Recogitabo tibi omnes annos meos, » hoc est, ad memoriam reducam omnes dies felicitatis meæ, et considerabo omnes fuisse amaros, quia præsens tribulatio nil boni sentit ex his omnibus. Revera, ut beatus Hieronymus dicit : humana felicitas nullius est securitatis.

« Domine, sic vivitur. » Quidam codices habent si sic vivitur, sed non est ita. Philosophatus est enim rex de statu hujus vitæ, ut beatus Hieronymus dicit. « Domine, sic vivitur, » id est, tam fragilis et caduca est humana felicitas, « corripies me » in tuo flagello, « et vivificabis me, » reddendo mihi vitam et sanitatem.

« Ecce in pace, » subaudis Hierusalem et populi mei, qui modo non impugnantur ab hostibus, tribulatio mea mihi importabilis est. Ideo dicit in pace, quia, jam percusso Assyrio, pax magna erat in populo.

« Tu autem eruisti animam meam » ne iret modo ad inferos propter superbiam et peccata mea plurima; « projecisti post tergum tuum omnia peccata mea, » hoc est, abstulisti malum a tua præsentia, et posuisti retrorsum, ne modo condemnares me.

« Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te. » Per infernum in hoc loco reprobos intelligamus; per mortem vero diabolum. Hi namque qui ad inferni claustra descendunt, damnandi sunt sine fine. Non agunt pœnitentiam ibi, nec ferunt laudes omnipotenti Deo : quia non est speciosa laus in ore peccatoris. « Non exspectabunt qui descendunt in lacum, » hoc est in infernum, « veritatem tuam; » veritas Filius Dei est qui dixit : « Ego sum veritas (*Joan.* XIV). » Sancti qui ante adventum Domini descendebant in infernum, ad secretiora loca præsplolabantur adventum illius, ut mererentur liberari a cruciatibus gehennæ. Impii autem qui æternis cruciatibus sunt traditi, non habent spem revocandi ad superos, positi in desperationem.

« Vivens vivens ipse confitebitur tibi, » id est, ipse laudabit te. Et est sensus : qui ita vivit in tua protectione in requie perpetua, ut ego quietus ab hostibus, laudabit te, « sicut et ego hodie » in præsenti laudo et glorifico te. « Pater bonus filiis suis notam faciet veritatem tuam, » hoc est, verum religionis cultum docebit. Per patrem boni reges intelguntur, ut David, Ezechias, qui docuerunt filios suos servare legem Domini; vel etiam sancti et religiosi viri; qui subditis suis notam faciunt justitiam Domini.

« Domine, salvum, me fac » a Sennacherib, et a morte æterna, « et psalmos nostros cantabimus tibi. » Domine, si me et populum meum salvaveris, cantabimus tibi laudes. Quod usque hodie Judæi faciunt, licet non prosit illis. Attamen versa vice fideles in sancta Ecclesia usque hodie faciunt.

« Et jussit Isaias » ministris regis « ut tollerent massam de ficis, et cataplasmarent super vulnus, et sanaretur. » Cataplasmare est calefacere vel fomentare. Dicit beatus Hieronymus, quod morbo regio laboraverit, cui contraria esse dicuntur omnia, sive in cibo, sive in tactu dulcia. Sed ut Dei potentia notior fieret, contrariis curatus est docente Isaia. Hic autem notandum est, quod non totum corpus inde fomentaverunt, sed tantummodo vulnus quod ei tantum erat a Domino, excepto morbo regio quem æruginem dicimus.

« Et dixit Ezechias : Quod erit signum, quia ascendam ad domum Domini. » Ordo præposterus est. Ante enim ista prolata sunt, quam illa quæ præcesserunt de sanitate et de oratione superius exposita.

CAPUT XXXIX.

« In tempore illo, » postquam interfectus est Assyrius, et sanitatem adeptus est Ezechias, « misit Merodach Baladan, filius Baladach rex Babylonis, libros, » hoc est epistolas, « et munera ad Ezechiam. » Superius dictum est, quod Assaradon, filius Sennacherib, qui imperabat Assyriis et Babyloniis, successit patri in regnum. Et hic dicitur quia Merodach Baladan misit in Hierusalem nuntios ad Ezechiam, vivente adhuc Assaradon, qui rex erat Babyloniorum. Sed sciendum est in isto loco, divisum tunc fuisse regnum Assyriorum ac Babyloniorum, et regnabat unusquisque in suo. Ferunt historiæ quod iste Merodach Baladan fuerit pater Nabuchodonosor potentissimi regis, qui postea omnia illa regna sibi subjugavit et univit, ut fuerant prius. Et quare venerunt illi nuntii ad Ezechiam? Propter portentum quod viderant in sole. Erant enim astrologi. Et cum non possent cognoscere per suam artem, quare hoc evenerit ut a decima hora retrograderetur ad primam, venerunt in Hierusalem, ut a prophetis vel a sapientibus scirent quæ causa exstiterit.

« Et ostendit eis cellam aromatum. » Epiphanius Cyprius dicit : cellam aromatum magnam et præcla-

ram esse domum, in qua sepeliebantur corpora regum, et erant in sepulcris eorum et super et circa multa aromata. « Ostendit etiam eis argenti et auri » subaudis thesauros « et odoramentorum » quæ erant apud illos tunc temporis multa, « et apothecas » id est cellaria substantiæ suæ. « Non fuit verbum, quod non ostendit eis. » Mos est sacræ Scripturæ verbum ponere sæpe pro re, ut isto in loco. In domo sua dicit, in thesauris suis; in potestate autem sua, in thesauris domus Domini, in quo offendit.

« Quid dixerunt viri isti et unde venerunt ad te? » Duo interrogat Propheta, sed responsum est ei quod pertinet ad superbiam humanam, non quod ad laudem Dei pro portento propter quod venerant. « De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone, » quæ potentissima est urbs. Terrarum prolixitas superbiam et fastum auxit. Dicit beatus Hieronymus, quia cum supercilio legendum est istud, quod rex superbe protulit, dicens : De terra longinqua venerunt ad me. Debuerat dicere : Ad laudandum Deum venerunt pro magnitudine signi.

« Omnia quæ in domo mea sunt, viderunt, » subaudis pretiosa. « Non fuit res » quantumlibet chara et honesta « quam non ostenderim eis in thesauris meis. » Siluit de thesauris domus Domini quos manifestavit alienigenis, in quo offendit, timens ne forte a Propheta reprehenderetur.

« Ecce dies veniunt, » dicit Dominus, « et auferentur omnia quæ in domo tua sunt in Babylonem, » quæ non tuo labore congregata sunt, sed patrum tuorum. Prædicitur retributio sceleris, ut qui secreta Domini alienis nudaverat, ab eadem gente et domus ejus in exterminium esset itura, cum omnibus bonis patrum priscorum quæ tenebat et suis : verum etiam et domus Domini propter peccatum illius populi destruenda. « Non relinquetur quidquam ex eis, dicit Dominus. » Ecce fixa sententia.

« Et de filiis tuis qui exibunt de te, » hoc est, qui de germine tuo erunt, « tollent et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. » Ferunt Hebræi hanc prophetiam impletam in tribus pueris, et Daniele qui in eo commemoratur libro, quando captus est Joachim filius Josiæ, et ductus est populus in Babylonem cum quibus Daniel et socii ejus ierunt, qui postea facti sunt eunuchi in palatio regis. Non est enim putandum quod truncati fuissent corpore, sed positi in ministerio casti exstiterunt. De talibus Dominus dicit in Evangelio : « Multi se castraverunt propter regnum Dei (*Matth.* XVI). »

« Fiat tantum pax, » ut dum vixero non impugner a Sennacherib, « et veritas, » id est verus Dei cultus, « in diebus meis. » Non recte. Debuerat enim confiteri peccatum suum ut David, et iram Domini amovere a posteris suis, aut compati, ut Moses populo, quando delere se petiit de libro vitæ ob scelus populi ad mortem destinati, inquiens : « Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti (*Exod.* XXXII). » Ideoque non respondit ei Propheta, sed versus ad populum dixit :

CAPUT XL.

« Consolamini, consolamini popule meus, dicit Dominus vester. » Et est sensus : O populе Dei qui estis credentes ex Judæis, consolamini in Christo : quia rex vester non compatitur nec sibi, nec vobis. Potest et ad gentes referri, de quibus dicit Dominus per Zachariam : « Ecce ego congregabo populum Or entis, et erunt mihi in populum, et ego illis in Deum (*Zach.* VIII). »

« Loquimini ad cor Hierusalem, et advocate eam. » Alloquitur propheta Eliachim, cæterosque fideles qui illo tempore erant. Vel etiam apostolos doctoresque gentium, et dicit : O Eliachim, cæterique fideles, vel apostoli, loquimini ad cor Hierusalem. Ad cor loquitur, qui mœstum vel tristem blande alloquitur et consolatur. Sicut legimus de Sichem filio Emor quando corrupit Dinam : « Locutus est autem Sichem ad cor ejus, et consolatus est eam (*Gen.* XXXIV). » Notandum autem quod dicit : Advocate eam, Hierusalem scilicet vel gentilitatem, subaudiendum est a tribulatione vel tristitia ad gaudium, a malo ad bonum, ab idololatria ad luctum pœnitentiæ. « Quoniam completa est malitia ejus. » Malitia non semper pro peccato ponitur, sed pro afflictione. Ut illud quod Dominus dixit per Prophetam : « Si est malum in civitate, » id est afflictio, « quod Dominus non fecit (*Amos.* III). » Completa est ergo malitia ejus, id est afflictio persecutionis quæ evenit in morte martyrum, et modo Deo dante abest. « Dimissa est iniquitas illius, » hoc est : si aliquando peccavit, dimissum est ei, et pertinet hoc proprie ad gentiles vel Judæos, qui, ad fidem Domini venientes, per baptismi regenerationem mundati sunt. Vel in martyrio ubi sic dimissa sunt illis peccata, velut in baptismo. « Suscepit de manu Domini duplicia, » subaudis tormenta. Si ad Hierusalem hoc referamus, duplicia recepit a Chaldæis et Romanis, et periit corpore et anima. Si ad Ecclesiam dupliciter a persecutoribus recepit, quia corpore cruciata est et in animo angustiam sustinebat tempore persecutionis, ideoque dimissa est iniquitas ejus.

« Vox clamantis, » subaudis Christi per Joannem, « in deserto » Judææ. Joannes vox appellatur, quia verbum præcessit. Vel etiam vox Christi ad apostolos clamantis in deserto Judæorum vel gentium. Sicut enim Joannes desertæ ac destitutæ Judææ clamabat, pœnitentiam agite : sic apostoli in deserto gentilium prædicabant verbum salutis, audientes a Domino : « Euntes, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI). » « Parate viam Domini, » id est, talem operationem facite ut Deo placeat, recte credendo et bene operando, ut ipse possit venire ad vos. « Rectas facite in solitudine, » id est, in deserto gentilium « semitas Dei nostri. » Possunt non incongrue per semitas cogitationes intelligi, sicut et per viam actiones, et sit sensus : ut illi qui Christum ad se venire optant, non solum sint mundi corpore, verum etiam corde. Præcipitur autem hoc illis qui in de

serto Judææ credebant in Christum, vel qui in solitudine gentilium degebant.

« Omnis vallis exaltabitur; » id est simplices Judæi credentes, vel gentiles, in fide recta et operatione sancta magnificati sunt, « et omnis mons et collis humiliabitur; » hoc est scribæ et pharisæi, et reges perversi ut Nero, et qui ante et post fuerunt, velut colles humiliati sunt, in profundum laci ruentes. Et hoc est quod Dominus dixit : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XIV, XVIII). » « Et erunt prava in directa. » Prava, id est, tortuosa corda publicanorum et pharisæorum, qui venerunt per prædicationem Domini et apostolorum ejus ad fidem : facta sunt recta ad bona opera peragenda. « Et aspera, » id est intractabilia et dura corda scribarum et pharisæorum; et gentilium, « in vias planas, » hoc est in mollitudinem et lenitatem conversa sunt, dum venirent ad fidem, ut Matthæus narrat.

« Et revelabitur gloria Domini; » id est manifestabitur. Gloria Dei Patris Filius est : Dominus, videlicet Jesus Christus. De quo dicit in psalmo Deus Pater : « Exsurge gloria mea (*Psal.* XLIII). » Prædicantibus enim apostolis, manifestatus est Filius Dei in gentibus. « Et videbit omnis caro, » id est omnis homo; « salutare Dei. » Hoc ad diem judicii pertinet. Loquens namque Propheta de primo adventu Christi, tetendit oculum mentis ad secundum. Nam in primo adventu non viderunt eum omnes, in secundo vero conspecturi sunt illum omnes, et qui viderunt et qui non viderunt. « Os Domini locutum est, » id est prophetæ, per quos prædixit ea quæ futura sunt. Quod autem dixit et videbit, potest et ita intelligi : Videbit omnis caro, id est, tunc intelligent omnes quæ Dominus per prophetas suos prædixit vera esse.

« Vox dicentis » subaudis Christi ad Isaiam : « Clama » subaudis plebi Israelitæ : vel ad omne genus hominum. « Et dixi : Quid clamabo? » Non sine causa dixit, quid clamabo? Quoniam vidit Dominum sedentem super solium excelsum, et audivit a Domino quem mittam; respondit : Ecce ego, mitte me. Et quia tunc dura nuntiavit populo suo, timebat et nunc similia nuntiare. Ideoque non sponte obtulit sicut superius, sed requisivit rem operis. Dictumque est ei a Domino. « Omnis caro, » id est omnis homo « fenum, et omnis gloria ejus » quam in præsenti possidet « quasi flos agri, » tam sanitas quam juventus, quamque etiam divitiæ temporales. Et est sensus : sicut fenum nascendo habet viriditatem, pullulando decorem, abscissum autem siccatur, et in pulverem redigitur : sic homo per successiones ætatum amittit viriditatem vigoris et decorem, et desinit esse.

« Exsiccatum est fenum et cecidit flos, quia Spiritus Dei sufflavit in eo. » Fenum subito producitur ex terra et subito decidit, quia ventus urens et æstus ardens siccavit illud. Similiter homo subito nascitur, et subito cadit in mortem, quia spiritus Dei, hoc est sententia omnipotentis Dei, abstulit ei vitam præsentem. « Vere fenum est populus. » Modo exponit quod supra ait. Dicit beatus Hieronymus, quia quando juveni prosperi videntur successus, et servit vitiis et maxime libidini, quasi in flore est. Cum vero subito præoccupat eum sententia Dei, redigitur ad nihilum.

« Verbum autem Domini manet in æternum, » hoc est Christus Filius Dei; cum corpore suo quod est Ecclesia, quæ ei adhæret per fidem et operationem : regnabit in æternum. De hoc Verbo dicit Joannes : « In principio erat Verbum (*Joan.* I). »

« Super montem excelsum ascende, quæ evangelizas Sion. » Quidam codices habent qui evangelizas genere masculino, sed falso scriptum est. Beatus enim Hieronymus feminino genere exponit, dicens in Hebraica veritate, et in Septuaginta interpretibus ita haberi. Constructio autem hujus versiculi hæc est : O Sion, quæ evangelizas bona et doces; ascende super montem excelsum, hoc est super Christum qui est mons montium, et sublimitas virtutum, id est, prædica quæ Christus docuit. Similia loquitur ad Hierusalem : O « Hierusalem quæ evangelizas, » id est quæ annuntias bona, « exalta in fortitudine vocem tuam : » ut a multis audiri possis, exalta prædicationem tuam. « Noli timere » persecutorum sævitiam, et diaboli astutiam. Per Sion et Hierusalem, chorum apostolorum et doctorum vult intelligi : et alloquitur eos sermo divinus, ut ea prædicent et annuntient, quæ a Domino audierint et a Spiritu sancto perceperunt. Dicit namque explanator hujus sermonis : Quia omnis prædicator ad cul mina virtutum debet conscendere, ut suo exemplo auditorum corda ad superna appetenda eleventur. « Dic civitatibus Judæ, » o chorus doctorum, id est synagogis, vel populo Judæorum, vel universali Ecclesiæ : « Ecce Deus vester. » O Judæi qui vobis repromissus est in lege et prophetis, et quem vos exspectabatis, jam venit. Jam nos redemit de laqueo mortis : tantum credite in eum. Et vos, o gentiles, credite in eum qui jam venit, hoc est in Jesum, quem vobis repromisit Jacob patriarcha, dicens : « Et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX). »

« Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur, » id est fortitudo ejus. Vox apostolorum de secundo Domini adventu : Ecce (inquiunt) Dominus Deus quem contempsistis, o Judæi et gentes, venientem in humilitate et in forma servi, veniet in potentia judicii. Sicut ipse dicit : « Cum venerit Filius hominis in potestate magna et majestate (*Luc.* XXI). » « Ecce merces ejus cum eo, » hoc est retributio bonorum, et damnatio reproborum. « Et opus illius coram eo, » id est judicii potestas, sicut ipse dixit : « Venturus est enim Filius hominis in gloria Patris sui, et reddet unicuique secundum opera sua (*Matth.* XVI). » Et iterum : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V). »

« Sicut pastor gregem suum pascet. » Vox Prophetæ de primo Domini adventu. Acsi diceret aliis verbis : Ille qui postea in majestate venturus est judicare universum orbem in æquitate, prius veniet in

forma pastoris, sicut ipse dicit : « Ego sum pastor bonus (*Joan.* x). » Ipse est enim pastor bonus qui nunc faciat electos suos per mentis contemplationem : tunc vero satiabit perfecta visione, primum docendo, post introducendo ad gaudia æterna. « In brachio suo, » hoc est, in fortitudine sua, « congregabit agnos, » id est colliget simplices, mansuetos, et innocentes, et noviter ad fidem suam venientes : non superbos et tumidos. « In sinu suo, » hoc est in protectione sua « levabit » subaudis electos suos ad cœlestia, qui innocentiam agni imitantur : « Fetas ipse portabit. » Per fetas oves, possumus intelligere apostolos et apostolicos viros, qui spirituales filios quotidie in Ecclesia pariunt sua prædicatione, exemplis et miraculis, et adhuc parturiunt salutem plurimorum, et dicunt cum Apostolo : « Filioli mei quos iterum parturio (*Gal.* IV). » Et iterum : « Per Evangelium, inquit, ego vos genui (*I Cor.* IV). »

« Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? » Pugillum contractis digitis pugnum dicimus. Palmus autem est extenta manus, per transversum a summitate pollicis, usque ad summitatem minimi digiti. Prædicta est igitur supra vocatio gentium, et retributio earum. Nunc vero, ne aliquis diffideret de vocatione illarum, his verbis magnitudo vocantis exprimitur. Quod autem pugillus Domino omnipotenti et palmus ascribitur, non est intelligendum quod ille qui spiritus est humana habeat officia membrorum : sed quædam est similitudo, ad exprimendam potentiæ ejus magnitudinem. Quis enim metiri potest omnes aquas, aut in pondere cœlum terramque redigere? Nullus nisi is qui ex nihilo omnia fecit. « Quis appendit tribus digitis molem terræ, » id est quis suspendit terram super nihilum, nisi potestas Trinitatis, Pater et Filius et Spiritus sanctus? « Et quis libravit, » id est suspendit « in pondere montes, et colles in statera, » id est in pondus redegit?

« Quis adjuvit spiritum Domini, » in creatione scilicet omnis creaturæ, quæ trina majestate est facta? Nullus. Ille enim qui dat fortitudinem fellis, nullius indiget auxilio. « Aut quis consiliarius ejus fuit (*Sap.* IX; *Rom.* XI), » id est Spiritui sancto, « et ostendit illi, » subaudis quid ageret? Nullus nisi Pater et Filius, quorum una est potestas, inseparabilis Deitas : et qui tres in personis, unum sunt in Deitate. Consiliarius est Spiritui sancto, qui illi dat salubre consilium, in quo habitat idem Spiritus sanctus.

« Cum quo iniit consilium » ille Spiritus sanctus qualiter operari debuisset, « et instruxit et docuit eum semitam justitiæ, » id est rectitudinem operationis, « et erudivit eum scientia, et viam prudentiæ ostendit illi? » Nullus. Prudentia est in appetendis bonis, et vitandis malis.

« Ecce gentes » idola colentes, vel omne humanum genus ad comparationem Dei, « quasi stilla situlæ » et quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Sicuti modica stilla a situla decidens a portante pro nihilo ducitur, « et sicut momentum stateræ » quod levi pondere in aliam partem declinatur : sic omnes gentes æternitati Dei comparatæ pro nihilo « reputantur. » Momentum a motu dicitur. Est autem momentum minima inclinatio libræ, et celerrima in aliquam partem, quæ fit ex parvo pondere. « Ecce insulæ » omnium terrarum quæ in fluminibus sunt, vel omnes gentes, ut per insulas gentes intelligamus, « quasi pulvis exiguus » comparatione Dei, qui in radio solis videtur, et potius sentitur in oculis quam videatur.

« Et Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia ejus ad holocaustum. » Ut revocet gentes ab idololatria, ideo talia loquitur. Libanus mons est miræ magnitudinis, uberrimis pascuis abundans : cujus ligna omnia et pecora ibi pascentia, non satis esse queunt Domini sacrificiis. Et est similitudo quædam. Acsi diceret aliis verbis : Etiam si omnia animalia immolaveritis, et ligna succenderitis ad comburenda holocausta, non sufficient ad placandam tantæ majestatis potentiam.

« Omnes gentes, » subaudis quæ sub cœlo sunt, « quasi non sint, sic sunt coram eo, » hoc est, in comparatione illius qui omnia implet.

« Cui ergo similem fecistis Deum » vivum, o gentiles, ex omnibus simulacris manufactis, « aut quam imaginem ponetis ei » ex omnibus diis vestris, qui spiritus est?

« Nunquid sculptile conflavit faber? aut aurifex figuravit illud » simulacrum auro, ut possit simile esse Deo qui ubique est? Acsi diceret : Nunquid sculpendo fecit eum aliquis, et non ipse qui omnia fecit a nemine est factus? Hæc vox Dei omnipotentis stultitiam gentium redarguit, ut recedant a cultura simulacrorum.

« Forte lignum, » id est durabile « elegit artifex sapiens » ut faciat inde deum suum. Ex lignis imputribilibus, et ex auro, et argento, aliisque metallis faciebant antiqui simulacra, ut longa per tempora durare possent. His verbis ostenditur, quod nullum robur sit in idolis ad Dei comparationem.

« Nunquid non scitis, » o gentes, per naturalem legem, et cognitionem, creaturarum me æternum, et idolum nihil esse? « Nunquid non audistis » legem quæ per Mosen data est? « Nunquid non annuntiatum est » ab initio vobis in libro Genesis capite decimo septimo, quod ego sum Deus solus vivus? « Nunquid non intellexistis fundamenta terræ, » subaudis quia super tenue elementum fundata sunt?

« Qui sedet, » id est qui habitat « super gyrum » hoc est super circuitum « et habitatores ejus, » id est terræ, sunt ad ejus comparationem sive angelorum « quasi locustæ. » Consideremus ab oriente usque ad occidentem, et a meridie usque ad septentrionem, omnia genera hominum inter hæc climata habitantia : et videbimus quia, ad comparationem Dei, qui omnia implet et ubique est, parva sunt et modica. « Qui extendit velut nihilum cœlos, »

subaudis subtilissimos, et tenuissimos, sicut fumum, « et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. » Sic sunt cœli a Deo parati, ut desuper habitet multitudo angelorum et hominum electorum : subtus vero multitudo hominum, quasi sub tabernaculo.

« Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, judices terræ velut inane fecit. » Scrutatores secretorum vocat philosophos, qui scrutati sunt statum vitæ præsentis, naturas animalium et arborum, terræ marisque. Judices vero terræ, reges et principes hujus sæculi intelliguntur : quos omnes ad nihilum redigit. Ubi est illa multitudo Hebræorum, quæ fuit in eremo? Ubi sunt tot reges, qui fuerunt cum exercitibus suis a primordio mundi usque nunc? Sic sunt quasi non fuerint.

« Et quidem neque plantato, neque sato, neque B radicato, » hoc est firmato « et in terra trunco eorum, » id est in præsenti vita statuarum « repente flavit in eos, et aruerunt, » hoc est, Christi sententia venit super eos, et mortui sunt « et turbo quasi stipulam auferet eos, » reges videlicet, et principes, ac potentes a statu vitæ præsentis, qui non habuerunt semper esse et posse : caro enim fuerunt. Quidam codices habent : Neque plantatus, neque radicatus truncus eorum : sed melius est ut dicamus per ablativum : neque sato, neque radicato. Sicut tempestas aufert stipulam, sic Deus omnipotens sua potentia tollit ab hac vita reprobos.

« Et cui assimilastis me, et adæquastis me, dicit Sanctus, » id est Deus? Allocutio increpativa, tam ad Judæos quam ad gentiles idola colentes. Cui as- C similastis me (inquit), o Judæi, vel gentiles ex omnibus diis vestris?

« Levate in excelso, » hoc est in cœlum, « oculos vestros et videte, » id est intelligite « quis creavit hæc » quæ ibi consistunt. Ut si aliter non vultis, per creaturam intelligatis Creatorem. « Qui educit in numero militiam eorum, » id est cœlorum, id est qui habet per numerum angelos et stellas; « et omnes » sanctos, vel stellas « ex nomine vocat, » subaudis ille creavit hæc. Militiam cœli duobus modis intelligimus, vel angelos, vel sidera. Psalmista enim de hoc dicit : « Qui numerat multitudinem stellarum (*Psal.* CXLVI). » Et Daniel : « Millia millium ministrabant ei (*Dan.* VII). » « Præ multitudine fortitu- D dinis et roboris ejus, » id est Dei omnipotentis, « neque unum » ex his quæ diximus « reliquum fuit, » id est alienum a numero ejus. Hic ostenditur quod Deus omnipotens omnia visibilia et invisibilia cognoscit, et cuncta in numero, et pondere, et mensura fecit.

« Quare dicis Jacob, » id est duæ tribus « et loqueris Israel, » hoc est decem tribus, « abscondita est via mea a Domino, et a Deo meo judicium meum transivit? » Quando Propheta hæc loquebatur, decem tribus jam ductæ erant in captivitatem, et duæ a huc morabantur in terra repromissionis. Et quod illæ decem dicebant ductæ in Assyrios, et duæ dicturæ erant, quando in Babylonem ducendæ erant : A hoc prædicebat Propheta. Dicebant enim : Abscondita est via mea a Domino, hoc est, non videt justitiam meam, et bona opera. Et a Deo meo judicium meum transivit, id est, non juste me judicavit : quia permisit me duci in captivitatem, cum ego bona fecerim. Et est sensus : Ad Deum terrena non pertinent, et sedens in cœlo non considerat quid unusquisque nostrum faciat : ideoque nos injuste ab hostibus opprimimur. Et sicut pisces in aquis huc illucque natant, et sicut bestiæ et animalia hac illacque discurrunt, non habentes pastorem neque rectorem, sic nos positi in terram non habemus qui nos regat et defendat, quia non est Domino cura de nobis : insuper nec nos videt.

« Nunquid non scitis » id est, non creditis, « aut non audistis » in Scripturis « Deus sempiternus » unus « Dominus qui creavit terminos terræ » ex nihilo « non deficiet, » ut homo, quia spiritus est, « neque laborabit, » quia omnium creaturarum Dominus est, et omnia continet, omniaque sua majestate dispensat! « nec est » cuilibet mortalium « investigatio sapientiæ ejus, » quia omnia novit. Et quomodo tu dicis, quod judicium non intelligit, et viæ tuæ absconditæ sunt ab eo. « Qui dat lasso » homini « virtutem, » subaudis fidei, vel vires corporis. « Et his qui non sunt » in malitia, ut quondam « fortitudinem » bonæ operationis. Nam Deus omnipotens tantæ fortitudinis est, ut non solum ipse non indigeat alterius auxilio : sed etiam in se sperantibus fortitudinem omnibus tribuit. « Deficient pueri et laborabunt, et juvenes in infirmitate cadent : » lætatur homo in puericia, et juventute, et sanitate, sed laborat in infirmitate et senectute, et cito decidet. Deus autem qui æternus semper est et semper esse habet, nihil horum patitur, quia unus idemque semper est et immutabilis. Allegorice autem : illi qui non sunt in fide solidati et pueriliter vivunt, deficient et laborabunt, id est, in præsenti labor erit eis præsens cura, et corruent post ex toto damnati.

« Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. » Notandum quod non dicit perdent fortitudinem, sed mutabunt : hoc est fortitudinem peccati mutabunt in fortitudinem bonæ operationis. Qui enim non in suis viribus habent fiduciam, sed spem, subaudis in Deo, et ejus misericordiam præstolantur, illi sine dubio mutant fortitudinem. Quia sicut fuerunt fortes ad perpetranda mala, ita tunc fortes ad peragenda bona, et toleranda adversa pro nomine Christi. Sic legimus multos sanctos egisse. Ponamus, verbi gratia, unum ex multis Paulum quondam fortissimum persecutorem, postmodum vero fortissimum prædicatorem. Qui quanto amplius fuit fortis primum ad persequendos electos, tanto postea exstitit ferventior ad prædicandum gentibus, et vocandum eas ad fidem. Aliter : qui sperant in Domino, hoc est in spe æternæ beatitudinis, mutabunt fortitudinem post mortem carnis, facti incorruptibiles.

« Assument pennas sicut aquilæ, » hoc est innovationem futuræ vitæ, vel possibilitatem, ut possint

obviam ire Domino in aera. Dicunt doctores : Quia natura est aquilæ ut senio confecta cum non possit prædam capere, incurvato rostro et contractis ungulis, accensa ira tandiu scilicet dura et alta atterit rostrum, ut solummodo vestigium maneat. Atque ita pili sui, et omne innovatur corpus, et plumæ illius : sic sancti qui se hic attriverunt mortificando seipsos, innovabuntur per incorruptionem, contemplantes solem justitiæ Christum : sicut solem aquila irreverberatis oculis. Et cum ad terminum vitæ venerint, tunc incipiunt vivere, cum videntur finire vitam. « Current » migrando ad Christum, « et non laborabunt » quia visio sanctæ Trinitatis erit eis omnia. « Ambulabunt » de virtute in virtutem « et non deficient » in æternum victuri cum Domino.

CAPUT XLI.

« Taceant ad me insulæ, et gentes mutent fortitudinem. » Vox Dei. Tale quid in Exodo legimus : Audi Israel, et tace. Insulæ dicuntur eo quod in salo, hoc est in mari, sint positæ. Et insulas debemus intelligere gentes, quæ a salsis amarisque fluctibus hujus sæculi tunduntur. Taceant, inquit, insulæ ad hoc ut audiant me primum, hoc est gentes per apostolos. « Et mutent fortitudinem. » Quomodo debent mutare gentes fortitudinem? Eo modo quo superius diximus, ut qui fortes fuerunt in malo, sint fortiores ad bona opera peragenda. Beatus Gregorius dicit aliam esse fortitudinem electorum, aliam reproborum. Fortitudo electorum est vincere concupiscentiam carnis, libidinem videlicet, appetitum terrenarum rerum, aliaque vitia. Et si necessitas se opposuerit, pro Christi nomine tormenta mortis libenter sufferre. Fortitudo autem reproborum est, homicidia adimplere, per rapinam aliorum bona auferre et insuper pro lucris temporalibus mortis periculo se opponere. « Accedant, » subaudis gentes ad me credendo, « et tunc loquantur » id est quod crediderunt aliis prædicent. « Similiter ad judicium properemus » ut discernant inter me factorem suum, et idola ab illis manufacta : et disputent, utrum omnium Deus juste omnia agat.

« Quis suscitavit ab Oriente justum, » hoc est Christum? Vox Dei Patris, sua interrogatione gentes docentis quod ignorant. Ab Oriente Deus Pater suscitavit Dominum nostrum Jesum Christum, quia in Orientis partibus Judæa consistit, in qua illum primum incarnari constituit. « Vocavit eum ut sequeretur » id est, ut ejus voluntati pareret. Secutus est Filius Patrem, quia in omnibus voluntati ejus paruit. Et quidquid egit, omnia ad gloriam illius retulit, et peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Suscitavit etiam eum ab Oriente (*Isa.* xv) : quando in ipso terræ Judææ loco fecit eum resurgere a mortuis, et perduxit nomen illius per apostolos in omnes gentes, et fines orbis terræ. Vocavit etiam tertia die de sepulcro, secundum illud quod psalmo quadragesimo quarto Psalmista ipse dicit ad Filium : « Exsurge gloria mea (*Psal.* xviii), » et cætera. Secutus est enim Filius, quia voci ejus obediens tertia die a mortuis resurrexit, secundum quod Patri respondit : Exsurgam diluculo. « Dabit. » Deus subaudis Pater « in conspectu ejus, » id est Filii, « gentes » et populos, videlicet, qui in eum credituri sunt « et reges obtinebit » per prædicationem apostolorum suorum. Multi enim reges et principes prædicantibus apostolis ad fidem Domini venerunt. « Dabit » Deus Pater omnipotens « gladio ejus, » hoc est doctrinæ evangelicæ Filii sui, contrarias potestates « quasi pulverem, sicut stipulam raptam a vento dabit arcui ejus, » hoc est potestati illius omnes adversarios ejus. Evangelica doctrina gladius est, et verbum prædicationis, quæ secat dividit suos observatores a collegio reproborum. De hoc gladio dicit Apostolus : « Et gladius, quod est verbum Dei (*Ephes.* vi). »

« Persequetur eos, » reges videlicet et principes gentium, qui in eum credere noluerunt; « transibit in pace » de mundo ad Patrem, vocans cunctos ad pacem, ut reconcilientur Deo : « semita in pedibus ejus non apparebit, » id est, laborem viæ non sentiet, nec aliquam imbecillitatis humanæ lassitudinem.

« Quis operatus est hæc et fecit? » Hoc est ea quæ superius diximus. Quis videlicet reges et principes tradidit arcui, et gladio Filii Dei? « Et quis vocavit » ab Oriente justum « vocans generationes, » subaudis ad fidem « ab exordio mundi? » Utique ille, qui cunctis tacentibus sibimetipsi respondit, dicens (*Infra.* xliv, et xxviii) :

« Ego Dominus primus, » id est ante quem nullus, « et novissimus » post quem nullus, « Ego sum » qui hæc omnia futura prædixi et opere adimplevi. Iste est qui in Apocalypsi Joannis loquitur : « Ego sum Alpha et Omega, hoc est principium et finis (*Apoc.* i et xxii). »

« Viderunt » Deum per fidem « insulæ, » id est gentes Ecclesiæ, quæ mundi hujus sustinent tempestates, « et timuerunt » eum quia initium sapientiæ timor Domini. Et sine timore difficile aut nullatenus virtutes custodiuntur. « Extrema terræ obstupuerunt, » subaudis audientes prædicationem apostolorum. In omnem enim terram exivit sonus eorum; « appropinquaverunt, » subaudis ad Deum per fidem « et accesserunt » gentes non loco sed merito, quia longe erant ab illo.

« Unusquisque » subaudis credentium « proximo suo » hoc est fratri suo credenti « auxiliabitur, et fratri suo dicet : « Confortare » in fide Christi. Gentilis quispiam conversus ad fidem Christi, confortatus est jam in illo. Ferramentum adhuc non pleniter solidatum, in Deo confortabitur.

« Confortavit faber ærarius percutiens formam simulacris malleo, qui cudebat tunc temporis » quando idola colebant « dicens : Glutino » hoc est, solidamento « bonum est, » istud glutinum, « et confortavit eum » subaudis Deum suum in « clavis ut non moveatur » subaudis si venerit ventus. Et sensus hujus versiculi talis est : Ille qui perfectus fuerat in fide, auxiliatur fratri suo dicens : Vides ista idola, frater, certe

non sunt dii : sed opera manuum hominum surda et muta, confortare in fide Dei vivi et veri.

« Et tu Israel, serve meus Jacob, quem elegi semen Abraham amici mei, in quo, » id est, in Abraham « apprehendi te. » Judæi hoc de se intelligunt, eo quod ex semine Abrahæ recesserint : sed melius est ut ad spiritualem Israel illud referamus, hoc est ad apostolos qui ex semine Abrahæ propagati sunt. Blandientisque affectu alloquitur ipsum chorum apostolorum dicens : Et tu Israel serve meus. Prophetia non servat ordinem historiæ. Post vocationem enim gentium quædam viderunt insulæ, et timuerunt. Vocantur et apostoli, et confortantur ab illo (*Matth.* x). De istis loquitur et Evangelium, quia elegit duodecim discipulos quos apostolos nominavit (*Luc.* VI). Et notandum, quia primum vocantur servi, deinde in amicitiam introducuntur. Antea enim accepimus spiritum servitutis in timorem, et postea electi in amicitiam Dei jungimur. Semen Abrahæ vocantur, quia non solum secundum carnem de illius origine descenderunt : sed quia fidem Abrahæ habuerunt, et obedientes Deo exstiterunt. In illo, hoc est in Abraham, apprehendit eos ab extremis terræ, et a longinquis ejus finibus vocavit eos : quia de universis nationibus congregavit Judæos in quibus dispersi erant, et multi ex eis per prædicationem apostolorum crediderunt. Tibi autem, o chorus apostolorum, qui es servus meus et electus meus, qui prædicaturus es gentibus et persecutiones plurimas pro nomine meo passurus, dico :

« Ne timeas » a facie persecutorum « quia tecum sum ego » sicut dixi tibi in Evangelio : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » « Ne declines a me, quia ego Deus tuus, » subaudis sum veritas et vita. Non erres, ne te falsa persuasio decipiat, quod tuis viribus peritus sylvam gentium penetres, et ferocissimas nationes ad mansuetudinem Evangelii voces (*Joan.* XIV). « Confortavi te, et auxiliatus sum tui » o chorus apostolorum : « et suscepit te dextera justi mei, » id est, potentia Filii mei confortavi te.

« Omnes, » subaudis Judæi sive gentiles « qui pugnant adversum te, erunt quasi non sint, quia peribunt » a facie vestra.

« Ego Dominus apprehendens manum tuam, » id est operationem tuam, et ego adjuvi te, pro eo quod est adjuvabo te.

« Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel » subaudis peccato. Vermis appellatur chorus apostolorum propter humilitatem, imitans illum qui dicit in psalmo : « Ego autem sum vermis, et non homo (*Psal.* XXI). » Sicut enim vermis terram penetrat, ita sermo apostolicus gentium corda penetravit. Mortui sunt ex illis peccato, qui dicunt cum apostolo : « Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres (*I Cor.* XV). » Et : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* II). » « Posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia. » Sæpius jam supra dictum est, quid sit plaustrum triturans, et quare habeat rostra serrantia. Altiori vero intelligentia hoc significat, quia prædicatio apostolorum conterit contrarias potestates, et spiritualem nequitiam elevantem se contra scientiam Dei. « Triturabis montes, et colles comminues. » Per montes, reges et potestates istius sæculi designantur, sicuti per colles minoris potentiæ et dignitatis principes, qui propter lucra temporalia in superbiam eriguntur. Possumus etiam dicere, quod ecclesiasticus vir habet evangelicæ prædicationis rostra serrantia, ut conterat incredulorum durissima corda.

« Et ventilabit eos, » separans triticum a paleis, id est, omnes electos ab hæreticorum conjunctione. « Et ventus tollet eos, » id est, ipsorum superbia interficiet eos. « Et tu exsultabis in Domino » cum videris dæmones egredi, et humiles corde exaltari ad culmina virtutum. Valde enim gavisi sunt apostoli, cum per prædicationem suam viderunt gentes ab errore ad fidem converti.

« Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt : lingua eorum siti aruit. » Gentiles appellantur egeni et pauperes, quia non habebant legem, et prophetas nec apostolos, neque aliquem doctorem qui eos ad gaudia patriæ cœlestis invitaret, et qui eis panem spiritualem porrigeret. Egeni gentiles et pauperes quærunt aquas, id est doctrinam spiritualem, a suis philosophis, et non sunt in illis doctrinæ spirituales. Ideoque lingua eorum siti aruit sine lege ac prophetarum oraculis. Propterea Dominus Deus Israel non eos penitus dereliquit, nec in æternum passus est sitire : sed aperuit in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes. Colles in isto loco in bonam partem intelliguntur.

« Aperiam in supinis » hoc est in inquinatis, vel humilibus gentibus, « flumina, » hoc est doctrinam Veteris et Novi Testamenti. Aperuit Deus omnipotens in humilibus hominibus scientiam divinorum eloquiorum, ut fuit Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, cæterique doctores qui nobis mysteria divina patefecerunt, sumentes aquas ab illo qui dixit per Jeremiam : « Me derelinquerunt fontem aquæ vivæ (*Jer.* II), » id est, dona gratiæ Spiritus sancti. De hoc etiam flumine dicit Psalmista : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : » et « flumen Dei repletum est aquis » (*Psal.* XLV *et* LXIV). Quod autem dicit « et in medio camporum fontes, » idipsum est ut superius diximus. « Ponam desertum » hoc est gentilitatem « in stagna aquarum, » id est influentia Scripturarum « et terram inviam in rivos aquarum. » Terra invia appellatur gentilitas, quia, ante adventum Filii Dei, nullus fuerat ad eam missus propheta, nullus apostolus : et non erat in illo qui dixit : « Ego sum via, et vita, et veritas (*Joan.* XIV). » « Dabo in solitudine myrtum, et spinam, et lignum olivæ. » Postquam datæ sunt in deserto vel in solitudine gentium aquæ, cœperunt arbores ibi oriri. Videamus quid nobis innuant istarum arborum nomina. Cedrus arbor est miri odoris et imputribilis, per quod significantur sanctissimi viri miracula patrantes, in æternum victuri, et bo-

num odorem reddentes ; qui dicunt cum Apostolo : « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II Cor.* II). » Quod autem addit spinam, in Septuaginta habetur seta : Est autem seta arbor similitudinem albæ spinæ habens, miræ levitatis et miræ fortitudinis, miræque pulchritudinis exsistens et imputribilis, ex cujus ligno Arca fabricata est. Unde et regio, sive terra in qua nascitur, Sethim appellatur. Spina primo parenti nostro data est pro pœna, dicente Domino : « Terra tua spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.* III). » Sed postea gentilitati data est pro gloria. Quid ergo per spinam quæ pungit, nisi prædicatores sancti in isto loco intelliguntur : quia illorum peccata non palpant, sed manifeste redarguunt. Cum ergo quilibet sanctus prædicator disputat de vitiis et virtutibus, de pœna reproborum et gloria electorum, auditorum suorum corda quibusdam punctionibus stimulat, provocans eos ad compunctionem pœnitentiæ. « Myrtum. » Myrtus aromatica arbor est et imputribilis. Cujus succo membra fessa solidantur et reparantur, per quam designantur sancti prædicatores, qui sua prædicatione et consolatione infirmorum corda ad bona opera agenda confirmant et solidant, dicentes cum Apostolo : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt (*II Cor.* I). » « Lignum olivæ. » Eleos Græce, dicitur misericordia ; et per lignum olivæ intelliguntur eleemosynarii, qui lucidi sunt ex misericordia sicut oleum. Misericordia nostra est esurientem pascere, sitientem potare, nudum vestire, et in omni tribulatione et angustia fratri subvenire, inscium docere (*Matth.* XXV), et alia hujuscemodi. De istis talibus dicit Dominus : « Beati misericordes, quoniam ipsi Deum videbunt, et misericordiam consequentur : Et esurivi, et dedistis mihi manducare (*Matth.* V). » « Ponam in deserto gentium abietem, ulmum et buxum simul. » Abies arbor est miræ altitudinis, ex qua pix conficitur. Quid ergo per abietem cujus caput pene usque ad nubes assurgit, nisi prædicatores sancti, qui adhuc positi in terra corpore, mente cœlestia possident? dicentes cum Apostolo : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III). » Ulmus arbor est infructuosa. Solet tamen aliquando vitem gestare cum botro, significanturque per ulmum divites istius sæculi, qui officium prædicandi non habent, miracula non faciunt, nisi tantummodo fidem simplicem habentes, suis operibus et divitiis sustentant illum qui verbum prædicationis et sibi et aliis administrat, et insuper ab incursione hostium, si necesse fuerit, tuentur. Buxus arbor est humilis, viriditate gaudens : et dicunt aliqui quod imputribilis sit. Per buxum ergo significantur sancti qui humilitatem Domini sectantur, et viriditate fidei pollent, ipsamque viriditatem fidei quam habent, floribus bonorum operum adornant. Hæc omnia quæ diximus, si bene perpendimus, in sancta Ecclesia inveniemus. Et quare hoc dedit Dominus in deserto gentilium ?

A « Ut videant » illi qui imperfecti adhuc sunt, cedrum, hoc est et clarissimis sanctorum miraculis et odore virtutum coruscantes, « et sciant, quia Dominus fecit » hoc est, cedrum dedit in solitudinem, « et recogitent » hoc est et reducant in memoriam miracula et bona opera illius « et intelligant pariter, » id est intelligentes imitentur illum, verbi gratia : Videntes cedrum, hoc est quemlibet sanctum miraculis coruscantem, et bonum odorem ex se reddentem : studeant quantum valent cum Dei adjutorio illum imitari. Similiter videntes abietem, id est quemlibet sanctum in terram morantem corpore, et mentis contemplatione ad cœlestia anhelantem, imitentur illum despicientes terrena et superna appetentes.

B « Prope facite judicium vestrum, dicit Dominus, afferte, si quid forte habetis, dicit rex Jacob. » Quomodo diximus duplicem esse Jacob et Israel, non credentium videlicet, et credentium in Dominum salvatorem : ita duplex intelligenda est gentilitas : in credentibus et non credentibus. Loquiturque in isto loco sermo divinus ad eos, qui ex gentibus in Dominum credere noluerunt per prædicationem apostolorum, et provocantur ad judicium, quare noluerunt videre et scire et recogitare ac intelligere, quia manus Domini, id est potestas et fortitudo illius, fecit crescere in solitudine cedrum, ut imitarentur illam cæterasque arbores, per quas significantur ordines electorum. Prope facite, (inquit) judicium vestrum, dicit Dominus, id est, appropinquate ad judicium, et C judicemur simul. Quid est quod debui vobis facere et non feci? Ego dedi in solitudine cedrum, hoc est virum præclarum, miracula patrantem, et bonum odorem de se reddentem, et noluisti imitari illum. Afferte, si quid forte (subaudis) idolum habetis, dixit rex Jacob. Accedant (inquit) idola vestra fortissima, in quibus confiditis, vel, afferte unum quod fortius omnibus est, et judicemus quis debeat coli. Ego qui feci vos et redemi, an qui factus est a vobis ?

« Accedant » idola vestra « et nuntient nobis quæ futura sunt, » vel de adventu Filii mei, vel de redemptione gentium, et expulsione sua. « Prima quæ fuerunt annuntiate, et ponemus cor nostrum, D et sciemus novissima eorum. » Apostropham facit ad idola, quæ nec audiendi, nec respondendi facultatem possident, sed insensibilia sunt. O idola, si potestis priora annuntiare, hoc est quomodo vel qualiter ego et Filius meus cum sancto Spiritu omnia fecimus ex nihilo. « Et futura, » adventum videlicet Filii mei, et vocationem gentium, et vestram expulsionem a cordibus hominum annuntiate, et ponemus cor nostrum, id est voluntatem nostram, ut vos habeamus pro diis veris, et sciemus novissima eorum, hoc est cum annuntiaveritis nobis priora, tunc sciemus novissima eorum, id est ad quam fidem perveniant.

« Quæ ventura sunt indicate nobis, » o idola, hoc est, adventum Filii mei, et cætera quæ superius dicta

sunt. « Bene quoque aut male (si potestis) facite, » o idola, « et loquamur, et videamus simul » quis Deus coli debeat ab hominibus. His verbis ostenditur, quia post adventum Filii Dei omnia idola conticuerunt, et nihil de Christo potuerunt prædicere, nihilque de ruina et subversione suorum templorum. Si enim non potuerunt suum interitum prædicere, quomodo aliis mala vel bona potuerunt nuntiare? Aliud quoque signum est, idola deos non esse, quod nec bene possunt facere, nec male. Non quod idola, vel dæmones assidentes idolis, mala sæpe non fecerunt, sed quia nisi potestas concessa eis fuerit a Domino, hoc facere non possint. Dæmones enim ingrediebantur in simulacris, et, Domino permittente, sæpe futura prædicebant. Maxime vero talia dabant responsa, ut dupliciter posset intelligi. Ut est illud :

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

« Loquamur simul, » id est, sicut ego loquor futura, ita loquantur et illi.

« Ecce vos estis ex nihilo, » o idola, subaudis, quia ab hominibus facta estis qui nihil sunt. Paulus apostolus dicit : « Quia idolum nihil est, et fabricatores idolorum nihil sunt (*I Cor.* VIII). » Ut in Psalmo habetur : « Similes illis fiant qui faciunt ea (*Psal.* CXXXIV), » hoc est nihil sunt idola, et quantum ad cultum pertinet, qui faciunt ea nihil sunt. « Et opus vestrum, » hoc est idola, « ex eo quod non est, » id est, hoc quod in deos fabricati estis, nihil est, quia non sunt dii. Possumus etiam hoc referre ad idola, quod dicit : Ecce vos estis ex nihilo : sicut dictum habemus, et hoc quod dicit opus vestrum ex eo quod non est, ad cultores idolorum, quantum pertinet ad materiam unde idola fiebant, videlicet aurum vel aliud hujusmodi, aliquid erat, sed ipse cultus nihil erat. Insuper et ad comparationem auri et æris, vel illius unde fiebant, nihil erat. « Abominatio est, qui elegit vos, » hoc est abjectio et detestatio, ille homo, qui conflavit vos, o idola.

« Suscitavi ab aquilone, veniet ab ortu solis. » Vox Dei Patris. Aquilo est ventus frigidus et contrarius, et significat diabolum. Suscitavit ergo Deus Pater gentiles ab aquilone degentes, hoc est qui frigus erroris patiebantur, quorum corda non ardebant amore dilectionis Dei et proximi. Et veniet, subaudis Christus ab ortu solis, in quem credent. Ab ortu solis venire dicitur, quia Judæa in Orientis partibus est. Ille veniet ab ortu solis, de quo supra dictum est : « Qui suscitavit ab Oriente justum (*supra*, IX); » et alio loco : « Ecce vir oriens nomen ejus (*Zach.* VI). » Ideoque suscitabit gentes de infidelitate ad fidem, ut credant in eum, qui venit ab ortu solis. Et quare dicit Dominum venire ab ortu solis ad gentes, cum ipse non prædicaverit gentibus? Venit quidem per apostolos suos, quia omnia quæ apostoli operati sunt, per ipsum et in nomine ejus et in laudem ejus fecerunt. Et nisi ipse venisset et illuminasset corda gentium, in vanum expenderent prædicationem suam. « Vocavit nomen meum, » subaudis, ille qui veniet ab ortu solis, « et addu-

A cet, » id est rediget « magistratus quasi lutum, » hoc est, principes hujus mundi vel dæmones, qui magisterium tenebant super genus humanum. « Et velut plastes conculcans humum. » Plastes est figulus, fabricator arcuum. Sicut figulus conculcat lutum, et humum ad componendas ollas : sic Dominus Jesus in suo adventu conculcavit et redegit ad nihilum omnem potentiam istius sæculi : ut faceret exinde quoddam vas in honorem, quoddam in contumeliam.

« Quis annuntiavit ab exordio ut sciamus et a principio, » creaturarum prædixit futura « ut dicamus quia justus est. » Et est sensus : Quis Deus fuit in gentibus, ut annuntiaret adventum Filii Dei? Si est aliquis Deus qui hæc fecerit, dicemus quia justus B est. « Non est enim neque annuntians » tempora præterita « neque prædicens » futura ex omnibus diis vestris : « neque audiens sermones vestros, » quia muti et surdi sunt. Hoc est quod jam superius diximus, quia post adventum Domini et postquam fides ejus cœpit dilatari per orbem, dæmones quæ responsa ante soliti erant dare, conticuerunt.

« Primus ad Sion dicet : Ecce adsum, et Hierusalem evangelistam dabo. » Per Sion (quæ intrepretatur speculum sive speculatio) et per Hierusalem (quæ interpretatur visio pacis) significatur chorus prædicatorum, et universalis Ecclesia. Primus, hoc est primogenitus meus Filius, dicit ad Sion, id est, ad sanctos apostolos et prædicatores : Ecce adsum, o apostoli mei, et Hierusalem evangelistam C dabo, hoc est sanctos qui erunt in Ecclesia, dabo, ut sint prædicatores et annuntiatores veritatis. Evangelista dicitur bonus interpretator, et posuit unum pro multis.

« Et vidi ego » Deus omnipotens « et non erat neque ex istis, » subaudis simulacris vel dæmonibus « quisquam, qui iniret consilium, » hoc est qui intraret in consilium, « et interrogatus » a cultoribus suis, « responderet verbum. » Licet enim interrogaretur, non tamen poterat respondere.

« Ecce omnes, » subaudis cultores idolorum, « injusti. » « Et vana opera eorum, » id est, cultus eorum velut « ventus et inane simulacrum eorum, » hoc est inutile.

CAPUT XLII.

D « Ecce servus meus, suscipiam eum. » Vox Dei Patris de Filio. Dominus Jesus Christus Deus et homo est. In quantum ad divinitatem pertinet Deus est, coæternus et consubstantialis Patri. Secundum humanitatem vero servus appellatur, quia minoratus est paulo minus ab angelis. Servus etiam vocatus est, quia « cum in forma Dei esset, humiliavit se formam servi accipiens (*Philip.* II). » Deus omnipotens Pater servum, videlicet Dominum nostrum Jesum Christum quadragesimo die resurrectionis suscepit, elevans eum supra omnia sidera et super omnes cœlos, et collocans in dextra majestatis suæ. « Electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. » Electus est Deo Patri Dominus Jesus, sicut tem-

pore baptismatis et etiam in monte vox protulit missa a Patre : « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui (*Matth.* III), » id est, in quo placitum meum posui. Electus est, quia in illo est omnis plenitudo virtutum (*Col.* I *et* II), imo ipse est Dei virtus et Dei sapientia. Deus Pater omnipotens non habet animam, sed pro voluntate in hoc loco posuit. Et hoc est quod dicit, complacuit sibi in illo anima mea, hoc est, complacuit voluntati meæ, ut habitaret in illo. « Dedi spiritum meum super eum, » vel a die conceptionis, sicut dixit angelus Mariæ : « Spiritus sanctus superveniet in te (*Luc.* I). » Vel etiam tempore baptismatis, quando in specie columbæ super eum requievit. « Judicium gentibus proferet » quod antea ignorabant. Quare non dicit et Judæis, cum potius ipse per semetipsum judicium illis et justitiam nuntiaverit ? Quia Judæi pro nihilo duxerunt ejus prædicationem, et pauci eorum in eum crediderunt. Gentes autem postquam errorem suum ab apostolis audierunt, quanquam Dominum præsentem non vidissent, credere in eum et converti a via sua mala moram non fecerunt.

« Non clamabit, » id est, non sublevabit in altum vocem suam, quia erit mitis et mansuetus. Sicut alio loco scriptum est (*infra*, LIII) : « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et velut agnus coram tondente se, obmutescet. » « Neque accipiet personam, » subaudis in judicio, sed justum judicium judicabit. « Neque audietur foris vox ejus, » subaudis a Judæa vel Galilæa. Licet enim legimus prædicasse eum et appropinquasse terminis Tyri et Sidonis et Cæsarææ Philippi, quæ civitates erant gentium, nusquam invenimus scriptum ingressum esse in civitates vel regiones : sed in Judæa et Galilæa, et maxime circa Hierusalem.

« Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet. » Per calamum, qui extrinsecus est nitidus et intrinsecus vacuus, possumus intelligere regnum Judæorum : quod in scribis et pharisæis extrinsecus per simulationem nitidum erat, intrinsecus autem vacuum a bono opere. Vel etiam nitidum, quia idola non colebat illo in tempore : sed vacuum quia fidem non habebat. Per linum fumigans ex quo sacerdotalia vestimenta fiebant, significatur sacerdotium Judæorum, quod jam deficiebat, et quasi fumigabat. Veniens ergo Dominus, et inveniens regnum Judæorum conquassatum (jam enim ex se regem non habebant, sed alienigenam) et sacerdotium eorum jam exstinctioni proximum non contrivit, neque exstinxit, sed vocavit omnes ad pœnitentiam, dicens : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* XII). » « In veritate educet judicium, » subaudis in die judicii, quando reddet unicuique secundum opera sua. In die enim judicii sola Filii persona apparebit. Et qui damnatus est injuste, reddet unicuique justo examine secundum quod gessit, sive bonum sive malum.

« Non erit tristis, neque turbulentus. » Omni tempore hilaris, semperque jucundus exstitit. « Donec ponat in terra judicium, » hoc est, in die judicii super terrenos homines. « Et legem ejus insulæ exspectabunt. » Manifestius habetur in Septuaginta interpretibus : Et in nomine ejus gentes sperabunt legem. Non debemus accipere legem Moysi, sed legem Evangelicam. Quare insulæ gentes vocentur, superius dictum est. « Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos » cum non essent, « et extendens » habitationem angelorum. « Firmans terram » super tenuissimum elementum, « et quæ germinantur ex ea, » subaudis creans, « dans flatum » hoc est, animam, « populo qui est super eam. » De hoc flatu dicitur in Genesi, quia « insufflavit Deus in faciem Adæ spiraculum vitæ (*Gen.* II), » id est, animam dedit ei, « spiritum calcantibus eam, » subaudis terram. Hoc de sancto Spiritu est intelligendum. Illi enim merentur Spiritum sanctum accipere, qui terrena desideria calcant, et sapientiam carnis suæ subjiciunt potestati. Ambiguum erat, quis superiora dixerat de adventu Filii Dei, quod est : Ecce servus meus, suscipiam eum, et cætera quæ ibi dicuntur : ideoque universitatis creatorem et Dominum manifestius ostendit ita dixisse, cum subjunxit : Hæc dicit Dominus Deus creator omnium rerum. Hoc etiam sciendum est, et dicendum illo in loco ubi dicit, dans flatum populo : quia sicut in principio creaturarum animam creavit ex nihilo, quam dedit primo homini (*Gen.* I) : ita quotidie creat novas animas, quas tribuit nascentibus hominibus.

« Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam. » Ille qui omnia quæ superius diximus fecit, alloquitur Filium suum, dicens : Ego Deus Pater vocavi te ex Oriente in Occidentem, hoc est, de Judæa in omnes gentes, in justitia, id est, cum justitia per prædicationem apostolorum, et apprehendi manum tuam, id est, suscepi operationem. Omnia quæ operatus est Filius, Pater per ipsum operatus est, sicut ipse dicit : « Pater in me manens, ipse facit opera (*Joan.* XIV). » « Et servavi te, » hoc est, a morte revocavi te ad vitam, quia tu omnia conservasti quæ a me audisti. « Et dedi te in fœdus populi Israel, » id est, in societatem amicitiæ Judaici populi, in eis scilicet qui in te credere voluerunt, quibus te venturum ante promiseram. « In lucem gentium, » subaudis, qui in tenebris infidelitatis, et in umbra mortis sedebant.

« Ut aperires oculos cæcorum, » qui antea Dominum non videbant, « et educeres de conclusione, » subaudis, peccatorum, « vinctum » populum gentilem. Funibus enim peccatorum suorum unusquisque constringitur, sicut Salomon dicit Sap. XVII. Et in Evangelio, mulierem quam Satanas vinxerat, Dominus solvit (*Matth.* XV). « De domo carceris » subaudis, educeres « in tenebris sedentes » qui in

nocte erroris et infidelitatis, et caligine peccatorum positi erant.

« Ego Dominus. Hoc est nomen meum, » subaudis, ut Dominus vocer ab omnibus, quia dominor omni creaturæ. « Gloriam meam alteri non dabo. » Non excludit Filium a gloria sua, quia ipse Filius dicit in Evangelio : « Clarifica me, Pater, (id est, honorifica me, Pater) apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset (*Joan.* XII, XVII). » Non enim dixit, gloriam meam nulli dabo ; quia si dixisset, exclusisset utique Filium : sed gloriam meam alteri non dabo, subaudis præter te cui dedi, et cui daturus sum. Sic enim respondit Filio, ad ea quæ dixerat Filius : Et glorificavi, et iterum glorificabo. Ut sciamus plenius per hanc sententiam non excludi Filium a gloria Dei Patris, sed idola, sequentia verba testantur. « Et laudem meam » inquit « sculptilibus » subaudis, non dabo.

« Quæ prima fuerunt ecce venerunt, nova quoque ego annuntio. » Quæ fuerunt illa prima quæ locutus est? Per patriarchas, per Mosen, cæterosque prophetas, de adventu videlicet suo. Novam autem vocat prædicationem Evangelii, vocationem gentium, novitatem fidei. Et est sensus : Quæ locutus sum per prophetas de nativitate mea, de prædicatione, de miraculis meis, de passione, de resurrectione, universa completa sunt. Nunc autem annuntio vobis nova, vocationem gentium, reprobationem Judæorum, et subversionem Hierusalem. « Antequam oriantur, audita vobis faciam. » Ideo annuntio vobis nova, ut quemadmodum priora cernitis rebus expleta : sic et ea quæ nunc prædico, credatis esse ventura.

« Cantate Domino canticum novum. » Qui sunt isti quibus præcipitur cantare Domino canticum novum? Apostoli, et apostolici viri. Canticum autem novum, evangelica prædicatio est. Præcipitur autem apostolis sanctis et prædicatoribus sanctis, ut cantent canticum novum, doctrinam scilicet Evangelii prædicent nequaquam in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus. Nec solum in veteri instrumento, sed etiam in novo. « Et laudem ejus resonent ad extrema terræ, » hoc est, universo mundo annuntient laudem nativitatis ejus, passionis, resurrectionis, ascensionisque ad cœlos. « Qui descenditis in mare, et plenitudo ejus, insulæ et habitatores earum, » subaudis cantate canticum novum, laudesque ejus narrate. Qui sint illi qui canere debeant, Evangelii sequentia manifestant. Qui descenditis, inquit, in mare, et navigatis illud (*Matth.* IV). Apostoli in littore juxta mare Genesar retia sua reficiebant, quando a Domino vocati sunt. Et post ascensionem Domini per adversa maria transierunt ad gentes (*Rom.* XV). Et quidam de Hierusalem usque Illyricum prædicaverunt Evangelium, et usque Hispaniam, capientes in brevi tempore sua prædicatione multa genera hominum ipsam quoque Romanæ urbis potentiam, ut impleretur illud quod Dominus eis dixit : « Venite post me, et faciam vos piscatores hominum. » Vel etiam per mare possumus intelligere hunc mundum, in quem illi descenderunt, audientes a Domino : « Ite in mundum universum, prædicate Evangelium (*Marc.* XVI). » Illi autem euntes descenderunt in mare, hoc est, in mundum gentium, ubi sustinuerunt tempestates persecutionum, et procellas tribulationis. Plenitudinem istius maris appellat homines, insulas vero diversitates gentium ecclesiarum. O populi qui descenditis in mare istius sæculi, et plenitudo ejus, id est, homines habitantes in eo. Insulæ, hoc est, diversæ gentes diversæque ecclesiæ, et habitatores earum insularum, laudate Dominum, cantate canticum novum evangelicæ prædicationis.

« Levet desertum, » hoc est, populus gentium « et civitates ejus » vocem suam, qui desertus et derelictus erat a Deo propter idololatriam. Quidam codices habent lætetur desertum, quidam laudet desertum, quidam etiam sublevetur. Sed istud unum non convenit. Si dixerimus lætetur, erit sensus : Lætetur desertum, quia redemit illud Dominus de morte ad vitam. Si dixerimus laudet, erit sensus : Laudet desertum creatorem suum, qui eum redemit de vinculis peccatorum, et adoptavit in filium. Sed ex his omnibus melius est ut dicamus, levet. Levet ergo desertum, hoc est gentilitas, vocem suam, et insulæ ejus ad laudandum Dominum, gaudens se ereptam de infidelitate ad fidem, de tenebris ad veram lucem, et de morte ad vitam. « In domibus habitavit Cedar, » Cedar filius fuit Ismaelis, a quo et provincia nomen accepit, in qua et Saraceni habitant (*Gen.* XXV). Qui nequaquam Saraceni, sed ab Agar Agareni debuissent nuncupari : quia Ismael a quo originem duxerunt, filius fuit Agar ancillæ Saræ. Sed quia pro certo cognoscunt se filios esse ancillæ, et non liberæ, improprie nomen libertatis sibi asciverunt : non solum illi qui a Cedar filio Ismaelis originem duxerunt, sed omnes posteri eorum qui ex omnibus filiis Ismaelis processerunt, quia XII duces generavit. Et quantum ad litteram attinet, Cedar, id est Saraceni, non in domibus habitant, sed in tentoriis et in tabernaculis. Quantum ad altiorem intelligentiam, in domibus, hoc est, in ecclesiis habitabit Cedar, veniens ad fidem per prædicationem apostolorum, agens contra consuetudinem suam, ut qui insolitus erat habitare in domibus, habitet in ecclesiis, jam fidelis exsistens. Potest et aliter intelligi. Per Cedar (qui interpretatur tenebræ) significantur gentiles, qui in tenebris erroris et infidelitatis positi erant. Sed postquam venerunt ad fidem, audientes apostolos cantare canticum novum evangelicæ prædicationis, cœperunt in domibus habitare, hoc est, in ecclesiis. « Laudate habitatores Petræ Dominum. » Petra in isto loco, nomen est civitatis in provincia Palæstinæ sita. Significatur autem per hoc, quod gentium populus desertus prius a notitia Dei, et idololatriæ erroribus obligatus, ad laudes Domini convertatur. « De vertice montium clamabunt, » subaudis, apostoli et prædicatores sancti, excelsa cum voce Evangelium prædicantes. De vertice montium clamat prædicator

quisque, quum in culmine virtutum positus, terrena postponens, tota mentis intentione cœlestia contemplatur : et hoc quod verbis prædicat, operibus exornat. His et talibus dicitur (*supra*, XL) : Super montem excelsum, id est, super culmen virtutum ascende, qui evangelizas Sion.

« Ponent Domino gloriam, » subaudis, apostoli et prædicatores verbi, in cordibus subjectorum suorum. « Et laudem ejus in insulis, » hoc est in gentibus, « nuntiabunt. » In omnem enim terram exivit sonus prædicationis eorum.

« Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum, » hoc est, ultionem et vindictam, super Judæos inimicos suos, super fortitudinem et potentiam Romanorum. Hæc quæ leguntur in loco isto, a Romanis Domino permittente completa sunt. Quod autem dicitur, Dominus sicut fortis egredietur, ita est intelligendum, ut de clementia sua et mansuetudine magna dicatur exire, quando vindictam suscipit de hostibus suis : non quod revera exeat, sed quia ita videtur illis de quibus suscipitur. Comparatur autem fortissimo præliatori, qui pugnat contra adversarios suos, et suscitat in animo suo zelum et fervorem ulciscendi contra hostes suos. « Vociferabitur et clamabit » aperte insaniam eorum redarguens. « Vos, inquiens, ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII). » « Et super inimicos suos, » Judæos scilicet, « confortabitur. Tacui, semper silui, patiens fui, sicut pariens loquar. » Quidam codices habent parturiens, sed melius est pariens. Loquitur vero contra Judæos, et est sensus : Diu vos delinquentes portavi et sustinui, exspectans utrum mei memores essetis. Sed quia non vultis agere pœnitentiam et converti ad me, nequaquam ultra tacebo : sed sicut pariens dum in lucem profundit infantem, et apertum facit quod prius clausum visceribus tenebatur : ita ego quod diu tacui sustinens miserias vestras modo proferam, et demonstrabo dolorem, et simulationem quam semper habui super sceleribus vestris. « Dissipabo » vestra consilia « et absorbebo simul, » id est, delebo inimicos meos Judæos.

« Desertos faciam montes et colles, et omne gramen eorum exsiccabo. » Per montes, intelligamus principes, scribas, et pharisæos, ac sacerdotes. Per colles, mediocres judices, scilicet, tribunos et centuriones. Per gramen vero populum illis subjectum. Uno enim tempore principes, et juvenes, et senes, omnisque ejus populus absorpti sunt, et exsiccati, id est, interfecti a Romanis, fame, gladio, et captivitate. « Ponam flumina in insulas, » id est, abundantiam scientiæ in gentes. « Et stagna arefaciam, » hoc est vos qui videmini habere scientiam legis, faciam expertes a scientia Dei. Et est sensus : Quum vos a majoribus usque ad minores delevero, tunc flumina doctrinæ meæ ad insulas gentium currere faciam : et stagna, hoc est, vos qui profunditatem scientiæ quondam habuistis, redigam in ariditatem, ut legentes dicta legis et prophetarum intelligere nequeatis.

« Ducam cæcos in viam quam nesciunt. » Cæci erant gentiles, non cæcitate corporis sed mentis, quia in tenebris peccatorum jacebant. Via per quam gentiles modo ambulant, Christus est qui dixit : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV). » Ducam cæcos in viam quam nesciunt, id est, ducam eos ad fidem meam, ut credant in me quem antea ignorabant. « In semitis quas ignoraverunt, ambulare eos faciam. » Hæ semitæ prophetæ intelliguntur. Sicut enim per semitam pervenitur ad viam, sic nos per dicta prophetarum et exempla pervenimus ad Christum : quia ibi continetur nativitas, passio, resurrectio, et ascensio ejus, ac vocatio nostra. « Ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta, » id est, coram gentibus in lucem veram, et cognitionem Dei omnipotentis. Et prava, subaudis corda eorum, ponam in recta. Prava et tortuosa corda gentilium conversa sunt in recta : ut legentes dicta prophetarum intelligant quæ ibi continentur, et oculis cordis clare Christi lumen aspiciant. « Hæc verba feci eis » pro eo, quod est faciam, subaudis quæ superius dixi, videlicet vastationem Romanorum. « Et non dereliqui eos, » pro eo, quod est non derelinquam, si pœnitentiam egerint. Sed quid fecerunt illi, nolentes agere pœnitentiam ?

« Conversi sunt retrorsum, » id est, in infidelitatem. Postquam Dominus ascendit ad cœlos, dimisit apostolos in Judæa ut prædicarent Judæis, et baptizarent in nomine sanctæ Trinitatis, deditque eis spatium pœnitendi tempus quadraginta annorum. Illi autem non solum in eum credere noluerunt, sed etiam ipsos apostolos suis de finibus expulerunt. Ob quam causam, videlicet propter quod Dominum injuste crucifixerunt, et ejus apostolos persecuti sunt, et pœnitentiam agere noluerunt : traditi sunt in manibus Romanorum. « Confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili : Vos dii nostri. » De gentibus loquitur qui prædicantibus apostolis credere noluerunt, permanentes in suis erroribus. « Surdi audite, et cæci intuemini ad videndum. » De quibus ista propheticus sermo dicat, in subsequentibus ostendit, dicens : Quis est cæcus nisi ad quem servos et nuntios meos prophetas misi ?

« Surdi, audite. » Haud dubium quin de Judæis dicta esse constet, qui surdi erant non corporis auribus, sed illis quas Dominus requirit in Evangelio, dicens : « Qui habet aures audiendi audiat (*Luc.* VIII), » id est, qui habet intelligentiam, intelligat quæ dico. Illis enim dixerat Propheta superius (*cap.* VI) : Auditu audietis auribus corporis, et non intelligetis auribus mentis. Cæci, intuemini ad videndum, id est, qui in tenebris infidelitatis estis, aperite oculos mentis ad videndum Salvatorem vestrum.

« Quis cæcus, nisi servus meus Israel, et surdus quis est, nisi ad quem nuntios meos, prophetas, misi ? Quis cæcus, nisi Israel, qui venundatus est » peccatis ? Cui enim servit quis, ejus et servus est. « Quis cæcus, » nisi qui « servus Domini » fuit prius ? Cui dicitur :

« Qui vides multa, » o Israel, id est qui intelligis legem

et prophetas « nonne custodies » quæ ibi dicuntur? « Qui habes apertas aures » corporis, « nonne audies » hoc est, nonne obedies?

« Et Dominus voluit ut sanctificaret eum » subaudis populum « et magnificaret legem, » id est, magnam eam faceret observando eam, « et extolleret, » hoc est, elevaret eos de vitiis ad virtutes. Sed quia noluit implere voluntatem ejus,

« Direptus est et vastatus » vel a malignis spiritibus, vel ab hostibus, Chaldæis scilicet atque Romanis. « Laqueus juvenum omnes simul, et in domibus carcerum absconditi sunt. « Nunc revertitur ad tempus prædicationis Domini, loquens de scribis et pharisæis. Scribæ et pharisæi laqueo comparantur, quia per suam perversam doctrinam illaqueabant animos simplicium. Subjecti vero illorum juvenes appellantur, propter simplicitatem. Facile enim decipiebantur, ne in Christum crederent. Sed quia subjectos deceperunt, et Domino laqueos tetenderunt, contigit illis quod Salomon dicit : Qui parat foveam proximo suo, ipse prior incidet in eam (*Prov.* XXVI); Illi paraverunt Domino laqueum, sed ipsi illaqueati sunt in suis peccatis. Bene ergo dicitur : Laqueus juvenum omnes scribæ et pharisæi, insidias Domino præparantes, et in domibus carcerum absconditi sunt, Non incongrue pectora scribarum et pharisæorum carceri comparantur. Nunquid non erant absconditi in carcere, quando dicebant Domino tentantes eum : « Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces (*Matth.* XXII) : » cæteraque his similia? « Facti sunt in rapinam, » subaudis hostium, « nec est qui eruat. » Non fuit propheta, neque sacerdos, qui interpellaret pro eis sicut Moses in eremo, convertens iram Domini ad misericordiam (*Exod.* XXXII). « In direptionem » inimicorum, hoc est, in captivitatem et prædam, « et non est qui dicat, redde, » subaudis, libertatem eis, Domine.

« Quis est in vobis qui audiat hoc? Attendat et auscultet futura, » subaudis quæ ego annuntio, vel bona vel mala. Hortatur eos Propheta, ut si omnes audire non possunt quæ ille annuntiaturus est : saltem vel pauci futura cognoscant, et intelligant a quo ista perpessi sunt, causasque vastationis suæ considerent.

« Quis dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus? Nonne Deus ipse cui peccavimus? » Deus omnipotens Pater, cui peccaverunt, damnantes injuste Filium ejus unigenitum, ipse tradidit eos in direptionem, hoc est, in conculcationem Romanorum, quia noluerunt agere pœnitentiam de suis facinoribus. « Noluerunt in viis ejus ambulare, » hoc est, in mandatis ejus. « Et non audierunt legem ejus, » quam per Filium suum eis dabat.

« Et effudit super eos indignationem furoris sui » per Romanos « et forte bellum. » Forte bellum dicit debellationem gravissimam in qua perierunt omnes fame, gladio, et captivitate. « Et combussit eum in circuitu, » id est consumpsit igne tribulationis. « Et non cognovit, » subauditur, quod propter Filii Dei necem ista paterentur. « Et succendit eum, » vel ipsum populum igne tribulationis, vel templum. « Et non intellexit » ob quam causam pateretur. Tradunt historiæ, quod nec Romani cognoverunt, quod propter ultionem Filii Dei traderentur in manus eorum, nec ipsi Judæi intellexerunt malitia sua obcæcati.

CAPUT XLIII.

« Et nunc hæc dicit Dominus creans te Jacob, et formans te Israel, » Sicut superius jam diximus, populus Israel in duo dividitur, in credentes et non credentes. Similiter et gentiles. Paulo in superioribus loquutus est de captivitate ultima Judæorum, et de infidelitate illorum qui in malitia perseveravere : nunc vero alloquitur primitivam Ecclesiam, quæ constitit in apostolis, et eis qui per eos ex Judæis credidere. Et nunc, inquit, hæc dicit Dominus. Ac si diceret aliis verbis : Quia illi in perfidia sua manserunt, nolentes recipere prædicationem meam, neque tuam, o chorus apostolorum : hæc dicit Dominus qui creavit te in corpore, et formavit in anima (*Gen.* XXVII). Jacob (qui interpretatur supplantator) et Israel (qui interpretatur vir videns Deum) apostolos significat et apostolicos viros, qui supplantaverunt vitia, et meruerunt Deum videre. « Noli timere, » o chorus apostolorum, « quia redemi te » sanguine Filii mei, « et vocavi te nomine tuo, » subauditur, ut Israel, id est vir videns Deum, vocareris.

« Meus es, » subauditur servus. « Cum transieris per aquas, » o chorus apostolorum, « tecum ero, et flumina non operient te. » Per hæc verba ostendit sermo divinus, apostolos multa tormenta et pericula pro nomine Christi passuros : vultque significare per aquas et flumina et ignem et flammas, persecutorum impetum, sævitiam, furoremque : qui saluti gentium inviderunt, nolentes sermonem evangelicum prædicari ab apostolis. Hebræi tamen per aquas volunt intelligere Ægyptios, propter magnum Nili flumen. Per flumina Chaldæos, qui habent multa flumina. Per ignem Macedones, propter asperitatem eorum. Per flammam Romanos, qui ita conati sunt delere prædicatores, sicuti flamma consumit omnia. Per ista enim omnia regna sancti apostoli et prædicatores transitum fecerunt, annuntiantes verbum Evangelii. Hortaturque eo sermo divinus, ne timeant neque pavescant duritiam et ferocitatem, quia Dominus Deus Israel salvator et protector eorum est. Licet enim corpore necarentur traditi diversis et inexquisitis tormentis, anima tamen illæsi pervenerunt ad gaudia cœlestis patriæ cursu consummato.

« Dedi propitiationem tuam, » o chorus apostolorum, « Ægyptum, Ethiopiam, et Saba pro te. » Æthiopia regio est in finibus terræ posita Saba civitas magna est in finibus ejusdem regionis, de qua fuit regina Saba, quæ venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Quid ergo per Æthiopiam et Saba, nisi fines universi orbis intelligendi sunt, ad quos prædicatio apostolorum pervenit? « In omnem terram (inquit Psalmista) exivit sonus eo-

rum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Propitiatio ergo et justitia apostolorum salus istarum et aliarum regionum fuit.

« Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, » o chorus apostolorum, « et gloriosus ego dilexi te. » Tunc honorabilis et gloriosus apostolorum chorus actus est in oculis Domini, quando audientes a Domino : « Euntes in universum mundum prædicate Evangelium (*Marc.* XVI) :» profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante. «Et dabo homines pro te; et populos pro anima tua. » Et est sensus : Quantoscunque poteritis convertere ad fidem meam per prædicationem vestram ex omnibus gentibus, pro omnibus mercedem recipietis.

« Noli timere, » o chorus apostolorum, reges et principes istius sæculi, ac persecutorum sævitiam; « quoniam tecum ego sum » qui redemi te, et dixi in Evangelio tam tibi quam cunctis fidelibus : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » « Ab Oriente adducam semen tuum, » o chorus apostolorum, ad Ecclesiam meam, « et ab Occidente congregabo te. » Per has duas partes mundi, quatuor climata debemus intelligere, ex quibus colliguntur ad fidem, et congregantur ad unitatem Ecclesiæ, et si non corpore tamen mente. Unde dicit in Evangelio : « Multi venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII). » Si quærimus, quod sit semen apostolorum de quo hic loquitur : patet de semine spirituali esse dictum: Omnes enim qui per prædicationem illorum crediderunt, semen eorum sunt : sicut dicit egregius prædicator : « Filioli mei quos iterum parturio (*Gal.* IV). » Et : « Per Evangelium ego vos genui. »

« Dicam aquiloni, » id est, diabolo « da, » subaudis, filios meos, quos tenes captivos apostolis meis. « Et austro dicam, noli prohibere » filios meos, venientes ad fidem Ecclesiæ. « Aufer filios meos de longinquo, » o chorus apostolorum, id est, populum gentium qui longe a cognitione Dei est. « Et filias meas, » id est animas, scilicet prædestinatas ad regnum, affer « ab extremis terræ, » ab India, scilicet Æthiopia. Vel per filias intelligamus mulieres, quæ ad Dominum per fidem venerunt. Crediderunt nempe viri; crediderunt et feminæ. Ad hoc autem quod dicit, affer filios meos gentiles de longinquo, pertinet quod beatus Apostolus loquitur, dicens : « Vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi (*Ephes.* II). »

« Et omnem hominem, qui invocat nomen meum in gloriam meam; » subaudis, adducam ad societatem electorum meorum. « Creavi eum » corpore, qui in me crediturus est. « Formavi eum » in anima, « et feci eum, » subaudis Christianum, vel apostolum quemlibet, vel gentilem.

« Educ populum foras, » de infidelitate ad fidem, de morte ad vitam, de tenebris erroris ad veram lucem. Vox Dei Patris ad Filium de Judæis qui oculos habebant corporis, sed cæci erant mente. Similiter A aures corporis, sed surdi erant : quia obturatas habebant aures mentis, ut nequirent audire legem Dei. Nam et Spiritus sanctus per Isaiam prophetam hoc ipsum prædixerat, inquiens : Aure audietis et non intelligetis, et oculos habebitis, et non perspicietis (*supra*, VI). Et notandum primum factam esse vocationem Judæorum, deinde gentium, sicut Dominus dixit : « Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel (*Matth.* XV). » Tale quid et beatus Paulus apostolus legitur dixisse in Actibus apostolorum : « Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repulisti illud, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). »

« Omnes gentes congregatæ sunt simul, et collectæ sunt tribus. » Postquam crediderunt, qui prædestinati erant ex Judæis, in Christum, congregatæ sunt B et gentes. Congregatæ sunt ergo gentes, et collectæ sunt tribus, hoc est Judæi. Et factum est tam ex gentibus quam ex Judæis unum ovile Domini (*Joan.* X), in quo quotidie congregantur unitate fidei, in baptismate, et in una perceptione corporis et sanguinis Christi. « Quis in vobis, » o gentiles, « annuntiet istud, » subaudis, quod locutus est Deus de adventu Filii sui, « et quæ prima sunt audire nos faciet? » Si sunt dii vestri veri, annuntient vobis præterita sive futura, sicut Dominus noster. Alloquitur Propheta gentiles, volens eos removere ab idololatria et cultu dæmonum. « Dent testes eorum, » id est, ipsi dii testes suos, « ut justificentur, » hoc est ut justi et veri dicantur, « et audiant, » illi, qui eos C ignorant esse veros deos, « et dicant » quia veri dii sunt. Isto in loco est iste versiculus distinguendus, et ad sequentia jungendus.

« Vos vere testes mei, dicit Dominus. » Vere vos testes mei prophetæ et apostoli, dicit Dominus Pater : quia per vos locutus sum. « Et servus meus, » subaudis, Christus, « quem elegi » in quo mihi bene complacui (*Matth.* III; *Luc.* III), subaudis, ipse et testis verborum meorum, « ut sciatis quia ipse ego sum Deus. » De hoc servo dixit superius : « Ecce servus meus, suscipiam eum (*sup.*, XLI, XLII). Et illud : Magnum tibi est, vocari te puerum meum (*infra*, XLIX). » « Ante me non est formator Deus, et post me non erit. » Vox Dei Patris. Quidam codices habent : Ante me non est formatus Deus. Sed melius et rectius est formator dicere. Pagani dice- D bant de diis suis : Iste deus noster fecit omnia. Verbi gratia ad Jovem : Jovis, tu es deus meus verus, quia tu creasti et regis Olympum, hoc est, cœlum. Contra dicit Deus omnipotens : Ante me non est Deus formator alicujus rei. Ego sum formator primus, quia quum non essent, omnia feci ex nihilo. Quomodo enim poterat aliquis deorum falsorum formator esse, scilicet alicujus rei, quum non esset a quo formaretur? Idola enim sunt surda et muta et insensibilia manibus hominum formata. Quod si refertur ad diabolum, qui sæpe per idola responsa dabat, quomodo poterat formator esse omnium rerum, qui ex tempore a Deo est factus? Si dixerimus, ante me non est formatus Deus, erit sensus :

Ante me non est fabricatum aliquod idolum, quia ego formavi hominem justum, a quo postea injuste fabricata sunt idola. Sed non congruit pleniter iste sensus. Quod autem dicit, et post me non erit : idem est quod in Apocalypsi dicitur : « Ego sum Alpha et Omega, initium et finis (*Apoc.* I, XXII). »

« Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator. » Iteratio sermonis, confirmatio rei est. Cum dicit Deus Pater, absque me non est salvator, non excludit Filium a se, neque Spiritum sanctum : quia neque Filius est absque Patre neque Spiritus sanctus, quo unum sunt. Sicut Dominus dicit : « Ego et Pater unum sumus. Ego in Patre, et Pater in me (*Joan.* X). » Sed quod dicit, absque me non est salvator, tale est ac si diceret : In me est salvator, Filius videlicet meus, per quem decrevi salvare genus humanum. Et sicut unus Christus Dominus non aufert Patri ne Dominus sit : sic unus Deus Pater salvator non aufert Filio ne sit et ipse salvator. Sic enim dicit Filius in Evangelio : « Sicut Pater quos vult vivificat, sic et Filius quos vult vivificat (*Joan.* V). » Quia sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, hoc est, sic genuit Filium vitam habentem.

« Ego annuntiavi » nativitatem Filii mei, vocationem gentium, expulsionem dæmonum. « Ego salvavi » per Filium meum genus humanum, pro eo quod est salvabo. « Auditum feci » præteritum et futurum « et non fuit in vobis » propheta, vel apostolus, vel « alienus » Deus, ut gentes dicebant « vos » prophetæ et apostoli « testes mei, dicit Dominus, » subaudis, quia quod prædixi futurum veniet.

« Non est qui de manu mea eruat » aliquid, hoc est de potestate Filii mei, vel de mea. « Operabor » salutem gentium « et quis avertet, » quis destruet « illud » quod ego fecero? Quis operatus est salutem gentium, nisi ipse qui verus est Deus? Nullus.

« Hæc dicit Dominus redemptor vester, sanctus Israel. » Vox Dei Patris ad apostolos. Hæc quæ sequuntur, dicit Dominus redemptor vester « propter vos, » o apostoli filii mei, « misi in Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus gloriantes. » Quantum ad litteram pertinet, Babylon ideo interpretatur confusio, quia ibi confusum est labium universæ terræ. Quantum ad altiorem intellectum attinet, hunc mundum significat, qui adveniente Domino in carne in confusione peccatorum positus erat. Per vectes intelligamus reges et principes potentesque istius sæculi, quia sicut vectibus portatur aliquid, sic illorum munimine pompa hujus mundi ferebatur. Quantum vero historico congruit intellectui, ideo dicit Chaldæos gloriantes in navibus suis, quia habentes multa et magna flumina peritissimi nautæ exsistebant. Altiori autem intelligentia, idcirco hoc dicit, quia animas miserorum hominum per fluctus istius mundi dæmones, qui per eos intelliguntur, vagari faciebant. Propter vos (inquit), o apostoli mei, misi in Babylonem, hoc est in mundum qui degebat in confusione peccatorum, et detraxi de superbia potentes hujus sæculi universos, et dæmones etiam detraxi de cordibus hominum, qui gloriabantur ex animabus quas deceperant : ut per fidem perfectam et dilectionem certam regnet Filius meus in cordibus hominum, prædicatione vestra instructis.

« Ego Dominus sanctus vester, » o apostoli, « creans Israel, » rex vester, o chorus apostolorum.

« Hæc dicit Dominus qui dedit » filiis Israel « viam in mari » Rubro, « et in aquis torrentibus, » id est fortissimis « semitam, » in Jordane videlicet, vel etiam in Arnon, sicut dixit Moses : « Quemadmodum fecit in mari Rubro, præbens vobis iter per sicum mare, sic faciet in torrentibus Arnon (*Num.* XXI) : » Ipse enim qui dedit in mari viam et in aquis Jordanis semitam; videlicet, ut egressio ex Ægypto et introitus in terram repromissionis haberet miraculum, ipse (inquam) dejecit principes hujus mundi de superbia, et convertit ad humilitatem Evangelii, expulitque dæmones de cordibus hominum quibus principabantur, præbens viam apostolis et prædicatoribus suis in mari (*Exod.* XIV), hoc est in hoc mundo, ut libere possent prædicare.

« Ego eduxi quadrigam de Ægypto et equum, agmen et robustum. » Quadrigam et equum, pro multis quadrigis et equitibus dixit, sicut agmen et robustum pro multis agminibus et multitudine robustorum. « Simul obdormierunt, » id est simul mortui sunt. « Nec resurgent » quia somno perpetuo involuti sunt. « Contriti sunt » ab aquis multis in momento. « Quasi linum exstincti sunt. » Sicuti linum in momento succenditur, et cito exstinguitur : sic illi in momento mortui sunt, et exstincti sunt de terra.

« Ne, memineritis » o apostoli, « priorum » quæ dixi (*II Cor.* V), videlicet viam factam a me in mari, et semitam in Jordane, « et antiqua ne intueamini, » quia majora facturus sum ego, et vos per me, quorum comparatione præterita pauca judicabuntur (*Apoc.* XXV).

« Ponam in deserto » gentilium « viam, » id est, Christum, quia ipse est « via, veritas, et vita (*Joan.* XIV). » « Et in invio flumina, » hoc est in deserto gentilium, ubi non erat doctrina spiritualis, dabo flumina : scientiam videlicet Veteris et Novi Testamenti. Hæc sunt nova quæ superius se promisit facere.

« Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones, quia dedi in deserto aquas, et flumina in invio, ut darem potum populo meo. » Bestias appellat gentiles, qui more bestiarum vivebant ignorantes Creatorem, et adorantes creaturam (*Rom.* I). Per dracones, qui venenum habent et interficiunt, possumus intelligere homicidas et malitiosos homines, plenos sanguine proximorum. Struthio avis est magna, brevitatem pennarum habens. volatus non capax : per quam significantur hypocritæ, qui pennas quidem videntur habere virtutum, sed ad altiora nequeunt ascendere. Ideo (inquit) me glorificabunt gentiles, qui homicidæ malitiosi antea erant bestialiter viven-

tes, quia dedi in deserto eorum scientiam Veteris et Novi Testamenti, ut darem populo meo credenti in me potum mentis, gratiam videlicet Spiritus sancti, sicut dixi in Evangelio : Qui sitit veniat et bibat. Et de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII).

« Populum istum, » subaudis gentilem credentem in me, « formavi mihi » ut esset Christianus. « Laudem meam narrabit, » hoc est nativitatem meam, passionem, resurrectionis triumphum, ascensionis meæ gloriam.

« Non me invocasti, Jacob, nec laborasti in me, Israel. » Sicuti jam superius diximus, duo sunt Jacob, carnalis et spiritualis, et duo sunt Israel. Et ubicunque ponitur Israel vel Jacob sine nominis interpretatione, ut Jacob electe meus, et rectissime quem elegi, de spirituali est intelligendum. Non me invocasti, inquit, Jacob. Possumus hoc referre ad illos qui ante adventum Domini idola coluerunt, vel ad illos qui post Domini ascensionem credere noluerunt, permanentes in infidelitate sua. Dicamus primum de eis, qui ante adventum Domini prævaricati sunt in idolis. Sæpe invocavit Israel Dominum et exaudivit eum. Illo autem tempore, quando ista loquebatur Isaias ex persona Domini, licet invocasset ore, non invocabat opere. Non invocasti, inquit, me, Jacob, sicut invocandus eram : quia me invocasti ore, idola vero mente et opere. Nec laborasti in me, Israel, id est, non feci laborare in acquirendo pretiosa quæque ad offerendum mihi : vel non laborasti in me solummodo.

« Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, et victimis tuis non glorificasti me. » Sæpe quidem videbatur offerre Domino holocausta, sed non suscipiebat ipse, eo quod communia essent illi et idolis. Domino auferebat manu, et idolis immolabat corde. Ac si diceret aliis verbis : Arbitraris quidem obtulisse te mihi victimas, et immolasse arietes : sed scias a me non esse susceptos, quia mihi et idolis communes erant. Illumque sensum repetit de quo superius dixit : « Ut quid mihi offertis multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? (*supra*, I) » Plenus sum, id est, nulla re indigeo. Tale est hoc quale et illud, quod per Amos prophetam loquitur : « Numquid sacrificium obtulistis mihi, filii Israel, per quadraginta annos, et non potius Deo vestro Moloch? (*Amos*, V) » Non enim vult Deus partem, sed totum. Nec delectatur sacrificio carnali, sed spirituali de quo Psalmista dicit : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* XXXIX). » « Non te servire fecit in oblatione, nec laborem tibi præbuit in thure. » Præcepit Dominus offerri sibi oblationes, et offerri thus per singula sabbata. Quare ergo nunc ista dicit? Ac si diceret aliis verbis : Ideo non te feci servire, quia non exquisivi a te pretiosum quippiam, ut in præparandis eis laborare te facerem. Vel etiam ideo non feci te servire, quia suscipiebam sacrificia tua.

« Non emisti mihi argento calamum, et adipe victimarum tuarum non inebriasti me, » id est, non sum delectatus. Calamus, surculus est aromaticus. Thus autem et calamum pro omnibus pigmentis posuit. Non emisti, inquit, argento calamum, hoc est, non præcepi tibi, dare aurum et argentum tuum, ut emeres exinde varia genera et pretiosa odoramentorum et pigmentorum ad offerendum mihi, quia non placebant oculis majestatis meæ, eo quod communia essent idolis : « Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis. » Servire facimus Deum omnipotentem in peccatis nostris, qui nolumus converti ab iniquitatibus, et ille pius et misericors exspectat nos ad pœnitentiam. « Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. » Idem est sensus. Potest hoc et ad Judæos referri, qui post Domini ascensionem noluerunt converti, et ad eos qui hucusque in infidelitate permanentes, sacrificium verum quod jam impletum est, in figura adhuc tenent, et omnia quæ offerre Domino videntur, pro nihilo ducunt, licet idolis non immolent ea. Dicit ergo Dominus Jacob et Israeliti carnaliter agenti : Non me invocasti, Jacob, nec laborasti in me, Israel. Et est sensus : Bestiis agri, draconibus, struthionibus, hoc est gentilibus me laudantibus, tu nequaquam me invocare voluisti, nec laborare ut peccatum negationis pœnitentia deleres. Et licet videatur tibi quod holocausta et victimæ atque incensa quæ offers placeant mihi : nec delector in eis, quia adhuc in vetustate peccati permanens, non vis transire ad novitatem Evangelii.

« Ego sum, ego ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me : et peccatorum tuorum non recordabor. » Alloquitur modo Judæos et hortatur ad pœnitentiam, promittens eis veniam delictorum. Ego sum, inquit, pius et misericors, qui delebo iniquitates tuas si pœnitentiam egeris, propter me, non propter te. Et peccatorum tuorum ultra non recordabor, postquam fructus dignos pœnitentiæ feceris.

« Reduc me in memoriam, et judicemur simul. » Hoc est recordare omnium bonorum quæ tibi feci, quando eduxi te de domo servitutis, et introduxi in terram omnibus meliorem in signis et miraculis et potentia magna, et quemadmodum delevi a facie tua gentes multas et fortes. Et judicemur simul, id est, discernamus quid facere tibi debueram quod non fecerim, et argue me. Qui sensus plenius habetur in Michea : « Populo meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi, responde mihi (*Mich.* III). » « Narra si quid habes, ut justificeris, » loquere tu peccator si quid boni fecisti, ne si ego cœpero loqui dicas, quod propter mea multiloquia nequeas respondere.

« Pater tuus primus peccavit, et interpretes tui prævaricati sunt in me. » Pater eorum vel Abraham intelligendus est, qui peccavit dubitans in repromissione, et petens signum : vel omnis ille populus qui mortuus est in deserto peccando contra Dominum (*Gen.* XV). Interpretes autem dicuntur, quasi inter partes, qui inter duos discurrunt pacem ferentes : quos in hoc loco Mosen et Aaron possumus intelligere, qui prævaricati sunt ad aquas contra-

dictionis (*Num.* xx), hoc est, a voluntate Dei recesserunt.

« Et contaminavi principes sanctos, » id est contaminari permisi Mosen et Aaron. Quos idcirco contaminasse dicit, quia terram repromissionis non intraverunt. « Dedi ad internecionem Jacob, » hoc est ad interfectionem. « Et Israel in blasphemiam, » ut nullus, præter duos ex his qui de Ægypto egressi sunt, intraret in terram repromissionis; sed cadavera eorum jacerent in solitudine, præter Josue et Caleph.

CAPUT XLIV.

« Et nunc audi, Jacob serve meus et Israel, quem elegi. » Locutus est superius de Israel et Jacob carnali : nunc autem alloquitur chorum apostolorum et credentes ex Judæis, cum privilegio nominis et dignitate honoris. Et nunc, o chorus apostolorum, quia Israel carnalis in infidelitate permanet et non vult me audire, tu qui es servus meus, electus meus, audi mandata mea et opere adimple.

« Hæc dicit Dominus faciens te » in corpore « et formans te » in anima, « ab utero auxiliator tuus » quia cum non esses feci te. « Noli timere, serve meus Jacob et Rectissime, quem elegi. » Dicit beatus Hieronymus, quia Israel secundum proprietatem Hebrææ linguæ proprie rectus, sive rectissimus, interpretatur. Hoc autem quod vir videns Deum dicitur, non in scriptione litterarum est, sed in sono vocis consistit; unde quod hic dicitur : Noli timere, serve meus Jacob et Rectissime, quem elegi : tale est ac si diceretur : et Israel quem elegi.

« Effundam enim aquam, » hoc est doctrinam Veteris et Novi Testamenti « super sitientem » gentilitatem « et fluenta » divinorum eloquiorum « super aridam. » Gentilitas quæ erat sitiens, ipsa erat et arida : quia non habebat humorem dilectionis Dei et proximi. « Effundam enim spiritum super semen tuum, » o chorus apostolorum, « et benedictionem meam super stirpem tuam. » Semen spirituale apostolorum et stirps omnes credentes sunt, qui eorum prædicatione, exemplis, miraculis, vel scriptis illuminati ad fidem venerunt, vel futuri sunt usque ad extremi judicii diem. Super hoc semen Dominus Spiritum sanctum suum fudit, quando in baptismate et per impositionem manuum episcoporum gratiam Spiritus sui ei tribuit. Benedictionem etiam fudit super stirpem eorum, quia nisi ipse illustrasset corda gentium, incassum expenderent prædicationem suam. Nisi enim Dominus cor illustraverit auditoris, in vanum laborat lingua doctoris.

« Et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas. » Herba viriditate gaudet; illi ergo qui renovantur in baptismate, et benedictionem Domini merentur accipere, herbis virentibus comparantur : quia habentes viriditatem fidei bonorumque operum, germinabunt fructus bonæ operationis inter credentes, qui jam firmati radicibus viriditatem et ipsi plenam possident. Per salicem (quæ infructuosa est et cito accrescit, maxime si juxta præterfluentes aquas sita sit, hoc est si hinc inde aquis vallatur, et quæ etiam si sumpta fuerit in cibo vel potu, sicut physici dicunt, sterilem reddit a quo sumitur) significatur gentilitas, quæ sterilis ante adventum Domini exstitit a fructibus bonorum operum : sed postea aquas doctrinæ evangelicæ juxta se habens, quæ antea infructuosa erat, quasi contra naturam protulit fructum virtutum. Possumus etiam per herbas et salices geminam vocationem intelligere gentium, videlicet ac Judæorum : ut per herbas intelligamus multitudinem gentium venientium ad fidem, per salices vero primitivam ecclesiam ex Judæis, quæ prædicantibus apostolis cito crevit.

« Iste, » subaudis unus credens et fidelis, « dicet : Domini ego sum » servus per fidem et operationem, non idolorum, quia ab illo sum redemptus. « Et ille » alius « fidelis vocabit » peccatores ad pœnitentiam « in nomine Jacob, » hoc est ut supplantet vitia, sicut et ille fecit. « Et hic, » id est ille alius, « scribet manu sua : Domini ego sum servus, » vel secundum quod Septuaginta dicunt : Dei sum miles, ut de tirocinio novo glorietur se militem esse Christi. Quidam codices habent : Scribet in manu sua Domino; sed beatus Hieronymus Domini dicit secundum Hebraicam veritatem, et Dei sum secundum quod Septuaginta dicunt : quod et apertius est dicere : scribet Domini sum miles, quam scribet manu sua Domino. Tamen si dixerimus Domino, erit sensus ut scribat Domino quod Christianus est : quod fidem ejus habet, sicut egregius prædicator suarum in capite epistolarum et fine dicit : Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus. Et ego Paulus servus Jesu Christi scripsi hæc mea manu. « Et in nomine Israel assimilabitur » quilibet illorum, ut quod non habet ex carne, habeat per fidem. Gentiles ergo, qui non sunt secundum carnem ex prosapia Abraham, assimilantur Israeli in nomine (qui interpretatur vir videns Deum), quia ipsi per fidem et operationem merentur in præsenti sæculo positi contemplari Deum, et in futuro contemplabuntur facie ad faciem. Non tamen omnes gentiles assimilantur Israeli, sed tantummodo credentes qui possident modo legem et prophetas, omnesque gratias Spiritus sancti, quæ populo Israel promissæ sunt.

« Hæc dicit Dominus rex Israel : Ego primus » ante quem nullus, « et ego novissimus post » quem nullus, et absque me non est Deus » verus et salvator. Post vocationem gentium et effusionem Spiritus sancti quem cunctis credentibus daturum se esse promisit, quando pro varietate meritorum suorum alius dicet : Domini ego sum, alius vocabit in nomine Jacob peccatores ad pœnitentiam, alius scribet manu sua Domino esse se Domini, et alius assimilabitur in nomine Israel, ut, relictis idolis, unius Dei cultura sit : loquitur contra cultores idolorum qui noluerunt converti.

« Quis similis mei est » in idolis? « vocet » ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt « et ordinem » creaturarum mearum « exponat mihi; » ego creavi

omnia cum non essent, « exponat » ille quomodo ordinata sunt : « ex quo constitui populum antiquum : ventura et quæ futura sunt annuntient eis. » Populum antiquum appellat vel omne genus humanum ab Adam, vel populum Israeliticum, quem elegit in Abraham. Et est sensus : Ex quo constitui populum antiquum a primo homine, ut mihi serviret, vel Israeliticum populum, ut mihi esset populus peculiaris, ventura et futura annuntiavi eis. Et sicut ego annuntiavi eis futura, si sunt veri dii, annuntient et ipsi similiter quæ futura sunt.

« Nolite timere, » o credentes, persecutorum sævitiam qui idola colunt, « neque conturbemini » propter minas eorum; « ex tunc, » id est ex quo elegi populum antiquum « audire feci, et annuntiavi » quod idolum nihil est : sed opus manuum hominum : « vos estis testes mei, » o populi mei, quia ego sum Deus universæ terræ, « nunquid est Deus absque me, et formator quem ego non noverim? » Si alius est Deus præter me et formator, necesse est ut ostendatur et alius mundus esse. Sed quia non invenietur neque formator, neque mundus, nullo modo alius est Deus præter me qui formavi istum.

« Plastes idoli, » id est formatores idolorum « nihil sunt, » sicut Psalmista dicit : « Similes illis fiant qui faciunt ea (*Psal.* CXXXIV). » « Et amentissima eorum, » subaudis idola, « non proderunt eis, » hoc est cultoribus suis in die examinis uniuscujusque. Plastes Græcum est, et dicitur formator sive compositor. « Ipsi » plastes « sunt testes eorum, » id est idolorum, « quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur » super errore suo, subaudis ideo sunt testes. Sic enim Psalmista dicit : Aures habent et non audient, oculos habent et non vident, quia non est spiritus in eis.

« Quis formavit Deum, et sculptile conflavit ad nihil utile ?

« Ecce omnes participes ejus confundentur : » videlicet et qui formavit, et qui adoravit; « fabri enim sunt ex hominibus » ad fabricanda idola; « convenient omnes, » subaudis fabricatores cultoresque idolorum in die judicii « stabunt » ad judicium « et pavebunt, » recordantes peccatorum suorum « et confundentur simul » ab errore suo.

« Faber ferrarius lima operatus est » idolum : « esuriet » formator ejus, quia non dabit ei cibum deus, suus « et deficiet » pro labore, « et non bibet aquam, et lacesset, » id est si non biberit aquam aliunde lacesset, quia non præbebit ei deus suus potum.

« Artifex lignarius extendit normam, » hoc est præparavit regulam, ut posset ad rectitudinem deducere illud idolum; « formavit illud in » idolum, id est in runcinam. Runcina quoddam artificium est lignarii, gracile et recurvum, ex quo cavantur tabulæ domus, ut una alteri connectatur. « Fecit illud » idolum « in angularibus, » hoc est quadratum, « et in circino tornavit illud, » hoc est in torno et rotunditate, « et fecit » ibi in quadrato, vel in rotundo « imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in A domo. » Quis enim possit hoc credere, quod ascia, lima, et cerebro malleoque formetur Deus, et vel in primis simulacra fundantur et in circino tornata in deos repente consurgant : præsertim cum vilitas artis in fame et siti artificis demonstretur?

« Succidit » ille lignarius « cedros » ad fabricanda idola, « tulit ilicem, et quercum, quæ steterant » per multa tempora « inter alia ligna saltus : » et fabricatus est inde simulacrum. « Plantavit pinum » ut faceret ex ea deum, « quam pluviæ » per multos dies « nutriunt. »

« Et facta est » illa pinus ex parte « hominibus in focum. Sumpsit ex eis » videlicet ex cedro, ilice, quercu et pino « et calefactus est ex eis. »

« Reliquum autem ejus deum fecit, » id est reliB quum quod remansit, fabricavit sibi in idolum.

« Non recogitant in mente sua » quod ego fecerim eos, « neque cognoscunt » quia ipsi non sunt dii, sed opera manuum hominum, « neque sentiunt, » et non intelligunt « ut dicant » apud se. « Medietatem ejus combussi igne, et coxi super carbones ejus panes : coxi carnes eo et comedi, et de reliquo ejus idolum faciam? Ante truncum ligni procidam? » Non faciam, quare?

« Quia pars ejus cinis est : cor insipiens adoravit illud, et non liberavit animam suam : et neque dicet : Forte » id est forsitan « mendacium est in manu mea. » Cum adoraret vel fabricaret idolum, debuerat ista cogitare et dicere apud semetipsum : Certe in manu mea, id est in operatione mea mendacium C est, quia hoc quod pro deo colo et teneo, opera manuum mearum est. Hæc debuerunt vigili mente perpendere cultores idolorum, sed non fecerunt. Capientur in iniquitate sua, nec liberabuntur auxilio deorum suorum.

« Mementote horum Jacob, et Israel, quia servus meus es tu. » Modo alloquitur populum Israeliticum, et fideles qui in adventu Domini crediderunt. Cum omnia ita sint ut dixi, et idola scias esse figmenta et compositiones hominum : « nec obliviscaris, » o Israel, « creatoris tui, » ut adores idola, quæ in adventu Filii mei destruenda sunt, tibique ipsi injuriam facias ut adores opera manuum tuarum.

« Delevi, » pro eo quod est delebo, « ut nubem D iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua. » Si audieris me, Israel, et attenderis quæ tibi præcipio, ita delebo in adventu Filii mei iniquitates tuas et peccata tua, sicuti dissolvitur nubes tenebrosa, vel nebula a calore solis, vel vento raptante attenuatur. « Revertere ad me, » o Israel, et age pœnitentiam, « quoniam redemi te, » pro eo quod est redimam te pretioso sanguine Filii mei.

« Laudate, cœli, quoniam fecit Dominus misericordiam cum Jacob, jubilate extrema terræ. » Per cœlos debemus intelligere summas angelicas potestates in cœlo residentes, et per extrema terræ similiter angelicas potestates, quæ præsunt hominibus habitantibus in terra. Vel etiam per extrema terræ apostoli et prophetæ intelligendi sunt, quorum do-

ctrina et miraculis et intercessionibus consistunt homines habitantes in terra, quia in ipsis sunt fundati. Sicut Apostolus dicit : « Ædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* III). » « Resonate, montes, laudem, » id est sancti laudationem, qui in culmine virtutum consistitis; « saltus et omne lignum ejus, » hoc est omnes electi et justi. Et quare hoc? « quoniam redemit Dominus » pretioso sanguine Filii sui, « Jacob; et Israel glorificabitur, » id est magnus fiet. O Israel, si reversus fueris ad me in toto corde, et egeris pœnitentiam : de salute tua lætabuntur angeli in cœlo, et qui præsunt hominibus in terra, et apostoli ac prophetæ omnesque electi, scientes quoniam redemptus es sanguine Filii ejus.

« Hæc dicit Dominus redemptor tuus, » o Israel, qui te redempturus est, « et formator tuus ab utero, » id est cum non esses : « Ego sum Dominus faciens omnia. » Superius locutus est de subversione idolorum et redemptione Israel : si pœnitentiam ageret. Nunc autem de magnitudine potentiæ suæ loquitur, quod ipse fecerit omnia solus, ne quis dubitet de salvatione Israel, tantum si ad eum conversus fuerit. Cum autem dicit : « extendens cœlos solus, et stabiliens terram, et nullus mecum : » non excludit Filium a se, neque Spiritum sanctum, quia unum sunt, et separabiliter nequeunt operari, sicut ipse Filius dicit : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x). » Sed sicut superius diximus, per hanc sententiam excludere vult idola a formatione creaturarum.

« Irrita faciens, » id est inania, « divinorum signa, et hariolos in furorem, » id est in amentiam « vertens. » Harioli sunt incantatores, qui quibusdam incantationibus semper cuncta agunt. Divini iidem sunt qui et pythones, id est ventriloqui, habentes spiritum malignum in ventre, et loquuntur multa signa et portenta. Hæc quidem ante adventum Domini multi adimplebant : sed crescente Christianorum fide, ex parte eradicata sunt. « Convertens sapientes, » hujus sæculi « retrorsum, » id est in insipientiam, « et scientiam eorum stultam faciens, » quia quæ stulta erant elegit, et sapientiam philosophorum stultam fecit.

« Suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens. » Quis est iste servus Dei Patris, nisi ille de quo superius diximus : Ecce servus meus, suscipiam eum. Et illud : Parum est tibi, ut mihi sis servus? Iste est servus, qui et puer. Verbum autem istud evangelica doctrina est, quam Deus pater super universum orbem suscitavit, per nuntios Filii sui, hoc est per apostolos. Consilium apostolorum fuit, ut dispersi per quatuor mundi climata unum Evangelium prædicarent, unam fidem docerent, et omnipotentem Deum, trinitatem in personis, et unitatem in substantia, habere annuntiarent. Hoc consilium verbo tenus ab illis dictum, Deus pater rebus complevit. « Qui dico Hierusalem Habitaberis, et civitatibus Juda Ædificabimini, et deserta ejus suscitabo. » De restauratione quæ facta est a Zorobabel et cæteris ducibus permittente Cyro ista loquitur : quæ captivitas adhuc implenda erat. Ego Deus qui hoc feci, vel completurus sum. Ego dico Hierusalem quod iterum fundetur, et dico etiam civitatibus Judæ Ædificabimini, et deserta ejus suscitabo.

« Qui dico profundo, » id est Babyloni, quæ in profundo peccatorum sedebat, « Desolare » ab habitatoribus tuis : « et flumina tua » Tygrin et Euphraten, « arefaciam. » Hoc adimpletum est a Dario, et Cyro nepote ejus. Nam nocte quando Balthasar interfectus est ab eis, exercitus illorum Euphraten fluvium, qui per mediam civitatem decurrebat, longe a civitate in multos rivulos diviserunt et exsiccatus est : in tantum ut per alveum illius per quem antea decurrebat, ipsi civitatem ingrederentur et devastarent (*Dan.* v). Possunt etiam referri illa superiora ad Ecclesiam præsentem, et ista ad hunc mundum. Qui dico Hierusalem Habitaberis a credentibus, ex gentili et Judaico populo. Et civitatibus Judæ, id est ecclesiis confitentium in toto orbe constructis, Ædificabimini : et quæ antea deserta erant suscitabo. Qui dico profundo, id est huic mundo, Desolare a cultoribus tuis et amatoribus. Et flumina tua arefaciam, hoc est, sapientiam hujus mundi annihilabo. Sapientia Domini stultam fecit sapientiam hujus mundi.

« Qui dico Cyro : Pastor meus es, » in meis fidelibus : « et omnem voluntatem meam complebis » dimittendo captivitatem populi mei. « Qui dico Hierusalem : Ædificaberis, » a Jesu sacerdote magno et Esdra cæterisque principibus, de captivitate reduntibus, « et » qui dico « templo : Fundaberis. » Idem sensus sicut in priori versu.

CAPUT XLV.

« Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram ut subjiciam ante faciem ejus gentes, » Babylonios, Chaldæos, Ægyptios, Medos, cæterasque in circuitu suo, « et dorsa regum vertam » ad fugiendum ante eum. Multi reges dorsa verterunt ante eum, Domino illi tribuente auxilium. Hæc, inquit, dicit Dominus christo meo Cyro. Christus interpretatur unctus. Antiquitus enim in populo Judæorum, quemadmodum apud Romanos diadema faciebant et regem. Sic chrismate peruncti efficiebantur reges et sacerdotes, ut Aaron a Mose, et David a Samuel. Quare ergo appellatur Cyrus christus, cum non sit perunctus de oleo benedictionis? quia dignitas imperialis pro chrismate ei fuit. Hæc dicit Dominus christo meo, pro eo quod est christo suo : vel uncto suo, hoc est, regi suo : « et aperiam coram eo januas, et portæ civitatis non claudentur. Ego ante te ibo, » o Cyre, « et gloriosos terræ humiliabo, » hoc est Babylonios et Chaldæos, qui gloriosi habebantur in toto mundo. « Portas æreas conteram » ante te, o Cyre, « et vectes ferreos confringam. » Quæ civitas illi non patuit

(inquit beatus Hieronymus)? Quis non regum terga subjecit illi? Qui muri, prius inexpugnabiles, non illius obsidione subversi sunt? Hæc qui plenius cognoscere vult, legat historiam Xenophontis de Cyro majore, et inveniet ea esse completa quæ Isaias longe ante prædixit, Domino manifestante.

« Et dabo tibi, » Cyre, « thesauros » regum « absconditos » et diversarum urbium, « et arcana secretorum, » id est ea quæ reges et reginæ in conclavi semper habebant, tibi dabo. Et quare hoc? « et scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israel, » longe antequam nascaris. Sicut olim vocavi Isaac et Josia. Et hoc non feci propter te, neque pro tuo merito, sed :

« Propter servum meum Jacob, et Israel electum meum, » ut dimittas eum ex captivitate, et recognoscas quæ tibi ante prædixi quam nascereris, ut bona servis meis impendere studeas. « Et vocavi te nomine tuo, » hoc est, ut Cyrus vocareris : « assimilavi te » in nomine Filii mei, « et non cognovisti me. » Multi volunt hæc referre ad Dominum Jesum Christum, quæ in hac sententia dicuntur : sed non loquuntur ea quæ vera sunt. Cyrus, qui interpretatur hæres, nam et ipse hæreditatem avunculi sui Daran suscepit : regnum videlicet Babyloniorum, Chaldæorum, Medorum et Persarum, atque Ægyptiorum, et qui Christus etiam vocatur propter dignitatem imperii : assimilari dicitur Domino Jesu Christo tantum in nomine qui hæreditatem a patre suscepit : sicut in psalmo habetur : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II). » Et qui unctus est oleo lætitiæ præ participibus suis. Assimilavi te (inquit) in nomine Filio meo, et non cognovisti me esse verum Deum, qui te feci victorem multarum gentium : sed adorasti idola quæ tibi nil profuerunt.

« Ego Dominus, et non est amplius » Deus verus, « extra me non est Deus. » Non excludit Filium a se neque Spiritum sanctum, cum dicit extra me non est Deus, quia Pater cum Filio et Spiritu sancto unus est Deus, sicut loquitur ipse Filius : « Ego in Patre et Pater in me est. » Et, « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* XIV, X). » « Accinxi te » virtute ut acquireres tibi regna, « et non cognovisti me, » sicuti cognoscendus eram. Ideoque accinxi te virtute et dedi gloriam regnorum.

« Ut per te sciant qui ab ortu solis sunt, et qui ab occidente, quoniam absque me non est Deus. Ego Dominus, et non est alter. » Legitur in volumine libri Esdræ scripsisse Cyrum ad omnes gentes, non esse alium Deum præter Dominum Deum Israel. Vel etiam ita intelligendum est, ut ex captivorum laxatione Dei omnipotentis clementia notior cunctis in populis facta est. Dicit Josephus in *Historia Antiquitatum*, idcirco dimissum esse populum a vinculo captivitatis, quia legit ille in libro Isaiæ ea quæ Dominus per Isaiam prophetam de illo prædixerat.

« Formans lucem, » id est diem, « creans tenebras, » id est noctem : « faciens pacem, et creans malum, » id est bellum, vel afflictionem : « ego Dominus faciens omnia hæc. » Sive etiam lucem possumus intelligere laxationem captivitatis, et per tenebras captivitatem, et per malum laborem : sicut in Evangelio : « Sufficit, inquit, diei malitia sua (*Matth.* VI), » id est labor suus. Acsi diceret : Ego Dominus qui vos male agentes et a me recedentes in captivitatem transmitto, et iterum revertentes ad me puro de corde, reduco in patriam propriæ telluris.

« Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum, aperiatur terra et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul. » Loquens superius sermo divinus de Cyro rege Persarum qui captivitatem relaxavit, qualiter ante longe prædictum sit a Domino : nunc de adventu Domini Salvatoris et conceptu illius loquitur : O cœli, rorate desuper, id est rorem emittite. Per cœlum debemus intelligere angelos habitatores cœlorum, et positus est pluralis numerus pro singulari. Per rorem verba angelica. Dicit beatus Augustinus : Veniat Gabriel archangelus, et emittat nobis rorem, id est annuntiet nativitatem Domini salvatoris. Et nubes pluant justum. Quid per nubes intelligere debemus, nisi prophetas qui nobis pluviam salutarem dederunt unde irrigantur corda nostra, annuntiando nativitatem Domini, passionem, resurrectionem, ascensionemque ejus, beatitudinem electorum et pœnam reproborum? De quibus et superius quinto et septimo capite dicitur : Mandabo nubibus, ne pluant super eos imbrem. Ponamus unam nubem ex multis Isaiam prophetam, et consideremus quid nobis protulerit : Ecce (inquit) virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Et illud : Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion. Ecce pluvia salutaris, qua irrigantur corda nostra ad intelligendam nativitatem nostri Redemptoris. Sequitur : Aperiatur terra et germinet Salvatorem. Terram appellat beatissimam virginem Mariam, quæ germinavit Dominum Salvatorem. Aperiatur terra, hoc est cor Virginis ad credendum. Nam cum ab angelo audisset (*Luc.* I) : « ecce concipies et paries filium : » dixit : « Quomodo in me fiet istud, quoniam virum non cognosco? » Et angelus : « Spiritus, inquit, sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. » Hæc cum audisset, apertum est cor ejus ad credendum, et ait : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » Et germinet Salvatorem. Jesus interpretatur Salvator. Et quare Salvator? quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Et tale est quod dicit, germinet Salvatorem, quasi diceret Jesum. Sic enim dixit angelus : « Vocabitur nomen ejus Jesus (*Matth.* I). » Et justitia oriatur simul. Ipse est justus, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Ipse est justitia : quia ipse justificat credentes in se. De quo et dicitur : « Justus autem meus ex fide vivit (*Rom.* I). » « Ego Dominus, » subaudis Pater, « creavi eum. » Secundum

divinitatem non creavit eum Deus Pater, quia consubstantialis et coæternus est illi. Quantum vero ad humanitatem pertinet, creavit eum, quia operatione Spiritus sancti corpus assumpsit in utero virginali, sicut dixit angelus. « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. » Et notandum, cum dicimus operatione sancti Spiritus illum esse formatum in utero virginali, non separamus Patris potentiam et Filii ab eo, ut sine Patre et Filio formaverit illud corpus. Quia sancta Trinitas inseparabilis et indivisibilis est : ideoque tota Trinitas illud operata est. Quæ enim operatur Pater : eadem et Filius, eadem et Spiritus sanctus. Tamen quomodo illud actum, humanæ fragilitati non conceditur discutere. Unde et Isaias dicit : « Generationem ejus quis enarrabit (*Infra*, LIII)? » Et præcursor illius : « Non sum (inquit) dignus solvere ejus corrigiam calceamenti (*Joan.* I), » hoc est mysteria utriusque nativitatis ejus enodare non valeo.

« Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ. » Samus civitas est, in qua primum inventa est illa ars fingendorum vasculorum. Et tale est quod dicit, testa de samiis terræ, quasi diceret testa de testis terræ. Factori et figulo comparatur Deus omnipotens, quia ipse sua potentia formavit universitatem istius mundi. Væ illi qui contradicit omnipotenti Deo factori suo aliquid, a quo ipse formatus est. Acsi diceret : Væ illi, qui non credit Christum esse venturum in carne, contradicens verbo omnipotentis Dei. « Nunquid dicit lutum figulo suo : Quid facis? et opus tuum absque manibus est. » Sicut illa testa vel lutum non potest contradicere factori suo dicens, Hoc quod operaris absque manibus est : sic humana creatura nequit resistere conditori suo. « Væ qui dicit » Deo « Patri, Quid generas? » subauditur Filium æqualem tibi « et mulieri, » beatæ videlicet Mariæ, « Quid parturis » quod non ex semine viri suscepisti? De qua muliere dicit Apostolus : « Christus factus est de muliere, factus sub lege (*Gal.* IV). »

« Hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes ejus, » id est creator vel formator : plastes Græcum est, et dicitur formator sive plasmator. Plasmator ejus Deus Pater est, quia plasmavit eum in utero virginali. « Ventura » mysteria « interrogate me, » o Judæi, « super filios meos, » subauditur adoptivos, qui credituri sunt per Filium meum, quomodo debeam eos regere, « et super opus manuum mearum mandate mihi, » hoc est præcipite mihi qualiter ea quæ condidi gubernem. Ironice ista intelligenda sunt, quæ diximus.

« Ego feci terram, et hominem super eam creavi. Manus meæ tetenderunt cœlos, » ut habitatio sit in eis angelorum, « et omni militiæ eorum, » cœlorum videlicet angelis et stellis « mandavi : » hoc est præcepi quid agere debeant. Præcepi angelis, ut me laudarent creatorem suum, et ministeria sua implerent. Præcepi soli, ut illuminet terram, cursum suum peragens in trecentis sexaginta quinque diebus et quatuor horis, tendatque ad occidentem. Si ergo ego feci terram ut habitaretur ab hominibus, et cœlos extendi desuper, eosque varietate astrorum decoravi, ut morarentur in terra cultores Dei : quid mirum est si Filium meum justum regem misi in mundum, ut mihi acquireret multos filios adoptivos? Et quid mirum, si eum suscitavi a mortuis, ut sua morte omnes liberaret a nexu mortis, qui omnibus qui vivunt præsto ut vitam habeant?

« Ego suscitavi eum ad justitiam, » subauditur, ut sit salvator, non solum Judæorum, sed etiam et gentium ; « et omnes vias ejus dirigam, » id est actiones et opera, quatenus peccatum non faciat, neque dolus inveniatur in ore ejus. « Ipse » Filius meus « ædificabit civitatem meam, » hoc est Ecclesiam meam, tam ex gentibus quam ex Judæis. « Et captivitatem meam dimittet » subauditur liberam. Quidam volunt hoc referre ad Cyrum, cujus temporibus dimissa est captivitas, et templum permissum est ædificari, sed non conveniunt præcedentia, quia non sunt omnes viæ ejus directæ cui et dictum est : Assimilavi te, et non cognovisti me. Nec etiam ipse ædificavit, licet ædificari permiserit, quia non est ejus tempore completa ædificatio, sed temporibus Assueri. Redeamus ad præcedentia referentes ad Dominum Jesum Christum, cui ista plenissime ascribi debentur. Ipse ædificavit civitatem Patris, sanctam videlicet Ecclesiam, contra quam portæ inferi non prævalebunt, quia fundata est supra firmam petram (*Matth.* XVI), hoc est super ipsum, et quæ in monte posita, id est in illo qui est mons montium, latere nunquam poterit. De hujus civitatis fundamento dicit egregius prædicator : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III). » Considerandum est de qua captivitate subjungat, et captivitatem meam dimittet. Peccante primo parente nostro in paradiso (*Gen.* III), captivatus est a diabolo et exsul effectus a proprio solo positus est in hujus peregrinationis exsilio, omnes filii ejus captivitatis vinculo obligati sunt, donec venit Altissimi Filius per incarnationis mysterium, et sua morte simpla duplam nostram destruxit, revocando nos ad gaudia paradisi, unde expulsi fueramus. Unde et subjungitur. « Non in pretio, inquit, neque in muneribus, » subaudis liberavit et redemit nos, ut acciperet exinde pretium : sed propria sponte et misericordia larga.

« Hæc dicit Dominus : Labor Ægypti, » hoc est cultura idolorum, quam præ omnibus gentibus adimplet, « et negotiatio Æthiopiæ, » terrena subaudis, cessabit in adventu tuo, Fili dilectissime, « et Sabaim, viri sublimes ad te transibunt » credentes in te, « et tui erunt » per fidem et operationem. Culturam idolorum quam Ægyptii diis suis impendebant laborem appellat, quia multum laborabant illi in offerendis sacrificiis diversorum portentorum, videlicet avium, ovium, hircorum, aliorumque multorum ; sed adveniente Christo in mundum, cum apostoli post ejus ascensionem ad illud et ad alia regna transissent prædicantes gratiam Evangelii,

ubi antea colebatur multitudo simulacrorum, cœpit venerari unius Dei religio, adeo ut præ omnibus regnis hactenus ibi monachorum catervæ consistant, pugnantes sine gladio materiali contra principem mundi. Impletumque est ibi quod dicit Apostolus : « Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* v). » Similiter Æthiopes, qui antea terrena lucra exercebant, conversi ad fidem Christi, cœperunt terrena postponere, et toto mentis affectu cœlestia lucra desiderare. Sabaim eadem est et Saba, regio vel civitas in finibus Æthiopiæ posita, de qua fuit et regina Saba. Viri autem sublimes appellantur, quia potentissimi et doctissimi semper exstiterunt, qui et ipsi ad fidem Domini transierunt. De quibus dicit propheta, « Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes (*infra.* LX). » Per hæc tria quæ commemoravimus, intelliguntur omnia regna et regiones, de quibus ad fidem Domini quotidie colliguntur. « Post te ambulabunt » recte credendo, et bene vivendo. « Vincti manus pergent, » id est Dominicis præceptis astricti ambulabunt de virtute in virtutem « et te adorabunt » derelicta jam idololatria « teque deprecabuntur » pura mentis devotione. « Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus verus. » Vox Patris de Filio. Sic dicent illi : Tantum in te est Deus, id est in Filio. Sic enim ipse dicit : « Ego in Patre, et Pater in me est (*Joan.* XIV). » Et non est absque te Deus, sicut ipse dicit : « Ego et Pater unum sumus (*Ibid.* X). »

« Vere tu es Deus absconditus. » Propter humanitatem ista dicuntur, quia in humanitate latuit Divinitas. « Ipse est Deus salvator Israel, » quia ipse salvat populum suum a peccatis eorum.

« Confusi sunt et erubuerunt omnes : abierunt simul in confusionem, » hoc est in perditionem « fabricatores eorum. » Contra scribas et Pharisæos loquitur, qui fabricatores exstiterunt errorum, quando in toto mundo seminaverunt mendacium, dicentes ab apostolis Dominum furtim esse sublatum (*Matth.* XXVIII). Confusi sunt ergo scribæ et Pharisæi in malitia sua traditi in manus Romanorum, et erubuerunt omnes, non ut pœnitentiam agerent, sed in tribulatione positi abierunt simul in perditionem corporis et animæ. Illi quidem perierunt. « Israel autem, » id est chorus apostolorum, et qui per apostolos crediderunt, « salvati sunt salute æterna. Non confundemini, » o apostoli, aliique credentes, « et non erubescetis » in pœna constituti pro nomine meo, « usque in sæculum sæculi, » id est neque in hoc sæculo vos pudebit sustinere tormenta securi de gloria, neque in futuro in beatitudine æterna constituti.

« Quia hæc dicit Dominus creans cœlos ipse Deus » ut habitatio in eis sit angelorum, « et formans terram et faciens eam » ut eam inhabitent cultores Dei, « ipse plastes ejus, » hoc est formatur terræ. « Non in vanum creavit eam : ut inhabitaretur, » ab hominibus, adorantibus et intelligentibus Creatorem suum, et idola contemnentibus, ideo formavit eam. « Ego Dominus, et non est alius Deus, » faciens similia. Hæc contra idolorum cultores dicta sunt.

« Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso. » Quondam locutus est in abscondito in monte Sina, quando dixit filiis Israel : Non erunt tibi dii alieni, quia uni tantummodo populo locutus est, cæteris latuit. Sed istud quod dicit : In abscondito non sum locutus, de evangelica doctrina intelligendum est, quæ in omnes fines terræ per prædicationem apostolorum insonuit. « Non dixi semini Jacob, frustra quærite me, » quia primum ad eos venit dicens : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* XV), » et eis cœlorum regna dare promisit, si relictis imaginibus legis et cæremoniarum, Evangelii veritatem sequerentur. « Ego Dominus loquens justitiam, » per quam justificabitur omnis qui eam adimplere voluerit, « annuntians recta, » ut omnis creatura suum adoraret Creatorem. Justitiam locutus est Dominus, quando postquam Judæi prædicationem ejus despexerunt, dixit discipulis : « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium (*Marc.* XVI). »

« Congregamini, » o fideles, ad meam fidem « et venite » ad me non loco sed merito, quia ego ubique sum, « et accedite simul » in unum ovile « qui salvati estis » sanguine meo « ex gentibus » ab errore et peccatis. Quia Judæi noluerunt agere pœnitentiam, et indignos se judicaverunt æternæ vitæ, alloquitur gentiles ut congregentur in unum ovile. Unde cum dicit congregamini, ostendit non omnes gentes statim credituras, sed paulatim et per partes. « Nescierunt, » subaudis gentiles, verba mea, qui in proprio errore permanserunt, simulacrorum suorum onere prægravati, et « qui levant signum sculpturæ suæ, » id est qui sigilla sculpunt suis in simulacris « et rogant deum non salvantem. » Unde et præcipitur apostolis et credentibus, ut opportune importune annuntient veritatem, et iniant concilium gentium (*II Tim.* IV).

« Annuntiate, » inquit, o apostoli et credentes, gentibus adhuc in errore manentibus fidem quam percepistis, « et consiliamini simul » de salute eorum. Hoc adimpletum est, quando antequam dividerentur per universum mundum, commune concilium elegerunt ut unitatem annuntiarent, non dissentientes ab invicem. Tunc etiam et symbolum composuerunt de Trinitate et unitate, de communione Ecclesiæ, et resurrectione generali. « Quis auditum fecit hoc ab initio » de salute gentium, nisi ego qui locutus sum ad Abraham : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXIII), » et plurima his similia, quæ per ora prophetarum prædixi! Vel etiam alio modo. Quis auditum fecit ab initio, quod idolum quod nihil est non debeat adorari, nisi ego qui dixi : « Non erunt tibi dii alieni, nec tibi facies sculptile (*Exod.* XX; *Levit.* XIX; *Deut.* V)? » « Ex tunc, » id est ex quo adduxi populum meum ex

Ægypto « prædixi illud » quod idolum nihil sit. « Nunquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me? Deus justus et salvans non est præter me. » In Patre est Filius, et in Filio subaudis Pater.

« Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ. » Convertimini ad fidem meam ab idololatria, omnes gentes, et salvabo vos ab interitu gehennæ. Impleo illud, quod Pater Filio repromisit dicens : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). » Addidit de semetipso :

« Juravi » ego Deus Pater, subaudis quod sententia oris mei et verbum quod semel protuli de salute gentium, nequaquam irritum fiet : sed opere implebitur. Non debemus putare quod omnipotens Deus juret per aliquod juramentum : sed jurare dicitur, quia sermo illius firmissimus et immutabilis est. « Egredietur de ore meo justitiæ verbum, » hoc est Filius meus incarnabitur, qui est Verbum meum, vel etiam sententia justificationis per quam justificandæ sunt gentes, « et non revertetur ad me » Filius meus cum assumpta carne, donec redimat genus humanum. Vel sermo et sententia prædicationis non revertetur ad me sine fructu. Quare?

Quia mihi curvabunt genu omnia, » subaudis genera hominum, quæ antea incurvabantur ante idola : et non solum genua corporis, sed voluntas mentis.

De hoc dicit apostolus : « In nomine Domini omne genu flectatur (*Philip.* II), » etc. « Et jurabit » inquit, « omnis lingua, » subaudis mihi. In hoc loco maxime fides gentium ostenditur. Non idcirco sermo divinus ista loquitur, quod jurare nos præcipiat : sed omnis sermo Christianorum firmus debet esse, quasi sub juramento : ut qui filios veritatis se confitentur esse, veritatem ex corde et ore proferant.

« Ergo in Domino : dixit » populus Christianus, « Meæ sunt justitiæ » legis et Evangelii : ac baptismus et gratia sancti Spiritus, non populo Judæorum, « et imperium, » subaudis ego obtineo per universum orbem; « ad eum » id est ad Christum « venient omnes » gentes, recte credendo et bene vivendo, « et confundentur » in suo errore « omnes qui repugnant ei » respuentes sermones ejus. Confundentur quidem, id est erubescent de suis malis, ut non pereant, sed ut pœnitentiam agant, sicut dicit Apostolus : « Quem ergo fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis (*Rom.* VI)? » Vel certe illi qui in suo errore permanserint, confundentur in die judicii, audientes a Domino : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). »

« In Domino justificabitur » in præsenti per baptismum, et per pœnitentiam, « et laudabitur omne semen Israel, » hoc est omnis chorus apostolorum, vel qui de eorum stirpe pullulaverunt, et crediderunt in Christo habentes justitiam et gloriam sempiternam. De hac laudatione et gloria dicit Dominus : « Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis (*Matth.* V). » Et Psalmista : Lætabitur justus in Domino et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde (*Psal.* LXIII).

CAPUT XLVI.

« Conflatus [confractus] est Bel, » id est in pecuniæ pretium redactus est. « Contritus est Naboth. » Post vocationem gentium, statim subjungitur subversio idolorum. Bel sive Saturnus idolum fuit Babyloniorum primum. Posteaque ab illis sumpserunt et aliæ gentes. Dictus est autem Bel, a Belo patre vini. Tantique honoris et religionis fuit apud veteres, ut ei non solum humanas hostias captivorum ignobiliumque, sed insuper suos filios immolarent. Naboth et ipsum idolum est, sed non est in isto loco positum pro idolo, sed pro interpretatione sui nominis. Interpretatur enim *prophetia sive divinatio.* Et notandum quia cum dixit conflatus est Bel, protinus subjunxit, contritus est Naboth : a specie transivit ad genus, significans quia post ascensionem Domini apostolorumque prædicationem, pene universa idola conflata sunt et redacta ad nihilum, et cultus ac religio eorum insuper omnis prophetia dæmonum et divinatio magorum hominum cessavit. « Facta sunt simulacra eorum, » subaudis deorum, « bestiis et jumentis, » id est ut adorarentur ab hominibus, more bestiarum et jumentorum viventibus. « Homo enim (sicut dicit Psalmista) cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus (*Psal.* XLVIII *et* CXXXIV), » et reliqua. Et « similes illis fiant qui faciunt ea. Onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem contabuerunt. » Onera vestra, id est simulacra vestra gravi pondere sunt, hoc est magna pondera metallorum in se habent. Vel etiam alio modo : Simulacra vestra nihil sunt aliud nisi onera sacerdotum et portantium : deprimentia usque ad lassitudinem. Contabuerunt ipsa simulacra, id est defecerunt, annihilata sunt post ascensionem. Ita loquitur Propheta de futuro quasi de præterito. « Non potuerunt illa » simulacra « salvare portantem » se de tribulatione, « et anima eorum, » id est fabricantium, portantium, colentium « in captivitatem » dæmonum « ibit. » Non est putandum, quod simulacra muta et insensibilia animam habeant; sed de anima colentium dictum constat.

« Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel. » Non dixit : audite me, servi mei, et electi mei, cum adjectione honoris, sed Audite me, domus Jacob, id est duæ tribus Juda, Benjamin ac Levi carnaliter viventes, et longe a me recedentes : et omne residuum domus Israel, hoc est reliquiæ decem tribuum, quæ similiter per idololatriæ culturam a me recessistis. Quando Propheta ista loquebatur, tres tribus adhuc morabantur in Judæa, decem vero jam ductæ erant in Assyrios : ideoque dixit residuum domus Israel. Quod autem addit

« qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva, » non debemus putare Deum omnipotentem, qui spiritus est, habere vulvam aut uterum : sed per vulvam et uterum, clementiam et misericordiam illius debemus intelligere qua protegimur. Et quantum ad litteram pertinet, instar puerorum ac lactentium, ille populus ita adeo quasi matris in utero et vulva prægnantis ex Ægypto portatus est in terram repromissionis : quantum vero ad altiorem intellectum attinet, portatus est a Dei misericordia per desertum, quia sustinuit eum peccantem nolens statim tantam multitudinem delere. Similiter postquam introduxit eum in terram omnibus meliorem, et ille ab eo sæpe recessisset irritans eum ad iracundiam adorando idola, diu sustinuit et portavit iniquitatem ejus, præstolans eum ad pœnitentiam : sicut et post passionem suam per annos quadraginta duos.

« Usque ad senectam, » subaudis vestram, non meam, « ego ipse, » subaudis sum, qui dixi olim Mosi : « Ego sum qui sum (*Exod.* III); » vel etiam usque ad senectam vestram ego ipse protegam vos « et usque ad canos » vestros non meos, id est usque ad diem judicii « ego portabo, » vos sustinebo : ut cum plenitudo gentium intraverit, vos salvemini credendo in me. « Ego feci vos, et ego feram, » id est, ego exspectabo vos ad pœnitentiam « et salvabo : si in me credere volueritis.

« Cui, » subaudis deo manufacto, « assimilasti me? » Nunc maxime contra illos loquitur, qui temporibus Achaz et Ezechiæ idola coluerunt, statuentes ea in omnibus angulis platearum, et in hortis, nemoribusque, et super domos.

« Qui confertis aurum de sacculo » sicut temporibus Aaron in deserto, « et argentum in statera ponderatis » volentes scire quantum unusquisque afferat (*Exod.* XXXII) : « conducentes, » id est convocantes « aurificem, » hoc est statuarium « ut faciat vobis deum : et procidant » ante illum omnes qui eum perspexerint « et adorent illud, et portant illud » simulacrum sacerdotes de loco ad locum, quia non valet seipsum movere, « et stabit in eo loco » ubi positum fuerit « ac de loco suo non movebitur », sua virtute. « Sed et cum clamaverint ad eum » sacerdotes et cultores ejus, « non audiet eos. Mementote istud » fabricatores, cultoresque idolorum, qui tanta mala perpetrastis « et confundamini » in fide agentes pœnitentiam. Alloquitur modo eos Dominus et provocat ad pœnitentiam : nolens mortem eorum, sed magis vult ut salventur (*Ezech.* XVIII). « Redite, prævaricatores, ad cor, » hoc est ad mentem vestram et intellectum justitiæ.

« Recordamini prioris sæculi, » id est ad memoriam reducite omnia bona, quæ vobis subministravi per servos meos prophetas et judices, a die qua eduxi vos de squalore carceris Ægyptiorum, « quia ego sum Deus » verus qui vobis ista præstiti « nec est similis mei. »

« Annuntians ab exordio » mundi « novissimum et ab initio » creaturarum « quæ necdum facta sunt, » subaudis ego annuntiavi. Acsi diceret aliis verbis : Sunt dii manufacti, sed nequeunt annuntiare futura. At vero ego annuntio ab exordio novissimum, hoc est adventum Filii mei, electionem apostolorum, vocationem gentium. Ab exordio annuntiavit adventum Filii Dei, et vocationem gentium loquens ad Abraham : « In semine tuo, » hoc est in Christo, « benedicentur omnes gentes. » Et per Jacob : « Non deficiet princeps ex Juda, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XXIII *et* XLIX). » Similiter per Mosen, per David et per cæteros prophetas. Quare ergo dixit novissimum? « Quia cum plenitudo temporis intravit, misit Deus Filium suum factum ex muliere (*Gal.* II). » Et Joannes de hac ultima ætate : « Filioli, inquit, novissima hora est (*I Joan.* II). » Et egregius prædicator : « Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X). » « Consilium meum, » subaudis quod statui, « stabit. » Videlicet, ut per Filium meum redimam genus humanum « et omnis voluntas mea fiet. » Voluntas Dei patris fuit ac totius Trinitatis, ut Filius Dei carnem assumeret, et genus humanum, quod captivum tenebatur, sua morte redimeret.

« Vocans ab oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ. » Hebræi referunt hoc ad Cyrum regem Persarum, sive Darium regem Medorum, comparantes eos avi, qui cito ab oriente venerunt, et Domini voluntatem contra Babylonem impleverunt. Nos autem, verius affirmantes, dicamus Dominum nostrum Jesum Christum a Deo patre avi assimilatum : quia sicut avis velociter de loco ad locum transit, sic Domini prædicatio per apostolos incipiens ab Jerusalem, cito decucurrit longe lateque per universum orbem : in tantum ut ante deficeret eis terra quam lingua, sicut dicit Psalmista : « In omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* XVIII), » etc. Ab oriente ergo vocavit Deus Pater avem, Dominum videlicet Jesum Christum per incarnationis mysterium : quia terra repromissionis in qua Dominus natus est, in partibus orientis est : et ipse vir oriens appellatur, dicente Propheta : « Ecce vir oriens nomen ejus (*Zach.* VI). » De terra etiam longinqua virum voluntatis suæ vocavit, quando Christum per assumptionis mysterium, de hac terra peregrinationis, quæ longe est ab æterna beatitudine, elevavit ad dexteram majestatis suæ. « Locutus sum, » per prophetas de adventu Filii mei, et redemptione humani generis, « et adducam illud, » subaudis consilium meum, per incarnationis mysterium, Filium videlicet meum, qui est magni consilii angelus : « et creavi » id est, disposui cum ipso et Spiritu sancto, quomodo illud impleatur, « et faciam illud » consilium juxta voluntatem meam.

« Audite me duro corde, qui longe estis a justitia. » Quibus supra dixerat sine privilegio honoris, audite me, domus Jacob, et omne residuum domus

Israel. Et illud : Redite prævaricatores ad cor : ad eosdem modo loquitur : Audite me (inquiens) duro corde, hoc est, increduli qui semper prophetis et ad ultimum Filio meo restitistis, et qui longe estis a justitia, id est, a Christo qui justificat omnes in se credentes. De istis talibus et protomartyr Stephanus in agone constitutus dixit : « Dura cervice et incircumcisi cordibus et auribus : vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut et patres vestri (*Act.* VII). »

« Prope feci justitiam meam, non elongabitur salus mea. » Prope feci, pro eo quod est faciam. Justitia Dei Patris Filius est. Prope ergo faciam meam justitiam, id est, in proximo est, ut mittam Filium meum, per incarnationis mysterium : non elongabitur, subaudis, quia in te nascetur, et ad tuum opus veniet; et salus mea, id est, filius meus, qui salvabit sperantes in se, non morabitur. Ista est enim salus, de qua dicit angelus ad Mariam : « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). » « Dabo in Sion salutem, » vel, ut Septuaginta dixerunt, salutarem. « Et in Israel gloriam meam. » Sion et Israel unum significant. Dabo (inquit) in Sion salutem, vel salutarem, filium meum de quo jam superius diximus angelum ad Mariam esse locutum. Et de quo Simeon : « Viderunt (inquit) oculi mei Salutare tuum (*Luc.* II). » Quod autem addit : Et in Israel gloriam meam, idem est, quia gloria Dei Patris Filius est : quia omnia quæ fecit ad laudem et gloriam Dei Patris egit, dicens : « Pater in me manens ipse facit opera (*Joan.* XIV). » Hæc autem referri possunt specialiter ad Hierusalem et Judæos, in qua et ex quibus ortus est. Generaliter autem ad universalem Ecclesiam, quæ in fide Christi fundata est, et in speculo mentis cœlestia contemplatur.

CAPUT XLVII.

« Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon. » Hactenus de Judæis et adventu Domini, nunc contra Babylonem loquitur et Chaldæos, sub persona captivæ mulieris quæ quondam regina fuit, quæ populum ejus interfecit pene universum, et residuos gravi captivitate oppressit. Descende, o Babylon, de superbia tua, et de solio potentiæ tuæ, sede in pulvere sicut captiva. Filia Babylon appellatur illa plebs et populus, quia in Babylone nati sunt, vel etiam quia a Deo facti sunt. Virgo appellatur non propter integritatem mentis, sed propter infecunditatem bonorum operum. Propter quod dicitur ei : « Sede in terra » ut ancilla, vel humilia te. « Non est solium regni, » hoc est, non est jam dignitas et potentia regnandi. « Filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis et tenera, » hoc est, delicata et deliciis affluens : vel etiam ut hinc inde sustenteris auxilio diversarum gentium, quasi manibus ancillarum. Solent reginæ et nobiles quæque mulieres hinc inde sustentari manibus ancillarum, insuper et servorum : ita ut terræ vix plantas A imprimant, et vestimenta earum terræ pulverem non tangant. Ideoque sub specie reginæ, vel nobilis mulieris, sermo divinus ista loquitur ad Babylonem.

« Tolle molam, et mole farinam » dominis tuis Medis et Persis. Magna miseria, ut regina quondam molat farinam : quod est duræ captivitatis et extremæ servitutis indicium. Dicit beatus Hieronymus, quia molendi officium isto in loco ad coitum potest referri, ut sit sensus : Tolle molam et mole farinam, id est, præbe coitum victoribus tuis Medis et Persis, qui ferventissimi sunt ad coitum. Secundum hunc sensum dicunt Hebræi illud quod in Judicum libro (*Jud.* X) de Samson habetur, quod Philistiim eum molere fecerunt, id est, cum B mulieribus suarum gentium concumbere coegerunt, ut ex illo susciperent magnæ staturæ homines.

« Denuda turpitudinem, » id est, vulvam, ut pateat libidini victoris tui. « Discooperi humerum, » ut appareas esse mulier. « Revela crura tua, » ut prostituaris a tuis deprædatoribus. Vel ad hoc revela, « ut transeas flumina, » Tigrin, videlicet et Euphraten ac Chobar, et eas in captivitatem. Solent enim mulieres denudare crura in transitu fluminum, ut earum vestimenta aquis non tangantur.

« Revelabitur ignominia tua, » subauditur, coram hostibus tuis : « et videbitur opprobrium C tuum, » id est, miseria, et captivitatis malum; « ultionem capiam, » subaudis, ex te, id est, vindicabo populum meum : « et non resistet mihi homo, » subaudis, neque angelus qui præest tibi, neque propheta si me rogaverit pro liberatione tua, sicut Moses quondam in eremo quando volui delere populum ejus (*Exod.* XXXVII). Et quare veniet tibi hoc? Quia et si præcepi ut verberares et affligeres populum meum, non imperavi ut penitus destrueres et occideres usque ad solum.

« Redemptor Dominus noster exercituum, nomen illius sanctus Israel. » Vox populi revertentis de captivitate post septuaginta annos. Redemptor inquiunt noster Dominus exercituum est, id est, Deus angelorum et hominum, qui nos de captivi- D tate durissima redemit : « Nomen illius sanctus Israel. » Ille proprie est sanctus, qui dicit : « Sancti estote, quia et ego sanctus sum (*Lev.* XI, XX). » Et ipse sanctificat sperantes in se.

« Sede, tace, et intra in tenebras, filia Chaldæorum. » Revertitur iterum ad Babylonem, et facit translationem de civitate ad mulieres, et de regina quondam ad ancillam effectam. Et est sensus : Sede, id est, humilia te. Tace, considera calamitatem tuam, sicut solent homines tristes agere. Intra in tenebras ne videat aliquis turpitudinem tuam. Filia Chaldæorum dicitur, quia Chaldæi construxerunt eamdem civitatem. Et quare hoc? « Quia non vocaberis ultra domina regnorum, » subaudis,

Ægyptiorum, Assyriorum, aliorumque multorum : quibus antea imperabas.

« Iratus sum super populum meum, contaminavi hæreditatem meam, et dedi eos in manu tua. » Modo reddit causam quare irasceretur adversus Chaldæos, ne aliquis diceret quod sine causa percusserit eos : vel ut cognoscerent ipsi Chaldæi, quod Domino permittente superaverint eos. Iratus sum (inquit) quondam super populum meum, ideoque tradidi eum in manu tua. Contaminavi hæreditatem meam, hoc est, contaminari permisi a te, ut auferretur ab eo ad tempus sacerdotii dignitas, et cæremoniarum ritus : et dedi eos in manu tua, hoc est, in potestate tua, ut non occideres penitus, sed ut flagellares. « Non posuisti eis misericordias, » id est, nullius miserata es, neque senis, neque pueri : quorum ætas inter hostes etiam venerabilis est. « Super semen sanctum aggravasti manum tuam. » Idem est quod diximus, quia nulli pepercit.

« In sempiternum ero domina, » hoc est, semper regnabo. « Non posuisti hæc super cor tuum, » id est non prævidisti nec considerasti calamitatem præsentis miseriæ, « neque recordata es novissimi tui, » subaudis periculi vel mali; hoc est, non putasti quod aliquando posses humiliari. Multi in felicitate et honore temporali positi, non credunt unquam decidere, sed quotidie ad superbiam elevantur.

« Et nunc audi hæc, delicata, » quæ dicturus sum, id est deliciis ditata et affluens, « et habitans confidenter, » subaudis nullum hostem timens. « Ego sum, » subauditur domina totius orbis et regina, « et non est præter me amplius, » subaudis qui regnet. « Non sedebo vidua, » id est semper habebo regem et « ignorabo sterilitatem, » subaudis quia semper erit qui regnet ex me. Sic dicebat illa. Vir istius mulieris fuit Nabuchodonosor filiique ejus.

« Venient tibi, » o Babylon, « duo hæc subito » dum non sperabis, « in die una, » hoc est, in tempore uno, cum venerit Cyrus et Darius, « sterilitas et viduitas. » Sterilitas, ut amittas populos tibi subjectos. Viduitas, ut perdas regem tuum. Repente et dum non speratur venerunt ei ista, quia nullo modo poterat arbitrari quod Persi et Medi sibi subjecti, qui nullius fortitudinis erant comparatione illius, possent eam superare. « Universa, » subaudis mala prædicta a me, et a prophetis « venerunt » pro eo quod est venient « super te, » o Babylon, « propter multitudinem maleficiorum tuorum, » id est incantationem magorum tuorum, quorum consilio utebaris. Per hoc quod dicit maleficiorum tuorum, possumus intelligere habuisse illam maleficos et magos, qui ei videbantur futura prædicere. Magi autem sunt qui corpora mortuorum exspoliant, et in sepulcris morantur, id est, insuper et sanguine humano utuntur. Quod autem addit, « et propter duritiam incantatorum tuorum, » subaudis in quibus habuisti fiduciam, intelligendum est quod ipsi magi et incantatores tribuebant ei duritiam ut nulli parceret, dicentes eam semper regnaturam.

« Et fiduciam, » subaudis regnandi, « habuisti in malitia tua, » hoc est, in incantationibus magorum tuorum, « et dixisti : Non est qui videat me, » id est qui prohibeat me a malo meo. « Sapientia tua, » hoc est, arioli, magi, et aruspices, tui, « et scientia tua, » id est divinatio et aspectio astrorum. « Hæc decepit te. Et dixisti : Ego sum, » subaudis domina in toto orbe, « et præter me non est altera, » subaudis regina; « veniet super te malum, » subaudis captivitatis et miseriæ, quod omnibus gentibus hactenus parasti : « et nescies ortum ejus, » hoc est initium. Subito Cyrus et Darius cum Medis et Persis civitatem obsederunt, et insperate regem interficientes, vastaverunt omnia quæ in ea erant. Non potuerunt enim magi et malefici illorum prævidere, quod a despecto et subjecto sibi populo humilianda esset.

« Irruet super te calamitas vastitatis et captivitatis, non poteris expiare, » hoc est, a te prohibere. « Veniet super te repente miseria » interfectionis, « quam nescies » subauditur, modo.

« Sta cum incantatoribus tuis, » contra Darium et Cyrum, et populos eorum, si forte poteris eis resistere, « et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, » hoc est, ab exordio imperii tui. Ironicos loquitur. Babylon ab exordio quo cœpit regni imperium tenere, semper habuit magos et ariolos in quibus laborabat : quia omnia cum consilio illorum agebat, sicut lectio Danielis probat : quæ pandit ad eorum consilium regem Babylonis omnia fecisse.

« Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, » subaudis, quibus multas gentes superasti. « Stent et salvent te modo augures cœli, » hoc est astrologi, qui vulgo mathematici appellantur. « Qui contemplabantur sidera » et ex astrorum cursu lapsuque res humanas arbitrabantur gubernari et regi, « et supputabant menses, » dicentes : Hoc erit isto vel illo mense, vel anno; « ut ex eis annuntiarent futura tibi. »

« Ecce facti sunt illi magi quasi stipula ignis, » civitatis vel tribulationis, « combussit eos vobiscum. Non liberabunt animam suam, » id est vitam suam malefici tui, « de manu flammæ, » civitatis, vel vastationis. « Non sunt prunæ, » illis, « quibus calefiant, » id est, non habent veram et divinam sapientiam quam putant habere, ut suis consiliis possint evadere calamitatis periculum. « Nec focus est illis, ut sedeant ad eum, » hoc est, ut possint discutere tenebras, sed potius ut succendantur.

« Sic facti sunt tibi in quibuscunque laboraveras. » Acsi diceret : Sicut tibi illuminatio veræ sapientiæ deest; sic omnia bona transibunt a te. « Negotiatores tui, » hoc est magi et malefici tui, qui sua arte multa mercabantur, « et qui ab adolescentia tua, » id est ab exordio imperii tui, te seduxerunt : « unusquisque illorum in via sua errave-

runt. Non est » aliquis eorum « qui salvet te » cum venerit tribulatio.

CAPUT XLVIII.

« Audite hoc, domus Jacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Juda existis. » Superius jam sæpe diximus, quod quando sine nomine dignitatis Jacob vel Israel ponitur, verbi gratia, ut non dicatur Jacob serve meus, et Israel electe meus, de Israel carnali et Jacob intelligendum est. Istoque in loco ad eos, loquitur propheta, qui mendaciter vocabantur Israelitæ et Jacob, qui non erant supplantatores vitiorum, neque viri videntes Deum, sed carnales et terrena amplectentes. Audite (inquit) hoc domus Jacob, id est duæ tribus ac Levi, quod dicturus sum, qui vocamini nomine Israel, hoc est qui appellamini mendaciter Israel, et de aquis Juda existis, id est de semine illius processistis. Cum dicit de aquis Juda existis, non ut honorem eis tribuat hoc loquitur, sed ut ostendat eos nequaquam virtute patriacharum esse filios, sed carne : ideoque facit mentionem Judæ, quia decem tribus jam ductæ erant in captivitatem, solaque tribus Juda in terra repromissionis manens, cum Benjamin ac Levi, semen David regium servabat. « Qui juratis in nomine Domini, » subauditur non ad honorem illius nominis, sed ut verum mendacium statuatis ac roboretis. Dominus præcipit eis ne jurarent per nomen extrancorum deorum, sed per nomen ejus : volens eos segregare ab idololatria. Et illi adorantes idola falsa, jurabant in nomine illius dicentes, Vivit Dominus; non honoris causa, sed ut mendacii sui error firmior haberetur. Quod autem addit : « et Dei Israel recordamini non in veritate, neque in justitia. » Idcirco hoc dicit, quia illi verbo dicebant se colere Deum patrum suorum, corde autem et opere longe erant ab illo; sicut ipse dicit alio in loco : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Matth.* xv, *Marc.* vii). »

« De civitate enim sancta vocati sunt, » subaudis, ut ab Hierosolyma Hierosolymitani vocentur, « et super Deum Israel stabiliti sunt, » hoc est fundati. Ironicos loquitur istic propheta. Sic enim dicebant illi jactantes et gloriantes se de nobilitate generis et magnitudine urbis : Nos sumus filii prophetarum et patriarcharum, Abraam, Isaac et Israel amicorum Dei, et habitatores civitatis Dei. Nos sumus a civitate sancta vocati Hierosolymitani, et super Deum Israel fundati sumus (*Joan.* viii). « Dominus exercituum nomen ejus, » subaudis, est, cujus servi sumus.

« Priora, » id est antiqua « ex tunc annuntiavi tibi, » subaudis ex quo cœpi loqui contra Babylonem dicens : Onus Babylonis, « et ex ore meo exierunt, et audita ea feci tibi, » De ore meo (inquit sermo divinus) exierunt ea quæ prædixi : hoc est de ore prophetarum, qui os Domini appellantur; sicut ipsi dicunt : « Os enim Domini locutum est (*Isa.* i). » Quæ fuerunt prima quæ ante annuntiavit? Miracula quæ operatus est in medio eorum, a die qua exierunt ex Ægypto, et imminente captivitate quæ facta est a Nabuchodonosor. Nunc autem antequam ducantur, prædicit eorum liberationem ac reversionem, et Chaldæorum vastationem, et infert : « Repente, » subaudis quæ nunc prædico, « operatus sum » pro eo quod est operabor, « et venerunt, » pro, eo quod est venient, videlicet et Chaldæorum subversio vestraque reversio.

« Scio enim quia durus es tu, » id est incredulus, « et nervus ferreus cervix tua, » hoc est irrevocabilis est superbia tua, « et frons tua ærea, » subaudis, quia noluisti erubescere.

Ad eos ista loquitur sermo divinus, qui de aquis Juda exierant, et in Judæa adhuc morabantur, videlicet Judæ et Benjamin. Quod dura cervice semper essent, testatur protomartyr Stephanus. Dura cervice (inquit) et incircumcisi corde, vos semper Spiritui Sancto restitistis. Et de impudentia per Jeremiam loquitur ad eos Dominus : « Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere (*Hier.* iii ; *Ezech.* iii). »

« Prædixi tibi » ea quæ futura sunt tibi, et Babyloni, « extunc, » subaudis ex quo cœpi loqui per prophetas meos super Babylonem; « ne forte diceres : Idola mea fecerunt hæc, » subauditur, ut venirent Cyrus et Darius, et me vindicarent de Babyloniis.

« Quæ audisti » tunc temporis per prophetas : O populo duarum tribuum, « vide omnia, » subaudis completa, pro eo quod est videbis. « Vos autem non annuntiastis, » subaudis filiis vestris, quæ ventura erant super Babylonem. « Audita feci tibi nova » ea quæ jam dicta sunt de vastitate Babylonis; « extunc, » ex quo cœpi loqui contra eam, « et conservata sunt quæ nescis nunc. » Isto in loco est distinguendus iste versiculus. Acsi diceret : Multa tibi feci quæ narrare potero; sed quia tu non recordaris eorum, omittam et ego illa nunc, annuntiaturus ventura tibi.

« Creata sunt apud me quæ futura sunt tibi, et non extunc, » subauditur audisti vel cognovisti, ex quo apud me disposita sunt; « et ante diem, » subaudis vastationis tuæ constituta habeo, « et non audisti ea » a diis tuis.

Et quare non audisti? « Ne forte dicas : Ecce cognovi ea, » subaudis, a diis meis; « neque extunc, » subauditur iterum, ex quo apud me prædestinata sunt, « aperta est auris tua » ut ea audires vel intelligeres. « Scio enim, quia prævaricans prævaricaberis, » subaudis, in adventu Filii mei, hoc est transgredieris legem per Mosen datam, et legem Evangelii quam a Filio meo auditurus es, non credendo in eum; « et transgressorem ex ventre » sive ex utero « vocavi te, » hoc est, a die qua legem tibi dedi quando adorasti idolum, oblitus quod ante promiseras dicens : « Omnia quæ locutus est nobis Dominus, audiemus et faciemus (*Exod.* xxiv). » Sive antequam intrares in terram repromissionis. Sicuti mulier quæ in ventre gestat puerum, cum enixa fuerit nutrit ac fovet eum; sic Deus omnipotens per deserta vastitatis portans illos sua misericordia,

postquam ingressi sunt in terram omnibus meliorem, nutrivit eos per judices sacerdotes ac prophetas regesque, usquequo prævaricati sunt recedendo ab illo.

« Propter nomen meum, » hoc est, propter gloriam meam ne annulletur, « longe faciam furorem meum, » subaudis reducendo te de captivitate, « laude mea, » id est ob laudem meam, ut ego lauder « infrenabo te » lege mea, « ne intereas. » Possumus et hoc referre ad tempus egressionis eorum ex Ægypto, ut loquatur de præterito quasi de futuro. Propter nomen meum (inquit) ne violetur, longe faciam furorem meum, pro eo quod est feci quando adorasti vitulum, ne disperderem te, et laude mea, id est ob laudem infrenabo te, pro eo quod est infrenavi te, legem dando tibi ne interires.

« Ecce excoxi te, » hoc est probavi te diversis flagellis, « sed non quasi argentum, » subaudis, probavi te, quia non es purgatus, « et elegi te in camino paupertatis, » hoc est in tribulatione paupertatis et inopiæ, dans divitias tuas hostibus tuis. Sive in Ægypto, ubi eras quasi in camino pauperrima. Ex quo datur intelligi, quia Deus omnipotens, aliquando divitiis, aliquando paupertate, probat homines. Verbi gratia : illos qui abundant divitiis, si illis male abutuntur, facit eos devenire in paupertatem. Qui autem ei rite utuntur, facit amplius abundare. Similiter qui paupertatem patienter tolerant, dat eis divitias, sicut econtra illos qui murmurant, ad majorem egestatem deducit. Unde et Salomon : « Divitias (inquit) et paupertatem ne dederis mihi (*Prov.* xxx). »

« Propter me faciam, » hoc est propter misericordiam meam liberabo te de captivitate. Ut non blasphemer, id est ne in perpetuum te in captivitate retinentes dicant, quod dii eorum vos retinuerunt et ego non potuerim liberare vos (*Isa.* xli *et* xliv). « Et gloriam meam, » hoc est laudem meam « alteri » deorum « non dabo » ut Deus sit, licet ab hominibus dicatur, præterquam Filio meo et Spiritui sancto, qui mihi consubstantiales et coæquales sunt.

« Audi [*Al. add.* me], Jacob, » quæ dicturus sum, « et Israel, quem ego voco » ad pœnitentiam et ad salutem. Non dicit Deus pater, Audi me, Jacob serve meus et Israel electe meus, ut intelligeretur de Jacob vel Israel spirituali dictum, sed audi, Jacob et Israel, qui carnales estis. « Ego ipse primus » ante quem nullus, « et ego novissimus » post quem nullus. Tale est et illud quod in Apocalypsi Joannis habetur : Ego sum alpha et omega, initium et finis.

« Manus quoque mea, » hoc est, Verbum, Filius et sapientia mea, « fundavit terram » super tenue elementum « et dextera mea mensa est, » id est extendit « cœlos. » Manus Dei Patris et dextera Filius est, quia per ipsum omnia fecit (*Joan.* i), sicut Psalmista dicit : « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* ciii *et* xxxii). » Et : « Verbo Domini cœli firmati sunt. » Et : « Deus sapientia fundavit terram, et dextera illius mensa est cœlos. » « Ego vocabo eos, » subaudis cœlos, « et stabunt simul » in conspectu meo. « Congregamini omnes vos » vel cœli, vel omnes creaturæ, vel omnis multitudo filiorum Israel, « et audite » quæ dicturus sum. « Quis de eis, » subaudis cœlis sive creaturis, « annuntiavit hæc » de Cyro, quod destructurus esset Babylonem, vel de Filio meo quod nasciturus esset ex virgine? Hæc quæ sequuntur, proprie ad Christum pertinent, possunt tamen referri ad Cyrum Dariumque, sicut beatus Hieronymus dicit, usque ad illum locum ubi dicitur : Directa est via ejus. « Dominus dilexit eum, » subaudis Cyrum vel Darium, avunculum ejus, ut dimitteret captivitatem populi sui, « et faciet voluntatem suam in Babylone, » quia capiet eam « et brachium suum in Chaldæis, » quia interficiet eos (*Isa.* xlv).

« Ego, ego locutus sum » de Cyro per prophetas meos; « et vocavi eum » nomine proprio antequam nasceretur, loquens per Isaiam : Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro. Adduxit eum ab oriente super Babylonem, ut eam vastaret redderetque ei juxta quod merebatur. Quod autem addit sermo divinus « et directa est via ejus, » quomodo possit referri ad Cyrum cultorem idolorum, quod directa fuerit via ejus, nullo modo patet. Referamus et ad Dominum Jesum Christum. Deus Pater dilexit Filium suum, sicut unicum et consubstantialem sibi; quia ipse dixit : « Hic est Filius meus dilectus (*Matth.* iii, *Luc.* iii). » Faciet voluntatem suam in Babylonem, id est in confusionem hujus mundi, quia redimet genus humanum, qui in confusione peccatorum morabantur. Dominus Jesus in omnibus quæ gessit, voluntatem Dei Patris adimplevit, sicut ipse dixit : Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me. Et brachium suum, id est, fortitudinem suam et potentiam extendit in Chaldæis, hoc est, in dæmonibus; quia abstulit eis potestatem. Nam ipse dixit : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* xii). » Ego, ego locutus sum de Filio meo per Mosen cæterosque prophetas, et vocavi eum nomine proprio antequam nasceretur ex virgine, loquens per Gabrielem archangelum ad Mariam : « Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. » Adduxi eum, hoc est, incarnari constitui : et directa est via ejus, quia « non peccatum fecit nec dolus inventus est in ore ejus (*Luc.* i). »

« Accedite ad me, » gentes, « et audite hoc. » Vox Filii Dei. « Non a principio in abscondito locutus sum, » subaudis Mosi, loquens ad eum in monte Sina per angelum, quia multi audierunt verba mea. « Ex tempore antequam fierent ea » quæ facta sunt « ibi eram. » Subaudis in Patre. Filius Dei cum Patre locutus est Mosi, cum Patre fecit omnia et disposuit omnia : sicut ipse loquitur per Sapientiam : « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, » et cætera usque, cum eo componens omnia. Et iterum : « Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum (*Prov.* viii). » « Et nunc Dominus Pater misit me, » hoc est incarnari constituit, « et Spiritus ejus. » Brevi versiculo Trinitatis nobis ostenditur

sacramentum. Homo assumptus a potestate Verbi, A loquitur quod Deus Pater et Spiritus ejus miseritur eum, id est incarnari constituerit.

« Hæc dicit Dominus Deus redemptor tuus sanctus Israel. » Chorum apostolorum isto in loco alloquitur. Redemptor ejus dicitur, quia redemit eum pretio, id est sanguine suo. « Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, » hoc est, quæ ad salutem pertinent, per Evangelium « gubernans te in via qua ambulabis, » hoc est, in præsenti sæculo, sive in officio prædicationis : sicut tibi promisi, dicens : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII) ; » et quando dixit : Ite, docete omnes gentes.

« Utinam attendisses mandata mea ! Facta fuisset sicut flumen pax tua, » hoc est, profunda securitas B tibi esset. Possumus hoc ex parte ad Israel referre. O Israel, si attendisses mandata mea et opere adimplesses, facta esset securitas et pax tua profunda. Per hæc omnia quæ sequuntur, abundantia et plenitudo bonorum omnium ostenditur, quam ille populus haberet nisi prævaricator existeret. Si autem ad chorum apostolorum referimus, erit sensus : O chorus apostolorum, utinam attendas mandata mea ! Quod si feceris quæ præcepi, erit pax tua sicut flumen quod semper decurrit et nunquam minoratur, hoc est, securitas tua et pax semper manebit in beatitudine æterna ; « et erit justitia tua sicut gurgites maris, » fluctuando et elevando, et eundo de virtute in virtutem. « Et erit semen tuum, » hoc est, C omnes credentes per prædicationem tuam, sive gentiles, sive Judæi, « sicut arena, » subaudis quæ præ multitudine numerari non valet. « Et stirps uteri tui, » id est, filii doctrinæ tuæ erunt « ut lapilli arenæ. » Semen et stirps apostolorum sunt omnes credentes, sicut dicit Apostolus : « Filioli mei quos iterum parturio. » Et : « Per Evangelium ego vos genui (*Gal.* IV, *I Cor.* IV). » « Non interisset, » subaudis semen tuum, o Israel, si attendisses ad mandata mea ; « et non fuisset attritum nomen ejus, » subaudis Israel, « a facie mea, » ut semper viri videntes Deum mente dicerentur. Nunc autem quia prævaricatus es, attritum est nomen tuum, præter apostolos in quibus reservasti semen et nomen patriarcharum. Sicut prædixit Isaias. « Quia nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus (*Isa.* I). » Licet enim Israelitæ vocentur, attritum est tamen nomen eorum a facie mea, quia non merentur Deum videre. Et si ad apostolos hoc referatur, erit sensus : O chorus apostolorum, si attenderis præcepta mea, non interibit semen tuum, et non erit attritum nomen filiationis vestræ a facie mea, quin a Christo Christiani vocemini.

« Egredimini de Babylone, fugite a Chaldeis, in voce exsultationis annuntiate. » Ista allocutio dupliciter potest intelligi, vel de Judæis qui erant in Babylone ex duabus tribubus, vel etiam credentibus de apostolis. Babylon etenim significat hunc mundum. Alloquitur ergo sermo divinus Judæos seu apostolos vel credentes ; et dicit : Egredimini, o Judæi, de Babylone, permittente Cyro ; vel vos credentes egredimini de Babylone, hoc est, de confusione hujus mundi. Quod si non potestis corpore, saltem mente et contemplatione. Fugite vos a Chaldæis in terram repromissionis. Vel vos, apostoli, a consortio dæmonum et malorum hominum procul recedite. In voce exsultationis et gaudii annuntiate, subaudis, vos, Judæi, libertatem vestram aliis gentibus, et vos, apostoli, redemptionem animarum vestrarum. « Auditum facite hoc, » o Judæi, quia de Babylone fugitis, et o apostoli, quia Dominus redemit vos. « Ferte illud usque ad extrema terræ, » hoc est, per omnem mundum prædicate ut et ipsi per succedentes generationes ea annuntient. « Dicite, » o Judæi vel apostoli, illis qui ignorant : « Redemit Dominus servum suum Jacob » de Babylone, sive omnes gentes quæ vitia supplantant de confusione peccatorum.

« Non sitierunt in deserto, » subaudis quando egressi sunt de Babylone sub Zorobabel, cæterisque ducibus. Nam quando ex Ægypto exierunt, non solum sitierunt, verumetiam et murmuraverunt. Hoc autem quod sequitur, « cum educeret eos, aquam de petra produxit eis, » minime impletum esse legimus postquam terram repromissionis perceperunt ; nisi hyperbolicos in similitudinem prioris felicitatis impleta esse contestentur, quando per desertum pactionum venerunt in Judæam et de captivitate sunt liberati, vel etiam nisi ut referatur C ad egressionem ex Ægypto, et dicatur non sitierunt in deserto, subaudis ut perirent. Si autem ad apostolos referimus, non sitierunt in deserto hujus vitæ : quia cum educeret eos de Babylone, hoc est de confusione peccati, per fidem suam aquam de petra produxit eis, id est gratia sancti Spiritus replevit eos ; quæ de Christo processit. « Et scidit petram, et fluxerunt aquæ, » hoc est aperiri promisit latus Christi, de quo exierunt aquæ ablutionis et redemptionis nostræ. Legimus in passione Domini, quia postquam emisit spiritum, unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis nostræ redemptionis, et aqua baptismatis (*Joan.* XIX).

« Non est pax impiis, » Judæis, « dicit Dominus. » D Quia cum tanta præstiterim eis, non habent pacem mecum, hoc est non credunt in me. Vel etiam aliter : Non est pax impiis, dicit Dominus, videlicet incredulis qui cognoscunt tanta pro salute sua Filium Dei sustinuisse, nolunt in eum credere nec habere, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum. Quicunque ergo recte credit, bene vivit : pacem in se habet, id est Christum.

CAPUT XLIX.

« Audite, insulæ, et attendite, populi de longe. » Post vocationem reliquiarum Israel, et abjectionem populi in incredulitate permanentis de quibus dixerat : Non est pax impiis, dicit Dominus ; transit ad

Ecclesias de gentibus congregatas, et eis insularum nomine loquitur sermo divinus ex persona Filii Dei. Insula dicitur, eo quod in salo, hoc est in mari, sit posita. Ideo autem Ecclesia insulæ comparatur, quia sicut insula tunditur fluctibus et non movetur : ita Ecclesia in Christo fundata perturbationibus fluctibusque hujus sæculi sævientibus undique tunditur, sed non movetur. Fundata est enim super petram. Audite (inquit), insulæ, hoc est, intelligite, Ecclesiæ diversarum gentium, quæ dicturus sum, et attendite, populi de longe, id est ab extremis finibus terræ. « Dominus ab utero vocavit me, » subaudis per Gabrielem archangelum, dicendo ad Joseph : « Noli timere, Joseph fili David, accipere Mariam conjugem tuam. Pariet enim filium, et vocabis nomen ejus Jesum (*Matth.* I). » « De ventre matris meæ, » hoc est antequam nascerer, « recordatus est nominis mei » quod nomine Salvatoris fruerer.

« Posuit os meum, » id est verba oris mei : « quasi gladium acutum. » Os Domini appellatur isto in loco Evangelica doctrina et sermo illius. De hoc gladio dicit ipse Dominus : « Non veni pacem mittere in terram, sed gladium (*Matth.* X). » Et apostolis : « Spiritum (inquit) oris sui interficiet impium (*Thess.* II). » Et illud : « Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei (*Eph.* VI). » « In umbra manus suæ protexit me, » hoc est in protectione divinitatis suæ, ut sine peccato manerem et miracula facerem, ne ipsa caro assumpta a Verbo vilesceret. Ideoque dicit in umbra, quia ipsa divinitas invisibilis est. « Posuit me sicut sagittam electam. » Cum dicit sagittam electam, ostendit habere Deum sagittas plurimas, sed non electas. Sagittæ Dei omnipotentis sunt prophetæ, apostoli, et apostolici viri qui in toto orbe discurrunt, de quibus dicitur : « Sagittæ tuæ acutæ, potentissimi populi sub te cadent (*Psal.* XLIV). » « In pharetra sua abscondit me, » hoc est in corpore humano. Ex persona divinitatis modo loquitur. Pharetra dicitur, eo quod ferat mortem. Alio in loco Dominus hamo comparatur, quia sicut ab hamo latente in esca capitur piscis, sic diabolus a divinitate quæ latuit in humanitate captus est. Unde ad beatum Job Dominus loquitur : « Nunquid capies leviathan hamo (*Job.* XL)? »

: Et dixit mihi : Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor. » Servus appellatur ipse Filius Dei, eo quod in omnibus voluntati Dei Patris paruerit. Israel autem, quia ex Israel originem carnis traxit. Et benedicitur, in te gloriabor : quia omnia quæ ipse Filius operatus est, ad laudem Patris egit dicens : « Pater in me manens, ipse facit opera (*Joan.* XIV). »

Et ego dixi,» subaudis ad Patrem : « In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi. » Acsi diceret aliis verbis : Dicente mihi Patre ista quæ retuli, ego respondi ei : Quomodo te glorificavi, Pater? In vanum laboravi, et magnam partem Judæorum ad te revocare non potui. Hæc autem dicuntur, ut liberum hominis monstretur arbitrium. Dei enim vocare est, et nostrum credere. Quantum ergo ad illos Judæos pertinet qui increduli permanserunt, in vacuum laboravit sustinendo passionem, et vane fortitudinem suam consumpsit, hoc est in vanum fatigatus est pro eis et passus, quia in eis nihil profuit qui noluerunt credere. « Ergo judicium meum, » hoc est discretio « cum Domino » patre, quia ipse judicabit utrum omnia quæ debui eis facere fecerim : dicens in Evangelio : « Multa bona opera operatus sum vobis (*Joan.* X). » « Et opus meum cum Deo meo, » hoc est præsentia illius.

« Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam ad eum, » subaudis « Jacob, » ideo sum servus. « Et Israel non congregabitur, » id est non convertetur ad fidem, licet propter ea venerim. Hinc datur intelligi cum dicit, formans me ex utero servum sibi, illum appellasse superius et isto in loco servum qui formatus est. Ideo venit Filius Dei, ut reduceret Jacob errantem ad Creatorem suum, sicut dicit apostolis : Ite ad domum Israel. « Et non sum missus nisi ad oves perditas Israel (*Matth.* XV). » « Et glorificatus sum in oculis Domini, » subaudis, quia totum mundum mihi dedit, sicut dixi resurgens a mortuis : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Ac si diceret : Perdidi unam gentem, et ecce totus mundus in me credet. « Deus meus factus est fortitudo mea, » quia tertia die resurrexi. Licet enim diceret pendens in cruce, « Deus, Deus meus, quare me dereliquisti (*Psal.* XXVIII)? » affectu humanitatis loquens : tamen non dereliquit illum.

« Et dixit mihi » Deus Pater : « Parum est, » subaudis tibi, « ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et feces Israel convertendas. » Pro miseria et despectione appellantur feces, et est sensus : Parum est tibi ut pro una gente solummodo Israel mortem sustineas, sed pro omnibus gentibus. Tale quid et ipse Filius oravit : « Pater (inquiens), si possibile est, transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI). » Videlicet si possibile est, ut sine interitu Judæorum salus gentium fiat, transeat a me calix passionis. « Dedi te in lucem gentium, » id est, ut omnes gentes illumines quæ ad fidem meam venerint. « Et sis salus mea usque ad extremum terræ, » hoc est, ut salutem per quam salvandi sunt populi per apostolos annunties. Salus Dei Patris dicitur Filius, quia per illum decrevit salvare genus humanum.

« Hæc dicit Dominus redemptor Israel, » id est fidelium et in se credentium. « Sanctus ejus, » id est, populi Israel, « ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum. » Vox Prophetæ ad Filium ex persona Patris. Redemptor Israel, id est virorum videntium Deum, dicitur Dei Filius : quia ipse nos redemit cruore sanguinis sui. Ad contemptibilem animam dicit, id est, ad Christum qui contemptus est a Judæis et despectus clamanti-

bus : « Crucifige eum (*Joan.* XIX), » et talia hujusmodi multa. Abominatam gentem appellat Christum et Nazaræos ejus, qui in tantum sunt abominabiles et detestabiles ac respuendi apud Judæos, ut quotidie ter in synagogis eorum maledicantur dicentes : quod propter illos amiserunt regnum, locum, et gentem. Servum dominorum vocat Dominum Jesum Christum, qui quasi servus non est dedignatus stare ante Pilatum, Annam, et Caiphan, et dijudicari ab illis ut latro et malefactor, cum esset unicus Filius Dei Patris. « Reges videbunt » venientem ad judicium in gloria magna et majestate; « et consurgent principes, » subaudis, ecclesiarum de soliis suis ad honorandum te, « et adorabunt (te) propter Dominum » Patrem, « quia fidelis est, » videlicet quia quæ tibi promisit, opere implevit, de glorificatione tua et salute gentium. « Et propter sanctum Israel qui elegit te. » Vox prophetæ ad Filium Dei. Reges appellat et principes apostolos et apostolicos viros omnesque rectores et doctores sanctæ Ecclesiæ, qui in die judicii judicaturi sunt cum Domino orbem in æquitate, sicut ipse dixit : « Amen dico vobis, quia sedebitis et vos judicantes duodecim tribus Israel (*Luc.* XXII). »

« Hæc dicit Dominus, » subaudis Deus Pater ad Filium. « In tempore placito, » id est in die passionis et resurrectionis, « exaudivi te » resuscitando a mortuis, « in die salutis, » hoc est quando pro salute generis humani passionem sustinuisti : « auxiliatus sum tui. » Tempus placitum dicit tempus passionis resurrectionisque ejus, quia complacuit illi, ut in eo redimeret genus humanum. Exaudivit eum Deus Pater, quando ille oravit, dicens : Clarifica me, Deus Pater, apud temetipsum. Et ille respondit : « Et clarificavi, et iterum clarificabo (*Joan.* XII). » Tempus placitum appellat tempus passionis et resurrectionis ejus. Vel etiam tempus placitum potest dici ab exordio prædicationis ejus, usque ad extremum judicii diem. De quo tempore Apostolus loquitur : « Ecce, inquiens, tempus acceptabile, ecce dies salutis (*II Cor.* VI). » « Et servavi te » a morte ad vitam, « et dedi te in fœdus populi » Judæorum. In illis scilicet qui credere voluerunt in amicitia apostolorum, quibus ipse dixit : « Jam non dicam vos servos, sed amicos meos (*Joan.* XV). » Ad quid ergo suscitavi te? « ut suscitares terram, » id est habitatores terræ de infidelitate ad fidem, et de errore idololatriæ ad verum Dei cultum; « et possideres terras hæreditate dissipatas, » quæ habitatorem non habebant Deum, id est multitudinem gentium prædestinatam ad vitam. De qua hæreditate Pater in psalmo : « Postula, inquit, a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II). »

« Ut diceres his qui vincti sunt, Exite » de vinculis peccatorum, de quibus Salomon loquitur : Vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur. « Et his qui in tenebris morantur, » subaudis diceres « revelamini, » hoc est illuminamini. His qui in tenebris, inquit, erant, hoc est in infidelitate, et qui in tenebris et in umbra mortis sedebant et lucem (*Luc.* I), id est Christum, videre non poterant, qui est lux vera quæ illuminat omnia quæ illuminant (*Joan.* I); dixit ipse Filius Dei ut illuminarentur, quando dixit : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » « Super vias, » hoc est in doctrina apostolorum et prophetarum, « pascentur » illi qui exierunt de tenebris infidelitatis, dicentes : « Dominus pascit me et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* XXII). » « Et in omnibus planis, » subaudis semitis Scripturarum, expositis et elucidatis a sanctis doctoribus, erit « pascua eorum. »

« Non esurient » verba Dei « neque sitient » positi in ipsis doctrinis. De hac esurie et siti Dominus per prophetas loquitur : « Mittam famem in terra, non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei (*Amos.* VIII). « Sacra Scriptura in quibusdam locis est cibus, in quibusdam potus. Ubicunque enim cum difficultate sumitur, cibus est; ubi autem facile intelligitur, potus est. Non esurient, inquit, neque sitient fideles in sancta Ecclesia constituti, hoc est, obscura et aperta patebunt illis. « Non percutiet eos æstus et sol, » id est, adversa hujus sæculi non nocebunt eis, « quia miserator eorum » Christus « reget eos » qui eos redemit pretiosissimo sanguine suo « et ad fontes aquarum potabit eos, » doctrina Veteris et Novi Testamenti, de qua alibi dicitur : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*Sup.* XII), » sive gratiam Spiritus sancti.

« Et ponam omnes montes meos in viam, » id est ante faciem apostolorum meorum et prædicatorum omnia impedimenta hujus sæculi in tranquillitatem convertam. « Et semitæ meæ exaltabuntur, » id est, illi qui meam humilitatem imitati fuerint, juxta illud : « Omnis qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XIV, XVIII). » Montes vocantur apostoli et apostolici viri, vel quia in Christo sunt fundati, qui est mons montium, vel quia in exemplum sunt mundo. Semitæ autem appellantur omnes credentes, pro Christi nomine se humiliantes. Qui sint isti quibus via præparatur, manifestius demonstrat cum dicit :

« Ecce isti » credentes « de longe venient, » id est, de oriente ad fidem et unitatem sanctæ Ecclesiæ, non loco sed fide : « et ecce alii » fideles venient « ab aquilone et mari, » id est occidente, et isti de terra australi. Hic ostenditur multitudo credentium quæ a quatuor mundi partibus in unitate fidei conjuncta est, de quibus et Dominus dicit : « Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob, in regno cœlorum (*Matth.* VIII). » Non autem intelligendum, quod localiter congregentur in unum, sed fide. Licet in corpore sejungantur, minime possunt separari mente, quos Christi nectit inviolata charitas.

« Laudate, cœli, » hoc est angeli qui habitatis in cœlo, « et exsulta, terra, » angelicæ virtutes quæ terræ præestis, vel homines justi qui inhabitatis eam, pro salute generis humani gaudete. « Jubilate

montes laudem, » angeli, scilicet et homines justi in excelso virtutum collocati : « quia consolatus est Dominus populum » credentem in se per adventum Filii sui, apostolos scilicet cæterosque credentes ex Judæis et omnes a quatuor mundi partibus ad fidem suam convenientes de quibus jam supra dixit : « et pauperum suorum miserebitur, » et de quibus in Evangelio dicitur : Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsi consolabuntur. Pauper in hoc loco potest intelligi populus gentilis, qui non habebat divitias legales et prophetales : sed desertus et derelictus a Deo factore suo dæmonibus subjacebat, per idololatriæ cultum et libidinis servitutem.

« Et dixit Sion : Derelinquit me Dominus, » id est annihilavit sive annulavit : « et oblitus est mei. » Hierusalem et Sion quatuor modis in Scripturis sacris intelligitur. Primo intelligi debet Hierusalem terrena quæ fuit in Judæis, quam legimus planxisse Dominum, et ad quam in Evangelio loquitur : Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas (*Matth.* XXIII), et cætera. Secundo congregatio sanctorum, (quæ in pace Domini et contemplatione virtutum consistit) adhuc posita in terra Hierusalem et Sion vocabitur, de qua dicitur : « Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion (*Psal.* LXXXVI). » Tertio modo appellatur Hierusalem vel Sion multitudo sanctorum angelorum et dominationum, ac cæterarum virtutum, et hominum electorum jam cum Christo regnantium. De qua dicit Apostolus : Illa autem Hierusalem quæ sursum est libera est, quæ est mater nostra (*Gal.* IV). Quarto appellatur Hierusalem, quam Judæi et nostri judaizantes descendere dicunt de cœlo ornatam : juxta Apocalypsim Joannis (*cap.* XXI). Et hoc quærendum, quæ ex his omnibus dixerit, dereliquit me Dominus. Hoc autem sciendum est, quia Hierusalem (id est congregatio sanctorum) quæ prima fuerat in Judæis, ista commemorat : quæ posita in captivitatem Babylonis dicit se a Deo derelictam. Sed quid dicit ei Dominus blandientis affectu? Audiamus.

« Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? » Minime. Et est sensus : Sicut illa non potest oblivisci infantem, ut ei non misereatur : sic ego non obliviscar tui, sed miserebor. Dicit amplius aliquid. « Et si illa, » subaudis, tam crudelis exstiterit et dura, ut « oblita fuerit » misereri filio uteri sui : « Ego tamen non obliviscar tui, » dicit Dominus omnipotens.

« Ecce in manibus, » id est in præsentia mea. « Descripsi te, » vel depinxi te, ut tui semper memoriam habeam. « Muri tui coram oculis meis semper. » Qui sunt isti muri de quibus loquitur? Patriarchæ, prophetæ, et justi ex illa plebe procreati, qui semper interpellant pro ea, et quorum orationibus diu illi vallati sunt, sicut civitas vallatur muro materiali. Muri tui, id est prophetæ et patriarchæ in præsentia mea sunt ; orantes jugiter pro te, et ideo miserebor tui.

« Venerunt structores tui, » subaudis apostoli et prædicatores et primitivæ Ecclesiæ ædificatores. Loquitur de futuro quasi de præterito, quasi jam venerint. Apostoli reædificaverunt Jerusalem, id est congregationem fidelium, quæ destructa erat per infidelitatem, in illis tamen qui ex eis credere voluerunt. « Destruentes, » subaudis, scribæ et Pharisæi, qui semper præponebant traditiones suas legi Dei, « et dissipantes, » subaudis, te suis exemplis, « a te exibunt, » ducti in captivitatem a Romanis.

« Leva in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti congregati, venerunt tibi. » Apostolos alloquitur et primitivam Ecclesiam. Legimus in Actibus apostolorum (*cap.* II), quod die Pentecostes prædicantibus Apostolis concurrerit multitudo Judæorum, quæ convenerat ex diversis partibus mundi, ad quas dispersi fuerant præ nimia persecutione Antiochi Epiphane, temporibus Machabæorum : ex quibus sicut Lucas dicit, una die tria millia crediderunt, altera die quinque millia, et deinceps multa millia. Et de illis modo loquitur ad primitivam Ecclesiam : Leva (inquiens) oculos tuos, o primitiva Ecclesia, et vide (*Act.* II, IV), id est, considera, omnes isti Judæi ex diversis partibus congregati venerunt tibi ; id est, per te credant et consocientur tibi in unitate fidei. Potest etiam et ad multitudinem gentium referri, quæ quotidie ex omnibus mundi climatibus confluit ad fidem Ecclesiæ. « Vivo ego, dicit Dominus, quia his omnibus, » subaudis credentibus, tam ex Judæis quam ex gentibus, « velut ornamento vestieris, » id est ornaberis « et circumdabis tibi eos quasi sponsa. » Si dici fas est illud quod dicitur Vivo ego, juramentum Dei est, sicut sæpe in Veteri Testamento locutus est, et sicut in Novo Amen, amen. Ideo autem detur jurare more nostro, ut omnis sermo ejus sic teneatur firmus quasi juramentum. Hæc quæ propheta ex persona Dei Patris loquitur, dupliciter intelligi possunt, ut ad Christi personam et Ecclesiæ referantur. Omnes enim sancti ornamentum et vestimentum sunt Christi, et ipse ornamentum est omnium sanctorum. Dicamus et aliter, referentes hoc ipsum ad Ecclesiam : Sicut sponsa ornatur auro et gemmis, variisque ornamentis vestimentorum : sic sancta Ecclesia ornatur multitudine credentium diversisque ordinibus qui in ea consistunt, episcopis videlicet, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, nec non etiam multitudine conjugatorum, continentium et virginum. De quibus in Psalmo dicitur : Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

« Deserta tua, » subaudis loca, id est derelicta, « et solitudines tuæ et terræ ruinæ, » subaudis, quæ omnia destructa sunt ab illis qui noluerunt credere, « nunc angustæ erunt præ habitatoribus, » hoc est præ multitudine credentium ad fidem venientium ; « et longe fugabuntur » scribæ et Pharisæi a Romanis « qui absorbebant ei » id est qui te separabant a Deo tuo malo exemplo, vel prava doctrina.

« Adhuc dicent in auribus tuis, » o fili, vel o primitiva Ecclesia, « filii sterilitatis tuæ. » Vox patris ad

filium, et primitivam Ecclesiam. Et quantum ad litteram pertinet, filii sterilitatis vocantur, qui in infidelitate quidem nati sunt, sed postea prædicantibus apostolis crediderunt. « Angustus mihi est locus, » subaudis in Synagogis; « fac spatium mihi ut habitem, » subaudis, in gentibus et in toto mundo. Post ascensionem Domini ad cœlos tantum crevit fides credentium, ut non in Judæa solummodo possent habitare, nisi spargerentur per universum orbem.

« Et dices in corde tuo, » o primitiva Ecclesia : « Quis genuit mihi istos, » subaudis filios spirituales? « Ego sterilis, » subaudis in hoc quia Deo spirituales filios non enutrivi, « et non pariens transmigrata » in Babylonem « et captiva ducta. Et istos quis enutrivit? » Ideo dicit sterilis et non pariens, quia post Aggeum, Zachariam, et Malachiam qui Esdras appellatur, non habuerunt prophetas qui eorum filios enutrirent in lege Dei. « Ego destituta » a Deo « et desolata » a proprio viro Deo omnipotente : « isti, » subaudis Judæi vel gentiles credentes in Filium Dei, « ubi erant? » Hujusmodi generatio spiritualis est, et multos simul in fide parit, et ideo miratur Ecclesia quomodo tam cito coadunati sunt.

« Hæc dicit Dominus Deus, » subaudis Pater : « Ecce levo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum. » Dixit se Ecclesia mirari unde tot filii ad fidem ejus venerint, ideo respondet Deus Pater et dicit : Miraris quomodo ista sint facta, ego tibi ostendam : Ecce (inquit) levo, id est revelo vel demonstro ad gentes manum meam, hoc est Filium meum per incarnationis mysterium, vel levo de terra ad cœlum per ascensionem. Ad populos exaltabo signum meum, id est signum crucis. Nam in tantum est jam exaltatum signum crucis, ut omnes gentes eo se credant tueri, cum Dei adjutorio, ab omnibus insidiis diaboli. « Et » cum ego levavero Filium meum, vel super corda gentium vel ad cœlos elevando : « Afferent, » o primitiva Ecclesia, et « filios » tuos apostoli ad fidem « in ulnis, » id est suis exemplis et prædicationibus. Vel angelicæ potestates afferent ad æternam beatitudinem, post finitum hujus laboris cursum, sicut legitur de Lazaro (*Luc.* xvi), « et filias tuas, » hoc est sexum femineum ad fidem trahendo, vel animas sanctorum ad paradisum ducendo, « super humeros, » id est suis meritis apostoli, vel angeli suis orationibus « portabunt. » Ideo dicit filios tuos et filias tuas, quia ex utroque sexu sancta Ecclesia constat (*Act.* xxi). Leginus enim quatuor filias Philippi prophetissas fuisse.

« Et erunt reges nutritii tui, » o sancta Ecclesia, « et reginæ nutrices tuæ. » Non sunt ista a nobis carnaliter intelligenda, sicut Judæi intelligunt, qui dicunt se in adventu Christi sui (quem adhuc præstolantur) habere nutritios reges et nutrices reginas, et in ulnis et super humeros portari ab illis. Sed per reges et nutritios debemus intelligere apostolos et prædicatores, qui se et alios regere bene studuerunt, et ad viam veritatis nutrierunt. De quibus Psalmista dicit : « Constitues eos principes super omnem terram (*Psal.* xliv). » Ipsi fuerunt reginæ qui et reges et nutritii. Nunquid non reges et reginæ fuerunt Petrus et Paulus, qui sua prædicatione corda superborum hominum subjugaverunt Christo (*Gal.* iv)? Nunquid non erat Paulus nutritius sive nutrix, quando dixit : « Per Evangelium ego vos genui, et tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* iii)? » Nunquid Petrus nutritius non erat, quando dixit : « Quasi modo geniti infantes lac concupiscite (*II Petr.* ii) » Sic de cæteris apostolis intelligendum est. Sequitur ergo, et dicitur ad primitivam Ecclesiam : « Vultu in terra demisso, » id est humiliato, « adorabunt te, » hoc est honorabunt te, o primitiva Ecclesia, in capite tuo, quod est Christus, potestas videlicet terrena et dignitas mundana. Quicunque Christum adorat sive honorat, qui est caput omnium electorum, honorat omnes electos qui sunt corpus Christi (*Col.* i et ii). Quodque subjungit, « et pulverem pedum tuorum lingent, » hoc significat quod reges et reginæ, per quos designantur apostoli et prædicatores, quidquid terreni operis et peccati adhæserit pedibus, id est actionibus Ecclesiæ, sermone et exemplo suo mundabunt et abstergent. Pulverem (inquit) pedum tuorum lingent, id est terrenam conversationem auferent et peccata dimittent, juxta quod a Domino potestatem acceperunt, dicente eis : « Quodcunque solveritis in terra erit solutum et in cœlo (*Matth.* xviii). » « Et scies, » o Ecclesia, « quia ego Dominus, » subaudis cum Filio meo et Spiritu sancto « super quo, » id est in me « non confundentur » in judicio omnes electi « qui exspectant eum » recte credendo, bene vivendo, et perfecte perseverando.

« Nunquid tolletur a forte præda, aut quod captum fuerit a robusto salvum esse poterit? » Proponit Dominus quæstionem, quam ipse in subsequentibus exponit. Et ipse qui per Isaiam ista locutus est, ipse etiam per semetipsum in Evangelio similia protulit, dicens : Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet (*Luc.* ii). Fortem et robustum vult intelligi diabolum, qui tam fortiter tenuit genus humanum captum, ut nemo sanctorum ab eo posset auferre, neque Salomon per suam sapientiam, neque Job per suam sanctitatem, nisi Filius Dei per incarnationis suæ mysterium. Nunquid ergo tolletur a forte diabolo præda generis humani per aliquem sanctorum, aut quod captum tenetur a robusto diabolo, salvari poterit?

« Quia hæc dicit Dominus, et quidem captivitas » subaudis, quæ captivavit genus humanum, « a forte tolletur » in meo adventu per passionem meam, « et quod ablatum fuerat » Deo « a robusto » inimico persuasionem « salvabit » de morte ad vitam. « Eos vero, » subaudis dæmones vel Judæos, vel etiam gentiles « qui judicaverunt, » id est qui damnaverunt te injuste, o Ecclesia, « ego judicabo » juste in die judicii, tradens eos pœnis inferni, « et filios tuos, » id est omnes credentes « ego salvabo » dans eis regnum æternæ quietis. »

« Et cibabo, » id est satiabo vel reprobabo, « hostes

tuos carnibus tuis, » pro eo quod est dicere : putredine et miseria tua consumpti deficient, non desinant esse, sed ut jugiter crucientur, « et quasi musto sanguine suo inebriabuntur. » Non carnaliter ista intelligenda sunt, quod impii et qui persecutores sunt sanctorum carnes suas comedant et sanguinem suum bibant : sed ipsorum carnes devorabuntur a vermibus et bestiis infernalibus, id est in sua miseria et putredine peribunt, et sicut homo inebriatur a musto, ita illi replebuntur miseriis, eo quod multorum sanguinem sanctorum fuderunt. Possumus etiam ad præsens tempus referre, quod persecutorum sanctorum carnes a vermibus comedantur, et sanguis ebibatur. Sicut contigit Herodi, qui interfecit pueros, quique etiam consumptus a vermibus exspiravit. Illisque talibus contigit quod Propheta dicit : « Duplici contritione contere eos, Domine, videlicet in præsenti et in futuro (*Jerem.* XVII). » « Et » cum hæc fecero (inquit) in die judicii, vel in præsenti puniendo reprobos, « sciet omnis caro, » id est omnis electus qui visurus est Salutare Dei, « quia ego Dominus salvans te, » o Ecclesia, « et Redemptor tuus » qui te redemi sanguine meo : « Fortis Jacob, » id est qui dedi fortitudinem Jacob in luctatione cum angelo. Vel etiam per Jacob possumus intelligere Dominum, qui fortis exstitit tempore passionis, intantum ut pro crucifigentibus se oraverit, dicens : « Pater, ignosce illis (*Luc.* XXIII). » Quidam putant Jacob ita luctatum esse cum angelo, quemadmodum duo homines invicem se tenentes et brachiis ac toto corpore laborantes decertare videntur. Sed quomodo res corporalis luctari possit cum angelo tactu corporis, qui natura incorporalis est et invisibilis, minime apparet. Quæ quæstio hoc modo solvenda est. Dum fugeret ipse Jacob in Mesopotamiam ad Laban a facie fratris sui Esau, et devenisset in Bethel, nocte vidit in somnis scalam pertingentem usque ad cœlum, angelos Dei descendentes et ascendentes per eam, Dominumque innixum scalæ audivit dicentem : « Jacob, terram in qua dormis tibi dabo, et semini tuo (*Gen.* XXVIII). » Tunc data est ei custodia angelorum, qui eum custodirent in Mesopotamia. Revertente autem illo et veniente in eumdem locum, appropinquante mane, vidit castra Dei. Unde et appellavit eumdem locum Manaim, id est castra. Apparuit etiam ei angelus, qui eum servaverat quandiu moratus est in Mesopotamia, et dixit ei : « Dimitte me (*Gen.* XXXII) ,» subaudis ut vadam ad eum qui me misit. Procidensque statim in terram, cœpit orare et dicere : Non dimittam te, id est non cessabo a precibus, donec benedicas mihi. Et benedixit eum, dicens : Si cum Deo fortis es in oratione, quanto magis contra homines prævalebis? Id est, si in oratione permanseris, quomodo poteris vinci ab Esau? Tunc dimisit eum cessando a precibus. Aliter enim illum non tenuit, neque cum eo luctatus est nisi per orationem.

CAPUT L.

« Hæc dicit Dominus : Quis est liber repudii matris vestræ, » subaudis Synagogæ, « quo dimisi eam, aut quis est creditor meus cui vendidi vos? » id est quis est cui tanta debeo ut non habeam quod reddam, nisi vos tradidero ei? Populum Judæorum alloquitur, recedentem a se, loquens secundum consuetudinem eorum qui suis uxoribus dabant libellos repudii, id est chartam abjectionis, ut possent accipere alias. Dicit ergo : O Judæi, forsitan dicitis me abjecisse matrem vestram, quæ olim vocata est sponsa mea, sed nunc dicite quomodo dimiserim eam. Non ergo ego dimisi eam, neque dedi in compensatione peculii, sed ipsa recessit a me tradens se diabolo, factaque est adultera me derelinquendo proprium virum. « Ecce iniquitatibus vestris venditi estis, » diabolo, « et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. » Non est putandum quod ipse primum dimiserit eam, sed, ipsa adulterante et recedente ab illo, permisit abire. In iniquitate venditur homo, quando pro luxuria et libidine subdit se diabolo.

« Quia veni, » subaudis per incarnationis mysterium, « et non erat vir, » subaudis, habens similitudinem Dei : qui contra vitium ac diabolum viriliter pugnaret : sed more bestiarum omnes vivebant, juxta quod eis Joannes improperabat, dicens : Genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere a ventura ira (*Matth.* III)? Unde et subdit : « Vocavi » per pœnitentiam, dicens : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* XXIII). » « Et non erat qui audiret, » id est qui obediret vel qui intelligeret, eo quod non esset vir. « Nunquid abbreviata et parvula facta est manus mea, » id est potentia mea, « ut non possim redimere » populum meum de Babylone vel de captivitate diaboli, illum qui in me crediturus est : sicut olim redemi filios Israel de Ægypto? « Aut non est in me virtus » ad liberandum populum meum, vel ad liberandum me de morte? « Ecce in increpatione, » id est in indignatione vel visione, « mea desertum faciam mare, » id est vacuum reddam a suis aquis, si voluero, sicut quondam in transitu filiorum Israel. « Ponam flumina, » subaudis alia, « in siccum, » si voluero, sicut olim torrentem Arnon et Jordanem.

« Computrescent pisces sine aqua et morientur in siti » quemadmodum in illo flumine Ægypti. Et est sensus : Ego qui illa feci et modo possum similia facere, non habeo quidquam amissum de potentia mea. Allegorice autem mare significat hunc mundum, quod semper in motu est. Ecce (inquit) in indignatione mea desertum faciam hunc mundum in die judicii ab omni amaritudine, et ab omnibus habitatoribus suis. Et ponam flumina in siccum, id est doctrinam hæreticorum, et sapientiam philosophorum, exsiccabo. Et computrescent, id est deficient pisces sine aqua, hoc est curiosi et peccatores sine gratia Spiritus sancti : et morientur in siti, non habentes illam aquam de qua dixit Dominus : « Qui sitit veniat ad me et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). »

« Induam cœlos, » subaudis aereos, « in tenebris, et saccum ponam operimentum eorum. » Philosophi dicunt decem stadiis cœlum distendi a terra non am-

plius: quod spatium crassitudine aeris aliquando nobis splendorem solis abstrahit. Non cœlum ergo sacco obvolvitur, sed interdum sole in medio cœli posito, aer nobis obscuratur. Allegorice autem hic est sensus: Induam cœlos tenebris, id est faciam ut sancti recognoscant se esse peccatores: juxta illud, Justus in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII). Et, « Si dixerimus quia peccatum non habemus, mendaces erimus (*I Joan.* I). » Et saccum, id est cilicium, ponam operimentum eorum, ut, pœnitentiam agentes, dicant cum Psalmista: « Ego autem, dum mihi molesti essent, induebam me cilicio (*Psal.* XXXIV). »

« Dominus dedit mihi linguam eruditam, » id est doctam, « ut sciam sustentare eum, qui lapsus est, verbo. » Hebræi nolunt hoc referre ad Christum, sed potius ad Isaiam, cui Dominus linguam eruditam dedit ut sustentaret populum Judaicum, et qui multa opprobria ab eis sustinuit, in tantum ut serra lignea secaretur. Sed melius est ut referamus illud ad Dominum Jesum Christum, qui eruditam linguam habuit ad consolandum mœrentes et revocandum ad pœnitentiam peccatores, et qui pro salute generis humani hæc pati voluit. Dominus (inquit), id est Deus Pater dedit mihi linguam eruditam in lege omnique sapientia, ut sciam sustentare cum verbo qui lapsus est, subaudis in peccatum et mortem, genus videlicet humanum. Quo verbo dicit se sustentare genus humanum? Verbo prædicationis et pœnitentiæ dicendo. « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Et: « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam (*Matth.* XI). » Quod dicit, Dominus dedit mihi linguam eruditam, vox humanitatis est: secundum quam et post passionem ac resurrectionem dixit, « Data est mihi potestas omnis (*Matth.* XXVIII). » Quantum enim ad divinitatem pertinet, omnia possidet æternaliter cum Patre. « Erigit, » id est elevat, « mane, » hoc est ab exordio meæ nativitatis, vel prædicationis.

« Mane erigit mihi aurem, » id est intellectum mentis, « ut audiam » illum « quasi magistrum » et ne alia loquar nisi quæ ab illo audiero. De hoc dicit ipse in Evangelio Joannis: « Ego a meipso non loquor (*Joan.* XIV). » Loquitur Dominus more discipuli, qui matutino tempore a magistro docetur.

« Dominus Deus aperuit mihi aurem, » id est intelligentiam. « Ego autem non contradico, » id est contra voluntatem illius non ago. « Retrorsum non abii, » hoc est a voluntate illius non recessi, quia quæ placita sunt ei facio semper.

« Corpus meum dedi percutientibus, » Judæis et militibus Romanis, pro salute generis humani (*Joan.* VIII), « et genas meas vellentibus. » Genæ sunt loca ubi primum barba nascitur: tunc dedit genas suas sive barbam ad vellendum, quando velaverunt faciem ejus, et dabant ei alapas, illo non contemnente. « Faciem, » id est pœnitentiam meam, vel faciem corporis « non averti » sive non declinavi « ab increpantibus et conspuentibus. » Hæc omnia in passione illius legimus adimpleta.

« Dominus Deus, » subaudis Pater, « auxiliator » meus subaudis, fuit in passione, « ideo non sum confusus, » ideo non erubui, neque sustinui opprobrium. Tunc sustineret confusionem, si tertia die non resurrexisset. Ideo, quia ipse est auxiliator meus, « posui faciem meam ut petram durissimam, » ut a passione non me averterem. « Et scio quoniam non confundar, » id est non peribo.

« Juxta, » id est prope est « Deus » Pater « qui justificat me. » Tunc justificavit illum, quando dixit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et quando illum tertia die suscitavit: Quis contradicit mihi? Id est, quis potest dicere me non esse justum? « Stemus simul, » subaudis ad judicium. « Quis est adversarius meus? » accedat « ad me. » Tale est illud quod et in Evangelio dicit: « Quis (inquit) ex vobis arguet me de peccato? » (*Luc.* III.) Et est sensus superioris versiculi: Si quis (inquit) ex vobis Judæis putat me juste crucifixum et aliquod fecisse peccatum, accedat ad me ut judicemus simul.

« Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est ex vobis qui condemnet me? » Nullus potest me condemnare. « Ecce omnes Judæi, qui mihi contradicunt, quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos, » id est propria conscientia. Sicut vestimentum duobus modis consumitur, vetustate temporis, et tinea: ita illi quia tempore quadraginta annorum sibi dato ad pœnitentiam noluerunt converti, contriti sunt advenientibus Romanis, et in ipsa tribulatione propria conscientia torquebantur eo quod non credidissent in Christo. Vel etiam modo positi in pœnis inferni, recordatione propriæ conscientiæ torquentur.

« Quis ex vobis » infidelibus Judæis « timens Deum, audiens, » id est, intelligens « vocem servi sui, » id est Filii sui, dicentis: « Pœnitentiam agite (*Matth.* IV): » et ope adimplet? Nullus. Duo sunt timores, duæ et servitutes. Est timor servilis quo timet servus dominum, timens flagellari ab illo; est et timor amoris, quo timet filius patrem, sperans ab illo hæreditatem accipere. De quo timore hic loquitur ad Judæos, qui Deo servire et timere debuerant: quatenus ab illo hæreditatem patriæ cœlestis mererentur accipere. De hoc etiam timore dicitur: « Initium sapientiæ timor Domini (*Prov.* I). » Et: « Timor Domini omnia superat (*Eccl.* XXV), » et cætera his similia. Subjungitur ergo de ipso Filio Dei, et dicitur: « Quis, » subaudis Filius Dei, « ambulavit in tenebris, et non est lumen ei, » id est gloria in illo populo, sicut ipse dixit: « Nemo propheta est sine honore, nisi in patria sua (*Matth.* XIII; *Marc.* VI; *Luc.* IV). » Quod ergo lumen vel quæ gloria erat Filio Dei quando conspuebatur et colaphis cædebatur? Dicamus et aliter, ad gentiles hoc referentes. Qui gentilis populus ambulavit in tenebris infidelitatis, et non erat ei lumen in corde, id est Christus, qui dixit: « Ego sum lux

mundi (*Joan.* VIII).» Sed quid subjungitur? Ideo ergo quia non est ei lumen, vel de Christo, vel de gentili populo, « Speret in nomine Domini, et innitatur super Dominum suum, » subaudis: et tunc veniet ad lumen gaudii et lætitiæ meæ.

« Ecce omnes vos » Judæi « accendentes ignem » invidiæ, vel ignem vastationis contra vos propter peccata vestra, « et accincti flammis, » id est, circumdati peccatis. Ignem, quo succensa est civitas a Romanis, ipsi accenderunt, quando Filium Dei morti tradiderunt, succensi igne zeli et invidiæ contra eum. Ideo ergo dicit accincti flammis, quia sicut justus quilibet circumdatur virtutibus, ita peccator iniquitatibus. « Ambulate in lumine ignis vestri, » id est, in tribulatione captivitatis quam vobis parastis, « et in flammis » vastationis et miseriæ « quas succendistis. De manu mea, » id est de potentia mea, subaudis hoc malum vobis, o impiissimi Judæi. Tale est hoc quod alio in loco dicitur: Si est malum in civitate quod Dominus non fecit (*Amos.* III), « in doloribus, » subaudis vastationis et captivitatis, « dormieris, » vel doloribus inferni jacentes ista sustinebitis, videlicet flammam et ignem tribulationis.

CAPUT LI.

« Audite, qui sequimini quod justum est et quæritis Dominum. » Superius locutus est contra Judæos incredulos, qui in infidelitate permanserunt: nunc alloquitur apostolos et omnem chorum credentium: Audite (inquit) me, o apostoli, id est audientes me, intelligite quæ dico: qui sequimini et qui imitamini per fidem quod justum est, id est Christum, et quæritis Dominum fide et devotione, et non lucra terrena. « Attendite, » o populi, « ad petram unde excisi estis, » id est ad Abraham, qui petra fuit propter firmitatem fidei, de quo processistis, « et ad cavernam laci, » id est ad Saram de qua excisi estis. Vel aliter: Attendite ad petram, id est ad Christum, unde excisi estis, a quo fidem accepistis, et a quo Christiani vocamini. De qua petra dicit Apostolus: « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X). » Cavernam laci possumus intelligere latus Christi quod perfossum est lancea, sicut ipse dixit in psalmo: « Foderunt manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI). » De quo excisi sumus, quando exivit sanguis redemptionis nostræ, et aqua baptismatis. Possumus etiam cavernam laci intelligere sepulcrum Domini, de quo, ipse resurgens, innumerabiles filios sibi genuit. Tertio etiam modo, cavernam laci possumus dicere Ecclesiam, quæ diu sterilis fuit, et de qua quotidie excidimur, id est nascimur per lavacrum baptismi.

« Attendite ad Abraham patrem vestrum, et Saram quæ peperit vos. » Idem sensus est qui et superius, quia unum, id est solum « vocavi eum, » dicens: « Exi de terra tua et cognatione tua (*Gen.* XII), » et cætera quæ ibi sequuntur: « Et benedixi ei in omnibus operibus suis, et multiplicavi eum in auro et filiis. Consolabitur ergo Dominus Sion, » id est Ecclesiam in apostolis. « Consolabitur omnes ruinas ejus. » De gentilitate ad fidem venientes et eas complens. Et est sensus: Ego Deus omnipotens qui olim Abraham multiplicavi, possum etiam consolari Ecclesiam, et augere filios ejus. « Et ponet desertum ejus, » id est primitivæ Ecclesiæ, « quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini, » hoc est, quæ antea deserta erat a Deo, id est derelicta et in solitudinem redacta, habeat in se habitatorem Deum, et proferat flores virtutum, et fructus bonæ operationis. « Gaudium et lætitia invenietur in ea. Gratiarum actio et vox laudis. » Pro beneficiis sibi a Deo collatis. Et quia redemit eam sanguine passionis suæ, gratias referet ei et laudes fidei ac confessionis.

« Attendite ad me populus meus, » id est apostoli mei, « et tribus mea, » id est, qui credidistis ex Judæis vel gentibus, « audite me. » Iste est populus, et istæ sunt tribus, de quibus Gabriel loquitur ad Joseph: « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). » Et quid præcipit ut audiant? « Quia lex, » inquit, subaudis Evangelii, « a me exiet, et judicium meum, » id est decretum, « in lucem, » hoc est, in fidem populorum « requiescet qui in tenebris » infidelitatis « erant » juxta illud: « Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam (*Isai.* IX). » Judicium discretionis fuit, ut Judæis nolentibus credere, gentiles ad fidem vocarentur. Hæc quæ diximus, ex persona Filii Dei prolata sunt: hoc vero quod sequitur, vox Patris est de Filio.

« Prope est justus meus, » id est, prope est ut nascatur ex virgine Filius meus: « non morabitur amplius. Egressus est Salvator meus, » id est jam a me genitus: egredietur tempore a matre. Justum appellat Dominus pater filium suum et Savatorem, quia per illum justificat et salvat omnes electos suos. Quod autem subjungit, « et brachia mea populos judicabunt, » apostolos vult intelligi et apostolicos viros, qui judicaturi sunt omnes gentes in die judicii: sicut ipse Dominus promisit, dicens: « Cum sederit (inquiens) Filius hominis in sede majestate suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XVIII). » « Me insulæ, » id est gentiles vel Ecclesiæ, « exspectabunt, » sicut Jacob dixit: « Non deficiet princeps ex Juda, donec veniat qui mittendus est: et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX); » « et brachium meum, » hoc est Filium meum « sustinebunt » per quem omnia feci.

« Levate in cœlum oculos vestros, » o gentiles, vel Ecclesiæ, « et videte, » id est considerate, vel comprehendite « quia cœli, » subaudis aeris, « sicut fumus liquescent, » id est evanescent, « et terra sicut vestimentum atteretur, » hoc est deficiet, « et habitatores ejus, » id est omnes bestiæ, volucresque, et omnes creaturæ quæ inventæ fuerint tunc temporis in ea, « sicut hæc interibunt, » id est omnia morientur. Idem est quod Dominus in Evangelio dicit: « Cœlum et terra transibunt (*Matth.* XXIV), » per im-

mutationem subaudis et in meliorationem, et non A per essentiam. Juxta quod Salomon dicit : « Generatio præterit et generatio advenit; terra vero in æternum stat (*Eccle.* I). » Sed licet omnia transeant, « Salus mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. » Salus et justitia Dei Patris Filius est, quia per illum salvat et justificat prædestinatos ad vitam. Hæc est salus de qua dixit Simeon : « Viderunt oculi mei Salutare tuum (*Luc.* II). » Et Jacob : « Salutare (inquit) tuum exspectabo, Domine (*Gen.* XLIX). »

« Audite me, » o populi et credentes « qui scitis justum, » id est Christum, populus videlicet fidelis. « Lex mea, » id est lex Evangelii, « in cordibus eorum, » subaudis fidelium : non in ore solummodo, sed in corde et operatione. Vox Dei Patris ad credentes. Auditus in sacro eloquio spiritualiter est requirendus. « Audite me, » id est intelligite doctrinam evangelicam, et opere studete adimplere. « Nolite timere, » o apostoli, « opprobrium hominum, » id est contumelias et oppressionem, « et blasphemias eorum ne metuatis. » Tale est illud quod et in Evangelio continetur : « Nolite timere eos qui occidunt corpus (*Matth.* X). »

« Sicut enim vestimentum, » subaudis consumitur verme, vel tempore, « sic comedet eos vermis, » id est propria conscientia. « Et sicut lanam » devorat tinea, « sic devorabit eos tinea, » quia similiter conscientiam propriam significat. Aliter : sicut vestimentum vetustate et tinea consumitur, sic opprobrium illorum cum persecutoribus pertransibit. C « Salus autem mea » Christus « in sempiternum erit, et justitia mea in generatione et generationem, » id est, in omnia tempora futura. Vel in generatione Judæorum, et generationem gentium.

« Consurge, consurge, induere fortitudine brachium Domini. » Vox prophetæ et populi fidelis, deprecantis pro adventu Filii Dei. O brachium Domini, id est Filii Dei altissime, surge de gloria paternæ majestatis ad incarnationis tuæ mysterium adimplendum : consurge ad redimendum genus humanum. Induere fortitudine divinitatis tuæ contra dæmones. « Consurge sicut in diebus antiquis in generationibus sæculorum. » Et est sensus : Sicut in antiquis temporibus auxiliatus es populo tuo educens eum de Ægypto, et sicut in generationibus patrum nostrorum tuam ostendisti fortitudinem, sic modo veni in carne liberare genus humanum de manu diaboli. « Nunquid », o Domine Deus, qui æqualis es Patri in omnibus, « non percussisti superbum, » subaudis diabolum, projiciens eum de cœlo, « vulnerasti draconem, » Pharaonem, in mari, vel diabolum?

« Nunquid [non] tu siccasti mare aquam abyssi vehementis » ut transitum præberes populo tuo? « Qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati » electi tui. Et est sensus : Sicuti hæc omnia fecisti, sic quoque veni ad salvandum electum populum tuum.

« Et nunc qui redempti sunt a Domino, » subaudis sanguine Filii ejus, « revertentur, » de iniquitate ad justitiam, « et venient in Sion, » id est in præsentem Ecclesiam, vel, quod melius est, in cœlestem beatitudinem laudantes illum. « Et lætitia sempiterna super capita eorum, » id est in mentibus eorum. Juxta illud Psalmistæ octogesimo tertio psalmo : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. » Hæc non possunt habere sancti in præsenti sæculo positi ; unde et sequitur : « Gaudium et lætitiam obtinebunt, » subaudis, in cœlesti Jerusalem. « Fugiet dolor et gemitus, » sicut dicitur in Apocalypsi capite vigesimo primo : Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor. B

« Ego, ego ipse, » subaudis, Filius Dei, « consolabor vos, » redimendo, et dando Spiritum sanctum, qui est verus consolator. Quia dixerat superius populus fidelis orando ad Dominum, consurge ad nos salvandos : respondet ipse per prophetam : Ego (inquiens) consolabor vos, et non alius. Non potentes hujus sæculi, non sapientes hujus mundi. « Quis tu, » o chorus fidelium, « ut timeres, » id est ut timere debeas « ab homine mortali et a filio hominis, qui quasi fenum cito arescet : et oblitus es Domini factoris tui? » Alloquitur chorum apostolorum, ut non timeat sævitiam et tormenta hominum, quia ipsi peribunt et transibunt sicut fenum quod cito arescet : quia omnis caro fenum. Et alloquitur etiam illos qui timore passionis perterriti negaverant eum, ut erubescant in sua iniquitate, et roborentur in fide agentes pœnitentiam. Quando (inquit) timuisti hominem mortalem tempore afflictionis, amisisti timorem Creatoris tui. « Qui tetendit cœlos, et fundavit terram. Et formidasti jugiter tota die, » id est omni tempore passionis « a facie furoris ejus » persecutoris « qui te tribulabat » in corpore « et paraverat ad perdendum » in anima, non recordans illud : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X). » « Ubi est nunc furor tribulantis? » Alloquitur populum fidelem, ut consideret quomodo omnes persecutores et omnes homines pertranseant a præsenti, ut per hæc consolidet eos in fide. D

« Cito veniet, » subaudis Filius meus per incarnationis mysterium « gradiens » secundum humanitatem « ad aperiendum » cor superborum hominum, vel etiam ad aperiendum infernum. Et non interficiet usque ad internecionem, id est, non damnabit statim ut venerit peccatores, sed exspectabit ad pœnitentiam, sicut ipse prædicavit, dicens, « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Et, « Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur a sua iniquitate, et vivat (*Ezech.* XVIII). » Quodque subjungit, « non deficiet panis ejus, » vel de ipso Filio intelligendum est qui dixit : « Ego sum panis vivus (*Joan.* VI) : » Vel de corpore et sanguine illius, de quo idem Filius dixit,

Qui manducaverit panem hunc vivet in æternum. Vel etiam tertio modo de doctrina Evangelica intelligendum est, quia nunquam deficiet : sed semper, observatores suos pabulo vitæ pascet.

« Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, » id est habitatores hujus mundi, « et intumescunt fluctus ejus, » hoc est persecutiones malorum hominum commoventur contra electos. « Dominus exercituum nomen meum, » id est Dominus militiarum angelorum et hominum. Apostropham facit ad ipsum Filium. Quando conturbavit Deus Pater hoc mare? Quando Judæos sævire permisit, primum in Filium suum, deinde in apostolos, et credentes in se. Et si ipse conturbavit, quare tenentur rei illi qui eos sunt persecuti? Tunc dicitur ipse conturbasse, quando permisit conturbari eos.

« Posui verbum meum in ore tuo, » id est plenitudinem sapientiæ et scientiæ dedi tibi. « Et in umbra manus meæ protexi te, » id est in protectione divinitatis custodivi te ne peccares, et ne vilesceret caro assumpta a Verbo, « ut plantes cœlos, » subaudis novos, « et fundes terram, » subaudis novam, « et dicas ad Sion, » hoc est ad Ecclesiam, « Populus meus es tu. » Ad hominem assumptum a Verbo loquitur ista Deus Pater, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter ex tempore. Quantum enim ad divinitatem pertinet, nihil accepit ex tempore a Patre, sed omnia possidet communia cum Patre; quippe qui est Dei virtus et Dei sapientia, per quem cuncta facta sunt ex nihilo. Per cœlum novum et terram novam, quam præcepit Deus Pater Filio ut plantet et fundat, debemus intelligere apostolos apostolicosque viros et omnes fideles, qui a Domino plantati sunt, et in ipso fundati, fide, dilectione Dei et proximi : qui de vetustate peccati renovati sunt in novitate fidei et sanctæ conversationis.

« Elevare, elevare, consurge, Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus. » Ad eos loquitur sermo divinus, qui in Domini passione conciderunt in negationis peccatum et infidelitatis, dicentes : « Crucifige talem, et da nobis Barrabam : non enim habemus regem nisi Cæsarem. » (*Matth.* XXVI.) Et sicut jacenti in lectulo dicitur elevare : ita et illis præcipitur ut eleventur a vitiis ad virtutes, de infidelitate ad fidem. Et cum dicit : « Elevare, elevare, Jerusalem, » non debemus putare quod muris civitatis præcipiat ut in pristinum statum eleventur, qui a Romanis destructi sunt; sed metonomicos intelligendum est per id quod continet, id quod continetur. Elevare, inquit, o populue Judæorum, de vitiis ad virtutes, de infidelitate ad fidem. Consurge, Jerusalem, id est age pœnitentiam, quæ bibisti de manu Domini, id est de potestate Domini, calicem iræ ejus. Per calicem iræ ejus debemus intelligere vastationem Romanorum, et magnitudinem tormentorum et afflictionem. Quod per calicem designatur afflictio et tribulatio, Psalmista manifestat, dicens : « Calix in manu Domini vini meri plenus. Et inclinabit, » etc., usque ad illud quod sequitur : « Bibent A omnes peccatores terræ. » (*Psal.* LXXIV.) Et Dominus ad Jeremiam : « Sume, inquit, calicem de manu mea, et propinabis cunctis gentibus ad quas mittam te. » (*Jer.* XXIV.) « Usque ad fundum calicem soporis, » id est mortis, « bibisti et potasti usque ad feces, » id est usque ad finem sæculi sustinebitis istam captivitatem. Idcirco dicit usque ad fundum bibisti, et usque ad feces : quia post illam captivitatem altera non veniet eis, manentibus semper in illa.

« Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis quos genuit, et non est qui apprehendat manum ejus, et erigat jacentem, » id est qui operationem ejus roboret, « ex omnibus filiis quos enutrivit. » Quando exierunt de Ægypto, habuerunt Mosen qui sustenB tavit eos, et oravit pro eis dicens ad Dominum : « Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo (*Exod.* XXXII). » Iterum quando ducti sunt in Babylonem, habuerunt Danielem et socios ejus, aliosque prophetas, qui apprehenderunt manum eorum, id est operationem eorum, et sustentaverunt eos suis precibus. In hac vero captivitate ultima, neque sacerdotem, neque prophetam, neque apostolum habent interpellatorem pro se : quia noluerunt eos habere. Apostoli etenim voluerunt manum præbere, id est consolationem quomodo erigerentur; sed contempti ab eis dimiserunt eos, transeuntes ad gentes.

« Duo sunt quæ occurrerunt tibi, » o Jerusalem. « Quis contristabitur super te? » Subaudis, sicut olim C contristatus est Jeremias et Daniel; vel sicut contristatus est Christus super te, quando flevit super te, sicut in Evangelio continetur (*Luc.* X). Duo dicit, et quatuor commemorat, quæ quatuor iterum in duo rediguntur, « Vastitas, » inquit, « et contritio, » quæ unum significant, « et fames, et gladius, » quæ similiter unum sunt, subaudis venient tibi. « Et quis consolabitur super te? » Aut nullus, aut raro invenietur.

« Filii tui projecti sunt, » subaudis de sedibus suis, in omnes gentes ducti captivi « dormierunt in capite omnium viarum, » id est mortui sunt per plateas diversarum gentium, nuda corpora super nudum humum habentes. « Sicut bestia illaqueata, » D subaudis sic dormierunt. « O plebs plena indignatione Domini, » id est vindicta Domini, « increpatione Dei tui. » Ubi in Hebræo dicitur dormierunt sicut bestia illaqueata, Septuaginta transtulerunt sicut betasemicocta : quæ herba calore solis cito floscida efficitur. Et alii interpretes dixerunt, sicut oryx illaqueatus, quæ est bestia sacrificio non apta. Et est sensus : Sicut bestia quæ appellatur oryx venatorum retibus illaqueatur, non habens quo fugiat, diuque fatigata inibi revoluta conquiescit : sic filii tui illaqueati sunt vinculis et funibus peccatorum suorum, ubique mortui et interfecti jacent, non habentes auxilium quo iram Domini evadant.

« Idcirco, » subaudis quia non habes consolatorem qui sustineat te, « audi hoc, pauperecula ebria

non a vino. » Paupercula vocatur, quia effeminata erat, et non habebat divitias spirituales.

« Hæc dicit dominator tuus Dominus et Deus tuus, qui pugnavit pro populo suo. » Sæpe pugnavit Dominus omnipotens pro Judæis et multa bona illis præstitit, quæ longum esset per omnia enarrare. « Ecce tuli, » pro eo quod est tollam, « de manu tua calicem soporis, » id est captivitatem mortis. « Fundum calicis indignationis meæ, » subaudis tollam, si pœnitentiam egeris. Prædixit superius captivitatem et miseriam eis futuram, nunc hortatur ad pœnitentiam, dicens : Si, inquit, egeris fructus dignos pœnitentiæ, tollam a te captivitatis malum et iram indignationis meæ. « Non adjicias ultra, » subaudis postquam pœnitentiam egeris, « ut bibas illum, » subaudis calicem, id est ut sustineas tribulationem.

« Et ponam illum » calicem « in manu eorum » regum et populorum, vel dæmonum « qui te humiliaverunt, » qui pro omnibus quos decipiunt vindictam suscipient. Et in manu eorum dæmonum « qui dixerunt animæ tuæ, Incurvare ut transeamus, » id est subde te vitiis, ut postea requiescamus in te, et conculcemus te. « Et posuisti ut terram corpus tuum, » hoc est, ut terræ adhæreret. Vel sicut calcatur terra, ita calcationi præberes, « et quasi viam, » subaudis dedisti corpus tuum, « transeuntibus » dæmonibus et malignis spiritibus, ut sicut via omnibus patet, ita tu pateres libidini. Quantum ad litteram pertinet, impletum est quod superius dixit : Et humiliabo eos qui te humiliaverunt. Videamus quomodo completum sit. Humiliaverunt eos Chaldæi, humiliati sunt et ipsi a Medis et Persis. Humiliaverunt eos Romani, qui et postea perierunt, et multa mala sustinuerunt. Ita etiam maligni spiritus qui eos humiliaverunt suadendo ut crucifigerent Christum, humiliati sunt : quia amiserunt per Domini passionem potestatem quam obtinebant in toto mundo, et in die judicii humiliabuntur adhuc, cum traditi fuerint pœnis inferni. Moritur autem unaquæque anima dum peccat serviendo vitiis, ruit in mortem, et captivatur a diabolo; dum ergo pœnitentiam agit, elevatur et consurgit in statu bonæ operationis; et maligni spiritus, qui eam humiliaverant trahendo ad culpam, humiliantur in inferno.

CAPUT LII.

« Consurge, consurge, induere fortitudinem tuam, Sion : induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem civitas sancti. » Isaias propheta, longe ante adventum Domini, prævidens Judæos casuros et ruituros in negationem Christi et infidelitatem, et postmodum plurimos eorum ad fidem venturos, alloquitur eos modo qui post resurrectionem et ascensionem Domini prædicantibus apostolis crediderunt una die tria millia, et altera die quinque millia, et deinceps multa millia (*Act.* II), ut consurgant de infidelitate ad fidem perfectam, et de terrenis ad cœlestia, et dicit : Consurge, o Sion, induere fortitudine tua, quæ cecidisti per negationem; induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas sancti, subaudis Dei templi. Quæ sunt ista vestimenta quibus præcipitur indui? Fides, spes, dilectio Dei et proximi, castitas, humilitas, cæteræque virtutes quibus vestiuntur et ornantur sancti. Ac si diceret aliis verbis : Desere infidelitatis errorem, et accipe fidem et honorem omnium virtutum, omniaque ornamenta doctrinarum, et esto civitas sancti. Quidam codices habent civitas sancti, quidam civitas sancta, quod utrumque constare potest. Si dixerimus civitas sancti, necesse est ut subaudiamus Dei, quia civitas sancta Dei fuit in patribus, id est omnipotentis Dei. Vel etiam civitas sancti, subaudis templi, quæ in medio sui habebat templum sanctificatum Domino. Civitas eorum sancta dici potest, quia cum omnes gentes idola colerent, hæc sola in orbe terrarum Dei notitiam habebat, et adventum Filii Dei exspectabat. Unde et post resurrectionem Domini permanente adhuc primo nomine civitas sancta vocatur, dicente Evangelista : Quia multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, et apparuerunt multis in sanctam civitatem, quæ utique tunc temporis sancta esse non poterat, quia in Filium Dei manus miserat (*Matth.* XXVII). Inter Jerusalem autem et Sion hoc distat, quia Sion vocabatur arx et civitas David. Jerusalem autem reliqua pars civitatis. Quodque sequitur : « Quia non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus, » specialiter ad cœlestem pertinet Jerusalem, per quam non transit aliquis incircumcisus, id est qui non est purgatus a peccatis, et immundus. Potest et ad præsentem etiam referri Jerusalem, id est Ecclesiam, cum subaudi-tione, ut dicamus quia non pertransibit ultra per te incircumcisus et immundus, si recte custodieris quæ dico. Circumcisio ista spiritualiter est tenenda, et non in uno solummodo corporis membro, sed in omnibus, et sensu, et voluntate, ac cupiditate prava observanda, ut in omnibus simus purgati et mundi.

« Excutere de pulvere » peccatorum, id est expia te peccato, « consurge » ad pœnitentiam. « Sede » in statu mentis, o « filia Sion captiva, » id est quæ jam captiva teneris, « solve vincula colli tui, » id est vincula peccatorum ac blasphemiarum, ut possis dicere cum Psalmista : « Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. » Non erat tunc filia, sed captiva tenebatur, id est jam ei imminebat captivitas, quia negando Filium Dei effeminata est, et amisit virginitatem suam. Tunc solvit, Sion, vincula colli tui, de illis dico qui crediderunt, quando prædicantibus apostolis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. « Quia hæc dicit Dominus : Gratis venundati estis, et sine argento redimemini. » Gratis, id est sponte et voluntarie, venundati estis diabolo : quia nihil boni acceperunt a Pilato, tradentes Filium Dei morti. Et neque aliquod commodum inde percepe-runt, nec aliquod incommodum evaserunt. Ideo autem dicit, et sine argento redimemini, quia sine aliquo lucro et præmio, et sine nostris præcedentibus meritis Filius Dei nos redemit sua gratia et mi-

sericordia. Unde Petrus apostolus dicit : Non auro corruptibili et argento, vel lapide pretioso redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine Jesu Christi (*I Petr.* I). »

Quia hæc dicit Dominus : « In Ægyptum descendit populus meus in principio, » hoc est in Jacob, « ut colonus esset ibi, » id est ut incoleret terram Gessen. « Et Assur, » hoc est Assyrius populus veniens cum Nabuchodonosor. « Absque ulla causa calumniatus est eum, » postquam illi introierunt in terram suam. Et est sensus : Ægyptii quidem voluerunt tenere populum meum in servitute, ob hujusmodi videlicet causam, quia liberaverant eum de penuria famis. Et revera juste videbantur ex parte agere; sed ego liberavi eum educendo per desertum in terram sibi ante promissam. Et si deliquit contra Assyrium, ut eum expelleret a proprio solo, et calumniaretur eum, id est ut opprimeret illum, et occasionem quæreret nocendi. Moraliter autem Ægyptus, quæ interpretatur tenebræ vel mœror, significat hunc mundum. Genus ergo humanum in principio, hoc est in primo parente nostro, descendit in hunc mundum, ut colonus esset ibi. Juxta quod Psalmista dicit : « Incola ego sum apud te, et peregrinus (*Psal.* XXXVIII). » Sed diabolus absque ulla causa calumniatus est eum, id est sine causa quæsivit decipere eum, quia nihil ei commiserat. Genus ergo humanum propter hoc dico colonum hic esse, quia, si non peccasset suadente diabolo, completo numero electorum, statim transiret de terreno paradiso ad gaudia æternæ quietis.

« Et nunquid mihi est hic, dicit Dominus? » Quasi diceret : Quid memor hic in Judæa amplius, cum pauci ibi sint in me credituri? Pergam ad gentes, « quoniam ablatus est populus meus gratis de terra sua, » vel a Deo ablatus est male vivendo.

« Dominatores ejus, » subaudis populi decem et duarum tribuum, « inique agunt, dicit Dominus, et jugiter tota die nomen meum blasphematur, » subaudis in Synagogis eorum, sicut beatus Hieronymus dicit, quod ter quotidie in synagogis suis maledicunt Dominum omnesque Nazarænos ejus, vel etiam in gentibus blasphematur, secundum illud : Per vos nomen Dei in gentibus blasphematur. Dum enim illi prava opera in conspectu gentium adimplebant, deridebatur nomen Dei et religio Dei. Et quando propter peccata sua ducebantur in captivitatem, et tradebantur in manus hostium, dicebant Ægyptii, Moabitæ et Idumæi, aliæque gentes vicinæ eorum (*Rom.* II) : Ubi est nunc Deus eorum? Modo apparet majoris potestatis et virtutis esse deos nostros, quam illorum sit, qui non valet eos protegere ab hostibus et gubernare. Dominatores ejus, inquit, inique agentes, debemus intelligere reges et principes, sacerdotesque necnon et scribas et Pharisæos, ob quorum peccatam populus traditus est in direptionem.

« Propter hoc, » subaudis quia blasphemor a Judæis, « sciet populus meus, » omnes fideles et credentes, « nomen meum in die illa, » hoc est in tempore incarnationis meæ, « quia ego ipse qui loquebar » per patriarchas et prophetas, « Ecce adsum » per incarnationis mysterium. Populum suum appellat illum, de quod dixit angelus ad Joseph : « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). » Iste est dies, de quo dicit Dominus in Evangelio : « Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum (*Joan.* VIII). » Nomen ergo ejus sciunt omnes credentes, quia ab ipso Christiani vocantur.

« Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis : Sion regnabit Deus tuus. » Quidam codices habent : annuntiantes et prædicantes pacem, sed falso scriptum est. Ordo ergo verborum iste est : Quam pulchri pedes, subaudis Christi, annuntiantis et prædicantis super omnes pacem! Montes duobus modis possumus intelligere, vel secundum litteram montes Judæorum, super quos sæpe Dominus prædicavit positus in carne, in quibus et turbas refecit : vel, quod melius est, apostolos, qui fuerunt montes propter altitudinem virtutum : super quos Dominus prædicavit, quia sub ipsis cordibus eorum sedebat, dicens : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Et de quibus in Psalmo dicitur : « Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis (*Psal.* LVII). » Seipsum ergo illis prædicavit et annuntiavit, quia ipse est pax nostra qui fecit utraque unum (*Ephes.* II), et qui nos pacificavit Deo Patri. Pedes ergo Christi annuntiantis pacem pulchri sunt : quia pulverem peccatorum non contraxerunt. « Peccatum enim non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II). » Et : Quam pulchri pedes, inquit, Christi, annuntiantis bonum, vel se vel Evangelium suum : prædicantis salutem, hoc est, redemptionem et præmium vitæ! Et quam pulchri pedes Christi, dicentis : O Sion, hoc est, universalis Ecclesia, regnabit Deus tuus! Vox prophetæ de Filio prædicantis et annuntiantis pacem super apostolos, et dicentis ad Ecclesiam : Regnabit Deus tuus. Vel etiam de apostolis intelligi potest, qui pedes Domini fuerunt, quando per illos discurrendo per universum orbem Evangelium annuntiavit, et est sensus : Quam pulchri, inquit, pedes, id est apostoli, annuntiantis Christi super montes pacem! id est super alios electos per ornamentum illorum. Tale est hoc quod idem Isaias alio in loco dicit : Vox Christi clamantis in deserto per os Joannis. Apostoli ergo pedes Domini fuerunt, et quidquid annuntiaverunt, Christus per ora illorum annuntiavit, ideoque dicit annuntiantis Christi.

« Vox speculatorum tuorum, » subaudis audita est in toto mundo, « levaverunt vocem, » subaudis prædicationis, annuntiantis Evangelium. Sicut in Veteri Testamento prophetæ et sacerdotes appellabantur speculatores, ita in Novo apostoli et prædicatores, quia ipsi debent in speculo mentis esse, contemplantes semper cœlestia, et ipsi debent vitam subjectorum speculari, et insidias atque adventum hostium malignorum videlicet annuntiare. Istorum enim

speculatorum vox in omnem terram audita est, et in fines orbis terræ verba eorum resonaverunt. Et bene dicit levaverunt vocem, quia de sublimioribus locuti sunt. Unde et sequitur : « Simul laudabunt, » subaudis Dominum omnes apostoli et omnes prædicatores : « quia oculo ad oculum videbunt, » id est facie ad faciem, « cum converterit Dominus Sion, » id est cum adduxerit ad fidem suam Ecclesiam. De illis loquitur oculis de quibus dicit Psalmista : « Oculi mei semper ad Dominum (*Psal.* XXIV). »

« Gaudete et laudate simul, deserta Hierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem. » Alloquitur modo primitivam Ecclesiam, quæ credidit ex Judæis : et consolatur eam de multitudine gentium, quæ in locum Judæorum qui in infidelitate permanserunt, successit. Ducto populo in captivitatem a Romanis, et succensis urbibus, aut rarus, aut nullus habitator remansit ibi ex Judæis. Sed Ecclesia quæ quondam fuit in eis, reparata est ex numero gentium ad fidem venientium, insuper et multiplicata est. Unde et dicitur eis qui ex ipsis crediderunt, apostolis videlicet et apostolicis viris, qui salvati sunt de manibus Romanorum, a quibus et Evangelium prædicatum est in gentibus. Gaudete et laudate (inquit), deserta Hierusalem, id est Ecclesia primitiva ex Judæis, et credentes qui derelicti estis a captivitate fratrum : quia consolatus est Dominus populum suum credentem in se, per adventum Spiritus sancti, et ex multitudine gentium convenientium ad fidem : et redemit Hierusalem, hoc est Ecclesiam universalem sanguine suo. Licet enim apostoli et credentes ex Judæis dolerent perditionem fratrum suorum in errore permanentium : magnam tamen lætitiam exinde perceperunt, quod ea quæ in Judæis perierant, ex gentibus restaurabantur.

« Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, » id est revelavit Filium suum in oculis mentium et cordium omnium gentium per prædicationem apostolorum, quando profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante (*Marc.* XVI). Et quomodo Filium suum revelavit per apostolorum prædicationem? quia consolatus est populum suum credentem in se, tam ex Judæis quam ex gentibus : et redemit Hierusalem sanguine Filii sui, hoc est Ecclesiam. Unde et sequitur : « Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri, » id est Dominum Jesum Christum. Brachium Dei Patris et salutare Filius est, sicut diximus, quia per ipsum cuncta creavit, ut Joannes dicit : « Omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I). » Et per ipsum decrevit genus humanum salvare. Quod brachium vel salutare Dei Patris non viderunt omnes gentes, vel omnes fines terræ in præsentia corporali : sed mente et contemplatione cordis visuri sunt eum omnes homines in die judicii, boni et mali : quia illi dedit Pater omne judicium (*Joan.* V).

« Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. » Hæc verba referunt Judæi ad illud tempus, cum permittente Cyro regressi sunt in Hierusalem cum gloria, sub Zorobabel et Esdra, ferentes secum vasa Domini quæ abstulerat Nabuchodonosor in Babylonem, et in quibus potabat Balthasar cum interfectus est ab ipso Cyro et avunculo ejus Dario. Præcipiturque illis ut mundent se per pœnitentiam, qui debent vasa Domini afferre in Hierusalem. Et promittitur quia non exibunt in fuga neque in tumultu a Chaldæis, sicut quondam ab Ægyptiis. Hæc quidem Judæi autumant, sed melius est ut ad apostolos et ad primitivam Ecclesiam referamus, quibus præcipitur ut exeant de Hierusalem et transeant ad gentes, dicente ad eos Domino : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Ante enim quam Romani advenirent super eam, divinitus procuratum est ut apostoli per omnes gentes divisi essent, et credentes inibi commorantes transirent ad partes regni Agrippæ, qui pacem habebat cum Romanis : sancto Spiritu hoc illis revelante, alloquitur eos sermo divinus, et dicit : Recedite, apostoli de Hierusalem, exite inde ne involvamini peccatis, pollutum nolite tangere, hoc est cum Judæis pollutis morte et sanguine Filii Dei nolite societatem habere; quia « qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea (*Eccl.* XIII). » Unde et ipsi apostoli dicunt : « Quia indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* III). » Sequitur ergo, et dicitur ad eosdem : « Exite de medio ejus, » hoc est de medio Hierusalem, ne peccatis eorum involvamini. « Mundamini, » subaudis a vitiis, apostoli : « qui fertis vasa Domini. » Ipsi fuerunt vasa Domini, quia in illis habitavit per fidem et dilectionem : de quorum numero ad unum loquitur : « Vas electionis mihi est, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus (*Act.* IX). » Possumus etiam dicere, quæ vasa Domini armatura sit spiritualis, quam debet unusquisque fidelium in mente ferre, de qua et apostolus loquebatur : « Induite vos armatura Dei, ut possitis resistere in die malo (*Ephes.* VI). » Et quæ sit ista armatura, in subsequentibus manifestat, hoc est, lorica justitiæ, et clypeus fidei, et galea salutis, et ad ultimum gladius, quod est verbum Dei.

« Quoniam non in tumultu, » hoc est in timore vel pavore, « exibitis » a Judæis : « nec in fuga properabitis » ex Ægypto filii Israel. Licet apostoli flagellati et cæsi essent a Judæis in synagogis, tamen non recesserunt ab eis ut fugientes, sed quasi in pace victores existentes. « Præcedet enim vos Dominus, » subaudis ad gentes, sicut vobis promisit, dicens : « Ecce præcedet vos in Galilæam. » « Et congregabit vos Deus Israel » in unum ovile (*Matth.* XXVIII), ex Judæis, scilicet et gentibus unam Ecclesiam constituens : sicut ipse dicit : « ut fiat unum ovile et unus pastor (*Joan.* X). »

« Ecce intelliget servus meus, » id est Filius meus, voluntatem meam, « et exaltabitur » post resurrectionem suam in cordibus gentium apostolorum

suorum prædicatione; vel etiam exaltabitur de sepulcro ad cœlos, de morte ad vitam : « et elevabitur » super omnes cœlos : « et sublimis erit valde, » sedens in gloria pristinæ majestatis. Filius Dei secundum humanitatem servus appellatur, quia cum in « forma Dei esset, humiliavit semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem (*Philip.* II); » et quia hoc egit, exaltavit illum Deus Pater ad dexteram suam, dans illi nomen quod est super omne nomen, ut Filius Dei dicatur.

« Sicut obstupefuerunt [obstupuerunt], » id est sicut admirati sunt « super te multi, » subaudis ante passionem tuam, videntes signa et miracula a te fieri, « sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, » tempore passionis, videntes eum conspui et flagellari, atque ad ultimum crucifigi; « et forma ejus, » id est B species ejus, subaudis sine honore erit « inter filios hominum. » Vox Dei Patris ad Filium. Isto in loco non servatur ordo historiæ. Superius enim locutus est Propheta ex persona Dei Patris de ascensione Filii Dei, modo revertitur ad passionem illius. Et quæstio hic oritur quare dicat Psalmista : « Speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XXXXIV). » Cum hic dicat Deus Pater per prophetam, quod inglorius erit aspectus ejus inter filios hominum? Quæ quæstio hoc modo solvitur, quia non est referenda ista dehonestatio ad faciem et vultum illius : sed ad ignominiam passionis. Dum enim viderent Dominum conspui, crucifigi, et inter iniquos reputari : illi qui videntes miracula ejus ante passionem dixerunt : Quis est hic? putaverunt non esse illum Filium Dei, sed despectum C et novissimum virorum.

« Iste asperget, » id est lavabit sanguine suo « gentes multas. » In Veteri Testamento, aspergebatur populus sanguine agni, sed non mundabatur a peccatis. Veniens autem Filius Dei et effundens sanguinem suum pro nobis, mundavit omnes credentes, qui prædestinati erant ad vitam. Congrue ergo dicitur asperget gentes multas, et non omnes; quia non aliis profuit passio illius, nisi qui fidem ejus receperunt, et baptizati sunt in nomine sanctæ Trinitatis. « Super ipsum continebunt reges os suum, » id est sapientes hujus sæculi, Plato, Aristoteles, et cæteri carnalia sapientes, qui se et alios videbantur regere. Prædicantibus apostolis Evangelicam doctrinam, omnis sapientia humana, omnis eloquentia D mundana quievit, et fides Christi per Evangelii gratiam longe lateque diffusa est. Et quare hoc actum sit, in subsequentibus manifestatur, cum subjungitur : « Quia quibus non est narratum de eo, » subaudis a patriarchis et prophetis, « videbunt, » id est intelligent eum pro redemptione generis humani venisse, « et qui non audierunt » prophetas ante adventum illius, « contemplati sunt eum » fide et desiderio. Per istos quibus narratum non est de adventu Domini a prophetis, et qui antea non audierant, debemus intelligere gentiles, de quibus ipse dicit : « Beati qui non viderunt, et crediderunt. (*Joan.* XXVI). » Prædicante enim Domino in carne A perpauci gentilium viderunt ejus præsentiam, tamen postea contemplati sunt eum fide et dilectione.

CAPUT LIII.

« Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? » Ex persona omnium prophetarum loquitur modo Isaias ad Dominum, quod pauci ex Judæis exstiterint qui verum crederent hoc esse, quod ab illis audierunt de adventu Filii Dei, et ideo dicit : Quis credidit auditui nostro? *Quis* isto in loco pro raritate ponitur? Et est sensus : Licet nos hæc omnia superius dicta prædixissemus, quis Judæorum credidit auditui nostro, hoc est, quis putat ea esse vera quæ a te de adventu Filii tui percepimus? Brachium, id est Filius Dei Patris, cui revelatum est, hoc est cui manifestatus est ut in eum crederet?

« Et ascendet sicut virgultum coram eo, » id est coram Deo Patre, « et sicut radix de terra sitienti. » Bene dicit ascendet brachium Dei Patris sicut virgultum coram eo, id est voluntate ipsius Dei Patris, sicut ipse dixit : Exivi a Patre et veni in mundum (*Joan.* XVI), ut demonstraret nativitatis ejus ascensum, quomodo homo factus, exaltatus sit resurgendo a mortuis, et ascendendo ad cœlos, et quomodo prædicatione apostolorum nomen ejus super omnes gentes sit exaltatum. Istud est virgultum et radix, de quo alio in loco dicit Isaias : « Exiet virga de radice Jesse (*Isa.* II), » hoc est, Christus de virgine Maria, quæ fuit orta de progenie David. Quod autem dicit, et sicut radix de terra sitienti debemus intelligere ipsam virginem, cujus uterus sitiens fuit, quia non fuit de humano et virili semine humectatus. Quodque sequitur, « non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat species, » subaudis in eo, vox prophetæ est ex persona sua et omnium prophetarum, qui omnia per Spiritum sanctum cognoverunt quæ in Domino Jesu Christo erant complenda; vel qui Domino veniente in carne crediderunt. Sed quæstio isto in loco non modica oritur : Quare dicat Isaias propheta, Non est species ei neque decor, cum Psalmista præcinat de illo, quod ipse sit speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV)? Quæ quæstio hoc modo solvitur : Ideo non erat ei species neque decor, quia plenitudo divinitatis, quæ in ipso latebat, extrinsecus non apparebat; vel quantum ad ipsos pertinebat qui ei contumeliam inferebant, omnem speciositatem habebat amissam. Videamus ergo per singula quid dicendum sit, licet ex persona prophetæ sociorumque ejus hæc dicta sint. Non est species ei, neque decor. Dum flagellaretur Deus, dum conspueretur, et dum cætera opprobria sustineret, videbatur a Judæis non habere speciem, neque decorem, quia divinitatis potentia intrinsecus latebat. « Et vidimus eum per Spiritum » sanctum mente ego et socii mei qui ante fuimus, et apostoli qui præsentes fuerunt. Et non erat aspectus, subaudis in eo tempore passionis, « et desideravimus eum, » subaudis videre ego et socii mei prophetæ qui eum præcessimus.

« Despectum, » a Judæis, « et novissimum virorum, » id est pro nihilo deputatum ; « virum dolorum et scientem infirmitatem, » subaudis patienter ferre : « et quasi absconditus vultus ejus et despectus, » id est claritas divinitatis ejus absconsa. Cum dicit desideravimus eum videre, sicut erat despectus a Judæis, et pro nihilo deputatus, jungit se Patribus Domini adventum præcedentibus qui eum nimio amore desideraverunt videre, de quibus et Dominus dixit apostolis : « Amen dico vobis : quod multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt (*Matth.* XIII). » « Et Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum (*Joan.* III). » Unde David magno succensus amore videndi eum in carne, dixit : « Excita, Domine, potentiam tuam, et veni (*Psal.* LXXIX), » per incarnationis mysterium. Et Isaias : « Utinam disrumperes cœlos et descenderes (*Isa.* LXIV). » Quod autem sequitur, desideravimus eum videre virum dolorum, id est positum in dolore et scientem patienter ferre infirmitatem, non dubitative credendum est sustinuisse eum dolorem passionis, sicut quidam hæreticorum dixerunt, sed sicut in veritate verum corpus habuit, ita in veritate maximum dolorem passionis sensit secundum humanitatem, divinitas autem sine dolore mansit. Unde et dixit nocte qua comprehensus est : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). » « Unde, » subaudis qua absconditus erat vultus divinitatis ejus, « nec reputavimus eum » esse Filium Dei. Ex persona Judæorum qui postea ad fidem venerunt loquitur, et sua omniumque prophetarum.

« Vere languores nostros, » id est peccata nostra « ipse tulit, » subaudis a nobis, velut medicus infirmitatem ab ægroto, non ut ipse in se acciperet, sed ut curaret, « et dolores nostros, » id est peccata « ipse portavit » in corpore super lignum : « et nos putavimus eum quasi leprosum, » id est peccatorem, « et percussum a Deo » propter sua peccata « et humiliatum. » Vox illorum est quod post Domini ascensionem crediderunt prædicantibus apostolis, et compuncti ad pœnitentiam dixerunt : « Quid faciemus, viri fratres (*Act.* II)? » Prosequitur ergo propheta, et dicit :

« Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, » subaudis non suas sicut ipse dicit in psalmo : « Foderunt manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI). » « Attritus est, » id est infirmatus, vel addictus est morti « propter scelera nostra. » Sustinuit enim pro nobis maledictum, ut nos liberaret a maledicto ; « disciplina pacis nostræ super eum, » id est flagellum quod debuimus suscipere ipse suscepit, ut nos pacificaret Deo priori, et sanctis angelis : « et livore ejus, » id est vulnere virgarum et plagarum ejus, « sanati sumus » a peccatis. Ille enim passus est pro nobis ut nos pacificaret Deo, quia « ipse est pax nostra qui fecit utraque unum (*Ephes.* II). »

« Omnes nos quasi oves erravimus » tradentes eum morti, et indigemus misericordia ejus, juxta illud Apostoli : « Non est distinctio. Omnes enim peccaverunt, et egent gratia Dei (*Rom.* III). » Unde et sequitur, « unusquisque in viam suam, » id est in actionem suam « declinavit : » vel etiam a via rectitudinis, quæ est Christus. Ipse est enim via, veritas, et vita. A via enim declinaverunt quando dixerunt Christo : Samaritanus es tu et dæmonium habes; et quando declaraverunt illum crucifigi, et Barabam dimitti (*Joan.* VIII). « Et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, » id est tradidit eum pro peccatis nostris, ut quod nos propter imbecillitatem nostræ fragilitatis ferre non poteramus, ipse Deus pro nobis portaret, non ut ipse portaret peccata nostra ad hoc ut peccatum haberet quia sine peccato mansit : sed sicut medicus accipit infirmitatem ægroti auferens ab illo, non recipiens in se. Unde dicit Apostolus : Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit Deus Pater (*Joan.* X), hoc est hostiam pro peccato.

« Oblatus est, » subaudis a seipso, non in altari holocaustorum, sed in ara crucis, « quia ipse voluit ; » sed dicit in Evangelio : Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam ; et : Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam. Oblatus est ergo non pro suis, sed pro nostris peccatis, quia ipse voluit, « et non aperuit os suum : » subaudis tempore passionis interrogatus a Pilato vel ab Herode, ne videretur reluctari. Nam interrogatus a Pilato, pauca respondit quando dixit Pilatus : « Mihi non loqueris (*Matth.* XXVII)? » Et ad Herodem missus, dum interrogaretur ab illo, per pauca ei locutus est. Poterat enim, si voluisset, se excusabilem reddere a culpa, sed noluit, ne salus passionis illius differretur, quia nisi ipse crucis patibulum sustinuisset, genus humanum æterna morte teneretur obnoxium. « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum. » Ipse qui oblatus est Pilato quia voluit et non respondit sæpius interrogatus, ne utilitas passionis differretur, excusans se a culpa, ipse etiam ductus est ad immolandum propria voluntate sicut Apostolus dicit, « Etenim pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor.* V). » Sicut ergo agnus coram tondente se tacet, non emittens balatum, sic ipse dum injuste damnaretur obmutuit. Iste est enim verus agnus in cujus figura populus Israeliticus agnum comedit egrediens ex Ægypto. Ipse est agnus qui tollit peccata mundi, sicut Joannes Baptista dixit (*Cap.* I), et quem Joannes Evangelista in Apocalypsi sua dicit se vidisse occisum (*Apoc.* XII). Agnus dicitur Christus, propter innocentiam et mansuetudinem. Ipse enim carne sua et sanguine spiritualiter nos reficit, et vellere suo vestit, hoc est protectione munit. Quidam codices habent : Et quasi agnus coram tondente, id est percutiente se, obmutescet, quod non discrepat a fide. Licet congruentius dicatur tondente. Dum enim tunderetur, id est flagellaretur a militibus præsidis,

non legitur respondisse aliquid, sed tacuisse veluti agnus dum tunditur ac flagellatur a pastore. Et quia injuste damnatus patienter omnia sustinuit : hæc ad gloriam ei contigerunt quæ subsequuntur.

« De angustia » inquit, passionis « et de judicio » injusto Judæorum « sublatus est, » id est abstractus est, tertia die resuscitatus a mortuis, quando ei secundum humanitatem data sunt omnia in potestate cœlestia et terrestria. Sequitur : « Generationem ejus quis enarrabit? » Nullus. Dupliciter hoc intelligi potest, vel de divina ejus generatione dictum, de qua ipse per sapientiam dicit : « Ante omnes colles generavit me (*Prov.* VIII) : » vel de humana de qua dicit Maria ad angelum : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » Et angelus : « Spiritus, inquit, sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I). » Quis enim hominum valet comprehendere quomodo summus et vivificator Spiritus Deus in utero carnem nostræ mortalitatis assumpserit ? Nemo. Incomprehensibilia sunt omnipotentis Dei judicia, et investigabiles viæ ejus. Quod autem subjungit, « quia abscisus est de terra viventium, » ad superiora pertinet ubi dixit : de angustia et judicio sublatus est. Terra autem viventium isto in loco appellatur conversatio humana a persecutoribus Judæis, qui dixerunt : « Venite mittamus lignum in pane ejus, et eradamus eum de terra viventium (*Hier.* XI). » « Propter scelus populi mei percussi eum, » id est propter peccata populi mei, quem semper mihi habui peculiarem, « percussi eum, » id est percuti eum permisi, ut eum mihi redimeret et liberaret. Percussit enim illum Deus Pater, quando percuti permisit. Tale est et illud : « Percutiam pastorem, » hoc est percuti permittam, « et dispergentur oves (*Zach.* XIII). » Hoc autem quod sequitur,

« Et dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua, » dupliciter intelligi potest. « Dabit Romanis impios Judæos pro sepultura sua (*Matth.* XXVII), » id est pro eo quod eum persecuti sunt usque ad sepulturam, clamantes Crucifige talem, et quia jam mortuo custodes adhibuerunt sepulcro signantes lapidem. Et divites pro morte sua, scribas videlicet et Pharisæos, qui divites videbantur esse propter doctrinam legis et prophetarum, tradet Romanis, quia ob invidiam tradiderunt eum morti. Vel aliter : Dabit Deo Patri impios gentiles pro sepultura, qui longe erant a pietate quæ Deus est et dilectione, quia pretium illorum mors Christi fuit, et nisi ipse mortuus esset et sepulturæ traditus, et tertia die resurrexisset, nequaquam gentes salvarentur. Similiter divites Judæos, qui crediderunt prædicatione illius vel prædicatione apostolorum ejus, dedit Deo Patri pro morte sua per fidem et operationem, qui antea possidebantur a diabolo. Et idcirco hoc faciet « eo quod iniquitatem non fecit, » id est peccatum, vel contra legem, « nec dolus fuerit in ore ejus. » Quidquid contra legem agitur, iniquitas est. Unde et apud Græcos nomios dicitur lex. Anomia autem quid A quid sine lege est vel contra legem. Dominus autem neque in cogitatione, neque in locutione, vel opere, iniquitatem fecit, quod de alio quolibet homine non potest veraciter dici. « Non est enim homo super terram qui faciat bonum et non peccet (*Eccl.* VII), » vel si unius dici fuerit vita ejus super terram.

« Et » hoc factum est, id est pro nobis mortuus est, « quia Dominus » Pater « voluit conterere eum in infirmitate » carnis quam assumpsit. Ideo autem dicit : Dominus Pater voluit conterere eum, quia ipse præmisit eum occidi : « si posuerit » ipse Filius Dei « animam suam, » id est vitam suam « pro peccato » humani generis, « videbit semen longævum » in coribus fidelium, id est verbum Evangelii quod æternum est, quia alia lex ei non succedet, de quo semine dicit ipse in Evangelio : « Exiit qui seminat seminare semen suum (*Luc.* VIII). » Vel etiam videbit semen suum, qui sunt omnes credentes, quia æternaliter cum ipso regnabunt. « Et voluntas Domini » Patris « in manu, » id est in operatione « ejus » et virtutibus « dirigetur, » hoc est perficietur. Voluntas Dei Patris fuit ut redimeret genus humanum per sanguinem Filii sui, sicut ipse dixit : « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui (*Luc.* III), » id est in quo beneplacitum meum posui.

« Pro eo quod laboravit anima ejus, » subaudis in populo Judæorum prædicando, miracula faciendo, et mortem etiam pro eis sustinendo, sed illi noluerunt converti ad eum per pœnitentiam, « videbit, » subaudis ecclesias in toto orbe fabricatas loco Judæorum, « et saturabitur, » id est delectabitur fide et bonis operibus credentium. Cibus enim et potus omnipotentis Dei fides est electorum. Sicut ipse dixit discipulis quando cum muliere Samaritana loquebatur sedens super fontem : « Cibum (inquit) habeo manducare quem vos nescitis (*Joan.* IV). » Hoc autem dixit de fide Samaritanorum, qui in eum crediderunt. « In scientia, » id est in doctrina « sua justificabit ipse justus servus meos » Judæos « multos, » subaudis et non omnes, quia multi vocati sed pauci electi (*Matth.* XX), « et iniquitates eorum ipse portabit » per gratiam suam, quas ipsi portare non poterant, et quarum pondere premebantur. Justus est Filius Dei, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*Matth.* XVII). Unde et Judas traditor : Peccavi (inquit) tradens sanguinem justum. Et uxor Pilati : Nihil tibi et justo illi. Hanc justitiam non accepit ipse ex tempore, sed secundum divinitatem, qua æqualis est Patri et unius divinitatis ac potentiæ, non secundum humanitatem nostræ fragilitatis. Servus autem Dei Patris est similiter secundum humanitatem, qua minor est Patre, quia « cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Philip.* II). » Ipse portavit, id est abstulit, iniquitates nostras, id est pœnam peccatorum nostrorum sustinuit in corpore suo super lignum, et tulit a nobis peccata, quasi medicus languores ægrotantium. Sequitur.

« Ideo, » subaudis quia passus est pro salute generis humani, et omnia fecit quæ præteritus sermo narrat, « dispertiam » sive dividam « ei plurimos » subaudis, populos. Ut pro una plebe quæ non vult in eum credere, possideat omnes gentes. Juxta quod ei a Patre per Psalmistam dicitur : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). » Unde et sequitur : « Et fortium spolia dividet, » subaudis discipulis suis. Prædam ergo fortium apostolis suis tradidit, quando populos qui sub potestate diaboli erant abstulit ab eo, et illis divisit ut unus illorum præesset uni populo, alius alii. Sicut Petrus præfuit Judæis credentibus, Paulus gentibus, Joannes et Andræas Achaicis, Thomas Indis, et cæteri cæteris. Videamus quid de B. Paulo apostolo longe ante dictum sit : « Benjamin, inquit, lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia (*Gen.* XLIX). » Et de omnibus apostolis : Lætabuntur coram te, sicut exsultant victores capta præda quando dividunt spolia, in toto orbe ecclesias sibi dividentes. Et quare fiet istud? « Pro eo quod tradidit » ipse Filius Dei « in mortem animam suam, » id est vitam suam, « et cum sceleratis » latronibus « reputatus est, » non a Deo Patre neque sanctis, sed a persecutoribus Judæis, ut illud alio in loco : et cum iniquis reputatus est. « et ipse peccata multorum tulit » sanguine suo, et baptismi regeneratione, ac fide illorum, « et pro transgressoribus » Judæis, sive persecutoribus « rogavit » dicens, dum penderet in cruce : « Pater, ignosce illis (*Luc.* XXIII). » Sicut enim in Evangelio Nazaræorum habetur, ad hanc vocem Domini multa millia Judæorum astantium circa crucem crediderunt.

LIBER TERTIUS.

CAPUT LIV.

« Lauda, sterilis, quæ non paris : decanta laudem et hinni, quæ non pariebas. » Hactenus locutus est Propheta de nativitate Domini, passione, et resurrectionis gloria ; nunc vero revertitur ad vocationem gentium, et ad eos qui in eum crediderunt tam ex Judæis quam ex gentibus. Sterilis isto in loco appellatur gentilitas specialiter, quæ Deo filios spirituales non generabat ; quia non habebat legem, non prophetas, non patriarchas : et quæ modo plures filios Dei generat quam Synagoga, quæ putat se Deum virum habere. Potest etiam Ecclesia, quæ in Judæis deserta erat, sterilis appellari, quia Domino adveniente filios ejus non pariebat, ut ad utramque Ecclesiam tam ex Judæis quam ex gentibus referamus hoc : secundum quod egregius prædicator suis in verbis ostendit. Assumens enim testimonium de Isaia quod nunc habemus præ manibus, ad repromissionis retulit filios ad Ecclesiam de gentibus, sive ex utroque populo congregatam : quæ deserta et derelicta erat a Deo ac sterilis permanebat, non habens virum Deum omnipotentem : Lauda (inquit) Creatorem tuum et Redemptorem nostrum, Ecclesia sterilis, tam ex Judæis quam ex gentibus : quia modo incipies Deo filios parere. Decanta Salvatori tuo, et hinni, id est magnifice gaude, quæ non pariebas Deo filios. Pro magnitudine gaudii allusit ad hinnitum equi tendentis ad victoriam, prædicens quare præcepit ei exsultare et laudare Dominum. « Quoniam multi filii desertæ, » subaudis Ecclesiæ gentium, quæ quondam a Deo derelicta est, « quam ejus, » id est Synagogæ, « quæ habet virum, dicit Dominus; » hoc est quæ putat se habere virum Deum omnipotentem. Et hoc notandum, quia cum dicitur : plures filii desertæ quam ejus quæ habet virum, non penitus excluditur a partu Synagoga : quia ipsa in apostolis et per apostolos multos filios Deo genuit, sed maxima multitudo gentium ei præfertur.

« Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculum tuorum extende, ne parcas : longos fac funiculos uos, et clavos tuos consolida. » Cui superius dictum est : Lauda, sterilis, quæ non paris, et cætera quæ ibi dicuntur : modo iterum dicitur ut dilatet tentorium suum ad similitudinem tabernaculi Mosi, et ut omnia habens quæ illud tabernaculum habuit, amplificet ea et amplius corroboret. Tabernaculum Mosi, quod habuit centum cubitos in longitudine, et quinquaginta in latitudine, et quod habuit saga et pelles rubricatas et hiacynthinas funiculosque et clavos sanctam Ecclesiam significabat. Qui in tabernaculis commorantur, de loco ad locum transeuntes ad domum tendunt et ad terram promissam, sicut Judæi fecerunt. Et sancti in præsenti sæculo in tabernaculis habitant, hoc est in ecclesiis, quia peregrini et advenæ sunt in hoc sæculo. Sicut dicit Psalmista : « Incola ego sum apud te et peregrinus (*Psal.* CXVIII), » tendentes ad domum, de qua idem Psalmista dicit : « Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI.) » Et ad terram repromissionis de qua dicit etiam ipse : Credo videre bona Domini in terra viventium. Et de qua Dominus in Evangelio : « Beati (inquit) mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V). » Sancta ergo Ecclesia locum tentorii sui dilatatum habet, quia ad orientem et ad aquilonem, ad occidentem et ad meridiem, Ecclesiæ in Christi nomine dilatatæ sunt. Pelles sanctæ Ecclesiæ sunt prædicatores et prælati qui eam protegunt ab æstu vitiorum et dæmonum, et ab omnibus adversis. Habebat tabernaculum (sicut diximus) saga cilicina, per quæ designantur pœnitentes : quia cilicium habitus pœnitentiæ est ; habebat rubricatas pelles, per quas designantur martyres ; habebat et hiacynthinas, per quas designantur omnes pallorem abstinentiæ gestantes ; habebat etiam funiculos, per quos designantur præcepta divina ; habebat clavos quibus extendebantur funes, et firmabatur omne tabernaculum : per quos possumus intelli-

gere intellectum et rationem, quibus firmantur divina præcepta, videlicet ratione et intellectu : quando ea quæ rationabiliter intelligimus, rationabiliter opere adimplemus. Dicit ergo ad sanctam Ecclesiam : O Ecclesia, dilata locum tentorii tui per quatuor mundi climata, nec concludaris uno angulo solummodo Judææ. Et pelles, hoc est prædicatores tuos extende et diffunde per orbem terrarum : Ne parcas, neque cesses multiplicare eos, quatenus illorum munimine tuearis ab æstu dæmonum. Longos fac funiculos tuos, id est longe extende prædicationem tuam, et præcepta divina elonga, et clavos tuos consolida, id est intelligentiam et rationem tuam confirma et corrobora. Sequitur :

« Ad dexteram enim et sinistram penetrabis, » hoc est omnes gentes possidebis, vel etiam prospera sustinebis, et hic et in futuro prævalebis : quia nec prosperis elevaberis, nec adversis deprimeris. Possumus etiam per dexteram et sinistram utramque vitam accipere, præsentem scilicet atque futuram : ut per sinistram intelligamus præsentem vitam, et per dexteram æternam. Juxta quod Sapientia dicit : « In dextera ejus longitudo dierum, in sinistra vero divitiæ et gloria (*Prov.* v.) » Sancta Ecclesia in sinistra, hoc est in vita præsenti, divitias habet et gloriam : quia habet scientiam et intelligentiam divinorum eloquiorum, quæ sunt divitiæ spirituales : et habet virtutem bonorum operum per quas glorificatur in gentibus. In dextera vero habet longitudinem dierum et vitæ, quia postponens præsentia, ad futura festinat : in quibus æternaliter cum Domino est mansura, et gaudiis æternis fruitura. Quodque subjungitur : « et semen tuum gentes hæreditabit, » dupliciter intelligi potest, vel de semine Evangelii de quo dicitur in Evangelio : Exiit qui seminat seminare semen suum : vel etiam de apostolis qui a Deo seminati sunt, et de quibus Isaias : Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Semen ergo Ecclesiæ (quod est evangelica doctrina, vel apostoli) gentes modo hæreditant, quia omnia quæ possidet Christus (qui est caput Ecclesiæ) possidet et hæreditat Ecclesia, quæ est corpus illius. « Et civitates desertas inhabitabit, » hoc est gentes, sive Ecclesias, vel animas a Deo derelictas inhabitabit.

« Noli timere, » Ecclesia gentium, « quia non confunderis neque erubesces : non enim te pudebit, » subaudis fuisse aliquando te derelictam a viro tuo : « quia confusionis tuæ adolescentiæ oblivisceris, » dum veneris ad fidem, et receperit te vir tuus, « et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius. » Alloquitur modo omnipotens Deus Ecclesiam de gentibus ad fidem suam venientem, quam legitur dereliquisse in ædificatione turris Babel. Sed quæstio isto in loco oritur. Quare dicat hic : quia viduitatis tuæ non recordaberis amplius, cum superius dixerit illam sterilem fuisse et non habere virum, et plures filios generare quam Synagogam quæ putabat se virum habere? Quæ quæstio ex verbis Domini loquentis per Zachariam prophetam potest solvi. Dicitur enim ibi : Et assumpsi (inquit) mihi duas virgas, unam vocavi decorem, et alteram vocavi funiculum (*Zach.* xi). » Per duas virgas vult intelligi duas plebes, gentium et Judæorum. Per unam quam appellavit decorem, intelligitur gentilitas, quam elegit in Noe et filiis ejus. Per alteram vero quam appellavit funiculum, ostenditur plebs Judaica, quam elegit Deus omnipotens in ædificatione turris in familia Heber, in Abraam. Unde et dicitur in subsequentibus : Et succidi (inquit) a cultu meo et gratia virgam quæ appellatur decus, et adhæsi mihi virgam quæ vocabatur funiculus. In confusione enim linguarum abjecta est gentilitas a viro suo usque ad tempus incarnationis ejus, et electa est plebs Judaica. Ideoque illa dicitur esse vidua et sine viro, et ista dicitur habere virum. Unde et Moses dicit in cantico Deuteronomii (*Cap.* xxxii) : Cum divideret Altissimus gentes, cum separaret filios Adam, ad turrim Babel, constituit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei, vel juxta numerum filiorum Israel. Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus. Constituit enim terminos populorum juxta numerum angelorum Dei, quia unicuique genti angelum prælatum posuit. Ideo autem dicit : Confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius, quia quando a Deo derelicta est in ædificatione turris, adhuc quasi adolescens et juvencula erat. Sed licet longo tempore opprobrium viduitatis suæ sustinuisset postquam venit ad fidem, confusionem omnem deposuit, sociata jam proprio viro per fidei copulam et dilectionis. Et hoc quare? In subsequentibus manifestatur :

« Quia dominabitur (inquit) tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus, » id est militiarum, vel angelorum, « et Redemptor tuus sanctus Israel, » qui te redemit sanguine suo. Deus omnis terræ vocabitur non unius solummodo regionis, neque unius solummodo anguli Judææ, sed omnium creaturarum, cœlestium videlicet et inferorum.

« Quia ut mulierem derelictam » subaudis a viro, « et mœrentem spiritu, vocavit te » ad fidem suam, ut ei adhæreres, « et uxorem ab adolescentia abjectam dixit Deus tuus. » Mulier derelicta a viro fuit gentilitas, quando amisit virum suum Deum omnipotentem propter idololatriam, et hoc tempore adolescentiæ suæ. Adolescentiam enim habuit gentilitas in filiis Noe et in ædificationem turris.

« Ad punctum in modico dereliquite, et in miserationibus magnis congregabo te. » Quare dicit ad punctum in modico derelictam esse gentilitatem, cum per multa millia annorum servierit diabolo et non adhæserit Creatori suo? quia omnia tempora comparata æternitati Dei, permodica et parva sunt. De his ergo misericordiis Domini magnis dicit Psalmista : « Misericordia (inquiens) Domini plena est terra (*Psal.* xxxii). » « Et misericordia ejus super omnia opera ejus (*Psal.* cxliv). » Misericordia ergo ejus inenarrabilis fuit, ut nullis nostris præcedentibus

meritis revocaret ad vitam et gratiam suam. Quodque sequitur :

« In momento indignationis meæ, abscondi faciem meam, » hoc est præsentiam meam parumper « a te, » subaudis propter idololatriam tuam, « et in misericordia sempiterna misertus sum tui, » redimens te sanguine meo : « dixit Redemptor tuus Dominus : » idipsum est, quod et superior versus in se continet. Abscondere autem dicitur Deus omnipotens faciem suam a nobis, qui ubique est, quando propter peccata nostra solitam gratiam nobis aufert, et solitum auxilium. Et bene dicit : In misericordia sempiterna misertus sum tui, quia gentilitas sempiternam Dei omnipotentis misericordiam possidebit, adhærens ei per fidem et dilectionem.

« Sicut in diebus Noe, » subaudis propter peccata generis humani venit diluvium, « istud mihi est, » subaudis juramentum, quod juravi, ne inducerem aquas ultra super terram, « sic juravi ut non irascar tibi, » o Ecclesia, « et non increpem te. » Et est sensus : Sicut juramentum quod juravi Noe non sum transgressus, ut non inducerem aquas diluvii amplius super terram : sic non irascar amplius tibi, o Ecclesia, adeo ut te abjiciam sicut hactenus feci.

« Montes enim commovebuntur et colles contremiscent : misericordia autem mea non recedet, » subaudis a te ; « et fœdus pacis meæ quod pepigi tecum, non movebitur, « hoc est non dissolvetur a te. « Dixit miserator tuus Dominus. » Et est sensus : Ante commovebuntur montes et colles, et transibunt cœlum et terra, juxta quod in Evangelio dicitur : « cœlum et terra transibunt (*Matth.* XXIV), » quam misericordia mea, et fœdus quod pepigi tecum, recedat a te. Sequitur :

« Paupercula tempestate convulsa absque ulla consolatione, » id est absque ullo consolatore. Adhuc alloquitur Ecclesiam de gentibus, et vocat eam pauperculam, eo quod effeminata esset propter idololatriam. Vel quia non habebat divitias spirituales legis, prophetarum ac psalmorum. Tempestate erat convulsa, hoc est conculcata et dilacerata, quia multos turbines sæculi sustinuerat, et terrores dæmonum et inter varios idolorum errores fluctuabat. Absque consolatione, id est absque ullo consolatore longo tempore manebat, quia non habebat patriarchas, non prophetas, non apostolos, vel etiam verum consolatorem non habebat Spiritum sanctum qui dicitur Paracletus, id est Consolator : « Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, » o Ecclesia, « et fundabo te in sapphiris et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos. » Qui sunt lapides sanctæ Ecclesiæ ? sancti prædicatores aliique fideles. De quibus Petrus dicit : « Et vos tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis (*I Pet.* II). » Ponamus unum lapidem pro omnibus Dominum Jesum Christum, super quem ædificati sunt et ordinati alii lapides, quem vidit Daniel (*Cap.* II) abscissum de monte sine manibus, et de quo superius Isaias propheta ex persona Dei Patris locutus est : « Ecce pono (inquiens) in Sion lapidem angularem, pretiosum, electum (*Isa.* XXVIII). » Iste est ergo lapis qui reprobatus est ab ædificatoribus (*Psal.* CXVII), scribis videlicet et Pharisæis : sed crevit in montem magnum, et continet modo duos parietes : duos videlicet populos circumcisionis et præputii. Sancta Ecclesia licet variis ordinibus lapidum, id est fidelium sit ornata : tamen tres in se continet ordines excellentiores : prædicatorum scilicet, virginum, atque continentium. Qui etiam designati sunt in nominibus trium hominum justorum per Ezechielem, Noe videlicet, Daniel et Job. Noe qui rexit arcam inter aquas diluvii, typum tenuit sanctorum prædicatorum, qui inter fluctus istius sæculi et tempestates suis protectionibus sanctam Ecclesiam regunt et gubernant, ut inter Scyllam et Charybdim, hoc est inter hæreticos et paganos, illæsa possit pervenire ad portum et littus æternæ soliditatis. Daniel, qui virginitatem servavit tam corporis quam etiam mentis, positus in aula regis Babylonis, significat sanctos positos in Ecclesia, qui totis viribus virginitatem mentis et corporis sincere custodiunt. Job vero vir justus et rectus, uxorem habens et filios, ordinem conjugatorum designat : qui licet sint conjugalibus vinculis colligati, sic reddunt debitum uxori, quatenus non displiceant Creatori. Qui ergo duo nomina lapidum isto in loco posita sunt sapphiri et jaspidis, videamus etiam quid ipsa significent. Sumam (inquit) per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas ponam in lapides sculptos. Sapphirus lapis qui similitudinem sereni cœli retinet, significat sanctos serenitate mentis fulgentes : qui adversa et prospera istius sæculi æquanimiter pro Christi nomine tolerant, et possunt dicere cum Apostolo : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III). » Jaspis viridem colorem habens, significat sanctos prædicatores, viriditate fidei et charitatis splendentes. Sancta ergo Ecclesia propugnacula habet ex jaspide, quia habet prædicatores viriditate fidei et charitatis rutilantes, qui dimicant pro ea contra dæmones, et hæreticos, atque omnes persecutores : intantum ut etiam animam suam mortis periculo pro ea ponant. Quodque sequitur : Et ponam portas tuas in lapides sculptos, ad ipsos prædicatores et prælatos Ecclesiæ referendum est, qui multitudinem credentium per baptismi regenerationem intra sanctam Ecclesiam introducunt. Et bene sculpti esse dicuntur, quia verba et exempla præcedentium Patrum cordibus suis imprimere debent, ut tempore congruo valeant ea suis auditoribus elucidare : « et omnes terminos tuos, » subaudis , ponam « desiderabiles. » Ipsi sunt termini Ecclesiæ qui et portæ, prædicatores videlicet ac doctores. Qui merito termini dicuntur, quia fidem et doctrinam prædicatorum non debent transgredi auditores. Et sicut terra terminis et finibus suis consistit, ita sancta Ecclesia fide, prædicatione, et miraculis præcedentium Patrum et prædicatorum con-

stat. Quæ etiam uno solummodo angulo Judææ non coangustatur, sed per omnes terminos terræ longe lateque extenditur.

« Universos filios tuos doctos a Domino, » subaudis dabo vel faciam : « et multitudinem pacis » dabo « filiis tuis. »

« Et in justitia fundaberis, » id est solidaberis. Modo exponit quos superius appellaverit lapides, filios videlicet Ecclesiæ. Universi quippe filii Ecclesiæ docti sunt a Domino, quia ipso docente efficiuntur filii Dei. Sicut ipse in Evangelio dicit : « Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum (*Joan.* VI). » Et in prophetis : Erunt (inquit) omnes docti a Domino. Multitudinem pacis dabo filiis tuis, id est, reconciliabo tibi filios tuos. Cum dicit : justitia fundaberis, per justitiam omnes virtutes vult a nobis intelligi, ut sit sensus : justitia fundaberis, hoc est fide Christi, æternaque justificatione et plenitudine virtutum solidaberis ; « recede procul a calumnia, » id est ab oppressione, vel rapina, sive iniquitate, « quia non timebis, » subaudis diabolum, neque hæreticorum vel persecutorum impetum : si recesseris ab omnibus iniquitatibus, « et a pavore, » subaudis ne timeas, « quia non appropinquabit tibi. » Superius consolatus est Ecclesiam de gentibus, promittens ei gratias spirituales : nunc docet quid agere debeat, si non vult adversariorum impetum formidare. Et est sensus : Non vis timere inimicos tuos ? fac ista quæ dico, hoc est, recede a calumnia, et ab iniquitate, et a pavore hominum ne timeas.

« Ecce accola veniet, qui non erat mecum, advena quondam tuus adjungetur tibi. » Vox Christi ad Ecclesiam primitivam loquentis de multitudine gentium ad fidem venientium, quæ ante Domini adventum advena erat, et longe a Deo. Ecce (inquit) accola, gentilis videlicet populus, veniet ad me per fidem, recte credendo, et bene vivendo, qui antea non erat mecum, serviens idolis variisque erroribus ; advena, id est proselytus quondam tuus, o Ecclesia primitiva, populus videlicet gentium, qui longe erat a te et a fide tua, adjungetur tibi modo vocabulo nominis Christiani et fidei unitate. Sancta enim Ecclesia quæ ante in Judæis solummodo erat, modo constat ex utroque populo circumcisionis et præputii collecta in unum ovile. Sicut Dominus in Evangelio dicit : « Et alias, inquit, oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor (*Joan.* X). » Hæc Judæi putant inaniter ad Hierusalem dici : quod multi ex gentibus sint proselyti futuri tempore Christi sui.

« Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum. » Fabrum isto in loco appellat diabolum inventorem omnium malorum, et fabricatorem totius malitiæ et iniquitatis, non quod Deus omnipotens quantum ad naturam pertinet malum creaverit illum, sed ille suo vitio malus effectus, fabricat quotidie arma iniquitatis. Per ignem et prunas debemus intelligere incentivam vitiorum libidinem, aliaque peccata, et persecutionem, quæ omnia diabolus sufflat, hoc est excitat. Ipse etiam profert vasa ad opus suum, hoc est quemlibet hæreticum et paganum, facientem voluntatem suam. Sicut protulit Simonem magum et Elimam, quorum unus restitit beato Petro et multa mala intulit, alter egregio prædicatori Paulo. Dicatur itaque : Ego creavi fabrum, id est diabolum, sufflantem in igne prunas, hoc est persecutionem et malitiam excitantem, et proferentem ad opus suum, id est hæreticum et perversum quemlibet ad faciendam voluntatem suam.

« Et omne vas quod fictum est » a diabolo contra te, o Ecclesia, « non dirigetur, » quia præsentes pœnas sentiet et futuras : « et omnem linguam » hæreticorum, scribarum, et Pharisæorum, vel etiam philosophorum, « resistentem tibi in judicio judicabis, » vel etiam damnabis, aut certe discretione discernes disputando cum eis. Sicuti alibi scriptum est : « Perdam sapientiam humanam a sapientibus, et prudentiam prudentium reprobabo (*I Cor.* I). » Siquidem conati sunt Simon et Elimas resistere sanctis apostolis, sicut diximus, sua doctrina et sapientia, sed condemnati sunt ab eis et dijudicati non vera dicere. Sic Hilarius, sic Augustinus, sic Hieronymus, et Athanasius, contra vasa diaboli pugnaverunt suis disputationibus. « Hæc est hereditas servorum Domini, et justitia eorum apud me, dicit Dominus. » Ne putarent electi incassum laborem præsentis vitæ sustinere pro nomine Christi, consequentur subinfert præmia meritorum. Hæc (inquit) hæreditas servorum Domini, videlicet vita æterna, regna cœlorum et retributio laborum, quæ « oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* I) » Et hæc est justitia eorum qui apud Dominum sunt, ut pro labore præsentis vitæ præmia æterna percipiant, et præsens tribulatio futuro gaudio comprehendatur.

CAPUT LV.

« Omnes sitientes, venite ad aquas ; et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite. » Alloquitur sermo divinus generaliter omnes, tam Judæos quam gentiles, ut veniant ad aquas salutares, de quibus dicit alio in loco Isaias : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isa.* XII). » Sitis in hoc loco spiritualiter intelligenda est, et aqua spiritualis, de qua aqua Dominus in Evangelio dicit : « Qui sitit veniat ad me et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). » Consequenter enim Evangelista declaravit quid illud significaverit, hoc (inquiens) dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Omnes sitientes, id est desiderantes, sive quærentes scientiam Veteris ac Novi Testamenti, venite ad aquas baptismatis, vel ad dona Spiritus sancti. Et qui non habetis argentum, hoc est divina eloquia, de quibus dicit Psalmista : « Eloquia Domini eloquia casta argentum probatum (*Psal.* XI), » properate cito venire ad fidem meam. Emite, dona Spiritus sancti et aquam baptismatis, non pretio auri aut argenti, vel aliquo hujuscemodi, sed credendo et

bene vivendo. Et comedite ipsam aquam, doctrinam scilicet spiritualem vel dona Spiritus sancti, audiendo, legendo, meditando, corde retinendo. Quomodo ergo possumus aquam comedere? Sacra Scriptura quibusdam in locis est cibus, quibusdam potus. Ubicumque cum difficultate capitur, cibus est. Ubi vero facilem habet intelligentiam, potus est. « Venite, » o gentiles populi, et omnes qui indigetis eloquiis Veteris et Novi Testamenti, « et emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac. » Sapientia humana pretio a philosophis emebatur, sed apostolis dictum est : « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x). » Vinum ergo nobis dat sacra Scriptura, cum dicit : « Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est (*Exod.* xx). » Et illud Joannis : « In principio erat Verbum. » Lac vero nobis administrat, cum dicit : « Non occides, non adulterabis, » et cætera hujusmodi. Et per vinum intelligenda sunt arcana divinorum eloquiorum, per lac simplex doctrina quæ convenit parvulorum fidei, sicut Apostolus dicit : « Lac vobis potum dedi non escam, nondum enim poteratis. »

« Quare appenditis argentum non in panibus, » id est, non in doctrinis spiritualibus, « et laborem vestrum non in saturitate? » Increpat modo scribas et Pharisæos, hæreticosque ac philosophos gentium, et omnes qui illorum perversas doctrinas simulatasque traditiones sectantur, quare expendant sive consumant nitorem eloquentiæ in superficie litteræ, et in humana sapientia in quibus non reperitur panis spiritualis, de quo saturetur anima, hoc est spiritualis intelligentia, ubi est cognitio panis veri, qui dixit : « Ego sum panis vivus (*Joan.* vii). » Argentum enim, sicut aliis in locis diximus, significat nitorem eloquentiæ. Multi sunt (dicit beatus Gregorius) qui legunt dicta prophetarum aliarumque divinarum Scripturarum, sed non reperiunt in eis panes ex quibus ad saturitatem perveniant, quia solummodo litteram requirunt quæ occidit, et spiritualem intelligentiam nolunt perquirere quæ vivificat, et ubi spiritualis est panis quo anima saturatur (*I Cor.* iii). Gentiles etiam legunt humanos libros, multumque ibi laborant consumendo nitorem eloquentiæ, sed non merentur saturari, quia spiritualis intelligentia in illis minime continetur. « Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. » Auditus in sacro eloquio spiritualiter est requirendus, ut illud : « Qui habet aures audiat (*Apoc.* ii), » id est, qui habet intelligentiam mentis, intelligat quæ dicturus sum. Ista enim comestio spiritualiter est requirenda, sicut et illa de qua alio in loco dicitur : « Si audieritis me, bona terræ comedetis (*Deut.* xxviii). » Sicut enim corpus incrassatur epulis carnalibus, ita anima reficitur et impinguatur doctrinis spiritualibus et virtutibus. De hac crassitudine dicit Psalmista : « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* lxii). » Et : « Impinguasti in oleo caput meum (*Psal.* xxii). » Audite (inquit) audientes me, id est, intelligite quæ ego dicturus sum, qui habetis intelligentiam, et comedite bonum, hoc est intelligite Christum recte credendo et bene vivendo, qui dixit : « Ego sum pastor bonus (*Joan.* x). » Vel etiam intelligite et percipite bonum, verbum Evangelii. De quo etiam dicitur : « Domine, nonne bonum semen seminasti? (*Matth.* xiii). » Et delectabitur in crassitudine anima vestra, id est, in virtutibus et doctrina spirituali.

« Inclinate aurem vestram, » hoc est humiliter audite me, « et venite, » subaudis ad me, non loco, sed merito, recte credendo, et bene vivendo. « Audite, » id est obedite verbis meis, « et vivet anima vestra, » subaudis, in vita æterna habendo in se Deum qui præstat vitam in se credentibus. « Et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. » Ad Judæos loquitur ista. Ferire dicimus percutere. Unde dicitur : « Percussit Abraham fœdus (*Gen.* li), » id est hostiam pro fœdere et pacto. Sicut legitur in Veteri Testamento, quia Dominus sanguine hircorum, vitulorum, et agnorum, confirmavit fœdus quod percussit cum filiis Israel, dans eis legitima. Fœdus quod pepigit nobiscum in Novo Testamento, sanguine Filii sui confirmavit, quando dedit nobis Evangelium. Quare autem dicit, « et feriam vobiscum pactum sempiternum, » cum illud non permanserit æternaliter cum illis? Sed sciendum est, quia de gratia Novi Testamenti dicit. Lex enim et prophetæ usque ad Joannem, ex eo regnum Dei (*Matth.* ii), id est Evangelium annuntiatur, quod sempiternum dicitur esse, quia non succedet ei altera lex. Unde et Joannes in Apocalypsi sua, dicit se « vidisse Evangelium æternum (*Apoc.* xiv). » Quod autem dicit misericordias, id est promissiones David fideles, subaudis Confirmabo vobiscum, non de David rege suo Isai intelligendum est, sed de Christo in cujus figuram ille processit. Omnes enim promissiones quæ ad David factæ sunt, de Christo fuerunt.

« Ecce testem populis dedi, ducem ac præceptorem gentium. » Vox Dei Patris de Filio, quem dedit testem populis, hoc est in testimonium populorum, ut præcepta illius atque mandata illis annuntiaret, qui de se ipso et Patre loquitur : « Ego ad hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati (*Joan.* xviii). » Et illud : « Oportet prædicari Evangelium istud in omni orbe, in testimonium cunctis gentibus (*Matth.* xxiv). » Iste est enim testis omnium, quem Pater mundo promisit et præstitit. Ipse est dux, quia ducatum rectitudinis præbuit suis fidelibus, et ipse introducit nos de terrenis ad contemplationem Dei Patris et suam, sicut ipse dicit : « Nemo venit ad Patrem, nisi per me (*Joan.* xiv). » Ipse est etiam præceptor noster et magister, qui nos docet viam veritatis, qui dixit : « Unus est magister vester Christus (*Matth.* xxiii). » « Ecce gentes quas nesciebas vocabis, et gentes quæ te non cognoverunt, ad te current. » Alloquitur Deus Pater Filium suum de vocatione gentium ad fidem, et quod ad eum concurrant gentes, quæ ante illum non cognoscebant per fidem et dilectionem. Ecce (inquit) gentes quas ignorabas, propter idololatriam, vocabis a cultura vana ad fidem tuam per apostolo-

rum tuorum prædicationem. Et gentes quæ non cognoverunt te antea per fidem, ad te current dicentes: « Domine, refugium factus es nobis (*Psal.* XLV). » Iste est Deus noster, quem exspectavimus. De istorum fide dictum est superius : Quibus non est prædicatum de eo, videbunt. Et in Evangelio de ipsis loquitur Dominus : « Beati (inquiens) qui non viderunt et crediderunt (*Joan.* XX). » Sequitur : Et hoc fiet, « propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificabit te. » Aliquando sacra Scriptura de divinitate Filii Dei loquitur, aliquando de humanitate. Et quando de Deo loquitur, qui « in principio erat Deus Verbum apud Deum Patrem (*Joan.* I), » dicitur Pater gloriæ. Quando vero de eo qui dicit in Evangelio, quod « me persequimini hominem qui veritatem loquor vobis (*Joan.* VIII), » appellatur Pater divini nostri Jesu Christi. Sicut in isto loco, cum dicitur, propter Dominum Patrem Deum tuum et sanctum Israel, quia glorificabit te, ex tempore ea gloria quam habuit ipsa divinitas ante omnia sæcula æternaliter cum ipso. Glorificavit Deus Pater Filium in baptismate, quando dixit : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » Glorificavit etiam eum in morte et in passione resuscitans eum a mortuis.

« Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. » Propheta alloquitur Judæos qui noluerunt recipere misericordias et promissiones quæ factæ sunt ad David, ut quærant Dominum cum tempus est et locus, id est dum vivunt in hoc sæculo. Ac si diceret : Quia ergo noluistis recipere misericordias quæ factæ sunt ad David, sed gentes receperunt eas, « agite pœnitentiam et convertimini ad Dominum dum tempus habetis. » De hoc tempore dicit Apostolus : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II. Cor.* VI). » In præsenti siquidem potest inveniri, non loco sed merito fidei, sed in futuro non dabitur neque locus, neque tempus Deum quærendi, sed vivendi. Quapropter « quærite eum dum inveniri potest, dum estis in corpore, dum datur locus pœnitentiæ. » Quæramus eum et nos, non loco sed fide. Quæramus recte credendo, bene vivendo, bene perseverando, et hoc cum simplicitate cordis, ut illud : « Sapite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum (*Sap.* I). » Sequitur : « Invocate eum dum prope est, » id est dum vacat, dum tempus est. Prope est enim omnibus Dominus se in veritate invocantibus (*Psal.* CXLIV), » longe autem est ab illis qui ab ejus voluntate recedunt peccando. Sicut enim appropinquamus ei bonis operibus inserviendo, non in loco, sed elongamus ab illo vitiis insudando. Unde ipse dicit per Jeremiam : « Ego Deus appropinquans eis qui mihi appropinquant fide, et longe recedens ab his qui a me procul recedunt in infidelitate (*Jer.* XXIII). » Et apostolus loquitur credentibus : « Appropinquate Domino, et appropinquabit vobis (*Jac.* IV.) »

« Derelinquat impius, » gentilis videlicet populus, « viam suam, » malam et pristinam, « et vir iniquus, » Judaicus scilicet populus, « cogitationes suas » malas et antiquas, quibus a Domino declinabat, quando dixit illi : « Utquid cogitatis mala in cordibus vestris (*Matth.* IX) ? » « Et revertatur ad Dominum » secundum illud : « Declina a malo, et fac bonum (*Psal.* XXXVI). » « Et miserebitur ejus » revertentis ad se, « quia non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat » (*Ezech.* XVIII). « Et ad Deum nostrum, » subaudis revertatur uterque populus pœnitentiam agendo, « quoniam multus est ad ignoscendum, » hoc est, semper est paratus ad misericordiam. Sic enim dicit Psalmista : « Misericordia ejus super omnia opera ejus (*Psal.* CXLIV). » Hoc vero quod diximus pertinere specialiter ad gentilem et Judaicum populum, derelinquat impius viam suam, id est actionem suam pravam, et vir iniquus cogitationes suas perversas, ad unumquemque peccatorem referri non incongrue potest, qui cogitatione et opere delinquit, ut agens pœnitentiam Dei misericordiam consequatur. Tunc enim ad Dominum revertimur et ipse miserebitur nostri quia multum misericors est, cum cogitationes et vias pristinas relinquentes, virtutibus inservimus.

« Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. » Ne quis dubitaret de salute utriusque populi, et quod ipse non valeret peccatum operis et cogitationis omnibus indulgere, ideo talia dixit. Et est sensus : Ne putetis difficile esse, impossibile mihi salvare populum Judæorum, omnesque gentiles Deum ignorantes : hoc considerantes, quod multa sit differentia inter mea consilia et vestra, cogitationes meas ac vestras, et meam naturam et vestram. Non enim sicut cogitationes meæ immutabiles sunt, ita cogitationes vestræ sunt. Quia cogitationes hominum vanæ sunt. Neque ut viæ, id est actiones vestræ tortuosæ et pravæ. « Viæ meæ sunt immutabiles et rectæ (*Prov.* XIX). » Multæ enim cogitationes in corde viri, consilium autem Domini et cogitatio firma in æternum manebit. Unde et subditur :

« Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ » stabiles « a viis vestris » fragilibus, « et cogitationes meæ » fixæ « a cogitationibus vestris » vanis. Quantum distat cœlum a terra (quia aliud habitaculum est angelorum, aliud hominum) tantum cogitationes Dei et viæ a cogitationibus hominum et viis distant, et multo amplius, quia cogitationes et viæ hominum pravæ sunt et instabiles, Dei autem immutabiles et promptissimæ. De cogitationibus enim Dei et viis dicitur : Inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus. De hominum vero consilio dicitur : Cogitaverunt consilium, quod non potuerunt stabilire.

« Et quomodo descendit imber et nix de cœlo, » id est, de nubibus, « et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram » suo rore, « et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti : sic erit verbum meum, » id est, sententia mea, quod egredietur de ore meo. « Non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, et

prosperabitur in his ad quæ misi illud. » Ecce dat aliam similitudinem, quod consilium illius et voluntas immutabiles sunt. Et est sensus : Sicut istud quod dico immutabile est ut postquam pluvia super terram descendit non revertitur sursum, sed inebriat terram suo rore ut proferre valeat fructus varios : sic quod dixi de salute Judaici populi et vocatione gentium, stabile erit. Allegorice autem per imbrem possumus intelligere Evangelicam doctrinam, quæ a nubibus, id est ab apostolis, venit super corda arida terrenorum hominum, et suo rore fecundavit, ut fructus justitiæ et virtutum proferrent. Per verbum autem, quod dicit a suo ore exire et facere suam voluntatem, possumus intelligere Verbum Dei Patris, de quo dicit Joannes (*Cap.* I) : « In principio erat Verbum. » Tamen cum dicit quod egredietur de ore meo, non debemus putare, quod Deus omnipotens talia membra habeat sicut humana natura : sed nostro more loquitur, ut per nostram naturam discamus Dei verba. Istud ergo Verbum misit Deus Pater, ut voluntatem suam per illud adimpleret et placitum, hoc est, ut per eum genus humanum redimeret, sicut ipse Filius dicit : Quia « quæ placita sunt ei facio semper (*Joan.* VIII). » Fecit ergo quod Pater voluit, redimendo genus humanum : et prosperatus est secundum humanitatem, quando, per universum orbem prædicatione illius et fide diffamata, gentes crediderunt in eum : sicque ad dexteram paternæ majestatis reversus est.

« Quia in lætitia ingrediemini, et in pace deducemini. » Alloquitur Deus Pater tam Judæos quam credentes, venientes ad se per fidem. In lætitia (inquit) ingrediemini, o Gentiles, de infidelitatis errore et idololatriæ cultura, ad lucem fidei et cognitionem meam. Sive, o Judæi, de umbra legis ad gratiam et veritatem Evangelii. Et in pace, id est in Christo, deducemini ad patriam cœlestem, de tenebris peccatorum. De hac pace dicit Apostolus : « Gratia vobis et pax (*Rom.* I). » Et iterum : « Ipse est pax nostra, qui nos pacificavit Deo Patri et sibi (*Ephes.* II). » « Montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu. » Per montes et colles intelliguntur angelicæ potestates, et sanctorum animæ patriarcharum et prophetarum, apostolorum, cæterorumque sanctorum, quæ pro varietate virtutum montes appellantur et colles, et gaudent de salute utriusque populi. De quibus Dominus dicit in Evangelio : « Quia gaudium est in cœlo angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV). » Quod autem subjungit, « et omnia ligna regionis plaudent manu, » de multitudine gentium et fidelium intelligendum est, quæ gentiles præcessit. Quarum una arborum ait : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in Domini misericordia (*Psal.* LI). »

« Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus. » Saliuncula sive saliunca herba est plena aculeis et punctionibus. Abies vero alta et procera arbor est, et tam ad domum fabricandam apta, quam etiam ad picem effundendam. Ac si diceret aliis verbis : Pro vitiis ascendent virtutes, et pro infidelibus fideles. Verbi gratia : Veniens quilibet infidelis ad gratiam baptismatis, qui ante erat saliunca, id est infructuosus, ascendit ad culmina virtutum et efficitur abies. Per urticam autem, quæ est igneæ naturæ, significantur libidinosi et cupidi, et qui a fide Christi alieni existunt, et aculeis peccatorum pungunatur, qui tunc mutantur in myrtum (quæ est arbor aromatica et odorifera) dum de vitiis transeunt ad virtutes, bonumque odorem virtutum de se reddunt. Nunquid non Paulus apostolus et Zachæus non erant ut saliunca, id est infructuosæ arbores et urtica, quando alter persecutionis aculeis pungebat Christianos, alter aculeis cupiditatis et æstibus avaritiæ anhelabat? Sed cito conversi ad fidem, creverunt in abietes et myrtos, intantum ut unus illorum diceret : « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II. Cor.* II). »

« Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur. » Cum, inquit, ascenderint pro infidelibus fideles, et creverint pro libidinosis et cupidis casti, et contemptores divitiarum : erit Dominus nominatus in toto mundo in signum æternum, quia a Christo Christiani dicuntur, quod signum salutis non auferetur a cordibus fidelium. Hoc enim signo, id est nomine Christi, erunt insigniti omnes fideles usque ad diem judicii.

CAPUT LVI.

« Hæc dicit Dominus : Custodite judicium, » id est omnes æqualiter judicate, non attendentes personam in judicio pauperis. Quod autem subjungit, « facite justitiam, » per justitiam debemus intelligere omnes virtutes quæ justificant electos Dei. Et quare ista præcipio? « Quia juxta est salus mea, ut veniat, » id est, in proximo est ut veniat Filius meus Jesus quod interpretatur Salvator, eo quod « salvet populum suum a peccatis (*Matth.* I), » « et prope est justitia mea » ut reveletur suo tempore, juxta illud Apostoli : « Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum (*Gal.* IV). » Salus Dei Patris et justitia Filius est, quia per ipsum salvat et justificat omnes electos.

« Beatus vir qui facit hoc, » subaudis judicium et justitiam, et cum discretione omnia facit. « Et filius hominis qui apprehendit istud, » subaudis judicium, id est qui fortiter tenet Christum credendo in eum, cui « Pater omne judicium dedit (*Joan.* V). » Huic versiculo simile est quod dicit Psalmista : « Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore (*Psal.* CV). » Duo dicit, beatus vir, et beatus filius hominis. Ille igitur qui viriliter in mandatis Domini laborat, præteritum obliviscens et in futurum se extendens, donec perveniat in unitatem fidei et agnitionem Filii Dei, « in virum perfectum et mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV) » : utique sine dubio in adoptionem filii Dei merebitur pervenire. Sequitur : « Custodiens sabbatum, ne polluat

illud, custodiens manus suas, ne faciat omne malum. » Sabbatum custodit, qui præcepta Dei adimplens a vitiis declinat. Custodiens, inquit, sabbatum cessando a vitiis ne polluat illud, beatus est : et custodiens manus suas a rapina et omni iniquitate, ne faciat omne malum, id est omne peccatum : quia qui in uno offendit, factus est omnium reus (*Jac.* II).

« Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Domino dicens : Separatione sua dividet me Dominus a populo suo. » Advenæ appellabant gentiles, qui deserentes ritum gentilitatis transibant per circumcisionem ad Judaismum, adhærentes Domino per fidem et operationem. Hæc contra Judæos dicta sunt, qui de nobilitate generis se jactantes, dicebant Christi adventum non pertinere nisi solummodo ad ipsos, de quorum stirpe originem sumpsit secundum carnem. Quorum verba audientes gentiles qui juncti erant illis, desperabant de salute, quod non possent eis coæquari in gloria æterna, dicentes : Separatione dividet me Dominus a populo suo, cum venerit. Sed in illa spirituali regeneratione non est discretio sexus aut conditionis, utrum masculus an femina, liber an servus veniat ad fidem, et baptismo sanctificationis mundetur. In omni enim gente qui timet illum et operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* x). Juxta illud Apostoli : « In Christo Jesu non est Judæus neque gentilis, non est servus neque liber : sed omnes unum sunt (*Gal.* III). » Quapropter consolatur Propheta gentiles, et dicit : Non dicat, inquiens, filius advenæ sive peregrinus, qui adhæret Domino per circumcisionem et fidem. Separatione dividet me Dominus a populo suo, cum venerit salvare populum suum Judaicum : quia plures sunt salvandi per fidem de gentibus, quam de Judæis. « Et non dicat eunuchus : Ecce ego lignum aridum. » Tria genera sunt eunuchorum. Sunt eunuchi qui ab aliis fiunt hominibus, et sunt alii qui ex utero matris ita nascuntur, ut nullam habeant virtutem procreandi filios. Sunt denique eunuchi in utroque sexu, qui se custodiunt ab omni immunditia, servantes virginitatem pro amore Dei : de quibus Dominus ait : « Sunt, inquit, eunuchi qui se castraverunt propter regna cœlorum (*Matth.* XIX). » Non abscidendo sibi virilia, sed luxuriam refrenando. Quos omnes hic consolatur Propheta ex persona Domini, ut non desperent de æterna salute, nec contristentur eo quod filios carnales non habent, propter quod in lege Dei maledictus quod non reliquerit semen super terram. Ibi enim non de semine procreationis dicitur, sed de semine bonæ operationis. Putabant quippe quod qui non haberet filios, non haberet requiem in regno cœlorum cum sanctis patribus. Allegorice per hos eunuchos intelligere debemus omnes utriusque sexus, qui virginitatem pro Christi nomine servant : quos nunc alloquitur sermo divinus, ut non amittant spem patriæ cœlestis, quamvis careant filiis carnalibus, quia non separabuntur a gloria electorum, si semen spirituale hic, id est opus bonum fecerint : sed coronam et bravium virginitatis a Domino recipient. Sequitur :

« Hæc dicit Dominus eunuchis, » id est, virginibus « qui custodierint sabbata mea, » id est, ab omni vitio cessaverint : per quod homo efficitur filius diaboli, « et elegerint quæ volui, » id est, virginitatem servaverint, « et tenuerint fœdus meum, » id est, pactum sive præceptum quod pepigi cum eis, et illud opere adimpleverint : studentes jugiter orationi, juxta illud : « Oportet semper orare (*Luc.* XVIII), » etc., nec non et illud considerantes quod dicitur : « Sine intermissione orate (*I Thess.* V). » Notandum quia non dicitur et elegerint quæ præcepi, sed quæ volui : quia Dominus ostendit se amare virginitatem, non tamen præcipit eam cum ait : « Qui potest capere capiat (*Matth.* XIX). » Et Apostolus : « De virginibus, ait, præceptum Domini non habeo : consilium autem do (*I Cor.* VII). » Videamus quæ merces eis a Domino promittitur.

« Dabo eis, » inquit, « in domo mea » subaudis locum, id est, in præsenti Ecclesia dabo maximum honorem, ut in ea sacerdotali fungantur officio, et pro filiis carnalibus multos habeant spirituales filios : vel dabo eis locum in domo mea, in cœlesti scilicet Hierusalem, ubi mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). « Et in muris meis dabo eis locum, » id est, in numero prædicatorum illos constituam, ut efficiantur turres fortissimæ civitatis meæ : ut muniant et protegant sibi subjectos, prædicationis verbo sive exemplo. « Et nomen melius a filiis et filiabus, » id est, excellentius præ cæteris qui filios et filias carnales generant. « Nomen sempiternum dabo eis, » id est, nomen Christianitatis, ut a Christo meo Christiani vocentur : « quod » nomen « nunquam deficiet. Et filios advenæ, » id est, gentilium « qui adhærent Domino, » credendo in eum, subaudis dabo nomini sancto ejus « ut colant eum, » confitendo illum, « et diligant nomen ejus, » id est, nomen filii « ut sint ei in servos, » sicut Apostolus de se loquitur : « Paulus servus Jesu Christi (*Gal.* I). » « Omnem, » subaudis eunuchum sive advenam, « custodientem sabbatum meum, ne polluat illud, » id est, cessantem a malo opere, « et tenentem fœdus meum, » ut semper insistat orationi.

« Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ, » id est, in cœlesti Hierusalem, ubi electi nihil aliud acturi sunt nisi laudes Deo referent et orationi vacabunt. Mons sanctus ad quem promittit eos se adducere, aut dogmata veritatis sunt Trinitatisque confessio, vel Ecclesia præsens, vel etiam ipse Dominus, qui est mons montium : de quo idem Propheta ait : « Venite, ascendamus ad montem Domini (*Isa.* II). » Ad cujus contemplationem adducet ipse electos suos. « Holocausta eorum et victimæ, » id est, eunuchorum et advenarum, « placebunt mihi super altare meum, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus. » Holocausta sunt quæ integra cremantur. quia holocaustum totum incensum dicitur et com-

bustum. Victimæ dicuntur a vinciendo, eo quod vinctæ atque ligatæ adducerentur ad ostium domus Domini, atque tradebantur sacerdotibus. Quarum pars offerebatur in altari, et alia pars sacerdotibus tradebatur. Non autem his verbis eunuchis vel advenis præcipit, ut offerant sacrificium secundum Judæos : sed spiritualem hostiam jubet offerre, de qua Apostolus : « Obsecro (inquit) ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem (*Rom.* XII). » Et alibi : « Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. » Virginitatem enim mentis et corporis servare, spirituales victimas est Deo offerre. Sed ut aliqua differentia fiat, victimas offert quisquis ad tempus orationi vacat, et rursus ad tempus pro amore filiorum non causa libidinis debitum uxori reddit. Holocaustum autem offert, quisquis pro Christi nomine omnia dimittit. Juxta quod Dominus ait : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, et da pauperibus (*Matth.* XIX). » Vel victimas offert, qui in sæculo positus partem substantiæ suæ servat sibi ad suos usus, et suorum explendam necessitatem : partem etiam egenis et pauperibus pro Christi nomine distribuit. Hujusmodi ergo holocausta et victimas præcipit Deus eunuchis et advenis offerre, id est, virginibus et credentibus ex gentibus : ut contemnentes ex toto mundum, virginitatem servent et studeant orationi, et hoc super altare, id est, in fide recta, debent offerre. Sicut enim super altare ponebantur victimæ et holocausta, ibique adolebantur : ita in fide omnes virtutes et omnia bona opera consistunt : quia sine fide impossibile est placere Deo. Hinc dicitur : Justus autem meus ex fide vivit. Sequitur : « Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus (*Habac.* I). » Non de uno solummodo templo Hierosolymitanæ urbis loquitur, ubi tantum oratio et concursus fiebat unius Judaicæ gentis : sed de Ecclesia quæ per universum orbem dilatata est, ad quam quotidie multi confluunt populi.

« Ait Dominus qui congregat dispersos Israel » in unum ovile et in unam Ecclesiam. Dispersos Israel appellat duodecim tribus, ad quas scribebat Petrus : vel omnes credentes, de quibus Dominus ait apostolis : « Sedebitis super sedes duodecim (*Matth.* XIX) : » et cætera. De hac congregatione vel dispersis loquitur evangelista : « Jesus (inquit) moriturus erat pro gente (*Joan.* XI) : et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui dispersi erant, congregaret in unum. » « Adhuc congregabo ad eum, » id est, ad Christum, « congregatos ejus, » id est, omnes prædestinatos ad vitam, « et adducam » ad fidem ejus et ad Ecclesiam, vel ad cœlestem Hierusalem. Vox Patris ad Filium. Sequitur :

« Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus, » subaudis venite et præparate ad devorandum populum Judaicum, qui credere noluit in Christum. Congregate (ait Propheta) omnes gentes, ut veniant et interficiant miseros Judæos qui in infidelitate permanserunt. Et appellat eos bestias, quia more bestiarum irrationabiliter vivebant adorantes creaturam pro Creatore, et varia portenta dæmonum venerantes, et in saltu vitiorum commorantes. Quando Romani venerunt quadragesimo secundo anno post ascensionem Domini contra Judæos, pene omnium gentium milites venerunt : qui universum orbem sub suo dominio tenebant. Ideoque nunc dicitur omnes bestiæ agri, id est, milites omnium gentium. Ager enim est mundus, sicut Dominus in Evangelio quodam loco exponit (*Matth.* XIII). Possumus per bestias agri intelligere dæmones, quibus miseri Judæi traditi sunt ad cruciandum : secundum illud Jeremiæ : « Ovis errans Israel, leones ejecerunt eam (*Jer.* L). » Et Apostolus : « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens. »

« Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt, » subaudis Deum sive veram lucem. « Canes muti, non valentes latrare. » Consuetudo Scripturarum est, ut reges et principes ac magistros appellet speculatores : sicut hic scribas et Pharisæos atque sacerdotes Judæorum, qui cæci erant, nescientes conspicere « lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). » Sive cæci erant, quia non habebant lumen fidei et claritatem virtutum. Unde eis Dominus dicit : « Væ vobis cæcis qui dicitis : Si quis juraverit in altare, non debet. Qui vero per aurum juraverit, debet (*Matth.* XXIII). » Et hoc verbum quod est speculator, in bonam et malam partem ponitur. In bonam, ut Dominus loquitur ad Ezechielem : « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel (*Ezech.* III). » Et Isaias : « Super speculа Domini ego sto die ac nocte (*Isa.* XXI). » In malam partem poni ur ut hic, aliisque in locis quam plurimis. Et non solum speculatores cæci vocantur, verum etiam « canes muti non valentes latrare » propter pigritiam. Sicut canes suo latratu custodiunt gregem a lupis, sic illi debuerant latratus prædicationis emittere, et dæmones a cordibus subjectorum fugare. « Videntes vana, » id est, sapientes a malo « et intelligentes inutilia, dormientes, » id est, in peccatis jacentes libidinique servientes, et a bono opere torpentes, « et amantes somnia » a quibus deludebantur a dæmonibus. Unde dicebant : « Somniavi, somniavi (*Jer.* XXIII). » Dormiebant siquidem illi speculatores, non attendentes illud : « Ne dederis somnum oculis tuis (*Prov.* VI). » Et illud Evangelii : « Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus est (*Matth.* XXV). » Et ad exaggerandum illorum malitiam, subjungit :

« Canes impudentissimi » id est, inverecundi, « nescierunt saturitatem, » subaudis, erroris et malitiæ. Sicut canes inverecundi revertuntur ad suum vomitum : sic illi malitiam quam corde conceperant explentes, statim ad pristina vitia revertebantur. Juxta illud Proverbiorum : « Canis reversus ad vomitum (*Prov.* XXIV). » Vel aliter : Sicut canes sine verecundia latratus emittunt persequendo lupum, vel etiam latrunculum : sic illi inverecunda fronte clamaverunt contra Dominum : « Crucifige, crucifige eum, reus est mortis (*Matth.* XXVII). » « Ipsi pastores

ignoraverunt intelligentiam, » subaudis legis et prophetarum. Eosdem quos superius speculatores et canes dixerat, nunc pastores appellat, scribas videlicet et Pharisæos et magistros Judæorum : non quod revera veri pastores essent, sed mercenarii qui ignoraverunt scientiam legis divinæ, sicut Dominus ad eos loquitur : « Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei (*Matth.* XXII). » « Omnes in viam, » id est in actionem « suam » pravam « declinavêrunt. » Scribæ videlicet et speculatores Judæorum, recedendo a voluntate Dei et sequendo diabolum, secundum illud : « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt (*Psal.* XIII, 52). » « Unusquisque ad avaritiam suam declinavit, » quærens quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi (*Philip.* II). Et hoc fecerunt « a summo usque ad novissimum, » id est, a majoribus usque ad minores, a prælatis usque ad novissimum subjectum : sicut idem propheta loquitur : « A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas (*Isa.* I). »

« Venite, sumamus vinum, impleamur ebrietate, » vel sicera sicut in Hebræo habetur. Et ponitur pro omni quod inebriare potest. « Et erit sicut hodie sicut et cras, et multo amplius. » Sic dicebant illi miseri suis sodalibus et socils, qui subditorum mores et actus sedulo considerare debuerant, et gubernare. Et quia noluerunt agere pœnitentiam post Domini passionem, sed in malitia perduraverunt, dicentes : « Comedamus et bibamus, eras enim moriemur (*Isa.* XXII), » traditi sunt in manus Romanorum, et ab eis miserabiliter interfecti sunt.

CAPUT LVII

« Justus perit, et nemo est qui recogitet, » et reliqua. Tradunt Hebræi quod de seipso dixerit hoc Isaias, qui sectus est serra lignea a Manasse, virosque misericordiæ appellaverit cæteros prophetas, quos idem rex impiissimus peremit. Sed verius de illo intelligitur, qui justificat omnem impium. De quo uxor Pilati : « Nihil tibi et justo illi. » Et Pilatus : « Quid faciam (inquit) de Jesu qui dicitur justus (*Matth.* XXVII)? » Justus Christus perit in passione, et nemo est Judæorum, id est reproborum, qui recogitet, sive consideret in corde suo, quod non pro suis peccatis talia patiebatur, sed pro salute generis humani. Quod dicitur perit, secundum æstimationem illorum loquitur, vel etiam ideo, quia perditio non semper pro abolitione sive pro interitu ponitur, sed pro magnitudine passionis. Nam Dominus non periit, quia tertia die resurrexit. Viros autem misericordiæ apostolos debemus intelligere, qui non nostris meritis, ad nos venerunt, ut nos de potestate diaboli eruerent. « Isti viri misericordiæ colliguntur » ad patriam cœlestem, « et non est qui intelligat, » id est nemo reproborum considerat quod pro justitia sua trucidentur, et talia sustineant. « A facie malitiæ, » id est a præsentia peccati « collectus est » a Deo Patre : « justus » Christus resurgendo a mortuis, sive propter malitiam hominum quorum peccata pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ viveremus, victor ascendit ad Patrem (*I Petr.* II).

« Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua, » id est in rectitudine. Beatus Hieronymus dicit in Hebræo requiescant legi, licet singularis numerus in quibusdam libris inveniatur. Quod duobus modis potest intelligi. Id est ut propheta desiderans adventum Christi dicat : Veniat pax vera Christus per incarnationis mysterium, ad reconciliandum Deo Patri genus humanum, postea resurgens a mortuis requiescat in cubili suo, id est in gloria paternæ majestatis, vel in Ecclesia in qua ambulavit ipse Christus in directione sua. Si autem pluraliter legerimus, requiescant in cubili suo, de apostolis intelligendum est ita : Veniat pax Christi per apostolos ad gentiles, quam ipsis apostolis dereliquit dicens : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* XIV). » Cumque illa pax venerit quæ « exsuperat omnem sensum (*Philip.* IV), » requiescant apostoli in cubili suo, id est in æterna beatitudine. Ipse vero qui pax est et pacem tribuit fidelibus, ambulavit in rectitudine sua, quia recto tramite rediit ad Patrem.

« Accedite huc, filii auguratricis, semen adulteræ. » Hierusalem multa idola coluit maxime temporibus Isaiæ, et inter cæteras spurcitias augurium etiam exercuit. Unde appellantur modo Judæi filii auguratricis et semen adulteræ mulieris, sive adulteri populi in quibusdam legitur, et semen fornicariæ plebis vel mulieris : ut vel sic confusi pœnitentiam agant. Sicut adultera dicitur mulier, quæ proprium virum dimittit et adhæret alieno. Sic et Hierusalem adultera appellatur, quia dereliquit proprium virum Deum, et adhæsit diabolo. Unde ei modo loquitur : « Accedite ad me, filii auguratricis, et audite verba mea qui estis semen adulteræ mulieris et fornicariæ, Super quem lusistis et dilatastis os, et rejecistis linguam? » Vox Filii Dei commemorantis sævitiam Judæorum contra se, quam sustinuit tempore passionis suæ sicut evangelistæ insinuant, quando illuserunt et dilataverunt os et ejecerunt linguam ad blasphemandum eum, quando videlicet velaverunt faciem ejus, et percusserunt caput ejus arundine, et dixerunt : Ave, rex Judæorum : et imposuerunt coronam spineam in capite ejus, et cætera quæ evangelicus sermo commemorat (*Luc.* XXIII ; *Matth.* XXVII ; *Marc.* XV ; *Joan.* XIX). Nunquid non dilataverunt os et ejecerunt linguam ad blasphemandum Deum, cum dixerunt : « Dæmonium habes ; Samaritanus es ; in principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Joan.* VII, VIII). » Et tempore passionis cum dixerunt : Crucifige eum, reus est mortis. Et Vah qui destruis templum. Super quem (inquit) hæc omnia fecistis, dicit Filius Dei, nisi super me? « Nunquid non vos filii scelesti, semen mendax, qui consolamini in diis, » alienis « subter omne lignum frondosum, » id est nemorosum, « immolantes parvulos in torrentibus subter imminentes (eminentes) petras? » Filii diaboli et peccati erant, sicut Dominus eis dicit : « Vos ex

patre diabolo estis (*Joan.* VIII) : » non per naturam, sed per imitationes. Scelestus homo dicitur crudelis. Et illi crudeliter ac nequiter agebant, quando relicto Deo vero idolis serviebant, et diis alienis filios suos immolabant. Semen mendax erant, quia diabolum imitabantur, qui est mendax (sicut Dominus ait) et pater ejus, id est, mendacii, pater et auctor ejus. Hoc vero quod dicit, qui consolamini in diis alienis, id est, qui delectamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus subter imminentes petras : in libro Regum et Paralipomenon apertius manifestatur, ubi dicitur quod filios suos et filias fecerunt transire per ignem, et subter ligna nemorosa, et in torrentibus et subter imminentes petras obtulerunt idolis sacrificia. De hac immolatione dicit Psalmista : « Immolaverunt filios suos et filias dæmoniis (*Psal.* CV). »

« In partibus torrentis, » id est in ripis torrentis, pars tua, o Hierusalem, quæ relinquens altare domus Domini in torrentibus immolas. « Hæc est pars tua, » subaudis in cultura idolorum, « et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium. » Libamina sunt in liquaminibus, in oleo et vino. Sacrificium in aridis, in pane et victimis. « Nunquid super his, » operibus tuis pessimis, « non indignabor, » subaudis, ut non reddam tibi juxta opera tua mala?

« Super montem excelsum posuisti cubile tuum, » et cætera. Dicit beatus Hieronymus, quod temporibus Isaiæ hæc maxime contigerunt, quando sub rege Achaz omnes montes cultura dæmonum repleti sunt. In montibus enim excelsis ponebant cubicula sua, ut ibi luxuriam fornicationemque suam explerent. Et non solum eis hoc malum sufficiebat : verum etiam post ostium et retro postem ponebant simulacra, ut intrantes vel exeuntes semper adorarent ea, sicut sequentia manifestant.

« Post ostium, » inquit, « et retro postem posuisti memoriale tuum, » id est, non solum in montibus et vallibus adorasti simulacra, verumetiam post ostium et retro postem, quod unum est, posuisti memoriale tuum, id est, idola, ut semper in memoria tua essent, quatenus egrediens domum vel ingrediens adorares ea. « Quia juxta me discooperuisti et suscepisti adulterum, » id est diabolum, « dilatasti cubile tuum, et pepigisti cum eo fœdus, » subaudis ut ad me non redires. Loquitur Dominus ad Hierusalem, et redarguit eam quasi meretricem et adulteram, eo quod dereliquerit virum proprium, id est, Deum, et adhæserit alieno, id est, diabolo, per culturam idolorum fornicando cum lapide et ligno. Verbi gratia, sicut quilibet homo redarguit uxorem suam dicens : Dum dormio juxta te, clam revelas stratum meum et suscipis adulterium juxta me, pactumque cum eo iniisti ut non redires ad me. Vel ita potest intelligi, ut omnem voluntatem suam amatoribus suis absque verecundia manifestaverit : et non solum in Hierusalem fornicata sit, sed et super omnes vicos et civitatulas lupanaria constituerit.

« Dilexisti stratum eorum manu aperta, et ornasti te regio unguento. » Per stratum hic debemus intelligere adulterium, quod in stratu operatur, et per manum operationem irreverentem, ut sit sensus : Dilexisti adulterium manu aperta, id est, sine verecundia et operatione irreverenti, et ornasti et præparasti te unguento regio, id est, diabolico, qui est rex super omnes filios superbiæ. Vel unguento præparasti te regio, id est, idolo Moabitarum : quod a quibusdam Moloch vel Melchon appellatur, et interpretatur *rex*. Cui se præparabat Hierusalem et multiplicabat pigmenta, ut ornatu suo et odore placeret amatoribus suis.

« Misisti legatos tuos procul, » subaudis, ad deferenda idola, et conducendos amatores, « et humiliata es usque ad inferos, » id est, propter opera tua mala præcipitata es in mortem. Et est sensus : Non suffecit tibi ut solummodo adorares deos quos in circuitu tuo gentes colebant : sed insuper misisti procul in Babylonem et in Ægyptum, ut illorum quoque deos adorans fornicationem tuam expleres cum cultoribus eorum. Quod dicit, humiliata es usque ad infernos, non est ista humiliatio in bonam partem intelligenda. Est enim humilitas quæ pertinet ad gloriam : ut illud, « Omnis qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XIV, et XVIII), » etc. Et est alia quæ pertinet ad interitum et defectionem : ut est illud quod in libro Regum legitur : « Quia humiliavit Amon Thamar sororem suam (*II Reg.* XIII). » Et Dominus dicit : « Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. »

« In multitudine viæ tuæ laborasti, » id est in multis actionibus tuis pravis. « Et non dixisti, Quiescam, » subaudis, a cultura idolorum, vel a pravo opere. « Qui ambulat per viam regiam, non declinans ad dexteram nec ad sinistram : ille non laborat (*Joan.* XIV), » etc. Via recta Christus est, qui dixit : «Ego sum via, veritas, et vita. » Verbi gratia, via recta et regia est prudentia, quæ ostendit qualiter bona provide consideremus, et mala solerter caveamus. Qui vero plus sapit quam oportet sapere, ille sine dubio ad dexteram declinat. Qui autem stultus est et incautus agit omnia, ad sinistram procul dubio declinat. Et ille laborat in via, qui pravis actionibus semper deditus est.

« Vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti, » subaudis me. Et si rogasti verbis non tamen operibus, ut est illud : « Populus hic labiis me honorat (*Isaiæ.* XXIX). » Vitam hic pro divitiis posuit, et abundantia terrenarum rerum, in quibus illi spem vitæ suæ collocatam habebant. Ac si diceret : Divitias quas desiderabas invenisti, omniumque repleta es abundantia, ideoque me non rogasti sicut rogare debuisti.

« Pro quo sollicita, timuisti, quia mentita es, » etc. Iste versus distinctionibus et subauditionibus eget. Pro quo sollicita? Pro divitiis. Ibique media distinctio ponenda est. Et est sensus : Pro divitiis a me tibi datis sollicita fuisti, quomodo custodires eas. « Et timuisti, » subaudis hostes vel deos a quibus sperabas omnia hæc tibi data. « Quia mentita es, » subaq

dis quando egrediebaris de Ægypto dicens : « Omnia quæ locutus est nobis Dominus (*Exod.* XXIV), » et cætera. « Et mei non es recordata : » subaudis tempore lætitiæ tuæ. Quodque sequitur : « neque cogitasti in corde tuo, quia ego non tacens : et quasi non videns, et mei oblita es. » Sensus hujusmodi est : Cum divitiis abundares, et summa pace fruereris, luxuriæque et avaritiæ et aliis vitiis deservires, quia præsentialiter tibi quod merebaris non reddidi : putasti quod semper tacerem non recolens quod alibi dixi : Tacui, numquid semper tacebo?

« Ego annuntiabo justitiam tuam, et opera tua, » id est simulacra tua, « non proderunt tibi. » Et loquitur ironice. Ac si diceret : Hactenus silui, non amplius tacebo, sed annuntiabo iniquitatem tuam, cum te et simulacra tua tradidero Chaldæis vel Romanis. Vel etiam in die judicii annuntiabo nequitiam tuam omnibus gentibus, quomodo contra me egeris tempore passionis meæ, ut cognoscant te non recte egisse. Et quare non proderunt tibi simulacra tua? Quia illa conflabuntur, et tu captiva duceris.

« Cum clamaveris, » subaudis, ad me tempore captivitatis et calamitatis tuæ, sive cum venerint Chaldæi vel Romani, seu in die judicii, « liberent te congregati tui, » id est, dii tui de captivitatis malo et pœnis inferni absolvant, quos deos congregasti ex diversis gentibus, unde Jeremias : « Ubi sunt dii tui quos feceras tibi (*Jer.* XXXVII)? » Surgant, et salvam te faciant in die malorum. « Et omnes eos, » subaudis deos, « auferet ventus, » id est non poterunt te liberare, quia omnes deos tuos auferet persecutio captivitatis, et adventus scilicet hostium, « et tollet aura, » quod idem significat. « Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, » et cætera. De illis dicit qui idola non adoraverunt, sive de illis qui in captivitatem ducti pœnitentiam egerunt, et reversi sunt sub Zorobabel et Jesu de captivitate, ut adorarent Deum suum in loco suo, et servirent ei in toto corde suo.

« Et dicam, » subaudis Cyro et principibus ejus, « Viam facite populo meo, » id est præbete licentiam revertendi in terram suam. « Declinate de semita eorum, » ut non impediatis iter egrediendi. « Auferte offendicula, » id est, omnia impedimenta quæ ad iter illorum nocere possunt, ut libere redeant ad terram suam. Spiritualiter vero de omnibus electis dicit, qui veraciter in illum credunt, et fidem quam habent operibus exornant, quod ipsi hæreditabunt terram viventium, de qua Psalmista dicit : « Credo videre bona Domini (*Psal.* XXVI), » et cætera. Possidebunt etiam montem sanctum, id est, sacram Scripturam Veteris ac Novi Testamenti, quæ utraque in monte data est, ad altitudinem præmiorum observatores suos invitat, de qua Dominus Judæis loquitur : « Auferetur a vobis regnum Dei (*Matth.* XXI), » id est, sacra Scriptura. Vel certe montem sanctum, id est, Christum possidebunt sancti, de quo idem propheta ait : « Venite, ascendamus ad montem Domini (*Isa.* II), » id est credamus in Christum Filium Dei. Christus itaque dicit apostolis et apostolicis viris : « Viam facite populo meo in me credenti fidem rectam, et operationem mundam prædicando, et præbete iter, » id est exemplum bonum quid agere debeat. Auferte quoque offendicula, id est peccata eorum per baptismum purgate, vel ab idolorum cultura vestra prædicatione illos amovete, in qua maxime offenditur Deus, et illi impediuntur ne possint venire credendo ad Christum.

« Hæc dicit Excelsus habitans æternitatem, » etc. Iste est excelsus et sublimis, de quo Psalmista ait : « Excelsus super omnes gentes Dominus (*Psal.* CXII). » Ipse habitat æternitatem, quia incommutabilis manet in sua divinitate, nec initium nec finem habens. « Et sanctum est nomen ejus in excelso, et in sancto habitans. » Hic excelsum cœlum intelligimus, ubi est sedes Dei, juxta illud : « Cœlum mihi sedes est. » Et nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est. Sive per excelsum ubi Deus habitat, angelicos spiritus, in quibus omnipotens tanquam in solio sedet et requiescit. In excelso itaque sive in cœlo seu in angelis, et in sancto subaudis Filio suo, vel in unoquoque electorum per fidem et dilectionem Deus habitat. Sicut ipse dicit : « Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus (*Joan.* XIV), » et cætera. « Et cum contrito et humili, » subaudis habitat, « ut vivificet spiritum humilium, et cor contritorum, » de quibus ipse dicit : Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem (*Isa.* LXVI)? et cætera. Et de quibus Psalmista : Cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L). Ad hoc, inquit, habitat cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, id est, ut det illis indulgentiam peccatorum et vitam æternam, qui mortui sunt peccato et vivunt virtutibus. Et vivificet cor contritorum, id est, consolatione divina reformet, ut transeant a tristitia hujus sæculi, quæ mortem operatur, ad lætitiam sempiternam, et de mœrore præsentis vitæ, ad gaudium sine fine mansurum.

« Non enim in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar, quia Spiritus a facie mea egredietur et flatus ego faciam. » Vox Dei Patris est. Non enim in sempiternum litigabo, id est, in æternum servabo iram meam, neque causabor creaturæ meæ, sed percutiam in præsenti, ut salvem in futuro. Nec usque ad finem irascar, id est, iram meam et ultionem non semper effundam super eos, quia Spiritus sanctus egredietur a facie mea, qui sustentat omnia et dat omnibus vitam, et flatus, id est animas, ego faciam. De hoc flatu dicitur in Genesi : « Insufflavit Dominus in Adam, et factus est homo in animam viventem (*Gen.* II). » Et est sensus : Igitur quia Spiritus a facie mea egredietur, qui vivificat omnia et gubernat, et sensum dat et intellectum, necnon et animam ego creo in omnibus (*Sap.* XV) : non est dignum ut æternaliter pereant, sed hic percutiam eos et flagellabo ut sentiant iram meam, et corriganter, et in futuro miserebor eorum. Hæc quæ diximus

generaliter pertinent ad omnes fideles qui a Domino flagellantur, specialiter vero ad Judæos de quibus et subditur :

« Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, et percussi eum, » id est, populum Judæorum primum tradendo Assyriis, deinde Chaldæis, ac postremum Romanis. Avarus dicitur, quasi avidus auri. Et Judæi avari erant et immisericordes, ideoque traditi sunt hostibus suis. « Abscondi ab illo, » id est a Judaico populo « faciem meam, » id est, præsentiam meam et auxilium meum, ut me amplius desiderares, « et indignatus sum, » subaudis contra te, vel propter idololatriam, vel propter interfectionem filii mei, « abiit vagus, » id est, amens et sine sensu, ut Cain « in via cordis sui » hoc est in actione sua prava.

« Vias ejus vidi, et dimisi eum, et reduxi eum. Et reddidi consolationes ipsi, et lugentibus ejus, » id est, lugentibus Sion. Vias ejus, id est, actiones bonas Judaici populi, vidi dum plangeret in captivitate peccata sua, et reddidi consolationes, id est, hæreditatem propriam ipsi populo in principibus et lugentibus Sion, id est, subjectis ejus. Aliter : Actiones bonas populi credentis vidi, et reddidi consolationes, id est, Spiritum sanctum qui appellatur paracletus, id est, consolator, quem perdidit primus parens per inobedientiam, reddidi lugentibus Ecclesiæ.

« Creavi fructum labiorum meorum, » id est quod promisi per Jeremiam (*Cor.* XXV et XXIX) prophetam, ut post septuaginta annos eos de captivitate dimitterem, velociter opere adimplevi. Et creavi « pacem ei, qui longe erat » a terra propria in Hierusalem, « et sanavi eum » a peccatis, qui pœnitentiam egit in captivitate. Aliter : Creavi fructum labiorum meorum pacem ei qui longe est, et pacem qui prope est : hoc est quod promisi per prophetas de Filio meo, quod redempturus esset genus humanum : opere adimplevi, statuens pacem Judæis credentibus qui prope erant, et gentibus qui longe. Et sanavi eum, id est, utrumque populum in illo credentem sanavi a peccato, Judæos videlicet ab infidelitate, gentes autem ab idololatria : de quibus dicit Apostolus, « Vos qui eratis longe, facti estis prope (*Ephes.* II). » Et illud : Veniens evangelizavit pacem eis qui longe erant, id est, gentilibus et pacem his qui prope, hoc est Judæis.

« Impii autem quasi mare fervens quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. » Superius locutus est de Judæis qui in captivitate positi pœnitentiam egerunt, quos sanavit a peccatis reducendo illos in Hierusalem, et de illis etiam qui post Domini passionem crediderunt : nunc de illis specialiter loquitur qui in infidelitate sua post Domini ascensionem permanserunt, quibus dicebat beatus Paulus : Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud et indignos vos judicatis æternæ vitæ : ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). Impii, inquit, sive iniqui Judæi qui in Domini passione clamaverunt : « Reus est mortis, crucifige talem (*Matth.* XXVII) : « ferventes in iram ad malum, quasi mare fervens quod quiescere non potest, sed semper in motu est : et quorum malitia sive persecutio redundavit, sicut redundant fluctus maris : cum venerint Romani in conculcationem et lutum, subaudis erunt : et conculcabuntur ab hostibus sive a dæmonibus : sicuti lutum quo recedente a transeuntibus conculcatur. Sicut mare semper in motu est, quia aliquando egreditur et aliquando regreditur et in reditu suo facit lutum quod conculcatur : sic illi egrediebantur ad iniquitatem, et regrediebantur ad interitum, et fluctuabat eorum malitia sicut fluctuant undæ maris : ideoque conculcati sive ad nihilum redacti sunt.

« Non est pax impiis, dixit Deus meus, » id est, non requiescit Filius Dei (qui dedit pacem mundo) in impiis Judæis, neque in omnibus adversa agentibus.

CAPUT LVIII.

« Clama, ne cesses : quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. » Vox Dei ad prophetam sive ad chorum apostolorum : O propheta sive chorus apostolorum, clama sine timore, ne metuas illorum insaniam, ne cesses a prædicatione. Quasi tuba exalta vocem tuam, id est, magnam vocem emitte, ut ab omnibus possis audiri : annuntians eis imminentem captivitatem a Romanis, et multam interfectionem. Et annuntia populo meo scelera eorum, id est, immania peccata, idololatriam videlicet, homicidium, et exsecrabilia facinora, quæ ultra humanum modum ipsi operantur. Et domui Jacob annuntia peccata eorum, in quibus delinquunt contra Deum et proximum. Adhuc populum suum illum vocat, ut ad pœnitentiam eum provocet.

« Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt, Quasi gens quæ justitiam fecerit, et quæ judicium Dei sui non dereliquerit. » Hæc proprie ad Judæos pertinent, qui quotidie ad templum et in synagogas confluentes leges Dei meditabantur, et tamen justitiam et judicium rectum non adimplebant : quia idola pro Deo colebant. Me, inquit, de die in diem, quærunt, tantummodo voce et veniendo ad templum atque synagogas : et scire vias, id est, actiones et voluntates meas volunt, quare non exaudiam eos. Quasi gens quæ justitiam fecerit, id est, ut modo fideles in Ecclesia recte et juste viventes, et Christum Deum et hominem confitentes. Vel quæ justitiam fecerit, hoc est, idola pro Deo non coluerit, sed mandata mea recte semper adimpleverit, et quæ judicium, id est, legem Dei sui non dereliquerit, vel veram fidem tenuerit ex qua justus vivit. Spiritualiter autem justitiam et judicium Christum debemus intelligere, qui est justitia, quia ipse justificat electos suos : et qui est judicium, quia « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V). » « Rogant me judicia justitiæ, » id est, rogant ut recte judicem eos, et justum judicium faciam : ostendendo quare non suscipiam eorum opera. « Ap

propinquare Deo volunt, » subaudis voce, non opere.

« Quare jejunavimus, et non aspexisti, » subaudis exaudiendo. « Humiliavimus animam nostram, » id est, vitam nostram jejunando « et nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, » subaudis carnalis, « et omnes debitores vestros repetitis. » Proposuerunt Judæi Domino, quare non exaudiebat eos cum humiliarent se jejuniis : sed Dominus non reprobat jejunia, sed opera quæ in jejunio faciebant, dicens : Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, subaudis carnalis. Ac si diceret : Ideo non exaudio, quia jejunium vestrum caret misericordia, et insuper pro laude et adulatione hominum illud agitis. Vacant Judæi jejuniis, sed frustra, quia non generalibus. Generale etenim jejunium est abstinere ab omnibus illicitis, et hoc non pro laude temporali agere. Quod autem dicit, in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra carnalis, quidam codices habent : invenietur voluntas vestra, id est, delectatio, in sumendis videlicet pluribus et lautioribus cibis post jejunium. Omnes, inquit, debitores vestros repetitis, id est, exigitis contentiose ab illis quibus aliquid commodastis. Ideo enim aliquando jejunabant, ut liberius possent suos debitores repetere, quod non potest sine contentione agi.

« Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. » Et est sensus : Ideo jejunatis ut lites et contentiones agatis, et, quod pejus est, pauperes et innocentes pugno percutitis, sine pietate exigentes ab illis quæ non commodastis, et vultis ut exaudiam vos? Sequitur, « Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. » Solebant Judæi in diebus jejuniorum in angulis platearum orare, expansis manibus ad cœlum, et in medio templo similiter cum clamore et ejulatu, ut ab audientibus eos et cernentibus laudarentur (*Matth.* xxiii). Sicut et ille Pharisæus qui a Domino in Evangelio contemnitur, ideoque dicitur ad eos (*Luc.* xviii) : « Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, » subaudis absque misericordia, et ut debitores cum lite et contentione repetatis, ut audiatur clamor vester in excelso, hoc est in templo sive in plateis, et cum clamore oretis.

« Nunquid tale est jejunium quod elegi, » subaudis quale vos agitis? « Per diem, » id est tota die « affligere hominem animam suam, » subaudis, et postea multa perpetrare illicita, vel cibis immoderate repleri? Quid ergo proficit corpus temperare a cibis, nisi temperetur a vitiis? Istud tale jejunium non approbat Deus, sed illud quod generale est et in humilitate misericordia adimpletur. « Nunquid » subaudis elegi « contorquere quasi circulum caput suum, » id est caput ac pedes inclinare « et saccum » induere « et cinerem sternere? Nunquid istud vocabis jejunium et diem acceptabilem Domino? » Subaudis, non erit ei acceptum tale jejunium, quia humilitatem prætendis exstrinsecus, et tumore superbiæ inflaris intrinsecus : laudem humanam exinde requirens. Amat Deus omnipotens ea quæ superius commemoravit, caput videlicet inclinare, saccum et cinerem sternere : si puro de corde agantur, et maxime tempore necessitatis et tribulationis : ut in Ninivitis, et David atque Achaz (*Jonæ* iii; *II Reg.* xiii, *III Reg.* xxi). Si autem duplici animo fiant, non eligit neque approbat ea.

« Nonne hoc est magis jejunium quod elegi, » subaudis, quod ego præcipio tibi custodire? « Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. » Septuaginta apertius transtulerunt dicentes : Omnem scripturam iniquam conscinde. Mos erat illius populi, ut si alicui aliquid commodaret chirographum inde scriberet, id est, chartam et scripturam per quam illi requireret : vel etiam juramento colligabant eos quibus aliquid præstabant, et aliquando falsa chirographa scribebant contra pauperes, et ab illis qui nihil habebant cum violentia exigebant quod illis non commiserant. Hujuscemodi chartas et scripturas appellat colligationes et fasciculos deprimentes : quia ligabant, id est constringebant per ea pauperes et opprimebant : præcepit ut ea dissolverent. Si enim impietas est (ut B. Hieronymus dicit) ab eis debitum accommodatum exigere qui non possunt reddere, quia non habent unde : quantæ illud impietatis est quod falso requiritur? Spiritualiter autem et moraliter colligationes et fasciculos debemus intelligere peccata, quæ præcipimur dimittere proximo in die jejunii, Domino dicente : Dissolve colligationes impietatis, etc. Ac si diceret : Dimitte proximo in te peccanti quæ contra te egit, ut tibi dimittatur quod contra Deum deliquisti, et possis dicere libera mente : Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus fratri (*Matth.* vi). « Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe. » Sæpe tempore famis tradebant se quidam Judæorum pauperes principibus et divitibus in servitutem, aliqui ut per spatium septem annorum eis servirent, aliqui plus, aliqui minus : alii etiam usque ad annum Jubilæum. Unde præcipitur illis, ut tales dimittant a servitute in libertatem : quia aliquando plusquam ille statuisset detinebant eum, qui se concredidérat. Dimitte (inquit) eos liberos qui confracti sunt, id est qui tempore famis et necessitatis instante, a libertate tradiderunt se tibi in servitutem, et omne onus servitutis vel peccati dirumpe.

« Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. » Notandum, quia panem tuum dixit non alienum : ne conetur aliquis ex rapina eleemosynam facere. Qui enim de rapina offert Deo sacrificium et misericordiam, quasi qui immolat filium ante patrem (*Eccl.* xxxiv). Spiritualiter per panem possumus intelligere fidem Christi, qui dixit : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* vi). » Panem enim frangimus esurienti, quando fidem Christi quam habemus simplicioribus fratribus manifestamus. Similiter per panem possumus intelligere sacram Scripturam, qua reficitur anima : sicut corpus diversis epulis. Quem panem tunc frangimus

quando inscios docemus, doctrinam et sapientiam vitæ illis insinuantes. Egenos (inquit) et vagos induc in domum tuam, præbens eis tectum qui non habent, ut recipias mansionem cœlestem. Spiritualiter vagos inducimus in domum, quando discordantes et dissidentes ad unitatem charitatis colligimus. « Cum videris nudum, operi eum, » subaudis tuis vestimentis, adimplens illud: Qui habet duas tunicas, det non habenti. « Et carnem tuam, » id est proximum tuum, « ne despexeris » cum videris eum infirmitate tabescentem, aut nudum, vel in aliqua miseria constitutum: recognoscens te esse similem illi, carnalem et mortalem. Moraliter: Cum videris nudum, id est alienum a fide et virtutibus aliquem, tua admonitione et tuo exemplo cooperi eum: et carnem tuam, id est, tui similem peccatorem, ne despexeris.

Tunc erumpet, » id est, cum talia feceris quæ superius commemorata sunt: veniet « quasi mane lumen tuum, » hoc est Christus in corde tuo, « et sanitas tua, » id est remissio peccatorum, « citius orietur. » Et est sensus: Sicut sole mane fugantur tenebræ, et illuminatur mundus, ita tu illuminaberis tuis virtutibus, quia verus sol Christus in corde tuo requiescet, de quo dicitur: « Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ (*Mal.* IV). » « Et ante ibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. » Hoc dupliciter intelligendum est. Anteibit faciem tuam, id est, præcedet te vel præsentiam tuam ad beatitudinem æternam justitia tua, et recta operatio ante judicem Christum, et gloria Domini ipse videlicet Filius Dei, cui dicitur a Patre, « Exsurge, gloria mea (*Psal.* LVI), » colliget te, id est vestiet te, sive circumdabit te operimento misericordiæ suæ. Aliter, justitiam hic debemus accipere Christum, a quo justificantur omnes electi. Anteibit sive præcedet faciem tuam, id est, ad æternam gloriam justitia tua Christus, qui dixit, « Vado parare vobis regnum (*Joan.* IV). » Et gloria Domini, id est, claritas æterna, ipse videlicet Filius Dei colliget te, id est, suscipiet te ad se, juxta illud: « Ubi sum ego, illic et minister meus erit (*Joan.* XII). »

« Tunc invocabis » ore et opere, ut Moses et cæteri sancti, « et Dominus exaudiet te: » cujus voluntatem adimplesti. « Clamabis, et dicet: Ecce adsum, » subaudis ad remunerationem, qui tibi fui in auxilio ut posses bona opera agere. « Si abstuleris de medio tui catenam, et desieris digitum extendere, » id est proximo detrahere, et loqui quod non prodest, quia detractio bonorum operum non prodest.

« Cum effuderis esurienti animam tuam, » id est voluntatem tuam, « et animam, » id est, vitam « afflictam repleveris, » subaudis bonis tuis, « orietur in tenebris lux tua, » id est Christus, « et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. » Quod superius appellavit colligationes impietatis et fasciculos deprimentes, modo appellat catenam, id est, obligationem peccatorum. Et desieris mala proximorum meditari, notando hunc et illum digito. Et desieris loqui quod non prodest, quia detractio bonorum operum non prodest, neque etiam malorum: quia tua tibi magis expediret ad memoriam reducere. Cum effuderis esurienti animam tuam, id est, cum voluntatem tuam hilarem ostenderis esurienti, compatiendo illius infirmitati et nuditati sicut tuæ, et animam afflictam jejuniis aliisque miseriis repleveris, non solum frangendo panem, sed satiando omnibus bonis: orietur in tenebris peccatorum lux tua Christus, hoc est cum talia egeris, tenebræ, id est, peccata convertentur in justitiam ut possis dicere cum Apostolo: « Fuerunt in me aliquando tenebræ, nunc autem lux sum in Domino (*Ephes.* V). » Et tenebræ tuæ, id est, peccata tua, erunt sicut meridies, id est in claritatem justitiæ convertentur. Quia auferetur iniquitas tua, ut dicas cum sponsa: « Ubi pascis, ubi cubas in meridie (*Cantic.* I)? »

« Et requiem tibi Dominus dabit semper, » id est, requiescere te faciet in cœlesti beatitudine ab hostibus et a vitiis, quia hic qui cessat a vitiis, in æterna beatitudine requiescet ab omni adversitate. « Et implebit splendoribus, » id est virtutibus, « animam tuam » vel claritate æterna de visione divinitatis suæ, « et ossa tua liberabit, » subaudis, de inferno ne tradantur incendio. Vel ossa tua liberabit, id est, corpus tuum in die judicii suscitabit. Dicamus et tertio modo, per ossa intelligentes virtutes. Ossa tua liberabit, id est virtutes tuas ipse custodiet. Juxta illud Psalmistæ. « Dominus custodiet omnia ossa eorum (*Psal.* XXXIII). » Ideo autem ossibus virtutes comparantur, quia sicut corpus sustentatur ossibus, ita anima virtutibus. « Et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum cujus non deficient aquæ. » Legimus in libro Geneseos, quod plantaverit Dominus paradisum, in cujus medio erat fons qui irrigabat totum paradisum (*Gen.* II). Ille hortus habens diversa genera pomorum et varia genera herbarum, significat sanctam Ecclesiam, quæ habet diversos ordines et adornatur variis virtutum floribus. Fons vero illo irrigans paradisum, Christum significat cui dicit Psalmista: « Quoniam apud te est fons vitæ (*Psal.* XXXV). » A quo vero fonte et vivo irrigatur Ecclesia, doctrina et sapientia spirituali. Cujus fontis aquæ, id est, doctrinæ non deficient, quia cœlum et terra transibunt, verba autem omnipotentis Dei non præteribunt (*Matth.* XXIV). Ecclesia ergo Christo assimilatur, et omnis electus corpus ejus est, unde est illud: « Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum (*Matth.* XIII). » Dicitur ergo ad quemlibet electum specialiter, et ad Ecclesiam generaliter: Eris (inquit) quasi hortus, id est, sicut paradisus et sicut fons aquarum cujus non deficient aquæ, id est, similis eris Christo qui est caput tuum, cujus non deficient doctrinæ.

« Et ædificabuntur in te deserta sæculorum, fundamenta generationis et generationis suscitabis. » Judæi hoc referunt ad restaurationem quæ facta est a Zorobabel et Jesu sacerdote magno, vel etiam ad illam quam autumant futuram in ultimo tem-

pore : sed melius est ut ad Ecclesiam ista referamus. Deserta autem sæculorum, id est multorum temporum, appellat conventicula Judæorum, quæ deserta sunt per infidelitatem, et in ecclesia restaurata per fidem. Fundamenta generationis et generationis suscitabis, o Ecclesia, credendo et confitendo Christum verum Deum, et verum hominem esse. Fundamentum singulari numero prolatum Christum significat, secundum quod Paulus dicit : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Jesus Christus (*I Cor.* II). » Plurali vero numero pronuntiatum fundamenta, apostoli et prophetæ et prædicatores Ecclesiæ significat, ut illud : Fundamenta ejus in montibus sanctis. Per hæc vero duo quæ dicit, generationis videlicet et generationis, utrumque populum vult intelligi Judæorum et gentium. Dicitur ergo ad Ecclesiam : ædificabunt (inquit) in te, o Ecclesia, per fidem conventicula, quæ deserta sunt in Judæis per infidelitatem, et suscitabis fundamenta utriusque populi, apostolos videlicet prædicatoresque, qui Ecclesiam sua doctrina et suis exemplis fundaverunt. « Et vocaberis, o » populo Christiane, « ædificator sepium, » id est doctrinarum prædicatione, « avertens semitas iniquitatum, » id est errorum, ubi non est quies neque pax Christi. Ædificatores Ecclesiæ prædicatores sunt. Sepes vero eorum doctrinæ quæ pungunt suos auditores, et quæ defendunt vineam et messem Dominicam a furibus, id est Ecclesiam a diabolo, quia in prædicatione doctorum considerant, quomodo scandala et insidias dæmonum vitare debeant. Ipsi etiam avertunt semitas iniquitatum, id est erroris et impietatis, in tranquillitatem fidei et virtutum atque charitatis. Quod si dixerimus avertens semitas in quietem, hoc est in pacem, subauditio necessaria erit ibi hujusmodi, avertens semitas, subaudis erroris in veram pacem.

« Si averteris a sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocabis sabbatum delicatum, » id est dedicatum Domino et consecratum « et sanctum Domini gloriosum, » id est purum et celeberrimum, non tuum sed Domini, et glorificabis eum vel Dominum vel sabbatum, juxta illud : « Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* v), » « dum non facis voluntates tuas, » id est actiones carnales et proprias, imitans Christum qui dixit : « Non veni facere voluntatem meam (*Joan.* v, vi). » Dum hæc feceris « non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem, » subaudis otiosum, vel sermonem blasphemiæ, sive idolis convenientem. Hæc omnia brevi explanatione comprehendi possunt, quia replicatio verborum est ibi : Si averteris (inquit) a sabbato pedem tuum, id est, si prohibueris actionem tuam pravam in die sabbati, ne commaculeis illud tuis voluntatibus, et ignem litis et detractionis atque odii non succenderis, et in his omnibus Dominum glorificabis.

« Tunc delectaberis super Domino, » id est delectationes capies in gratia illius, « et sustollam te super altitudinem terræ, » hoc est in altitudinem æternæ soliditatis, quia hoc solummodo elementum solidum atque immobile manet. « Et cibabo te hæreditate Jacob patris tui, » id est hæreditatem dabo tibi in cœlesti beatitudine, quam dedi Abraham, Isaac et Jacob, quorum filii estis per fidem et imitationem. De qua satietate dicit Psalmista : « Satiabor dum manifestabitur gloria tua (*Psal.* XVI). » Omnes namque supplantatores vitiorum et dæmonum filii sunt Jacob per fidem et operationem. « Os enim Domini locutum est. » Hæc, id est, propheta illius per quem ille loqui dignatus est, ista quæ superius narrata sunt dixit. Redeamus ad exordium hujus versiculi ubi dixit, si averteris a sabbato pedem tuum, et cætera. Ille vero sabbatum colit, qui nec sermone nec opere offendit, cessans a vitiis et ab omni opere servili. Juxta quod lex præcipit : « Opus (inquiens) servile ne faciatis in eo (*Levit.* XXIII), » id est opus peccati. « Qui enim facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII). » Dies etiam sanctos agimus, si bene vivimus. Si autem male vixerimus, jam non dies sanctos celebramus sed malos. Juxta quod Apostolus dicit de reprobis : « Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (*Ephes.* V). » Sequitur.

CAPUT LIX.

« Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, » vos si volueritis ad eum redire, « neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat. » Propheta alloquitur Judæos conceives suos. Ecce (inquiens) non est abbreviata manus Domini, id est, non est minorata potestas illius, ut vos nequeat salvare ab hostibus et diabolo, si volueritis in eum credere, sicut quondam non est minorata quando eduxit patres nostros de terra Ægypti. Neque etiam auris illius est aggravata, ut non possit exaudire, si eum pura mente exoraveritis : sed exaudiet vos sicut exaudivit Mosen et Aaron, Samuel, David, aliosque sanctos.

« Sed iniquitates vestræ, » id est cultus idolorum vestrorum, « diviserunt inter vos et Deum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, » id est præsentiam et auxilium illius subtraxerunt a vobis « ne exaudiret, » subaudis vos tempore tribulationis. Modo demonstrat quare permiserit eos duci in captivitatem totiens, et quare non exaudierit eos, vel quare longe fuerint a Deo, videlicet propter idololatriam.

« Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine » justorum « et digiti vestri iniquitate. » Omnes Scripturæ testantur Judæos semper promptos esse ad fundendum sanguinem prophetarum et justorum. Unde legimus (*IV Reg.* XXI; *II Paral.* XXXIII) quod Manasses rex Juda repleverit Hierusalem sanguine innocentium, a porta usque ad portam. Et non solum prophetarum sanguinem fuderunt, sed ipsius Domini capitis omnium prophetarum. Sic etiam Stephanus testatus est in Actibus apostolorum (*Cap.* VII). Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri,

qui locuti sunt de adventu justi? Jeremiam lapidaverunt, Isaiam secuerunt, et Ezechielem in Babylone peremerunt (*Jer.* XXXIX). « Labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem, » id est blasphemiam, « fatur. » Locuti sunt mendacium, quando dixerunt : « Omnia quæ præcepit nobis Dominus, audiemus et faciemus (*Exod.* XXIV). » Tunc enim locuti sunt mendacium et blasphemiam, quando dixerunt Domino : « Dæmonium habes, et in Beelzebuth ejicis dæmonia (*Joan.* VIII), » et multa alia innumerabilia.

« Non est qui invocet justitiam, » id est qui credat in Christum, qui factus est electis suis redemptio et justificatio, « neque est qui judicet vere, » id est, recte. Non judicaverunt recte, quando petierunt Barabbam, et Christum crucifixerunt. « Sed confidunt in nihili, » id est in idolo, quod nihil est sicut Apostolus dicit : « Scimus quia nihil est idolum (*I Cor.* VIII). » Vel etiam in Antichristo confidunt, « et loquuntur vanitates » dum quotidie blasphemant Christum in synagogis suis : vel dum dicunt : Messias nondum venit. « Conceperunt laborem » adversus Christum, quia laboraverunt in ejus interfectione, « et pepererunt iniquitatem » pro eo quod est parient iniquitatem, cum receperint Antichristum.

« Ova aspidum ruperunt et telas araneæ texuerunt. » Aspis serpens est callidissimus, qui audiens primam vocem incantatoris unam aurem ad terram premit, et alteram cauda sua obturat ne possit incantari. Ideoque Judæi aspidi comparantur quia venenati erant, juxta quod Joannes Baptista eis improperat, dicens : « Genimina viperarum (*Matth.* III). » Et sicut aspis unam aurem adhærere facit terræ, et alteram obturat cauda ne incantetur : ita et illi terrenis rebus adhærentes obturaverunt aures mentis, ne Christi prædicationem reciperent. Opera etiam illorum et consilia telis aranearum comparantur, quia sicut araneæ fragilem texunt telam, et non valent capere in ea nisi muscas et culices, neque ullius utilitatis sunt : ita et eorum consilia et opera fragilia et inutilia fuerunt, neque valuerunt aliquem capere et decipere, nisi simplices et stultos. Ex ovo producitur fetus, et ideo per ova debemus intelligere eorum corda et consilia. Ova aspidum ruperunt, quando hoc quod in corde blasphemiæ et invidiæ tenebant, verbis ostenderunt dicentes : Reus est mortis, et crucifige talem (*Matth.* XXVII). Telas etiam produxerunt et texuerunt, sive opere compleverunt, quando hoc quod in corde cogitaverunt, etiam verbis patefecerunt, opere compleverunt crucifigentes eum. Sed quid factum est? Omnia eorum opera, eorum et consilia sic pertransivit quasi aerem vacuum, dum resurrexit a mortuis. « Qui comederit de ovis eorum, » id est, de ovis aspidum « morietur, » hoc est, qui Judæorum consiliis acquieverit, quomodo Abel acquievit Cain dicenti, Egrediamur in campum, interficietur ab eis (*Gen.* IV). Vel qui se commiscuerit eorum consiliis plenis veneno, et eorum A fuerit opera imitatus morietur morte æterna. Sequitur. « Et quod confotum est, » id est, enutritum ex ovis eorum « erumpet, » hoc est excrescet « in regulum, » subaudis aliorum serpentium regem, qui flatu suo interficit aves per aera volantes. Per regulum qui ex ovis aspidum nascitur, debemus intelligere Antichristum, qui ex populo Judæorum nascetur, et qui flatu, id est verbo et doctrina sua interficiet plurimos sanctorum, ad patriam cœlestem volantes.

« Telæ eorum, » id est telæ aranearum, « non erunt in vestimentum, » hoc est in aliquod ornamentum « neque operient operibus suis. » Telæ, id est, doctrinæ et opera Judæorum mala, non erunt in vestimentum animæ, neque operientur operibus suis, sed nudi peribunt in inferno vacui a bono B opere. Vestimentum et operimentum animæ est justitia, sicut de sanctis dicitur : « Sacerdotes tui induantur justitiam (*Psal.* CXIII). « Opera eorum, » id est, opera Judæorum, « opera inutilia sunt, » id est, maligna, quia diaboli voluntatem adimplent « et opus iniquitatis in manibus eorum. « Ecce quod superius appellavit telas, modo dixit apertius opera.

« Pedes eorum, » id est pedes Judæorum, « ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem. » Pedes eorum ad malum cucurrerunt, quando cum laternis et fustibus ad Dominum comprehendendum venerunt. Festinaverunt, id est, laboraverunt et effuderunt sanguinem innocentem, quando instabant petentes a Pilato ut eum interfi- C ceret. « Cogitationes eorum » contra Dominum « cogitationes inutiles, » subaudis fuerunt, dicentium : « Venite, decipiamus justum, » et cætera. « Vastitas et contritio in viis, » id est, in actionibus « eorum, » quia vastati et contriti sunt ab hostibus et modo vastantur a diabolo.

« Viam pacis, » hoc est Christum, qui pacem attulit mundo « nescierunt » credendo in eum « et non est judicium, » subaudis, discretionis inter bonum et malum, vel etiam non est rectitudo « in gressibus eorum. Semitæ eorum incurvatæ sunt eis, omnis qui calcat in ea, ignorat pacem. » Semitæ, id est, actiones et opera eorum declinatæ sunt de bono ad malum, de Deo ad diabolum, a rectitudine ad iniquitatem, a fide ad infidelitatem. Omnis qui imitatur eorum opera, ignorat pacem, id est Christum. D

« Propter hoc elongatum est judicium a nobis. » Vox prophetæ ex persona populi Judæorum, pœnitentiam agentis. Propter hoc, inquiunt, quia ignoravimus pacem, elongatum est judicium a nobis, id est Christus, « et non apprehendit nos justitia » credendo, sed gentiles. « Exspectavimus modo lucem, » id est Christum qui nobis repromissus erat in lege et prophetis, dicentes : « Emitte lucem tuam et veritatem tuam (*Psal.* XLII) : » et « ecce tenebræ, » subaudis, infidelitatis, vel Antichristi. « Splendorem, » subaudis æternæ paternitatis exspectavimus, « et in tenebris » errorum et peccatorum « ambulavimus. »

« Palpavimus sicut cæci parietem, » id est, sacram

Scripturam, « et quasi absque oculis attrectavimus. » Judæi quotidie palpant quasi cæci parietem, quia legentes sacram Scripturam, Christum non credunt inesse ibi latere, quia folia et crustas tantummodo tangunt. « Impegimus meridie, » hoc est, immersimus nos legendo in Scriptura divinorum eloquiorum « quasi in tenebris » quæ in luce est sanctis et aperta : « in caliginosis, » id est, in obscuris mysteriis impegimus « quasi mortui. » Quandiu enim legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum.

« Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus. » Meditatio Judæorum quam habent in Scriptura, rugitu leonis et gemitui columbæ comparatur : quia sicut ursus nihil utilitatis in suo rugitu habet, et columba in suo gemitu, ita illorum meditatio et doctrina nihil utilitatis habet, dum non B videnl Christum mente intus latere. Vel aliter, Circa subjectos rugiunt sævientes ut ursi, circa majores vero et sibi æquales gemunt ut columbæ. Columba aliquando in bonam partem ponitur, ut in Evangelio dicitur credentibus : Simplices estote ut columbæ (*Matth.* x). Aliquando in contrariam partem, ut illud, « Ephraim factus est quasi columba, non habens cor (*Gen.* XLIX). » « Exspectavimus judicium, » id est, Christum qui jam venerat, de quo dicitur : « Deus, judicium tuum regi da (*Psal.* LXXI), » « et non est » subaudis nobis. « Salutem » subaudis exspectavimus, « et elongata est a nobis » transiens ad gentes, sicut ipse dixit : « Relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). »

« Multiplicatæ sunt enim iniquitates coram te, » C subaudis, quia non solum Scripturam sacram contempsimus, verum etiam te auctorem ejus. « Et peccata, » inquiunt, « nostra responderunt nobis, » id est, qui talia merebamur, talia recepimus, « quia scelera, » id est, peccata nostra omnia « nobiscum, » subaudis adhuc sunt. Juxta quod imprecati sumus contra nosmetipsos, dicentes : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » « Et iniquitates nostras cognovimus, » pœnitentiam agendo, peccaverunt scilicet tradentes eum Pilato et dicentes, « Reus est mortis (*Matth.* XXVI). »

« Mentiri » multis modis « contra Dominum. » Peccata sua et iniquitatem cognoverunt, quando compuncti corde dixerunt ad Petrum et ad cæteros D apostolos : « Quid faciemus, viri fratres (*Act.* II)? » Sequitur. « Et aversi sumus, » id est, declinavimus « ne iremus post tergum Domini Dei nostri, » id est, ne imitaremur eum, secundum quod in lege præcipitur : « Post Dominum Deum tuum ambulabis (*Deut.* VI). » Et juxta quod in Evangelio dicitur : « Qui mihi ministrat me sequatur (*Joan.* XII). » « Ut loqueremur calumniam, » hoc est blasphemiam, « et transgressionem » legis vel negationem Christi. « Concepimus, » subaudis, malitiam, « et locuti sumus de corde verba mendaciorum. »

« Et conversum est retrorsum judicium, » hoc est, Christus recessit a nobis, et transiit ad gentes. Juxta quod ipse prædixit dicens : « Auferetur a vobis regnum Dei (*Matth.* XXI). » Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. « Et justitia, » ipse videlicet Christus, « longe stetit, » quia recedens a nobis in gentibus mansit, quæ longe erant a Deo. Et quare hoc actum sit, in subsequentibus manifestant, cum subjungunt : « Quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi. » Corruit, id est non stetit nec mansit veritas Christus in platea, hoc est, in illis qui desideria sua sequebantur : et æquitas non potuit ingredi ad corda Judæorum propter infidelitatem, quia per fidem habitat in cordibus electorum, juxta quod Paulus dicit, « Habitare Christum per fidem in cordibus vestris (*Ephes.* III). » Unde et Dominus : « Sermo, inquit, meus non capit in vobis (*Joan.* VIII). » Platon Græce, Latine a latitudine dicitur. Et est sensus : In illis qui per latitudinem hujus vitæ ambulabant, id est, in scribis et Pharisæis, quasi cecidit veritas quæ dicit : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV). » Sequitur.

« Et facta est veritas, » subaudis, Judæis « in oblivionem. Et qui recessit a malo, » subaudis Judæorum, vel a malo infidelitatis credendo in Christum, præda, » subaudis Judæorum, « patuit, « id est » præda eorum fuit, quia ab illis est deprædatus sicut in revelationem sancti Stephani de Nicodemo legimus. Unde et egregius prædicator dicit Judæis credentibus, quorum bona diripuerunt infideles : « Rapinam, inquiens, bonorum cum gaudio suscepistis (*Hebr.* X). »

« Et vidit et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium. » Hactenus ex persona illorum locutus est Propheta, qui pœnitentiam post ascensionem Domini visi sunt agere : nunc vero dicit non placuisse Domino pœnitentiam eorum, quia non erant simplici corde. Et vidit, inquit, Dominus pœnitentiam Judæorum, id est, cognovit quod non puro ex corde hoc agerent, sed verbo tenus. Et malum apparuit in oculis ejus, quia non erat ex pura intentione, et putabant se voce appropinquare Deo, et decipere omnipotentem verbis, qui non desiderat labia, sed corda. Quia non est judicium discretionis boni et mali : vel non est judicium in Judæis inter puritatem et simulationem, vel in eorum pœnitentia, et non est judicium rectitudinis. « Et vidit Deus, » subaudis Pater, « quia non est vir, et aporiatus est, quia non est qui occurrat. « Vidit Deus Pater, quia non est vir quilibet sanctus in Judæis, ut Moyses et David aliique quamplurimi, et aporiatus, id est, contristatus est, vel de infidelitate Judæorum, vel eis fundendo, hoc est, qui interveniret et funderet preces pro eis, ut olim Moyses in deserto, et Samuel et David. Erant quidam in illo populo, quantum ad sexum pertinet, qui viri appellabantur : sed effeminati erant, sicut jam superius in alio loco dixit : Quia « veni, et non erat vir qui audiret. » « Et salvabit sibi brachium suum, et justitia ejus ipsa confirmabit eum. » Sicut in aliis locis quam pluribus diximus, per brachium Dei Patris Filium debemus intelligere per quem omnia fecit, et quem ipse salvavit a morte

resuscitando eum a mortuis. Et est sensus : Judæis in infidelitate permanentibus, Deus Pater salvavit sibi Filium suum a persecutione illorum, et salvabit etiam in futuro : et justitia ejus, id est, Filius illius, qui justificat omnes electos, ipse confirmabit eum, hoc est, lætificabit de salute gentium. Dicamus et aliter : Illis nolentibus converti ad pœnitentiam veram, Deus Pater salvavit sibi credentes ex gentibus per Filium suum, et justitia ejus sive misericordia (ut Septuaginta transtulerunt) ipsa confirmabit eum qui voluerit ab errore converti, ut non suis meritis sed illius misericordia salvetur. Justitia enim est, ut Creator creaturæ suæ parcat, quæ suis meritis non poterat salvari.

« Indutus est justitia ut lorica, et galeam habuit in capite, » quando electos suos in se credentes a persecutione iniquorum liberavit, pugnando pro eis, et misericordiam suam circa illos fundendo. Aliter : Juxta vindictam quam per Romanos effudit super Judæos, qui ita venerunt parati, appellatur galea et lorica : quia ipse in ipsis venit vindictam suam exercens ex Judæis per manus Romanorum. « Indutus est vestimentis ultionis, » subaudis sicut rex, et suis militibus Romanis, « et opertus est quasi pallio zeli, » id est ultionis.

« Sicut ad vindictam, » subaudis quilibet rex præparatur, ita est ille indutus suis armis, » et quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, » subaudis Judæis, ut qualia fecerunt, talia reciperent, « et vicissitudinem inimicis suis, » subaudis, venit reddere. Occiderunt prophetas qui adventum illius prænuntiabant, et ipsum caput cum apostolis suis, interfecti sunt et ipsi a Romanis. « Insulis, » id est, civitatibus Judæorum « vicem reddet » delendo et destruendo eas per adventum Romanorum.

« Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis gloriam ejus : cum venerit quasi fluvius violentus quem spiritus cogit, et venerit Sion redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate ad Jacob, dicit Dominus. » Superius locutus est sermo propheticus de interfectione Judæorum, quæ facta est a Romanis, in quibus Dominus venit præparatus ad vindictam contra suos inimicos, indutus lorica justitiæ et galea salutis : nunc vero de fide gentium loquitur, quæ a quatuor mundi partibus confluxerunt ad fidem, audientes prædicationem apostolorum. Et timebunt, inquit, timore sancto et filiorum, qui ab occidente sunt nomen Domini, id est, nomen Patris, de quo dicit Filius : « Pater, manifestavi nomen tuum hominibus (*Joan.* XVII). » Et qui ab ortu solis sunt, timebunt gloriam ejus, Filium videlicet Dei Patris : qui venit in nomine ipsius cui dicit ipse Pater : « Exsurge, gloria mea. » Duo sunt timores : est timor servilis, quo timet servus dominum suum, ne ab illo flagelletur. Est timor amoris quo timet filius patrem ne ab illo exhæredetur, de quo dicitur : Timor Domini castus permanet. Et, « Initium sapientiæ timor Domini ». Et : « Beatus vir qui timet Dominum, » timore sancto : de quo et hic dicitur. De istis qui ab occidente et ortu solis timebunt nomen Domini Patris, vel gloriam sive Filium illius, dicit Dominus in Evangelio :

« Multi venient ab Oriente et Occidente, » et cætera. Et quando timebunt nomen Domini? Cum venerit ipse Filius Dei per incarnationis mysterium in mundum, vel cum venerit ad gentes per prædicationem et orationem apostolorum : quasi fluvius violentus, hoc est velociter et cum violentia currens, quem Spiritus Domini cogit venire ad redimendum genus humanum : et venerit Sion, id est, populo Judæorum in se credenti vel Ecclesiæ redemptor Christus : et eis etiam venerit qui redeunt ab iniquitate infidelitatis et negationis ad Jacob, dicit Dominus, hoc est ad illos qui supplantant vitia. Filius Dei fluvio comparatur, quia doctrinæ suæ fluenta nobis dedit, et corda electorum suorum aqua salutari satiat, id est, Spiritus sancti gratia replet, de quo ipse dicit : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat (*Joan.* VII), » et cætera. Violentus appellatur, quia totum mundum inter spatium trium annorum et semis peracta sua passione, redimendo sibi subegit : sicut resurgens a mortuis dixit, « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Spiritum autem Domini, qui eum coegit ad redimendum genus humanum, Spiritum sanctum debemus accipere : de quo idem propheta jam superius dixit : « Requiescet super eum Spiritus Domini (*Isa.* XI). » Ne putaret autem aliquis omnes salvandos qui fidem habere videntur, sed opera bona non habent : ideo dixit, « et venerit eis Redemptor qui redemit ab iniquitate ad Jacob, dicit Dominus. » Sequitur :

« Hoc fœdus meum, » id est, pactum vel testamentum « cum eis, dicit Dominus, » subaudis, qui declinaverunt ab iniquitate, ut redimerem eos meo sanguine, et evangelica præcepta quæ eis dedero opere adimpleant, et semper in eorum cordibus versentur. Unde et sequitur : « Spiritus meus, » id est, Spiritus sanctus « qui est in te, » o Propheta, per quem futura prædicis : « et verba mea quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dixit Dominus, amodo et usque in sempiternum. » Semen illius debemus intelligere omnes successores ejus, qui eodem Spiritu sancto repleti fuerunt, ut fuit Jeremias, et cæteri ante captivitatem, Ezechiel et Daniel in captivitate, Aggæus, Zacharias, ac Malachias post captivitatem, et deinde apostoli, martyres, omnesque doctores sanctæ Ecclesiæ, de quorum ore processit doctrina Veteris et Novi Testamenti. Spiritus enim sanctus qui docuit Isaiam, transivit per successores ad apostolos. Ideo autem dicit, amodo et usque in sempiternum, subaudis non recedent verba mea de ore tuo et de ore seminis tui : quia Evangelio non succedet alia lex. Unde et Joannes evangelista dicit se vidisse angelum habentem Evangelium æternum (*Apoc.* XIV). Qui angelus præfigurabat Dominum Jesum Christum, qui nobis credentibus dedit Evangelicam doctrinam; de qua ipse dixit : « Cœlum et terra transibunt,

verba autem mea non transibunt (*Matth.* XXIV). »

CAPUT LX.

« Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. » Judæi falso errore decepti, et quædam vana somnia sibi fingentes, referunt hæc omnia ad tempus mille annorum, quo dicunt se regnaturos cum Christo suo, quem nos Antichristum dicimus : et per Hierusalem istam volunt intelligere illam auream et ornatam, quam autumant descendere de cœlo, cujus Joannes evangelista facit mentionem in Apocalypsi (*Cap.* XXI) : super quam nos sanctam Ecclesiam intelligimus, quæ est ornata variis ordinibus et diversis virtutibus. Dicunt etiam ipsi falsiloqui gravati sermone erroris, quod omnes gentes tunc temporis servituræ sint eis, et cameli ac dromades Madian et Epha de Saba venientes, aurum deferant et thus : et omnes oves Cedar congregentur, et arietes Nabaioth ad offerendum Deo super altare templi quod illi exstruxerunt, et cætera ventura sint eis quæ hic narrantur. Sed hæc omnia nos falsissima et vanissima deputantes, ad Ecclesiam primitivam ea referimus, quæ collecta est ex Judæis, in apostolis videlicet qui ante passionem Domini crediderunt, et in illis qui post illius resurrectionem ascensionemque ad cœlos, prædicantibus apostolis fidem Domini perceperunt : de quibus dicit Lucas : Quod uno die crediderunt tria millia (*Act.* II), et cætera quæ sequuntur. Sed et hoc considerandum est, quia Hierusalem quatuor modis intelligitur in sacro eloquio. Primum intelligitur ad sensum litteræ Hierusalem civitas magna, quæ olim Jebet et inde Salem appellata est in monte Sion vel Moria sita, ubi Abraham obtulit filium (*Gen.* XII), de qua Dominus dicit : « Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem (*Matth.* XXIV), » et cætera. Secundo dicitur cœlestis beatitudo, ubi multitudo angelorum et cœlestium virtutum agmina consistunt, et sociatæ et junctæ sunt illis animæ sanctorum, de qua dicit egregius prædicator : « Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est (*Gal.* XLII). » Tertio modo appellatur Hierusalem præsens Ecclesia, id est congregatio fidelium et electorum in pace Domini constituta, et in visione, et contemplatione illius sursum elevata, de qua dicitur : « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas (*Psal.* CXXI). » Et illud : « Fundamentum ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion (*Psal.* LXXXVI). » Quarto etiam modo Hierusalem appellatur unaquæque anima fidelis, quæ in monte Sion, hoc est, in contemplatione mentis consistit. Dicitur ergo Ecclesiæ primitivæ ex Judæis apostolis videlicet aliisque credentibus : « Surge, illuminare, Jerusalem. » Cadenti vel jacenti dicitur, ut surgat. Et illa corruerat in infidelibus, et jacebat in vitiis, ideoque dicitur ei : Surge per fidem ad bona opera agenda, o primitiva Ecclesia. Quæ cecidisti per infidelitatem, quæ cecidisti in synagogis, surge in Ecclesiis. Quæ cecidisti in Judæis, surge in gentibus. Quæ cecidisti per negationem, surge per veram confessionem. Quæ cecidisti in vitiis, surge in virtutibus. Et postquam exsurrexeris, illuminare, id est, accipe fidem Christi, quia venit lumen tuum, quod tibi omnes prophetæ promittebant venturum ad redemptionem tuam. Illud (inquam) lumen venit tibi quod « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). » Christus videlicet, qui dixit : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII). » Jam venit Christus per incarnationis mysterium, a quo illuminaberis, si fidem ejus susceperis. Et gloria Domini super te orta est, o Ecclesia, sicut sol oritur et illuminat mundum, quæ quondam Mosi in deserto dedicanti tabernaculum, et Salomoni dedicanti templum in figuram apparuit. Legimus, quod quando Moses ædificavit tabernaculum, et Salomon templum, gloria Domini ostensa est eis quæ præfigurabat Filium Dei, qui est gloria Patris : sicut idem Pater dixit ei : « Exsurge, gloria mea. » Et respondit illi gloria sua : « Exsurgam diluculo. » Vel etiam per hoc quod gloria Domini est, quidquid mirabile fit in cœlo et in terra, possumus et hoc referre ad gloriam miraculorum ipsius. Gloria enim Domini fuit quando aqua in vinum conversa est, mortui sunt suscitati, leprosi mundati, paralytici sanati, aliaque signa et miracula quæ ab ipso sunt patrata. « Gloria (inquit) Domini super te orta est (*Joan.* II), » id est, Filius Dei jam ad te redimendam natus est, et gloria miraculorum ejus super te orta est, ut tu glorificeris. Sequitur :

« Quia ecce tenebræ, » subaudis infidelitatis, « operient terram » hoc est, Judæos, terrena solummodo quærentes et terrena sapientes, carnaliter illud intelligentes : « Si audieritis me, bona terræ comedetis (*Isa.* I). » « Et caligo, » id est cæcitas peccatorum, « populos, » subaudis operiet. Domino apparente in mundo, et fulgente per fidem in cordibus apostolorum aliorumque credentium, tenebræ infidelitatis operuerunt Judæos, terrena solummodo commoda appetentes : quia videntes ejus miracula credere noluerunt. Unde et ipse Dominus dicit (*Joan.* IX) : « Ego ad hoc veni in mundum, ut videntes non videant, et qui vident cæci fiant. » « Super te autem, » o Ecclesia primitiva, « oritur Dominus » sicut oritur sol, ut te illuminet, « et gloria ejus, » id est, splendor miraculorum ejus « in te videbitur » oculis corporis et oculis mentis. De qua gloria dicitur : « Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre (*Joan.* I). » In apostolis siquidem visa est gloria, quia illis videntibus miracula fecit.

« Et ambulabunt gentes in lumine tuo, » o primitiva Ecclesia, hoc est in fide tua, vel in Christo tuo a quo tu illuminaris : quæ antea ambulabant in tenebris peccatorum. « Et reges in splendore ortus tui » quando nata es in fide Christi, et ex aqua et Spiritu sancto, juxta illud : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto (*Joan.* III), etc. » Et « quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). » Reges hic dupliciter intelliguntur, vel reges sæculi hujus, ut Constantinus, Heraclius, Theodosius, aliique

quamplurimi qui fidem Christi habuerunt. Vel etiam reges sunt sancti qui filii regis existentes, semetipsos bene rexerunt, de quibus dicitur : « Cor regis in manu Dei, ad quodcunque voluerit vertet illud (*Prov.* XXI). » Nos omnes et reges et gentes in lumine apostolorum ambulamus, et in splendore ortus illius, quia eamdem fidem habemus, et eodem baptismate renascimur.

« Leva in circuitu oculos tuos et vide ; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. » Ecclesiæ primitivæ dicitur : O Ecclesia primitiva, leva oculos mentis in circuitu tuo : et vide, hoc est, considera. Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, id est, ad hoc venerunt ut tibi socientur in unitate fidei, vel ut tui filii sint. De illis loquitur de quibus scripsit Lucas in Actibus apostolorum (*cap.* II) : quia « erant in Hierusalem viri Judæi religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est, » quando Spiritus sanctus super apostolos in linguis igneis requievit. Vel aliter : Leva, (inquit), o Ecclesia primitiva, oculos tuos, et considera ab oriente et occidente omnibusque mundi partibus : omnes isti gentiles in circuitu tuo commorantes congregabuntur ad fidem tuam, et venient tibi, ut tui sint filii. De hoc alio in loco dicitur : « Gaude, filia Sion, quia ecce venio et habitabo in medio tui, et venient gentes multæ ad te (*Ezech.* XLIII). »

« Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ lac sugent. » Quidam codices habent, filiæ tuæ de latere surgent, quod nec in hebraica veritate neque in Septuaginta interpretibus invenitur, neque sensus expositionis beati Hieronymi ad ea inclinatur. Filii et filiæ primitivæ Ecclesiæ de longe venientes, sunt gentiles qui longe a Deo recesserant per idololatriam, non loco sed merito. De quibus dicit Apostolus : « Vos qui eratis longe, facti estis prope. » Quantum enim quisquis peccat, tanto longius a Deo recedit. Filii ergo primitivæ Ecclesiæ sunt omnes credentes robustiores in fide et intellectu, qui per se de longe veniunt, et ad fidem congregantur : de quibus dicit Apostolus : « Et si multos habetis patres secundum carnem, tamen per Evangelium ego vos genui (*I Cor.* IV). » Filiæ vero lac sugentes animæ sunt fidelium utriusque sexus, lactentes, id est, simplicem cibum quærentes, quibus dicit apostolus Paulus : « Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam, nondum enim poteratis (*I Cor.* III). » Et Petrus : « Quasi modo geniti infantes, lac concupiscitis (*I Petr.* II). » Tener etenim cibus est cognitio humanitatis Dei. Solidus vero, de ejus divinitate. Dicitur ergo, primitivæ Ecclesiæ : Filii tui gentiles de longe venient ad te per fidem ab idololatria recedendo, et filiæ tuæ animæ fidelium simplicium lac, id est, simplicem doctrinam sugent. Quod si dixerimus, et filiæ tuæ de latere surgent, quod quidam codices habent, ita erit intelligendum : Legimus in Evangelio Joannis (*cap.* XIX) quod « unus militum lancea latus Christi aperuit, » statimque profluxit sanguis redemptionis et aqua baptismatis, e quibus ædificata est Ecclesia : sicut Eva mater omnium ex costa lateris Adæ formata est (*Gen.* III). Quod ita est conjunctum ut neque aqua sine sanguine possimus salvari, neque sanguine sine aqua. Nisi enim Christi passionem et resurrectionem crediderimus, et pro nostra redemptione eum hæc omnia esse passum cognoverimus, non salvabimur, licet baptizemur. Si vero crediderimus ejus passionem et resurrectionem, et nostram redemptionem per hæc nobis affuturam : non merebimur salvari, nisi baptizati fuerimus in nomine sanctæ Trinitatis.

« Tunc videbis et affluues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum : quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. » Tunc (inquit) cum levaveris oculos tuos, et filii tui de longe venerint, filiæque tuæ lac suxerint, videbis ab omnibus mundi partibus venire tibi filios, et affluues fidelibus sicuti fluvius aquis. Et mirabitur cor tuum præ multitudine populorum, imo dilatabitur sive amplificabitur cor tuum in latitudine lætitiæ, præ magnitudine gaudii. Sicut enim qui in tristitia est positus, quasi quodammodo coangustatur, ita qui in lætitia consistit, quasi dilatatur. De hac dilatatione et lætitia dicit Apostolus : « Quæ est enim corona et gaudium nostrum, nonne vos estis in Domino? » (*I Thess.* II.) Et illud : « Os meum patet ad vos, o Corinthii, cor meum dilatatum est in vobis, iterumque dilatimini et vos (*II Cor.* VI). » Quo tempore autem ista ventura essent Ecclesiæ primitivæ, manifestat cum dicit : « Tunc (inquies) mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te per fidem multitudo maris, » id est, omnes nationes istius mundi qui intelligitur per mare, fortitudo gentium venerit tibi, reges videlicet, principes ac potestates hujus sæculi.

« Inundatio, » id est abundantia « camelorum operiet te » sive exornabit, « dromedarii Madian et Epha. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. » Camelus animal est gibbosum, onera assuetum ferre. Ideoque per camelos non incongrue intelliguntur divites hujus sæculi, qui onera divitiarum et peccatorum portant, ut possint dicere cum Psalmista : « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me (*Psal.* XXXVII). » De istis camelis fuit Matthæus qui de teloneario factus est Evangelii prædicator et scriptor, et Joseph ab Arimathia, et illi de quibus Dominus dixit : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei (*Matth.* XIX). » Dromedarius, vel dromas dromadis, quod utrumque facit, animal est minus camelo, sed velocius. Ideoque per dromedarios debemus intelligere gentiles, qui velociter ad fidem Domini concurrerunt. Madian et Epha regiones sunt trans Arabiam, abundantes camelis ac dromedariis, omnisque provincia appellatur Saba, de qua fuit et regina Saba, quæ venit audire sapientiam Salomonis. Per quas regiones significabatur, quod omnes gentes et regiones ad Domini fidem erant venturæ. Nec vacat a mysterio, quod aurum et

thus dicuntur offerre. Per aurum siquidem intelligitur sensus fidei, per thus orationes mundæ, sicut Psalmista declarat : « Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. » Madian *iniquitas* interpretatur; Epha *resolutus* vel *effundens;* Saba, *captivitas* vel *conversio*. Greges igitur camelorum et dromedariorum, id est divites hujus sæculi et potentes, omnesque gentiles qui velociter ad Christi fidem venerunt, resolutis vinculis iniquitatis animas suas effuderunt Domino, et omnes revertentes de captivitate diaboli et suæ conversationis munus Domino offerentes, id est per fidem puram quæ per aurum designatur, et orationes mundas quæ intelliguntur per thus, venerunt ad Ecclesiæ primitivæ societatem, et exornaverunt eam suis orationibus et suis virtutibus. Nec sua solummodo salute sunt contenti, sed aliis laudem Domini prædicaverunt, hoc est, Dominum Jesum Christum Filium Dei Patris esse dixerunt, qui est laus et gloria ipsius, et majestatem Christi, id est miracula et virtutes quas operatus est, et quomodo per ipsum omnia Deus Pater fecerit, aliis patefecerunt.

« Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi. » Quantum ad litteram pertinet, pecus appellat oves et capras, per quas debemus intelligere simplices quosque. Cedar filius fuit Ismaelis, et ab illo regio illius nomen sumpsit, ut Cedar vocaretur, ubi modo Saraceni habitant, descendentes de illius prosapia. Arietes, inquit, Nabaioth ministrabunt tibi. Per arietes qui ducatum, præstant gregibus intelliguntur principes et duces gentium. Nabaioth unus fuit filiorum Ismaelis. Interpretatur autem Cedar *tenebræ* vel *mœror;* Nabaioth *prophetia.* Ipsi quî superius appellati sunt cameli et dromedarii, ipsi erant pecus Cedar, id est, filii tenebrarum et mœroris, quibus Apostolus dicit : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v). » Et : « Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? » (*Rom.* vi.) Ipsi etiam exstiterunt arietes Nabaioth, id est prædicatores et filii prophetarum, quia ea docuerunt quæ lex et prophetæ ante prædixerunt de Christo. Ipsi ministraverunt Ecclesiæ, quia ex ipsis ordinati sunt episcopi, presbyteri, aliique ministri Ecclesiæ et doctores, qui vel tunc administraverunt Domino quando corpus et sanguinem illius fidelibus tradiderunt, vel quando verbum doctrinæ ejus impenderunt. « Offerentur » ipsi arietes « super placabile altare meum, et domum majestatis meæ glorificabo. » Altare in hoc loco dupliciter possumus accipere, vel fidem in quo offeruntur bona opera Deo. Vel per unum altare, omnia altaria in universo orbe, in quibus offertur corpus et sanguis illius. Sicut enim una fides in sancta Ecclesia, ita unum altare. Sicut Isaias demonstrat dicens : Erit in diebus illis altare Domini in terra Ægypti, hoc est in mundo, qui intelligitur per Ægyptum, qui interpretatur *tenebræ* vel *mœror*. Offerentur, inquit, arietes, id est doctores, et filii prophetarum per imitationem, super placabile altare meum, id est in fide recta quæ placet Deo, vel ut altario deserviant, sicut illi qui episcopi fuerunt, ut a Paulo oblatus est Titus et Timotheus, et a Petro Marcus, aliique martyres et doctores successores eorum. Et domum, inquit, majestatis meæ glorificabo, id est, Ecclesiam meam honorificabo in talibus. Sicut per unum altare omnia altaria, ita per unam domum omnes ecclesias debemus intelligere.

« Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? » Vox prophetæ admirantis de gentilibus credentibus, et ad fidem Dei velociter currentibus. Qui sunt isti gentiles qui ut nubes volant, pluendo verbis, coruscando miraculis, et ad cœlestia per contemplationem mentis se sublevando? Sequitur : Et quasi columbæ ad fenestras suas? Sicut columbæ ad fenestras suas stant, ut in sua cubicula intrent : ita isti per fidem venientes, sanctam intraverunt Ecclesiam. Vel sicut columbæ ad fenestras stant sancti, quia gaudentes simplicitate, quinque corporis sensus sibi muniunt, ut ad eos mors intrare non possit, attendentes illud : « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* x). »

« Me enim insulæ exspectant, » id est gentes diversæ, secundum illud Jacob (*Gen.* xlix) : Non deficiet princeps ex Juda, etc., usque, et ipse erit exspectatio gentium. « Et naves maris, » id est Ecclesiæ hujus mundi « in principio, » subaudis fidei suæ, « me exspectant, ut adducam filios tuos » gentiles « de longe, » o Ecclesia primitiva, hoc est de idololatria. « Argentum eorum, » id est confessio fidei, vel sapientia, sive intelligentia, « et aurum eorum cum eis, » hoc est, sensus fidei; unde dicitur : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* x). »

« Nomini Dei tui, et sancto Israel, » subaudis veniet, quia glorificabit te per illos. « Et ædificabunt filii peregrinorum, muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi. » Hoc et historialiter et spiritualiter accipi potest. Filios peregrinorum, quantum ad litteram pertinet, appellat filios gentium, et reges videlicet et principes ac potentes, qui ecclesias Christi ædificaverunt per universum orbem, ut Constantinus duodecim ecclesias Romæ fabricavit in honore duodecim apostolorum, aliique multi plurimas fundaverunt, eisque quæ necessaria erant ministraverunt. Spiritualiter vero filios peregrinorum et reges eorum appellat martyres et prædicatores gentium, quorum fide et virtutibus Ecclesia sancta fundata est. « In indignatione enim mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui. » Ad Ecclesiam loquitur. Sæpe Deus omnipotens percutit electos suos, ut corrigat eos. Percussit Judæos quando duxit illos in captivitatem, percussit Ecclesiam per tyrannos hujus sæculi, ut probaret illam et emendaret. Sed postea misertus est ejus, per reconciliationem quæ facta est sanguine Filii sui.

« Et aperientur, » id est, patebunt « portæ tuæ

jugiter, die et nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur » subaudis tibi per fidem. Quæ sunt portæ Ecclesiæ quæ semper patent? Episcopi et sacerdotes, quorum ministerio introducimur intra sanctam Ecclesiam. Qui ideo dicuntur semper patere, quia parati sunt ad suscipiendos credentes in Ecclesia. Die ac nocte, hoc est, et in prosperitate et in adversitate. Et quare hoc? Ut afferatur ad Ecclesiam fortitudo gentium, principes videlicet ac potentes, vel martyres fortes in fide, et reges earum, ut Constantinus fuit, vel sancti qui semetipsos bene regunt, adducantur ad fidem ejus.

« Deus enim, » subaudis Judæorum, « et regnum, » hoc est, regia potestas « quæ non servierit tibi » servitute sancta per fidem et operationem, o Ecclesia primitiva, « peribit » in die judicii cum illis quibus dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* xxv). » « Et gentes, » subaudis quæ non servierint tibi, « solitudine vastabuntur, » id est, pagani in infidelitate permanentes deserentur a Deo, et vastabuntur a diabolo traditi cruciatibus gehennæ.

« Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, et locum pedum meorum glorificabo. » Libanus mons est Phœnicis et Palæstinæ, in confinio terræ repromissionis, ex quo ministravit Hiram quondam David ad palatium suum, et Salomoni ad templum Domini construendum, ligna pulchra et imputribilia. Cujus gloria est altitudo arborum, et diversitas ac multitudo bestiarum. Per Libanum ergo intelligitur isto in loco mundus, et per gloriam illius montis altitudo et sublimitas istius mundi : quæ maxime in regibus et principibus consistit, qui ad Ecclesiam per fidei confessionem venerunt. Per abietem, quæ miræ magnitudinis ac proceritatis arbor est, intelliguntur divites vel philosophi, qui alti erant in sapientia mundana, ut fuit Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, excelsæ arbores quondam in sæculo existentes, sed ad Ecclesiam venientes, eam suis doctrinis et virtutibus ornaverunt. Per pinum vero et buxum, qui viriditate gaudent, intelliguntur illi qui postquam Ecclesiæ sunt sociati, virides in fide exstiterint. Diversitas enim arborum diversos ordines significat, ex quibus omnibus sancta adornata est Ecclesia. Venerunt siquidem ex regibus ad eam et principibus, venerunt ex divitibus, venerunt ex philosophis, omnibusque aliis ordinibus, per quos locus sanctificationis ejus adornatus est, id est, Ecclesia quam ipse sanctificavit sanguine redemptionis et baptismo ablutionis. Dicitur ergo Ecclesiæ primitivæ, Gloria Libani, id est reges et principes hujus mundi ad te venient per fidem, abies videlicet, id est, divites et philosophi, pinus et buxus, hoc est illi qui viriditatem fidei habent, et ornabunt te suis doctrinis et virtutibus. Quodque sequitur, et locum pedum meorum glorificabo, iidem designantur per pedes et rursum per abietem et buxum, apostoli videlicet et prædicatores et sequaces eorum, quorum locus est Ecclesia, quæ ab ipsis est fundata. Ideo autem apostoli et prædicatores pedes Domini dicuntur, quia ab eis portatus est per universum orbem, juxta quod per prophetam olim dixerat : « Inhabitabo in illis, et inambulabo (*II Cor.* vi). » Unde etiam alius propheta dicit : Beati pedes pacem, id est, Christum portantes (*Isa.* lii). Vel aliter : Pedes Domini dicuntur prædicatores, quia sicuti totum corpus pedes portant, ita illi Ecclesiam suis doctrinis miraculisque et exemplis sustinent. Locum (inquit) pedum meorum glorificabo, id est Ecclesiam quam fundaverunt apostoli eorumque successores, multitudine credentium exornabo.

« Et venient ad te, » subaudis per fidem, o Ecclesia, « curvi, » id est, inclinati et humiles « filiorum, » subaudis persecutorum « qui humiliaverunt te » interficiendo sanctos tuos prædicatores, « et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, » id est, venerabuntur signa et opera apostolorum tuorum, qui, sicut superius diximus, pedes Ecclesiæ fuerunt. Valde humiliaverunt Judæi Ecclesiam, quando decollaverunt Jacobum fratrem Domini, qui erat eis ab apostolis episcopus ordinatus, et quando lapidaverunt Stephanum. Sed postea per Domini gratiam venientes ad fidem ejus humiliati sunt, et venerabantur signa et miracula apostolorum, ut beatus Paulus fecit, qui fortiter humiliavit eam consentiens civibus suis, et illi de quibus scripsit Lucas, quod multa turba sacerdotum obediebat fidei. Similiter gentiles valde humiliaverunt Ecclesiam, quando succiderunt Petrum excelsam cedrum, sed postea humiliati glorificaverunt Dominum in operibus apostolorum ejus. Sequitur : « Et vocabunt civitatem Domini Sion sancti Israel. » Ad Ecclesiam loquitur. Civitas a communione dicitur civium, et sancta Ecclesia civitas appellatur, quia una est omnibus in ea habitantibus fides, unum baptisma, una charitas et una concordia. Unde et Lucas dicit in Actibus apostolorum : « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (*Act.* iv). » Et ista est civitas, de qua dicit Dominus in Evangelio : Non potest civitas abscondi super montem posita (*Matth.* v), id est Ecclesia in Christo fundata. Dicitur ergo Ecclesiæ : illi qui (inquam) detrahebant tibi, curvi et humiles postea venientes, vocabunt te civitatem Domini Sion, id est speculatricem sancti Israel. Omnes qui renati sunt ex aqua et Spiritu sancto, in Sion, hoc est in contemplatione et speculatione mentis, consistere debent.

« Pro eo quod fuisti derelicta et odio habita, et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum, et gaudium in generatione et generationem. » Ecclesia derelicta sive deserta fuit in Judæis infidelibus et gentibus idololatris, et odio habita ab utroque populo. Judæi idcirco illam odio habebant, quia fidem Christi tenebat et prædicabat tenendam, quem ipsi contemnendo crucifixerant. Gentes autem ideo exosam illam habebant, quia idola dicebat nihil esse, quæ ipsi colebant, et eorum vanissimos errores pro nihilo ducebat. Et quando Dominus venit per In

carnationis mysterium, neque in Judæis neque in gentibus erat propheta aut apostolus, qui pertransiret per eos et auxilium præberet. Hoc autem quod dicit, ponam te in superbiam sæculorum, superbia isto in loco in bonam partem accipitur, hoc est pro gloria et celsitudine. Æquivocum enim nomen est, et aliquando in malam partem ponitur : unde de diabolo dicitur, quod ipse est rex super omnes filios superbiæ ; et aliquando in bonam, ut hic. Pro eo (inquit) quod fuisti derelicta in Judæis infidelibus et gentibus idololatris, et non erat apostolus aut propheta qui pertransiret præbendo auxilium, ponam te in superbiam sæculorum, hoc est in culmine virtutum omnium temporum et in gloria æterna. Et ponam te gaudium, hoc est ut semper gaudeas, in generatione Judæorum, et generatione gentium, vel in omnia futura tempora. Hoc etiam quod dicit, non erat qui per te transiret, ita potest intelligi. Non erat qui per te transiret, apostolus aut propheta, et benediceret tibi : de quibus dicitur in psalmo : « Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos (*Psal.* CXXVIII). » Consuetudo siquidem erat illius populi, ut prætereuntes per viam benedicerent juxta operantes, sicut legimus Booz fecisse quando dixit messoribus : « Dominus vobiscum (*Ruth* II). »

« Et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis. » Suges (inquit), o Ecclesia, id est percipies lac gentium, hoc est simplicem doctrinam et simplicem fidem doctorum gentium, et mamilla regum lactaberis, id est doctrinis apostolorum aliorumque doctorum epulaberis. De quibus regibus et principibus dicitur : « Constitues eos principes super omnem terram (*Psal.* XLIV). » Sugentes hic significant illos, qui de gentilitate pleni sapientia venerunt ad fidem, et docuerunt multos dantes aliis simplicem doctrinam, et aliis solidum cibum. Sequitur : Et scies, o Ecclesia, cum fueris instructa doctrinis magistrorum, « quia ego Dominus salvans te » a morte æterna « et redemptor tuus fortis Jacob, » id est, qui quondam feci Jacob fortem ut posset luctari cum angelo, et te redemi sanguine meo : vel etiam, scies quia ego sum Redemptor tuus, qui fortitudinem tribuo supplantatoribus vitiorum, ut semper resistere possint insidiis dæmonum.

« Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum, et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum. » Per ligna et lapides accipiuntur duri corde et stulti atque insensati, idola pro Deo colentes : qui credentes conversi sunt in aliquam utilitatem Ecclesiæ, quod significatur per ferrum et æs : et rursum monstratur idipsum in auro et argento, unde ipsi accedunt ad perfectum fidei sensum et confessionem puram. Vel etiam per æs et ferrum debemus intelligere eos qui alicujus erant utilitatis in gentibus : sed his mutatis diversæ sunt gratiæ quia alii in prædicatione sonori facti sunt ut æs, alii doctores : quod signatur per aurum et argentum, ut illud thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Alii fortes in fide, ut martyres efficerentur, ut Cyprianus, aliique quamplurimi. « Et ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam. » Vox Dei ad Ecclesiam. Visitationem hic posuit pro visitatore. Tale quod legitur in Epistola Pauli apostoli de Judæis : Dedit eis Deus operationem iniquitatis pro operatore (*Rom.* I). Septuaginta autem dicunt : Ponam (inquit) principes tuos in pacem, et episcopos tuos in justitiam. Visitatorem pacis vel ipsum Dominum debemus accipere, qui est pax nostra, vel apostolos et pastores Ecclesiæ ejus. Qui ideo pax et justitia dicuntur, quia pacem prædicantes et justitiam docentes, justificant subjectos suos et pacificant eos Deo (*Ephes.* V). Ponam visitationem tuam pacem, id est, faciam episcopos et pastores tuos pacificos, præpositos tuos justos : ut recte doceant te colere Creatorem tuum, et juste judicent non attendentes personam in judicio.

« Non audietur ultra iniquitas » sive peccatum « in terra tua, » hoc est in terra viventium. « Vastitas et contritio, » subaudis non erit « in terminis tuis, » postquam transieris ad æternam beatitudinem, non audietur ultra iniquitas sive peccatum in terra viventium. De qua dicit Psalmista : « Credo videre bona Domini in terra viventium (*Psal.* XXVI). » Vastitas, id est, afflictio et contritio sive miseria, non erit in terminis tuis, id est, in terra viventium : quia mecum regnabis in beatitudine sempiterna. « Et occupabit, » id est, teget, vel replebit « muros tuos salus » sive salvator, qui in Hebraico legitur Jesus « et portas tuas laudatio. » Muri Ecclesiæ, sancti apostoli et prædicatores atque doctores, qui muniunt eam suis scriptis et suis doctrinis contra hæreticos et paganos, et contra incursum dæmonum. Ipsi sunt portæ, quia per eorum ministerium introducimur in Ecclesiam, et per corporis Domini perceptionem de hac iterum introducimur in patriam cœlestem.

« Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te. Sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. » Hæc quæ hic dicuntur, ad diem judicii pertinent. Postquam (inquit) transieris, o Ecclesia, ad æternam beatitudinem, non lucebit tibi sol iste visibilis, nec splendor lunæ illuminabit te : quia tu fulgebis ut verus sol Christus, secundum illud : « Fulgebunt justi sicut sol in regno patris sui (*Matth.* XIII). » Sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, id est, sancta Trinitas et indivisa unitas illuminabit te, et Deus tuus erit tibi in gloria.

« Non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur : quia Dominus erit in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. » Solem hic spiritualiter debemus accipere Christum, qui est sol justitiæ, et per lunam Ecclesiam, de qua dicitur in Cantico canticorum : « Pulchra ut luna, electa ut sol. » Ecclesia autem idcirco lunæ comparatur, quia sicut luna mutuatum lumen a sole accipit, et ab illo omnem splendorem habet : ita Ecclesia a Christo vero sole illuminatur : et quidquid boni habet, ab illo percipit. Ideoque dicit luna tua non minuetur, quia in præsenti sæculo aliquando minuitur Ecclesia, aliquando au-

getur. Minuitur, cum aliquis in hæreticam pravitatem cadit, vel post baptismum in peccatis moritur. Augetur autem, cum quotidie numerus electorum completur, videlicet dum quilibet paganus convertitur ad fidem, vel aliquis parvulus baptizatur : sed finito extremo judicio et damnatis reprobis, soli justi tunc remanebunt : ex quibus nullus postmodum minuetur, neque etiam augebitur. Quantum autem ad litteram pertinet, dicit beatus Isidorus in libro creaturarum, quod transacto die judicii sol mercedem laboris sui percipiet, juxta illud prophetæ : « Lucebit (inquit) sol septempliciter (*Isa.* xxx). » Et non veniet ad occasum postmodum neque sol, neque luna ; sed in ordine suo quo creati sunt stabunt, ne impii in tormentis positi perfruantur eorum luce sub terra. Juxta illud Abacuc (*cap.* III) : « Sol et luna steterunt, » pro eo quod est, stabunt in ordine suo. Sequitur : Dominus (inquit) erit, subaudis tibi in lucem sempiternam, et complebuntur, hoc est terminabuntur, sive finem percipient dies luctus tui. Sancta Ecclesia, quæ in præsenti luget et deplorat sua et aliorum peccata, vel quia differtur a regno, in die judicii accipiet consolationem. Sicut ipse Dominus dixit : « Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v). »

« Populus autem tuus, » o Ecclesia, « omnes justi in perpetuum hæreditabunt terram, » subaudis viventium, de qua Dominus dicit : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. » Non generaliter de omnibus hominibus hoc accipiendum est, sed de electis angelis et hominibus justis : qui completo die judicii simul remanebunt cum Deo ad possidendum æternaliter regnum cœleste, traditis impiis in supplicium æternæ damnationis cum patre eorum diabolo : et videntes sancti jugiter Creatorem suum, jam amplius peccare non poterunt. « Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum, » subaudis ipsi electi erunt. Angeli boni et apostoli cæteriqne credentes, qui fidem quam habent operibus bonis adornant, ipsi sunt germen plantationis Domini et opus manuum ejus : quia ab ipso sunt creati, et in Ecclesia plantati per fidem ad glorificandum Creatorem suum. Sicut ipse per Jeremiam loquitur : « Quos ego creavi in gloriam et laudem nominis mei (*Jer.* XIII). » Est plantatio non bona, de qua dicit Dominus in Evangelio : « Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur (*Matth.* XV). »

« Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam. » Minimus, id est humilis quilibet qui se pro Christi nomine humiliaverit, secundum quod Dominus præcipit : « qui voluerit inter vos major esse, sit servus vester (*Matth.* XX), » dicens cum Apostolo : « Minimo omnium sanctorum data est gratia (*Ephes.* III), » et qui parvulus, id est humilis in oculis suis fuerit in præsenti Ecclesia, vel etiam in die judicii, erit super mille vel super gentem fortissimam electorum, audiens a Domino : « Euge, serve bone, esto super decem vel quinque civitates (*Luc.* XIX). » Complebiturque in illo quod Dominus ei promisit : « Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic erit major in regno cœlorum (*Matth.* XVIII), » super omnes quos docuit vel quibus exemplum humilitatis præbuit. « Ego Dominus in tempore ejus subito faciam istud. » In tempore ejus, id est, in tempore adventus Christi, vel in tempore opportuno vel constituto : cum miserit Filius hominis angelos suos ut congregent de regno ejus omnia scandala, subito sive insperate fiet istud, hoc est constituetur ille qui humilis et parvulus fuerit in oculis suis, super multa bona patriæ cœlestis, de quibus gaudeat perenniter (*Matth.* XIII). Ideo autem dicit subito, quia dies judicii cito, et dum non sperabitur, veniet : secundum quod propheta dicit : « Dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet (*I Thess.* v). »

CAPUT LXI.

« Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus, ad annuntiandum mansuetis misit me : ut mederer contritos corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem. » Dominus Jesus qui Deus et homo est, aliquando ex persona divinitatis loquitur, ut ibi : « Ego et Pater unum sumus. » Aliquando ex persona humanitatis, ut Pater major me est, et hic in præsenti loco, dicens : « Spiritus Domini super me (*Joan.* X, XIV), » id est, qui est in me vel major me eo quod unxerit me Dominus, hoc est quod repleverit me gratia ipsius Spiritus sancti. Hæc unctio completa est tempore baptismatis illius, quando in specie columbæ requievit super eum Spiritus sanctus (*Luc.* III). De qua unctione dicit idem propheta : « Requievit super eum Spiritus Domini, » et cætera usque, « et replebit eum Spritus timoris Domini (*Isa.* II). » Et Psalmista : « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psalm.* XLIV). » Præ consortibus tuis, id est, plus omnibus sanctis gratia sancti Spiritus est repletus, habitans in illo omnis plenitudo divinitatis corporaliter dicit : quia ipse Deus et homo solus sine peccato mansit. « Peccatum enim non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. » Ipse (inquit) Spiritus sanctus qui est in me, vel major me, qui unxit me, ipse misit me ad annuntiandum mansuetis, id est humilibus et pauperibus gaudium æternæ vitæ : de quibus dicitur in Evangelio : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* v). » Et, « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » (*Ibid.*) Ut mederer contritos corde, hoc est, ut sanarem eos qui contritum cor habent contristantes de suis peccatis, de quibus dicit Psalmista : « Cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L). » Ut prædicarem captivis indulgentiam misit me, id est, ut gentilibus omnibusque hominibus, qui captivi tenebantur a diabolo et variis erroribus, prædicarem indulgentiam peccatorum dicens : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Et clausis (inquit), subaudis in carcere infidelitatis et ignorantiæ apertionem, id est, relaxationem peccatorum. Vel sicut Symmachus apertius transtulit : Vinctis resolutionem. Sequitur

« Ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro : ut consolarer omnes lugentes, et ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere. Oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. » Annum placabilem Domino specialiter debemus accipere tempus prædicationis Christi, quod placabile fuit Deo Patri, quia multos salvavit. Generaliter autem omne tempus a Domini nativitate usque ad diem judicii, quod similiter acceptum est Deo Patri : quia multitudo fidelium prædicatione apostolorum eorumque sequacium salvata est per fidem, et salvabitur. De quo tempore dicit Apostolus : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce dies salutis (*II Cor.* VI). » Et non solum prædicavit annum placabilem Domino Patri ex his qui crediderunt, sed etiam B diem ultionis sive damnationis Judæorum, quæ venit per Romanos post ascensionem ejus, prædicavit dicens : « Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo. » Et cum videritis ab exercitu circumdari Hierusalem, « scitote quia prope est desolatio ejus (*Luc.* XIX, XXI). » Et hoc sciendum, quia superius, sicut ex persona humanitatis locutus est, dicens : « Spiritus Domini super me; » ita et hic cum dicit, ut prædicarem diem ultionis Deo nostro placabilem : quia Dominus Deus illius est secundum humanitatem. Placabilis autem fuit Deo Patri dies ultionis Judæorum, non quod gauderet malitia eorum sive desolatione : sed more nostro loquitur, qui gaudemus quando nos ulciscimur de inimicis nostris. Ad hoc etiam misit me ut consolarer, sub- C audis in præsenti vel etiam in futuro, omnes lugentes sua et aliorum peccata. De quibus in Evangelio dicitur : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). » Et ponerem, inquit, lugentibus Sion, subaudis coronam in capite, vel gaudium æternæ felicitatis infunderem in eorum cordibus. Lugentes Sion appellat apostolos, qui lugebant pro salute Sion sive Judæorum, ut beatus Paulus qui dicebat : « Tristitia mihi est ingens et continuus dolor pro fratribus meis (*Rom.* IX). » Et : « Optabam ego anathema esse pro fratribus meis. » (*Ibid.*) Et ad hoc etiam misit me, ut darem eis, subaudis qui lugebant Judæis, coronam pro cinere, id est, remunerationem cœlestem pro pœnitentia et labore, quem assumpserunt pro fratribus suis. Et darem D oleum gaudii pro luctu, id est, pro tristitia et mœrore gaudium et lætitiam. Et ut darem pallium laudis pro spiritu mœroris, id est, vestimentum jucunditatis pro lugubri vestimento. Tunc apostoli coronam acceperunt pro cinere, et pallium laudis pro lugubri vestimento, quando viderunt multitudinem Judæorum et multitudinem gentium venire ad fidem, præcincti gaudio et exsultatione. « Et vocabuntur in te fortes justitiæ, » id est, fortes ad justitiam : « plantatio Domini ad glorificandum. » Ecclesiam alloquitur sermo propheticus. Postquam (inquiens) acceperis gaudium pro tristitia, vocabuntur in te apostoli et martyres aliique perfecti in fide, A fortes ad justitiam faciendam, et vocabuntur etiam plantatio Domini : qui ab ipso sunt fundati in fide, in Ecclesia, ad glorificandum Creatorem suum.

« Et ædificabunt deserta a sæculo, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas, dissipatas, in generatione et generationem. » De apostolis nunc sermo agitur. Postquam igitur plantati fuerint apostoli a Domino, in fide in Ecclesia, et glorificaverint eum in suis opibus, ædificabunt sua prædicatione et baptismo deserta a Deo corda gentium a sæculo, id est ab initio. Et ruinas antiquas erigent, hoc est quod cecidit in synagogis per infidelitatem, restaurabunt in illis qui crediderunt ex Judæis. Et quod cecidit ab exordio mundi in gentibus per idololatriam, restaurabunt et erigent ipsi per culturam omnipotentis Dei. Et instaurabunt civitates desertas a Deo, id est ecclesias diversarum gentium, vel quinque corporis sensus qui intelliguntur per civitates quæ dissipatæ fuerant, in generatione Judæorum, et generationem gentium, infidelitate et idololatria.

« Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra. Et filii peregrinorum agricolæ et vinitores vestri erunt. » Alieni appellantur gentiles et peregrini, quia cognitione Dei alieni erant, longe recedentes ab illo per idololatriam. Sed postquam crediderunt, steterunt in fide et bonis operibus recti. Juxta quod Apostolus præcipit : « State in fide (*I Cor.* XVI). » Et : « Qui stat videat ne cadat (*I Cor.* X). » Pecora quoque apostolorum sunt simplices et mansueti, de quibus C Dominus dicit Petro et in illo omnibus apostolis : « Pasce oves meas (*Joan.* XXI), » sive agnos meos. Quos prædicatores gentium et martyres (ut fuit Gregorius, Ambrosius, Hilarius, Augustinus, Cyprianus, aliique quamplurimi) verbo simplici et doctrina spirituali paverunt. Ipsi martyres et prædicatores filii peregrinorum, id est filii gentium, fuerunt agricolæ et cultores Ecclesiæ et cæmentarii et vinitores et custodes : quia ipsi ædificaverunt Ecclesiam, et ipsi excoluerunt corda credentium. Illosque quos præcessores eorum apostoli in vineam Domini introduxerant (de qua dicit propheta : « Vinea Domini sabaoth domus Israel est ») ipsi custodierunt. Econtra mali cæmentarii et mali vinitores et cultores fuerunt scribæ et Pharisæi, de quibus Dominus D illis audientibus in fine parabolæ dicit : « Malos male perdet. » Et, « Propterea auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI). »

« Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis. » Hoc dupliciter intelligi potest, ut beatus Hieronymus dicit, videlicet ut ad prædicatores ex gentibus referatur, qui fuerunt filii peregrinorum, vel ad apostolos de quibus dicitur, « reliquiæ salvæ fient (*Rom.* IX) : » ut ipsi appellentur sacerdotes Domini qui majoris dignitatis erant, sicut de filiis David dicitur, quod « erant sacerdotes in domo Domini (*II Reg.* VIII). » Et est sensus vel ordo : Cum filii peregrinorum fuerint

vinitores, cæmentarii et agricultores, vocabimini vos apostoli, sacerdotes et magistri eorum, quia ministri Domini eritis. « Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum superbietis. » Fortitudo gentium fuerunt martyres, qui fortiter tormenta persecutorum pro Christi nomine sustinuerunt : de quorum victoria et triumpho epulati, id est valde lætati sunt videntes eos transire ad suam societatem, et in quorum gloria ipsi superbierunt, id est exsultaverunt vel gloriati sunt. Superbia siquidem isto in loco pro gloria ponitur, sicut et paulo superius ubi dictum est : Ponam te in superbiam sive in gloriam sæculorum.

« Pro confusione vestra duplici et rubore laudabunt partem tuam. » Apostoli dupliciter verecundabant et erubescebant, de infidelitate videlicet Judæorum et idololatria gentium. Sed unde illi erubuerunt et confusionem sustinuerunt, inde isti et Judæi et gentiles conversi ad fidem laudabunt partem suam : Dominum videlicet, dicentes cum Psalmista : « Pars mea Dominus est : » quod nemo veraciter potest dicere, nisi qui aliam partem non habet. « Propter hoc, » subaudis, quia vos duplicem super eos habuistis confusionem et ruborem, et illi conversi ad Dominum qui est pars electorum. « Laudaverunt in terra sua, » hoc est, in terra viventium et mansuetorum « duplicia » præmia « possidebunt, » id est, in corpore et in anima, cum receperint immortalitatem et incorruptionem in corpore, et incommutabilitatem in anima, « et lætitia sempiterna erit eis. »

« Quia ego Dominus diligens judicium, » subaudis veritatis, « et odio habens rapinam in holocausto. » Divites solent offerre Deo munus de rapina pauperum, sed sic placet ei eorum oblatio ut pretium scorti, et sacrificium canis, vel sicut placet patri qui immolat filium in conspectu ejus. Et est sensus : Hoc, inquit, præstabit Dominus qui magis diligit justorum pauperiem et judicii veritatem, quam divitum munera quæ de rapina sunt et iniquitate. « Et dabo opus eorum, » subaudis qui crediderunt « in veritate, » ut agnum comedant in veritate, et circumcisionem cordis accipiant, et terram desiderent æternam, et ut omnia quæ Judæis dicta sunt in figura, ipsi possideant in veritate. « Et fœdus perpetuum feriam eis, » id est Evangelium dabo eis, cui non succedet alia lex, sicut legi Moysi. De quo Evangelio dicit Dominus : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Matth.* xxiv). »

« Et scietur in gentibus semen eorum, » id est, semen apostolorum, « et germen eorum in medio populorum. » Sicut apostoli fuerunt semen bonum et verum a Christo seminati, audientes ab illo : « Ite, docete omnes gentes (*Matth.* xxviii) : » ita semen et germen apostolorum sunt fideles, qui ab illis semen verbi Dei perceperunt. « Omnes qui viderint eos » apostolos videlicet apostolorumque successores et imitatores, « cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. » Quomodo sciert et quomodo cognoscent, quod a Domino sunt seminati? In doctrina, in castitate, in contemptu mundi et in virtute miraculorum.

« Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo. » In persona Ecclesiæ loquitur propheta : « Gaudens, » inquit, « gaudebo in Domino, » non in divitiis et lucris terrenis, neque in nobilitate generis ut Judæi, qui gloriabantur quod essent de genere patriarcharum, neque in honoribus hujus sæculi gaudebo, sed in Domino, juxta quod Apostolus præcipit, dicens : « Gaudete in Domino semper. » Et non solum gaudebo, sed exsultabit anima mea, non in resonante cachinno, sed in Deo meo. « Quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. » Reddit causas quare gaudere et exsultare debeat in Domino. Ideo, inquit, « gaudebo in Domino, » quia induit me vestimentis salutis, id est virtutibus vel ipso Christo, sicut Apostolus dicit : « Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Galat.* iii). » Et, « Induite novum hominem (*Ephes.* iv). » De hoc autem quod dicit, et indumento justitiæ circumdedit me, Psalmista decantat, dicens : « Sacerdotes tui, Domine, induantur justitiam (*Psal.* cxxxi). » Vestimentum enim sive indumentum electorum sunt virtutes, vel ipse Christus : sicut et indumentum Christi sunt omnes electi. « Quasi sponsum decoratum corona, » subaudis, decoravit me, « et quasi sponsam ornatam monilibus suis. » Duo agmina credentium sanctæ Ecclesiæ hic ostenduntur. Perfectorum scilicet agmen ostenditur per sponsum, de quibus dicit Apostolus : « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* ii). » Imperfectorum vero agmen designatur per sponsam, de quibus dicit Apostolus : « Non judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (*I Cor.* iii). » « Et tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. » Christus ergo sponsus ipse facit sponsos et sponsas, et tamen una est sponsa Ecclesia quæ decoratur corona, id est multitudine credentium ex omnibus mundi partibus in ejus societatem venientium. Et ornatur monilibus, id est omnium virtutum ornamentis quæ designantur per monilia, videlicet castitate, humilitate, aliisque virtutibus, et variis ordinibus.

« Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat : sic Dominus Deus germinabit justitiam et laudem coram universis gentibus. » Istarum comparationum prior referenda est ad sponsum, sequens ad sponsam. « Sicut, inquit, terra cœlestibus pluviis irrigata profert germen suum, et sicut hortus fontium aquis irrigatus semen suum, » id est, olera diversis generibus germinat : « sic Dominus Deus germinabit, » id est, germinare faciet vel crescere « justitiam, » id est, Christum qui justificat in se credentes : vel justificationem fidei ex qua justus vivit : et ipse faciet crescere laudem suam coram universis gentibus. Non erit solummodo ista justificatio in Judæis, neque soli Judæi referent ei laudes : sed in

omnibus credentibus erit fides. Et postquam fuerint A justificati, referent laudes et gratiarum actionem Creatori suo pro omnibus beneficiis ab illo sibi datis. Sicut ergo terra irrigata cœlitus profert germen : sic perfecti quique irrigati gratia Spiritus sancti, quotidie fructus bonæ operationis referunt.

CAPUT LXII.

« Propter Sion non tacebo, et propter Hierusalem non requiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, » id est, justus Ecclesiæ Christus, « et salvator ejus ut lampas accendatur. » Hactenus Ecclesia, nunc ex persona sua loquitur Propheta. Per Sion et Hierusalem, generaliter possumus intelligere reges et principes Judaici populi, qui prohibebant prophetas ut non loquerentur in nomine Domini, vel distincte B per Sion reges et principes, per Hierusalem sacerdotes et subjectos eorum. Dicit ergo Propheta : « Propter Sion et propter Hierusalem, » id est, propter reges principesque ac sacerdotes, etiamsi præceperint ut taceam, non tacebo ab oratione : sed tandiu nocte et die jungam preces precibus quousque veniat Christus nobis in lege promissus, et cunctum orbem illuminet. Tale quid alio in loco idem propheta implorat : « Utinam dirumperes, Domine, cœlos, et venires (*Isa.* LXIV). » Non tacebo (inquit) precibus, donec egrediatur ex utero virginis Justus Ecclesiæ ut splendor, qui justificat electos suos, « et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). » Ipse est splendor lucis æternæ et sol justitiæ, qui in Evangelio dixit : « Ego sum lux mundi. » Et salvator C ejus, id est Ecclesiæ, ut lampas accendatur, subaudis in cordibus credentium. Lampas Græce, Latine dicitur flamma ignis. De qua flamma ignis dicit Dominus in Evangelio : « Ignem veni mittere in terram (*Luc.* XII). » Hac flamma succensi sunt apostoli die Pentecostes, quando cœperunt loqui omnibus linguis.

« Et videbunt gentes justum tuum, » subaudis per fidem, o primitiva Ecclesia, id est Christum tuum qui peccatum non fecit. « Et cuncti reges, » subaudis qui crediderint, vel ipsi qui seipsos bene rexerint. « Videbunt inclytum » sive nobilem « tuum » per fidem, de quibus Dominus dicit : Beati qui non viderunt oculis corporis, et crediderunt mente (*Joan.* XX). « Et vocabitur tibi nomen novum, » o primitiva Ecclesia, « quod os Domini nominavit. » Consuetudo D est Hebrææ linguæ, ut ex novis rebus nomina imponantur, ut ex Abraham possumus cognoscere. Primum quidem appellatus est Ram, sicut in libro beati Job (*cap.* XXXII), invenitur eo in loco, ubi dicitur : « Et iratus indignatusque est Heliu filius Barachiel Buzites de cognatione Ram. » Inde vocatus est Abram, id est pater excelsus, ac deinde Abraham. Similiter de beato Petro potest intelligi, qui primum Simon, deinde Petrus a petra, id est a Christo est appellatus. Dicitur ergo ad Ecclesiam primitivam : Vocabitur tibi nomen tuum, id scilicet quod verbum Dei Patris decreverit, ut a Christo christiani vocemini, et per Hierusalem et Sion Ecclesiæ nominemini.

« Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui, » id est in potentia Dei, vel in ipso Christo qui est manus et dextera Patris. Cum te (inquit) coronaverit multitudo credentium veniens ad fidem tuam ex omnibus partibus mundi, eris corona decoris in manu Dei, et quasi diadema regni in potestate illius.

« Non vocaberis ultra derelicta, » a Deo « et terra tua » id est habitatio tua « non vocabitur amplius desolata, » subaudis quia Christus habitabit in medio tui. « Sed vocaberis voluntas mea in ea, » id est vocabitur Ecclesia Christi, et dicetur : Ista est Ecclesia, quæ Domini voluntatem facit. Et quare hoc ? « Quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. » Ecclesiam ex utroque populo collectam alloquitur sermo propheticus, et promittit quod non sit amplius derelicta ita a Deo, sicut quondam fuit quando post idola claudicabat. Sicut displicuit Domino Judæis in infidelitate manentibus, et in gentibus post idololatriam ambulantibus : sic complacuit ei in credentibus ex utroque populo, ad fidem ejus venientibus.

« Habitabit enim juvenis cum virgine, » in castitate carnis, ut Maria et Joseph, Chrysantus et Daria.

« Et habitabunt in te filii tui. » Filii Ecclesiæ sunt qui instruuntur doctrina spirituali. « Et gaudebit sponsus » Christus « super sponsam » Ecclesiam « et gaudebit super te, » id est de tuis operibus bonis « Deus tuus. » Iste est sponsus, de quo dicitur in psalmo : « Et ipse tanquam sponsus procedet (*Psal.* XVIII). » Et ista est sponsa, de qua dicit Joannes Baptista : « Qui habet sponsam sponsus est (*Joan.* III). »

« Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die et tota nocte non tacebunt. » Vox Dei omnipotentis ad Hierusalem, id est ad Ecclesiam, quæ est visio pacis. Muri dicuntur a muniendo. Dupliciter possumus hic accipere muros, et dupliciter custodes. Muri Ecclesiæ fuerunt apostoli et prædicatores, qui doctrina et miraculis munierunt Ecclesiam. Custodes vero horum sunt angeli qui custodiunt muros Ecclesiæ, ne adversarius noster diabolus « quasi leo rugiens » possit aliquem rapere ex arietibus. Unde Apostolus : « Omnes (inquit) administratorii sunt spiritus, missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I). » Vel aliter : Murus Ecclesiæ fuerunt Titus et Timotheus, et Marcus aliique discipuli apostolorum : quorum custodes erant Petrus, Paulus cæterique apostoli. Dicit ergo sermo divinus Ecclesiæ : Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, angelos vel prælatos Ecclesiarum, apostolos videlicet eorumque sequaces. Tota die et tota nocte non tacebunt, id est, neque in prosperis neque in adversis tacebunt a precibus, exorantes clementiam et misericordiam meam pro muris, ut meorum auxilio vallentur. « Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, » subaudis a precibus, jungentes vota votis.

« Et ne detis silentium ei, » subaudis Domino, sed semper opportune importune illius misericordiam postulate « donec stabiliat, » id est firme stare faciat

« Hierusalem, » id est Ecclesiam suam, et « ponat ei laudem in terra, » vel ut ipsa laudet Creatorem suum per omnem munduni dilatata, vel ut ab omnibus gentibus ipsa laudetur. Custodes murorum alloquitur sermo divinus, ut ipsi qui Domini voluntatem sciunt et muros custodire debent, non taceant a precibus et laudibus, neque in prosperis neque in adversis. Sequitur :

« Juravit Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suæ. » Omnis sermo omnipotentis Dei pro juramento accipi debet, quia semper verus est et nunquam fallit. Dextera autem et brachium fortitudinis illius Filius est, per quem omnia fecit, secundum illud : Omnia per ipsum facta sunt. « Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis, et si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti. » Ecclesiam alloquitur. Sæpe Deus omnipotens, quantum ad litteram pertinet, fruges Judæorum dedit inimicis eorum, id est triticum et vinum : sicut legimus in libro Judicum (*cap.* VII), quod « Madianitæ tempore messis venientes fructus eorum collegerunt, et tam in suos quam in inimicorum suorum usus expenderunt. » Sic etiam, quando ducti sunt in captivitatem, quando collocati sunt ibi Samaritani alienigenæ, qui eorum comederunt fruges. Sed isto in loco cibum Ecclesiæ dupliciter possumus intelligere, id est virtutes et bona opera, vel etiam corpus et sanguinem illius quod quotidie in sancta Ecclesia sumitur a fidelibus, quibus pascitur anima. Quodam siquidem tempore ante adventum Filii Dei fruges Judæorum, id est, laudes et opera quæ idolis impendebant, dæmones comedebant : sed post Domini adventum virtutes et laudes Ecclesiæ non comederunt dæmones, sed Dominus epulatus, id est lætatus et delectatus est in eis. Cibus etiam Judæorum erat triticum et vinum, quod significavit corpus et sanguinem Domini, sicut ipse dixit : « Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Joan.* VI) : » quia non sumuntur ab hæreticis et paganis inimicis sanctæ Ecclesiæ. Si dedero, id est, non dedero vel non dabo deinceps triticum vel vinum tuum, in quo laborasti, in cibum inimicis tuis, id est, laudes et opera tua non dabo dæmonibus, sed ego suscipiam eas. Vel corpus et sanguinem meum, in quo tu laboras consecrando, non dabo hæreticis et paganis inimicis tuis, qui alieni sunt a me et a fide tua. Quare autem non det inimicis cibum fidelium, manifestat cum dicit :

« Quia qui congregant illud, » subaudis triticum, « comedent illud, et laudabunt Dominum Creatorem suum : et qui comportant illud, » subaudis vinum, « bibent in atriis sanctis meis, » hoc quotidie in sancta Ecclesia ex parte completur, et ex parte in æterna beatitudine. Qui sunt isti, qui congregant et qui comportant triticum, et qui bibent in atriis Domini, id est in diversoriis Ecclesiæ? Episcopi, presbyteri, diacones, subdiacones, omnesque ministri altaris, qui congregant et portant, id est qui præparant et consecrant corpus et sanguinem Domini, et comedunt et bibunt in Ecclesia, laudantes Creatorem et Redemptorem suum. Vel etiam illi qui modo in præsenti congregant virtutes, et comportant, id est coadunant, dum transierint a præsenti Ecclesia comedent et bibent, id est exsultabunt et gaudebunt in atriis Domini, sive in mansionibus cœlestibus. De quibus Dominus dicit : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt. »

« Transite, transite per portas, præparate viam Domino, populo planum facite iter, eligite lapides, et elevate signum ad populum. » Custodibus murorum angelis vel prælatis Ecclesiæ, quibus superius dixerat ne tacerent a precibus et laudibus, præcipit iterum ut transeant per portas, id est per diversos ministros Ecclesiæ presbyteros, diacones, subdiacones, quorum ministerio introducuntur credentes in Ecclesiam : vel ut transeant per virtutes, ambulando de virtute in virtutem. Ideo autem præcipiuntur transire per ministros Ecclesiæ, ut eos custodiant, ne aliquis illorum in hæreticorum pravitatem corruat, et ut in fidem amplius etiam accrescant. Præcipitur etiam custodibus murorum, ut præparent viam populo volenti intrare in Ecclesiam, hoc est, ut doctrina et exemplo eis viam rectitudinis ostendant, planumque faciant iter, id est auferant omnia offendicula dimittendo peccata per baptismum. Et ut eligant lapides, sive projiciant, ut Septuaginta dixerunt, hoc est a cordibus hominum duritiam auferant infidelitatis : vel separent a consortio credentium reprobos et duricordes, qui noluerint credere. Necnon etiam præcipitur, ut elevent signum crucis ad populum nationum, id est ut annuntient ei passionem et resurrectionem. Sequitur :

« Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ. » Subaudis per apostolos fidem suæ passionis et mysteria suæ resurrectionis. « Dicite filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. » Custodibus murorum angelis vel prophetis sive apostolis præcipitur, ut alloquantur filiam Sion, hoc est Ecclesiam primitivam, quæ ideo filia Sion dicitur, vel quia primum ex Judæis collecta est. De qua dicit in Cantico canticorum : « Filii matris meæ pugnaverunt contra me (*Cant.* I). » Vel propterea appellatur filia, quia a Domino nomen filiationis accepit, juxta quod Joannes dicit : « Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). » Dicite, inquit, Sion, id est primitivæ Ecclesiæ. Hæc quæ dicuntur, ad secundum Domini adventum pertinent. « Ecce salvator tuus venit, » pro eo quod est veniet in die judicii cum angelis et archangelis, omnibusque virtutibus cœlorum. Ecce merces ejus cum eo, ut remuneret electos et damnet reprobos. Et opus ejus coram illo, id est potestas judicandi in conspectu illius.

« Et vocabunt eos, » subaudis qui crediderunt, « populum sanctum, redemptum a Domino. » Angeli et apostoli aliique doctores congaudentes eis qui per eorum prædicationem crediderunt, vocabunt eos populum sanctum, redemptum a Domino. Beatus Hie

ronymus dicit in Hebræo haberi populum suum redemptum, sicut nos jam dictum habemus, sed quidam codices habent populus sanctus et redempti a Domino, juxta quod hic erit sensus : Apostoli aliique doctores vocabunt eos qui crediderint dicentes : tu es populus sanctus, et vos estis redempti a Domino. Sed hebraica veritas apertior et facilior isto in loco habetur. « Tu autem, » o Ecclesia, « vocaberis quæsita civitas, » subaudis a Deo, « et non derelicta. » Nequaquam, inquit, vocaberis civitas derelicta a Deo sicut quondam, sed vocaberis civitas quæsita a Christo, et ejus sanguine redempta. De qua dicit Dominus in Evangelio : « Venit Filius hominis quærere et salvare quod perierat (*Luc.* I). » Et ista est ovis vel civitas, quam pastor bonus quærere venit.

CAPUT LXIII.

« Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ. » Angelicæ quædam potestates in cœlo residentes, ignorantes mysterium Dominicæ nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionisque ejus, cum vidissent Dominum ascendere ad superos cum multitudine angelorum et sanctorum hominum, et non egere auxilio alicujus angelorum, sed propria virtute super omnia agmina cœlorum conscendere, conversi in admirationem, quomodo ille qui Deus adorabatur in cœlo, homo factus et mortuus resurgendo non solum sibi Deo, sed etiam cunctis tunc ascendentibus, et postea credentibus januas cœli cœlestis aperuit, dixerunt aliis angelis Dominum comitantibus : « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? » Tale quid et Psalmista ex persona eorumdem angelorum dicit : « Quis est iste rex gloriæ (*Psal.* XXIII)? » Sed considerandus est isto in loco varius sermo doctorum. Beatus siquidem Augustinus in expositione libri Geneseos dicit, quod omnes angeli statim ut conditi sunt, cognoverunt in contemplatione Creatoris sui quidquid ipse Creator facturus erat. Attamen beatus Hieronymus aperte declarat quia fuerunt angelicæ dignitates quæ donec perficeretur mysterium incarnationis et passionis Christi, ad liquidum non cognoverunt, sicut superius jam diximus. Verbi gratia : Sicut et nos de die judicii ex parte cognoscimus, quæ ibi agentur per revelationem sanctorum patrum, et ex parte ignoramus. Sed utrum incognitum illis fuerit an non, nobis non est amplius inquirendum, nisi quod Dominus ipse manifestare dignatus est. Occulta enim ejus sunt judicia. Tamen hoc firmiter tenemus, quia propheta admirando hoc protulit ex persona illorum angelorum, qui cœlo residebant, inquiens : « Quis est iste qui venit de Edom? » Edom ipse est Esau, ipse est Seir. Vocatus est autem Edom ab edulio lentis, propter quod vendidit primogenita sua. Et interpretatur Edom *terrenus* vel *sanguineus* sive *cruentus*, significat hunc mundum ; Esau vero interpretatur, *querceus* vel *roboreus* ; Seir *hispidus*, id est *pilosus*. Et hoc notandum, quia isto in loco Edom non pro persona illius, sed pro interpretatione nominis positum est, sicut et Bosra non pro loco, sed pro interpretatione nominis. Interpretatur autem Bosra *munita* vel *firma*, et significat vel infernum ubi clausæ sunt animæ mortuorum, et cui adhibiti sunt firmissimi custodes. De qua civitate dicit Psalmista : « Quis deducet me in civitatem munitam (*Psal.* LIX)? » Vel etiam significat Hierusalem terrenam, quæ firmissimis muris fuit ante circumdata, in qua passus est Dominus. Cujus nominis etymologiam Homerus eximius poeta Græcorum exponens, sicut Josephus narrat, ita dixit quod ierom, a quo Hierusalem, interpretatur *munita* vel *firma*. Quantum vero ad litteram pertinet, Bosra civitas neque in terra repromissionis neque in Edom sita fuit, sed in Moab. Interrogant ergo quædam angelicæ dignitates, illos angelorum choros qui Dominum comitabantur : « Quis est iste qui cum tanto exercitu venit de Edom, » hoc est de terreno et cruento mundo? « Et tinctis vestibus, » id est corporeis membris « venit de Bosra, » id est de munita civitate Hierusalem ubi passus est, vel de inferno de quo victor exiit? Non quod tincta sive respersa membra haberet ex sanguine, qui manavit ex latere et locis clavorum, sed pro cicatricibus quæ adhuc parebant in corpore illius. Persistunt etiam in sua admiratione angeli, et interrogant dicentes : Iste formosus in stola sua, sive pulcher, quis est gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ac si dicerent aliis verbis : Quis est iste formosus et tam decorus in stola sua, hoc est in habitu humanitatis suæ gradiens, vel ascendens super omnes cœlos, in multitudine virtutis suæ, sive in plenitudine divinitatis suæ, ascendens super omnia agmina cœlorum sine auxilio alicujus angelorum? Iste est formosus, cui dixit Psalmista : « Speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV). » Formosum dicebant antiqui calidum, unde formosus quasi calidus, eo quod ex calore rubicundus existat instar rosarum.

« Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. » Angelis tacentibus qui interrogati fuerant, quis esset qui propria fortitudine ascendebat de terreno et cruento mundo super omnes cœlos, illis etiam responsum non reddentibus qui Dominum comitabantur, respondit ipse Dominus, inquiens : Vultis scire quis sim ego? « Ego sum cui Pater omne judicium dedit (*Joan.* V). » Juxta quod Psalmista dicit : « Deus judicium tuum regi da (*Psal.* LXXI), » etc. Ego sum qui loquor justitiam, reddens bonis bona, justis præmia, malis autem et impiis mala, et æterna supplicia juxta quod merentur. Hoc quotidie implet, generaliter vero in die judicii, dum dixerit impiis : « Ite, maledicti, in ignem æternum ; » et justis : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* XXV), » etc. Et non solum loquor justitiam, sed etiam propugnator, hoc est debellator, sum dæmonum, et defensor ad salvandum genus humanum.

« Quare ergo rubrum est indumentum tuum, » hoc est corpus tuum, « et vestimenta, » subaudis quare

sunt rubra, « sicut calcantium in torculari? » Domino ergo dicente : « Ego sum qui loquor justitiam, » et qui debello contrarias potestates, rursum scisciantur angeli et dicunt : Si tu es qui loqueris justitiam, et cui Pater omne judicium dedit (*Joan.* v), et qui debellator es dæmonum ad salvandum genus humanum, volumus a te scire quæ causa exstiterit quare sit indumentum tuum, hoc est corpus tuum, cruentatum : et quare sint vestimenta tua, id est membra tua, rubra veluti de musto nigro et subrubicundo. Tibi qui candidus es ex virginitate, et speciosus præ filiis hominum, non convenirent ista, sed homicidis, adulteris et latronibus. Dic ergo, inquiunt, nobis quid promeruisti, ut tu qui defensor es generis humani, cruenta et tincta habeas membra, quasi homo quilibet qui uvas nigras et subrubicundas calcat in torculari sive in prelo? Quibus respondet Dominus, non uno solummodo versiculo ut prius, sed multis verbis ostendens eis ordinem rei, ne rursum necesse sit interrogare, et dicit :

« Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. » Torcular appellat Dominus crucem et omnia tormenta passionis, sputa videlicet, colaphos, infixionem lanceæ et clavorum, in quibus ipse passus est quasi in prelo, intantum ut sanguis ejus funderetur. Et hoc sciendum, quia torcular aliquando in malam partem ponitur, hoc est pro suppliciis et pœnis peccatorum, ut illud Jeremiæ : « Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Judæ (*Thren.* I), » id est captivitatis malum et afflictionis adduxit cum ponere super eam : ideo ploro. Interdum etiam ponitur torcular in bonam partem, quemadmodum octogesimus tertius psalmus, cujus prætitulatio est : In finem pro torcularibus, id est pro martyribus. « Torcular » (inquit Dominus), « calcavi solus. » Ac si diceret : Ideo habeo rubra vestimenta, quia pressuram crucis sustinui solus, et de genere humano non fuit vir mecum in adjutorium. Ideo dicit solus, quia nullum habuit adjutorem neque angelum, neque archangelum, neque aliquam potestatem cœlestium virtutum, neque Judæum, neque gentilem : sed omnes eum dereliquerunt tempore passionis, intantum ut ille fortissimus apostolus Petrus in fide ter eum negaverit, cæteris fugientibus. Et cum esset ab omnibus derelictus, solus ille debellavit contrarias potestates, et superavit virtutem eorum. Hoc autem considerandum est, quare dicat torcular a se calcatum, hoc est pressuram passionis superatam : cum ipse sit calcatus et mortuus. Sed ad hoc dicendum, quia calcatus est a pressura passionis moriendo, et calcavit ipsam passionem tertia die propria virtute resurgendo. « Calcavi, » id est vici et humiliavi « eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea. » Non est putandum quod Deus omnipotens (qui incommutabilis est), furorem possit habere aut iram, sed more nostro loquitur Scriptura : quia illis videtur furere et iratus esse, quibus vindictam reddit. Sicut quilibet rex, licet tranquillo animo sit, iratus videtur illis quos jubet decollari vel occidi. Et hoc distat inter furorem et iram, quia furor est subita animi turbatio, ira autem diu manet. Sed in Deo nihil horum habetur. Dicit ergo Dominus : Licet calcatus ab eis essem, tamen calcavi et superavi eos, id est dæmones vel Judæos in furore et vindicta mea. Et superavi eos in ira mea, auferens a dæmonibus potestatem et dominium, quod exercebant in hoc mundo; et a Judæis locum, regnum, gentem, sacerdotem, templum, omnemque dignitatem, tradens eos Romanis.

« Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. » Non est nobis intelligendum quod dæmones, qui spiritus sunt, habeant sanguinem : sed sanguis Christi, quem ipsi fuderunt suadendo Judæis ut eum interficerent, sanguis eorum appellatur : quia vindictam exinde perceperunt. Legimus enim in Evangelio, quod « diabolus misit Judæ in cor, ut traderet eum (*Joan.* XIII). » Ipse denique qui suasit ut traderetur, ipse tradidit et occidit. In hoc autem loco est tropica translatio ab homine victore et victo, qui sanguine vegetantur, ad Dominum qui vicit dæmones, et ad illos qui victi sunt. Solet namque, quando quilibet prælialor interficit suum hostem, sanguis interfecti evolare et commaculare vestimenta interficientis. Sicut dicit David de Joab loquens (*III Reg.* II), quod « posuerit cruorem prælii in balteo suo. » Quantum enim ad hunc sensum pertinet, dum perfodit latera Amasæ vel Abner, sanguis evolavit super cingulum sive in balteum renum ejus. Si autem ad Judæos ista referimus, similiter sanguis Christi quem ipsi fuderunt sanguis eorum appellatur : quia vindictam inde perceperunt. Aspersus est, inquit, sanguis eorum, id est sanguis meus, super vestimenta mea sive per membra mea, pro quo ipsi recipient vindictam : et omnia indumenta mea, hoc est membra mea inquinavi. Non quod inquinata essent, sed quod inquinari permiserit.

« Dies enim ultionis, » subaudis dæmonum et Judæorum, « fuit in corde meo, » subaudis dum penderem in cruce talia sustinens. « Annus redemptionis meæ venit, » hoc est, annus vel tempus redemptionis generis humani. Iste est annus quem superius appellavit annum acceptum Domino, et diem retributionis Judæorum. Passio Domini secundo habuit in se pœnam dæmonum et Judæorum reproborum, omnium infidelium, et præmia justorum. Quæ duo etiam isto in loco dividuntur in bonam et malam partem. In malam, dies ultionis in corde. In bonam, annus redemptionis generis humani venit. Dum enim Dominus penderet in cruce passionem pro nobis sustinens, in corde ejus fuit quia dæmones damnaturus erat in inferno, et Judæos traditurus in manibus Romanorum.

« Circumspexi, » subaudis pendens in cruce, « et non erat auxiliator, » subaudis mihi, neque angelus, neque archangelus, neque patriarcha, neque propheta, neque apostolus, neque quilibet justus, neque Judæus, neque gentilis. « Et quæsivi qui me adjuvaret, et non fuit, » subaudis adjutor. Tale est hoc quod in psalmis dicit : « Exspectavi qui constrista-

retur et non fuit, qui consolaretur et non inveni (*Psal.* LXVIII). » Et rursum : «Omnes amici mei dereliquerunt me, et noti mei alieni quasi recesserunt a me (*Job* XIX). » « Et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. » Hoc dupliciter potest intelligi, ut ex persona humanitatis loquatur, vel ex persona deitatis. Salvavit, inquit, mihi brachium meum, hoc est, verbum a quo assumptus sum resurrectionem mihi procuravit : vel fortitudo mea sive brachium meum salvavit mihi omnes prædestinatos ad vitam, et indignatio mea, id est ultio et vindicta mea, ipsa auxiliata est mihi, quando vindicavit me de hostibus meis Judæis vel malignis spiritibus. More humano ista loquitur. Sequitur :

« Et conculcavi, » id est humiliavi, superavi, vel vici « populos, » id est Judæos « in furore meo, et inebriavi eos, » hoc est, replevi eos miseria et afflictione in ira mea, sive in vindicta mea, « et detraxi in terram virtutem eorum, » hoc est, ad nihilum deduxi virtutem dæmonum et Judæorum. Conculcavit et superavit Judæos in furore suo, et inebriavit vel replevit eos miseria, quando quadragesimo secundo anno ascensionis suæ, adveniente milite romano, fame, gladio, pestilentia, interfecit eos, dispergensque illos in omnes partes mundi et in omnes gentes, abstulit eis omnem gloriam et dignitatem, in tantum ut ipsi qui antea vocabantur soli populus Domini, modo sint servi aliarum gentium, et qui quondam fuerunt caput, modo sint cauda. Detraxit sive dejecit virtutem dæmonum ad nihilum, qui erecti erant in superbia, quorum princeps dixit : « Super sidera cœli ponam sedem meam (*Isa.* XIV). » Vel etiam virtutem Judæorum deduxit ad nihilum, qui se solos putabant existere fortes, quasi soli auxilio Dei essent vallati, habentes soli regem ex omnibus gentibus. Modo enim non fortes Judæi, quia non habent Deum fortitudinis in se, qui est fortitudo et victoria electorum. Non sunt auxilio Dei vallati, quia propter impietatem et infidelitatem eorum recesserunt ab illis custodiæ angelorum : quæ auditæ sunt in templo adveniente excidio desolationis dicentes : Transeamus ab his sedibus. Non habent legem, quia non recipiunt Evangelium, neque prophetas, in quibus illa omnia continentur impleta. Lex siquidem et prophetæ, usque ad Joannem. Adveniente enim gratia veritatis cessavit umbra legis et prophetarum.

« Miserationum Domini recordabor, laudem Domini, » subaudis prædicabo « super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum, » subaudis reddidit nobis Dominus. Loquitur Propheta ex persona Judaici populi pœnitentiam agentis, et misericordiam Domini erga se magnam cognoscentis, et beneficia ejus ad memoriam reducentis, quæ largitus est eis a die qua eduxit eos de ergastulo Ægyptiorum, et dicit : « Miserationum Domini recordabor, et laudem ejus prædicabo, super omnibus quæ reddidit nobis Dominus. » Cum dicit super omnibus quæ reddidit nobis, et prospera et adversa vult intelligi. Ac si diceret : Liberavit nos ex Ægypto, et transduxit per desertum in terram omnibus meliorem propter ineffabilem misericordiam suam, et duxit nos in Babylonem propter peccata nostra. Iterumque reduxit ad terram sua misericordia, in quibus omnibus justum eum prædicabo, et laudem ejus omnibus narrabo, qui secundum indulgentiam suam, id est, secundum largitatem misericordiæ suæ multa bona reddidit nobis. « Et dixit Dominus : Verumtamen populus meus es, filii non negantes, et factus est eis salvator. » Propheta loquitur : Cum vidisset (inquit) Dominus pœnitentiam eorum, dixit : Verumtamen populus meus es, Judaica plebs, de qua olim dixi : « Hæreditas mea Israel (*Isa.* XIX). » Et filii non negantes, id est filii mei erunt, si me spernere desierint, et si me non negaverint, et factus est eis salvator, subaudis quia credendo in eum veram pœnitentiam egerunt. Sin autem dixerimus filii non negantis, sicut quidam codices habent, erit sensus : Isti qui pœnitentiam agunt et in me credunt, filii sunt, subaudis populi non negantis, id est, filii patriarcharum et prophetarum, qui in me veraciter crediderunt.

« In omni tribulatione eorum non est tribulatus » subaudis salvator eorum. « Et angelus faciei ejus salvavit eos, » ut beatus Hieronymus dicit : Verbum est ambiguum apud Hebræos quod dicitur Io, quod significat non, vel et ipse. Et habetur apud eos isto in loco ubi ipse transtulit non est tribulatus. Quapropter dupliciter possumus hoc intelligere hoc modo : In omni tribulatione quam sustinuerunt in Ægypto vel in deserto, non est tribulatus, id est, non est compassus salvator eorum, ut eos ab omni angustia liberaret : sed parumper deseruit eos, subtrahendo auxilium suum ab eis, ut positos in tribulatione cogeret eos ad rogandum. Aliter : In omni tribulatione eorum et ipse est tribulatus, quia compassus est eorum injuriis atque miseriis, et misit eis angelum suum qui eos salvaret, secundum illud : « Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præcedet te (*Malach.* III). » Hic angelus Michael est intelligendus, qui præpositus est illi populo a Deo : juxta quod Danieli dicitur : « Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester, qui astat pro filiis populi tui (*Dan.* X). » Angelis autem faciei ejus dicitur, quia angeli semper faciem Dei vident, quia in præsentia Dei sunt. « In dilectione sua » subaudis qua dilexi eos « et in indulgentia sua, » id est, in largitate misericordiarum suarum. « Ipse redemit eos » ex Ægypto, et ex Babylone, vel etiam sanguine Filii sui « et portavit eos » subaudis, de Ægypto in terram repromissionis, secundum illud : « Extendit alas suas assumpsitque eos atque portavit in humeris suis (*Deut.* XXXII). » « Et levavit eos, » subaudis de miseria ad gloriam, « cunctis diebus sæculi, » id est ab exordio quo eos elegit in populum.

« Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt et affli-

xerunt Spiritum sanctum ejus, et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos » ante suum adventum a diversis gentibus, postea vero per Romam. Quod dicit afflixerunt Spiritum sanctum ejus, et in quibusdam libris habetur Spiritum sancti ejus, dupliciter potest intelligi. Si dixerimus Spiritum sanctum ejus, de Spiritu sancto erit intelligendum, de quo dicit Dominus: « Rogabo Patrem meum, et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum (*Joan.* XIV). » Vel etiam per sanctum Spiritum ejus possumus intelligere angelicum spiritum, qui contristatus est quando vidit eos a Deo per idololatriam recedere. Sin autem Spiritum sanctum ejus dixerimus, uno modo spiritum Mosi debemus intelligere, quem ipsi contristaverunt, secundum illud: « Et exacerbaverunt Mosen in deserto (*Psal.* CV). » Qui enim justum contristat, Spiritum utique Dei contristat qui est in eo: juxta quod dicitur per Prophetam: « Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei (*Zach.* II). » Quarto vero modo possumus ad Christi Spiritum referre et dicere, quia Christo veniente et prædicante, Spiritum sancti ejus afflixerunt nolentes in eum credere, id est Spiritum Christi, qui est sanctus et justus Filius Patris. Filius enim Dei qui nos redemit tempore passionis suæ, liberavit utique et Hebræos de mari Rubro. Sequitur: Et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit, illis recedentibus de viis ejus, et contra voluntatem ejus incedentibus, conversus est eis in inimicum de misericorde in immisericordem, et debellavit eos sæpe per hostes eorum, sicut in libro Judicum, aliisque historiis et libris propheticis abundantissime declaratur. Potest autem et hoc ad tempus incarnationis ejus referri, quando illis nolentibus credere in se conversus est eis in hostem, qui eorum infirmos sanaverat, mortuosque suscitaverat, et debellavit eos per Romanos quadragesimo secundo anno ascensionis suæ.

« Et recordatus est dierum sæculi Mosi populi sui. » Deus omnipotens qui de protectore mutatus in adversarium populo Judæorum, qui irritaverunt eum, et ad iracundiam provocaverunt: postquam debellavit eos per Romanos, recordatus est dierum sæculi, id est, recordatus dierum antiqui temporis, quando eduxit eos de Ægypto. Et recordatus est Mosi servi sui qui interpellavit pro eis in deserto dicens: « Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo (*Exod.* XXXII). » Recordatus est etiam populi sui qui salvatus oratione Mosi, dum eum vellet percutere usque ad internecionem. Idcirco autem horum recordatus est, quia non erat qui levaret pro eis orationem et a peccato infidelitatis eos liberaret, sicut quondam Mosi oratione et obtentu liberati sunt a flagello et ab errore idololatriæ. Sequitur: « Ubi est qui eduxit de mari cum pastoribus gregis sui? » Prævidens propheta Isaias abjectionem populi sui et miseriam atque afflictionem quæ eis imminebat, propter negationem Filii Dei, condolendo exclamabat dicens: Ubi est clementia omnipotentis Dei qui eduxit eos de mari Rubro cum pastoribus gregis sui, Mose videlicet, Aaron, Maria, et Hur, cæterisque senioribus? Sequitur: « Ubi est » subaudis magna et ineffabilis misericordia omnipotentis Dei « qui posuit in medio ejus, » id est, in medio populi sui « Spiritum sancti sui, » id est Filii sui, sanctum videlicet Spiritum paracletum, quando eduxit eos de Ægypto? Legimus, quia orante Mose tulit Dominus de spiritu eius, et dedit septuaginta viris (*Num.* XI): cujus rei in præsenti loco fit mentio. Permanet ergo in ipsa admiratione Propheta et compatiendo dicit: Ubi est etiam:

« Qui eduxit ad dexteram Mosen brachio majestatis suæ, » id est, ubi est pietas Domini qui eduxit Mosen de Ægypto ad dexteram, id est in prosperitate brachio majestatis suæ, sive protectione filii sui? Per dexteram siquidem prosperitas intelligitur, et per brachium verbum Dei Patris, vel protectionis ipsius Filius Dei.

« Ubi est, » subaudis potentia illius, « qui scidit aquas ante eos, » subaudis in duodecim partes, et aliis in locis, juxta illud: Qui divisit mare Rubrum in divisiones, « ut faceret sibi nomen sempiternum, » hoc est nomen ejus æternaliter laudaretur? Percutiente enim Mose mare divisum est in duodecim partes, aliisque tribubus hæsitantibus et timentibus ingredi, prima tribus Juda introivit (*Psal.* CXXXV). Quam ob causam regia tribus appellata est, quia ex illa reges eligebantur. « Ubi est qui eduxit eos per abyssos, » id est per profunditates maris, « quasi equum in deserto non impingentem, » id est sine impedimento incedentem?

« Quasi animal in campo descendens, » subaudis sine offensione: sic descenderunt et introierunt illi in terram sibi repromissam. Et quare ita tranquille ambulaverint, manifestat subjungens: « Spiritus, inquit, Domini ductor ejus fuit. » Spiritum autem isto in loco angelum debemus intelligere, qui ductor fuit illius populi, secundum quod Dominus ei promisit dicens: « Angelus meus præcedet te (*Exod.* XXXII). » Ex multis enim locis possumus colligere angelos appellatos esse spiritus, e quibus est illud: Qui facit angelos suos spiritus (*Psal.* CIII). Et in Actibus apostolorum: « Spiritus, inquit, Domini rapuit Philippum (*Act.* VIII). » Rursus in Epistola ad Hebræos: « Isti sunt administratorii spiritus, missi propter eos qui hæreditatis possident salutem (*Hebr.* I). » Sequitur:

« Sic adduxisti populum tuum, » subaudis de terra Ægypti, « ut faceres tibi nomen gloriæ tuæ, » id est ut nomen tuum glorificaretur et laudaretur æternaliter. Hac de re percussit Dominus Ægyptios multis plagis, et liberavit populum suum transducendo eum per mare et per terram inviam, in terram omnibus meliorem.

« Attende de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo et gloriæ tuæ. » Ex persona populi Judæorum, pœnitentiam agentis et peccatum suum cognoscentis, loquitur modo propheta, et dicit ad Deum: At-

tende de cœlo et miserere. Non debemusp utare Deum omnipotentem localiter et solummodo esse in cœlo: licet propheta dicat, « attende de cœlo et de habitaculo sancto tuo; » sed in cœlo et in terra illum esse. Secundum quod ipse dixit : « cœlum et terram ego impleo, » et etiam intra omnia, extra omnia esse. Sicut beatus Gregorius dicit : Implendo, inquiens, omnia circumdat, et circumdando omnia implet : præsidendo sustinet, sustinendo præsidet. Et cum totus ubique sit per plenitudinem divinitatis suæ, datur tamen habitaculum et locus ejus esse in his quæ sanctiora sunt : secundum quod ipse dicit : « Cœlum mihi sedes est (*Isa.* LXVI). » Et Psalmista : « Qui habitat, inquit, in cœlo, irridebit eos (*Psal.* II). » Ubicunque enim fit voluntas ejus, ibi est habitaculum et domus Dei : præcipue in angelis quorum conversatio in cœlestibus est, et in sanctis hominibus qui manentes in terra corpore, cœlestia mente contemplantur. Quod ergo dicit propheta ex persona populi loquens, attende de cœlo et vide de habitaculo sancto tuo, sensus est : « Attende de cœlo et de habitaculo sancto tuo et gloriæ tuæ, et vide, » id est, miserere. Videre enim Dei misereri est, juxta illud : Videns vidi afflictionem populi mei, id est, vidi et misertus sum.

« Ubi est zelus tuus, » id est amor tuus quo dilexisti nos et patres nostros? « Et fortitudo tua, » subaudis ubi est, in qua eduxisti patres nostros ex Ægypto? « Multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum, » subaudis ubi est? « Super me continuerunt se » zelus, videlicet fortitudo atque miseratio. Zelus duplicem habet sensum, sicut sæpissime multis in locis dictum est. Est enim zelus malus, invidiæ et fervor malitiæ. Et est zelus amor bonus, et fervor dilectionis Dei et proximi, de quo hic agitur, id est de zelo amoris. Viscera sunt interiora ventris. Et ideo per viscera non immerito affectus dilectionis in hoc loco intelligitur. Ubi est, inquit, affectus nimiæ dilectionis, quo nos dilexisti? Sequitur :

« Tu enim Pater noster, » id est Creator noster; « et Abraham nescivit nos et Israel ignoravit nos, » id est non cognovit nos esse filios suos, quos a Deo suo intelligunt non amari. Patres justi et sancti dicuntur ignorare post mortem filios suos malos, quos vident a Deo recedere et sua vestigia non sequi : quia non interpellant Deum pro ipsis, neque enim exaudirentur, neque possent liberare eos a vindicta omnipotentis Dei, sicut ad Jeremiam Deus loquitur : « Noli, inquit, orare pro populo isto, quia non exaudiam te (*Jer.* VII). » Manifestum est enim filios perversos et a Deo recedentes, oratione et interpellatione patrum non posse salvari : licet ipsi patres justi fuerint. Unde Dominus ad Ezechielem loquitur dicens : « Vivo ego, dicit Dominus; quia si fuerint tres viri isti in medio Hierusalem, Noe, Daniel et Job, filium et filiam non liberabunt; sed ipsi soli justitia sua liberabunt animas suas (*Ezech.* XIV). » Quia ergo isti peccatores erant, et a via Dei recessisse cognoscebantur, dicunt : Abraham et Israel, id est Jacob, ignorant nos filios esse suos, ad hoc ut pro nobis A orationem fundant. Sed quæstio oritur isto in loco : Quare Abraham et Israel, id est Jacob, nomen posuerit, et Isaac medium intermiserit? Ad quod dicendum, quia per prima et ultima etiam media intelligimus. Cum enim dixit Abraham et Israel, in his duobus Isaac quoque in medio comprehendit : et non solum illum, sed etiam alios sanctos patres præcedentes. « Tu, Domine, Pater noster, » id est Creator, « Redemptor, » subaudis noster, qui nos redemisti de Ægypto; « a sæculo nomen tuum, » subaudis, sanctum permanet.

« Quare errare fecisti nos, Domine, de viis tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te? » Deus omnipotens, cum neminem faciat errare et a via rectitudinis deviare, et cum nullius hominis cor induret : dicitur tamen facere errare et indurare cor hominis, cum non revocat ab errore, et cum a duritia cor illius non emollit. Sicut de Pharaone dicitur (*Exod.* IV, X et XI), quod induravit Dominus cor ejus, id est non emollivit. Eo modo loquuntur isti dicentes, quare permisisti nos errare, Domine, de viis tuis, id est in mandatis et judiciis tuis? Et quare permisisti indurari cor nostrum, suspendendo flagella, ne timeremus te? (*Prov.* III.) Sciremus utique zelum tuum, id est amorem tuum, nobiscum esse, secundum illud : « Quem diligit Dominus corripit, flagellat omnem filium quem recipit. » Quibus vero vehementer est iratus, a percutiendo manum suspendit in præsenti, ut in futuro remunerationem recipiant suæ iniquitatis. Unde quibusdam dicit : « Non visitabo, inquiens, super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super filios vestros cum adulteraverint (*Ose.* IV). » « Revertere propter servos tuos, » subaudis patres nostros, Abraham, Isaac et Jacob, qui modo ignorant nos, videntes nos a te non amari, « et propter tribus hæreditatis tuæ. » Revertere, inquit, id est redi ad nos ad misericordiam tuam : et hoc non nostris meritis promerentibus; sed propter tuam misericordiam exuberantem, et propter servos tuos patres nostros qui tibi placuerunt. Quorum filii sumus per carnem, licet ab illis non cognoscamur propter iram peccati.

« Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum, hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam : facti sumus sicut in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen super nos. » Quasi nihilum, inquit, id est sine reluctatione nostra, et sine suo labore possedere nos hostes nostri, Chaldæi videlicet atque Romani : conculcaverunt sanctificationem tuam, id est templum sanctum tuum, tam Babylonii quam Romani : factique sumus sicut in principio cum non dominareris nostri, id est antequam vocaremur in Abraham, quia Thare idola coluit quondam : vel quando eramus in Ægypto colentes idola, non habentes regem, neque principes, neque prophetas, sed eramus sine Deo, et sine lege, et sine sacerdote. Hæc licet ex parte ante Domini adventum completa sint, omnia tamen post Domini passionem impleta sunt : et quotidie implentur dum

manet super illos illa maledictio, quam sibi imprecati sunt dicentes : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » Quandiu enim in vetustate legis permanserint, et Evangelii veritatem non receperint, nequaquam populus Dei vocabitur, ut a Christo Christianus nuncupetur.

CAPUT LXIV.

« Utinam dirumperes cœlos, et descenderes. A facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent atque arderent igni. » Sive secundum Symmachum, aquæ de mari arderent igni « ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis. A facie tua gentes turbarentur » subaudis, si descenderes. Prævidens propheta Isaias Spiritu sancto sibi revelante adventum Domini futurum, mysterium scilicet incarnationis Filii Dei, et abjectionem populi sui, et vocationem gentium, loquitur ex persona sua et omnium sanctorum patriarcharum et prophetarum, adventum illius desiderantium : Utinam dirumperes, Domine, cœlos et descenderes, id est, utinam aperires cœlos, et descenderes de sinu paternæ majestatis (in quo inaccessibilis et invisibilis es nostris aspectibus), et te incarnatum atque visibilem humanis aspectibus ostenderes. Et ipso amore ardebat Psalmista, cum dicebat : « Excita, Domine, potentiam tuam, et veni (*Psal.* LXXIX). » Ex hoc desiderio flagrabat patriarcha Abraham, de quo Dominus dixit Judæis : « Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum (*Joan.* VIII).» Similiter omnes sancti ab initio mundi, qui Domini adventum in carne futurum, Spiritu sancto revelante cognoverunt : et desideraverunt eum venire et videre, sicut ipse Dominus dixit apostolis : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quia multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt (*Matth.* XIII), » etc. Tamen cum dicit propheta, « utinam dirumperes cœlos et descenderes, » non debemus putare Deum localiter habitasse, sed credere debemus (sicut auctores dicunt) illum ubique esse, et ubi erat ibi assumpsisse carnem, quia ubique totus erat. Cœlum autem appellavit plenitudinem paternæ majestatis, in qua ipse æqualis est Patri. Et quasi tunc descendit, quando humiliavit semetipsum suscipiendo carnem. Videamus quod subjungat propheta. Si (inquit) aperires cœlos et descenderes, a facie tua, id est a præsentia tua, montes defluerent, hoc est dæmones et Judæi atque omnes qui, tumore superbiæ inflati, adversus scientiam Dei se erigunt, et propter superbiam montes appellantur, a præsentia tua deficerent. Et tabescerent, id est consumerentur, sicut exustio ignis, hoc est sicut ligna et stipulæ consumuntur ab igne. Atque arderent ipsi montes igni, id est, sententia tua consumerentur, quod in die judicii adimplebitur : cum audierint omnes reprobi : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXVI). » Et hoc quare? Ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis per potentiam tuam, dæmonibus scilicet, Judæis atque omnibus adversariis, quod Jesus sit nomen tuum. Sin autem legerimus secundum quod Symmachus translulit, et aquæ maris arderent igni : per aquas debemus intelligere populos hujus mundi, qui significantur per mare, in quibus consumpta est infidelitas ab igne Spiritus sancti, de quo dicit Dominus : « Ignem veni mittere in terram (*Luc.* XII) : » et inflammata est dilectione Dei et proximi. Notumque factum nomen est inimicis illius Judæis, quod Jesus vocaretur, id est Salvator, qui salvavit populum in se credentem. Quod autem sequitur, a facie tua gentes turbarentur, et in alia translatione habetur commovebuntur, ad fidem gentium pertinet, quarum corda mota sunt ad pœnitentiam, et de errore ad fidem, quæ antea immobilia in infidelitate manebant.

« Cum feceris mira, non sustinebimus. » Considerans propheta lapideum cor Judæorum, et prævidens eorum duritiam atque blasphemiam, dixit ex persona infidelium : Cum feceris (inquiens) mirabilia multa in terris tempore incarnationis tuæ, non patienter sustinebimus. Quod ex multis locis sancti Evangelii possumus approbare, in quibus narratur Judæos semper Domini miraculis obstitisse, et paratos esse ad blasphemandum. Et quasi jam exauditus esset propheta ex hoc quod paulo superius exclamaverat dicens, « utinam dirumperes cœlos et descenderes, » subjunxit dicens : « Descendisti, » id est, « Verbum caro factum est, » « et a facie tua,» id est a præsentia tua « montes defluxerunt,» id est, dæmones et Judæi crediderunt, potestatem et gloriam amittentes quam habebant in hoc mundo. Unde Dominus de diabolo dicit : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII). » Et de Judæis : « Tolletur a vobis regnum Dei (*Matth.* XXI), » id est, sacra Scriptura, et omnis gloria sive dignitas. Sequitur : « A sæculo non audierunt, » id est, ab initio sive ab exordio mundi, « neque auribus, » subaudis corporis, « perceperunt, » subaudis bona, « quæ præparasti sanctis tuis. » « Oculus, » subaudis humanus, « non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.» Auris non audivit, quia non est ibi sonus. Oculus non vidit, quia non est ibi corpus neque color. In cor hominis non ascendit, quia cor nostrum illuc dirigi debet. Quæ sunt ergo illa bona, quæ præparavit Deus electis suis? Utique semetipsum, id est, cognitionem totius Trinitatis, sicut ipse Filius dixit : « Hæc est (inquit) vita æterna, ut cognoscant te verum solum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII). » Hæc certe sunt præmia et gaudia vitæ æternæ, quæ nemo electorum videt manens in corpore, sicut idem Filius dixit : « Deum nemo vidit unquam (*I Joan.* IV), » subaudis sicuti est. Qui ergo videbunt eum? « Beati mundo corde (*Matth.* V). »

« Occurristi lætanti et facienti justitiam, in viis tuis recordabuntur. » Hoc duplici modo potest intelligi. Occurristi lætanti et facienti justitiam de tuo adventu, ut Simeoni quadragesimo die nativitatis

tuæ. In viis tuis, id est in præceptis tuis, recordantur electi tui (*Luc.* II), ut idem Simeon, et Anna vidua, aliique fideles. Aliter : Occurristi, id est, subvenisti, et auxilium præbuisti lætanti de te et confidenti, et facienti justitiam, ut David et Judæ Machabæo. « Ecce tu iratus es et peccavimus, in ipsis fuimus semper et salvabimur. Et facti sumus ut immundus omnes nos, quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. » Ex persona populi Judæ loquitur, qui noluit transire ad veritatem Evangelii, Domino prædicante. Et positus in tribulatione, pœnitentiam præferebat in voce, quam non habebat in opere. Et est ordo præposterus, cum dicit, ecce tu iratus es, et nos peccavimus. Prius enim nos peccavimus, et peccando provocavimus eum ad vindictam. Neque quia ille iratus est nos peccavimus, et in peccatis fuimus semper, et salvabimur tua gratia non nostris meritis, et facti sumus omnes ut immundus, id est, sicut leprosus aut pollutus alia re. Et universæ justitiæ nostræ circumcisio, scilicet immolatio agni, observatio sabbati, postquam venit gratia Evangelii, factæ sunt immundæ quasi pannus menstruatæ mulieris, quo nihil est immundius. A luna quæ hebraice vocatur mene, dicuntur menstruatæ mulieres, quæ singulis mensibus solent fluxum sanguinis pati, quibus diebus observare se debet unusquisque vir ab uxore sua. Ex illo enim concubitu plerumque, Deo permittente, nascuntur parvuli debiles et membris contracti, ut quia patri et matri non fuit verecundia tempore menstruo ad concubitum in conclavi misceri, simul ipsi suam verecundiam palam omnibus videant. Sicut ergo pannus menstruatæ mulieris immundus reputatur ab omnibus, ita modo observatio legis quam Judæi carnaliter impleverunt, postquam data est gratia Evangelii, velut immunda reputata est. Sequitur :

«Et cecidimus» sub gladio Romanorum «quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. » Ventus in sacra Scriptura varias habet significationes. Aliquando enim significat commotionem aeris, ut illud : « Imperavit ventis et mari (*Luc.* VIII). » Aliquando Spiritum sanctum, ut in Actibus apostolorum : « Factus est (inquit) repente sonus tanquam advenientis spiritus vehementis (*Act.* II). » Spiritus ibi pro vento ponitur. In significatione Spiritus sancti aliquando significat tentationem dæmonum et malorum hominum, ut in Evangelio : Venerunt flumina, flaverunt venti (*Matth.* VII), id est tentatio dæmonum vel hominum, in qua significatione etiam in præsenti loco ponitur : Cecidimus (inquiunt) gladio Romanorum universi, quasi folium. Et iniquitates nostræ, id est, peccata nostra et negatio in te, quasi ventus abstulerunt nos, id est, tentatio dæmonum et Romanorum persecutio abstulerunt nos a præsentia tua, et a terra nostra, sicut aufert ventus folia de arboribus.

« Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te. » Non est, subaudis modo aliquis ex nobis, qui invocet nomen tuum corde, ore et opere, A qui consurgat ad orationem veram, et teneat te ne effundas furorem tuum super nos, ut olim Moses surrexit, et tenuit te suis precibus (*Exod.* XXXII). «Abscondisti faciem tuam,» id est præsentiam et auxilium tuum « a nobis. Et allisisti nos, » id est, percussisti et afflixisti « in manu, » hoc est in operatione iniquitatis et perfidiæ nostræ. Iniquitas et omnia peccata manus habent, id est operationem, per quam nos strictos tenere desiderant. Unde dicit : « Mors et vita in manibus linguæ (*Prov.* VIII). »

« Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum, et fictor noster tu » qui olim dignatus es dicere : « Dimitte filium meum Israel (*Exod.* V). » Et : « Filios genui et exaltavi (*Isa.* I). » Nos vero lutum, id est terra, et ex eadem stirpe descendentes. Tu es fictor noster, id est plasmator noster, et opera manuum tuarum omnesque nos, ideoque non possumus resistere potentiæ tuæ. Et est sensus : Non de nostris meritis præsumentes, quæ nulla sunt, talia dicimus, sed de tua clementia et miseratione præsumentes, audemus preces fundere. « Ne irascaris, Domine, satis, et ne ultra memineris iniquitatis nostræ. Ecce respice, populus tuus omnes nos. » Ne irascaris, Domine, satis, id est nimis, vel ultra quam ferre potest nostra fragilitas : et ne ultra memineris iniquitatis nostræ. Ecce, respice ad nos, et attende misericordiam tuam : populus tuus quondam fuimus omnes nos.

« Civitas sancti tui facta est deserta Sion, deserta facta est Hierusalem, desolata domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. » Civitas sancti tui, hoc est sanctuarii tui vel templi tui, facta est deserta Sion a te. Sion et Hierusalem, licet duo nomina sint, tamen unam significationem habent isto in loco, id est templum et civitatem significant, ubi quondam fuit speculum et visio pacis. Sed postquam Dominum negavit populus Judæorum, deserta facta est Hierusalem a Deo, juxta quod Salvator eis dixit. In historia ecclesiastica dicitur : quæ auditæ sint voces in templo dicentes : Transeamus ab his sedibus. Domus sanctificationis nostræ quæ nos sanctificabat, ubi immolabamus et offerebamus sacrificium, desolata est a te, et domus gloriæ nostræ, in qua gloriabamur. Domus ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, succensa est a Roma, et omnia desiderabilia nostra, id est sancta sanctorum, etc., quæ ad honestatem pertinebant, versa sunt in ruinas. Domus Dei generaliter sancta Ecclesia est, specialiter vero unusquisque fidelis, qui tunc igni et incendio traditur, quando luxuriæ et avaritiæ æstibus deservit.

« Nunquid super his continebis te, Domine, tacebis et affliges nos vehementer ? » Nunquid super his miseriis nostris continebis te, Domine, ut non impendas nobis misericordiam ? Nunquid tacebis, id est nunquid manebis in hac duritia, ut affligas nos vehementer?

CAPUT LXV.

« Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me. » Vox Filii Dei ad hoc quod illi superius dixerant, quare errare nos fecisti in viis tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te? respondit ille et dixit : Quæsierunt me gentiles per fidem, qui antea non interrogabant, id est qui antequam venirem in carne, non rogabant neque invocabant, invenerunt me misericordem ad se suscipiendos, qui non quæsierunt me antea. Et de quibus scriptum est : « Quibus non est annuntiatum de eo videbunt, et qui non audierunt intelligent me (*Isa.* LII); » et est sensus : Si illi qui me antea non quæsierunt invenerunt misericordem et clementem, id est gentiles, quare vos me tam inclementem et immisericordem invenistis? Subaudis : quia qui legem die noctuque meditamini, ad iracundiam provocastis recedendo a me, et propter vanam gloriam jactatis pœnitentiam in voce, cujus opera non facitis. Quomodo invenerunt ergo gentiles? vide centurionem, de quo Dominus dixit : « Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni (*Matth.* VIII). » « Vide mulierem Chananæam et crede (*Matth.* XV). » Propterea ergo quia gentiles voluntate plena venerunt ad fidem Domini, meruerunt ut de eis ipse diceret : « Populus quem non cognovi servivit mihi (*Psal.* XVII), » et cætera : « Dixi : Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non invocabat nomen meum. » Vox Filii Dei. Ecce ego, ecce ego, subaudis qui olim locutus sum ad Moysen, dicens : Ego sum qui sum, ad gentem quæ nesciebat me, et quæ non invocabat nomen meum.

« Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur via non bona post cogitationes suas. Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper : qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres : qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt. » Quod dicit; Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, et ut in Septuaginta subjungitur, et contradicentem, tripliciter potest intelligi : Expandi manus meas tota die pendens in cruce, ad populum incredulum, qui, cum pro illis orarem dicens ad Patrem : « Pater, ignosce illis (*Matth.* XXVII), » noluerunt credere in me, sed contradixerunt mihi dicentes : Vah qui destruis templum Dei; aliter : Expandi manus meas, ut eos reciperem et collocarem in sinu meo, sed ipsi semper increduli et contradictores exstiterunt; dicamus et tertio modo : Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, id est omnium beneficiorum meorum dona libenter præstiti eis a tempore quo eduxi eos de Ægypto propter merita parentum usque dum veni in carne. Et postquam veni, etiam non distuli adimplere quibus egebant, sanando illorum infirmos, et saturando eos de panibus meis, legisque secreta ac prophetarum quæ eis occulta erant aperiendo, et ad patriam cœlestem vocando (*Joan.* VI). Illi autem semper increduli et contradictores exstiterunt, dicentes : « In Beelzebub ejicis dæmonia (*Matth.* XII); » et : « Dæmonium habes (*Joan.* VIII), » cæteraque hujuscemodi : et ambulaverunt viam non bonam, relinquentes me qui eis dixi : « Ego sum via (*Joan.* XIV). » Et gradientes per latam et spatiosam quæ ducit ad mortem (*Matth.* VII), et post cogitationes suas pravas, non post Domini culturam. Populus, inquam, hoc fecit qui ad iracundiam, id est ad vindictam provocat me : ante faciem meam semper, hoc est in præsentia mea et in conspectu meo : quia omnia opera cogitationis, locutionis et operationis, non latent oculos meos : vel in facie mea, id est in templo, ubi meam sæpe exhibui præsentiam, idola sua posuerunt, ut in Ezechiele plenissime habetur. Et non solum in templo coluerunt idola, sed etiam super colles et montes, et in hortis immolaverunt diis alienis, jungentes idololatriæ luxuriam, et pro uno altari quod erat in templo Domini ex politis lapidibus constructum, secundum præceptum legis, ædificaverunt plura altaria ex coctis lateribus et ex cespitibus agrorum : sicque desuper sacrificaverunt dæmonibus. Ac ne aliquid mali deesset quod ipsi non implerent, habitabant in sepulcris, hoc est, in domunculis mortuorum : quia super sepulcra Judæorum dormiebant incubantes super pelles hostiarum, ut somniis auguria caperent. Delubra autem proprie erant templa in quibus erant fontes vel rivi, in quibus lavabantur hostiæ, et mundabantur sacerdotes : et vocabantur delubra a deluendo hostias, sive quia animæ mundationem putabant se ibi consequi, vel a debriando, eo quod sæpe soliti ibi essent debriari, et otiosa quæque agere, quæ a rectitudine viæ eos longe reddebant. Sequitur. « Qui comedunt carnem suillam, » id est, porcinam contra legis præceptum, « et jus profanum, » hoc est, immundum « in vasis eorum. » Unde tam ipsi quam vasa eorum immunda erant. Fanum est templum ubi religio agitur; inde dicitur profanus, quasi porro a fano, id est a religione.

« Qui dicunt : Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. » Tanta superbia erant illi immundissimi repleti, ut dicerent non adoranti idola et carnes suillas non manducanti : Recede a nobis, quia immundus es. « Isti, » subaudis qui talia agunt, qui immolant in hortis et comedunt carnes suillas, et cum sint immundissimi et omni spurcitia pleni, dicunt justo : Recede a nobis, « fumus, » id est nihil, « erunt in furore meo, » sive in ultione mea. « Ignis ardens, » subaudis eos apud inferos : « tota die, » hoc est, semper.

« Ecce scriptum est coram me, » id est in conspectu meo, subaudis quod ipsi faciunt : « Non tacebo, sed reddam et retribuam in sinu eorum iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificaverunt super montes et super colles, et exprobraverunt mihi, et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. » Ille qui superius dixerat : Tacui, semper silui, patiens fui, modo dicit non tacebo, hoc est non parcam amplius neque sustinebo iniquitates eorum, et retribuam et reddam iniquita-

tes eorum in sinu eorum, et iniquitates patrum eorum idololatrarum. Per sinum debemus intelligere principale mentis, sicut in Osee (*cap.* IV) dicitur : « Hæc est detractio ipsorum in sinu eorum, » id est in mente ipsorum. Qui sinus propter animæ principale alio nomine appellatur ut illud : Vias eorum reddam in capite eorum. Iniquitates, inquit, eorum et iniquitates patrum illorum idololatrarum, qui sacrificaverunt super montes filios suos, et super colles exprobraverunt mihi, hoc est qui contumeliam mihi fecerunt me derelinquendo, et honorem meum idolis retribuendo : reddam et retribuam in sinu eorum, hoc est in principale mentis eorum, ut eos propria torqueat conscientia. Et remetiar, hoc est reddam, opus eorum primum in sinu eorum, id est qualia fecerunt, talia recipient; primum in anima vel in penetrabili corde, ut est homo, deinde post diem judicii in corpore et in anima, ut exterius igni perpetuo exurantur, et interius propria conscientia crucientur, secundum quod idem propheta dicit alio in loco : « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (*Isa.* LXVI). » Sed quæri potest isto in loco, cum Deus omnipotens dixerit : « Pater non portabit iniquitatem filii, nec filius iniquitatem patris (*Ezech.* X) : » quare modo dixerit iniquitates patrum eorum reddam in sinu eorum? Ad quod dicendum, quia patres non intelliguntur hic solummodo de quorum semine corpora sumpserunt, sed quorum opera imitati sunt. Cujus enim opera quis facit, et quem imitatur, procul dubio et filius est non per naturam, sed per imitationem. Tale est ergo ac si diceret : Iniquitates patrum eorum reddam eis, id est quæ illi sustinent opera imitati sunt, eadem sustinebunt et isti. Sequitur.

« Hæc dicit Dominus : Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur : Ne dissipes illud, quoniam benedictio est : sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. » Minatus est Dominus populo Judæorum se redditurum iniquitates eorum, et iniquitates patrum illorum : et post intulit, sub similitudine vel comparatione, bonos non esse perdendos propter malos : Verbi gratia, sicut Abraham liberatus est de Ur Chaldæorum, Noe et filii ejus per diluvium ex omni mundo salvatus est, et Loth a Sodomis. Quomodo ergo si inveniatur granum unum illæsum et incorruptum in botro, sive in racemo post tempestatem, et dicat aliquis illi qui voluerit tangere : Ne tangas, sed permitte ut crescat, quia Domini benedictio est, id est Domino placuit, ut ex multitudine botrorum istud unum granum remaneret : sic faciam ego ex innumerabili multitudine Judæorum. Qui hæreditabunt (inquit) eam, hoc est Hierusalem vel Ecclesiam, electi mei apostoli videlicet, et servi mei sequaces eorum habitabunt ibi. Si paucos invenero justos, liberabo eos. Et hoc faciam propter servos meos Abraham, et Isaac, et Jacob, et cæteros sanctos, vel propter eos qui illorum imitatores sunt.

« Et educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos. » Semen Jacob et Judæ dupliciter possumus intelligere, Christum videlicet qui de semine et stirpe Jacob descendit de tribu Juda, de quo dixit Jacob : « Non deficiet princeps ex Juda neque dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est, » qui possedit montes (*Gen.* XLIX) : hoc est apostolos, de quibus dicit Psalmista : « Levavi oculos meos ad montes. Et montes in circuitu ejus (*Psal.* CXX), » et cætera hujusmodi. Aliter : Et educam de Jacob semen, hoc est chorum apostolorum, de quo dicit idem propheta : « Nisi Dominus reliquisset nobis semen, et reliquiæ salvæ fient (*Isa.* I). » Et de Juda possidentem montes meos, id est alios credentes, quos ipsi apostoli Domino acquisierunt. Vel sicut in Septuaginta habetur, possidentem montem meum, hoc est Christum, qui est mons montium, de quo dicitur : « Hic est mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo (*Psal.* LXVII). » De Juda enim exierunt apostoli, hoc est de progenie Judæorum, qui possederunt Christum, quia in ipso fundati fuerunt. Et qui possederunt alios montes, hoc est martyres et eorum sequaces. « Et hæreditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi. » Ecclesia hæreditas Christi est, et filii sui omnes, videlicet credentes, hæreditant eam. De hac hæreditate dicit Psalmista : « Tu hæreditabis (inquiens) in omnibus gentibus (*Psal.* LXXXV). » Et Pater ad eum : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam. »

« Et erunt campestria in caulas gregum. Et vallis Achor in cubile armentorum populo meo qui requisierunt me. » Ubi hic habetur erunt campestria in caulas gregum, in alia translatione habetur Saronas, quæ est regio inter Joppen et Lipidam atque Jagniam, in qua sunt campestria fertilissima et pascendis gregibus apta; sed abundant latronibus, unde et interpretatur *vallis effundens sanguinem*, quia multus sanguis viatorum et transeuntium ibi effusus est a latronibus. Vallis Achor ipsa est ubi Acham, filius Carim, qui furatus est de anathemate et de spoliis Jericho, periit cum omni domo sua. Et quia ibi turbavit populum, sic ei dixit Josue : « Exturbet te Dominus, quia conturbasti nos, et ibi periit (*Josue* VII). » Vocatur locus ipse vallis Achor, id est vallis turbationis vel tumultus. Per hæc autem duo nomina, hoc est per Saronas sive Saron, quæ interpretatur *vallis effundens sanguinem*, et Achor quæ interpretatur *vallis turbationis* sive *tumultus*, significatur gentilitas, quæ plena erat effusione sanguinis, et in tumultu et turbatione vitiorum manebat. Sed versa est in caulas sive in ovilia gregum et in cubile armentorum, hoc est in ecclesias et in requiem prædicatorum aliorumque fidelium, qui designantur per armenta et per greges ovium, sicut paulo post manifestat, dicens : Populo credenti in me, qui requisierunt me. « Et vos, » subauditur Judæi, « qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, » hoc est templum quod in monte erat constructum, vel cœlestem Hierusalem : vel qui noluistis credere in Christum, qui est mons montium; « qui ponitis Fortunæ mensam, et libatis super eam,

numerabo vos in gladio, » hoc est in supplíciis, « et omnes in cæde, » subauditur Chaldæorum, Romanorumque, vel dæmonum, « corruetis. » Per gladium hic et cædem debemus intelligere supplicium et pœnas quibus ipsi traditi sunt. Non enim omnis populus Israel gladio Chaldæorum vel Romanorum peremptus est; sed fame, captivitate et duro servitutis jugo afflictus est, sub quibus etiam adhuc detinetur. Quidquid enim cruciat, quidquid affligit, quidquid punit, gladius Dei dicitur. Quod autem dicit : qui ponitis Fortunæ mensam et libatis super eam, in alia translatione habetur, qui paratis Fortunæ mensam. Fortuna autem dea erat apud Ægyptios, quæ dicebatur etiam dea felicitatis; cujus festivitatem in fine anni celebrabant, offerentes ei mensam refertam, et plenam epulis varii generis : necnon etiam poculis mulso mixtis, vel quia præteritum annum fertilem et felicem eis reddiderat, vel ut in futuro anno similiter ageret. Hoc autem faciebant et Israelitæ, omnium pene simulacrorum portenta venerantes. Et dum debuissent Domino sacrificare, idolis immolabant. « Pro eo quod vocavi, et non respondistis; locutus sum et non audistis; et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui, elegistis. » Vocavi (inquit) vos per prophetas, dicens : « Convertimini ad me et salvi eritis (*Isa.* XLV); » vocavi per memetipsum dicens : « Pœnitentiam agite, et venite ad me omnes qui laboratis, et ego vos reficiam (*Matth.* IV, XI) : » et non respondistis sequendo et obediendo. Locutus sum per prophetas promittendo bona, et minando mala; et locutus sum per memetipsum in parabolis et palam, et non audistis auribus mentis, vel non obaudistis : et faciebatis malum in oculis meis, hoc est in præsentia mea, vel in templo meo adorantes idola, et quæ nolui elegistis, hoc est idololatriam.

« Propter hoc hæc dicit Dominus Deus : Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis. » Ista comestio et potatio spiritualiter est intelligenda, non de cibo qui perit, neque de potu qui transit. Cibus iste et potus tripliciter potest intelligi hoc modo; in præsenti comedunt et bibunt servi et electi Dei corpus et sanguinem Domini, sine qua perceptione nemo potest venire ad vitam æternam, juxta quod Dominus dicit : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI); » reficiuntur etiam in præsenti doctrina et mysteriis spiritualibus sacræ Scripturæ, quæ in quibusdam locis est cibus, in quibusdam potus; tertio autem modo reficientur in futuro visione omnipotentis Dei, de qua refectione dixit Dominus apostolis : « Vos (inquit) estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo (*Luc.* XXII). » Et alibi : « Qui credit in me non esuriet, et qui venit ad me non sitiet unquam (*Joan.* VI). » De hac etiam saturitate dicebat Psalmista : « Saturabor dum manifestabitur A gloria tua (*Psal.* XVI). » Sin autem hoc secundum litteram de simplici pane acceperimus, non possumus illud plene comprobare, quoniam multi sanctorum mortui sunt tempore persecutionis, fame et egestate premente. Quanti enim justi esuriunt, et impii crudelitatibus distenduntur? Est ergo isto in loco sensus : Non solum in gladio corruetis vos, Judæi, qui dereliquistis Dominum, et fecistis malum in conspectu ejus, et præsentem noluistis audire; sed multam inter vos et gentium multitudinem faciam differentiam, ut illi in præsenti sæculo saturentur corpore et sanguine meo et doctrina spirituali, et in futuro visione totius Trinitatis.

« Ecce servi mei lætabuntur, » subauditur in æterna beatitudine, secundum illud : « Videbo vos et B gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). » « Et vos confundemini, » id est erubescetis in peccatis vestris, videntes alios in locum vestrum successisse. « Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, » secundum quod Psalmista dicit : « Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* VIII); » « et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis, » subauditur in pœnis inferni. Sicut scriptum est : « Ibi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* XIII). » Tunc autem gaudebunt sancti, et ululabunt peccatores præ contritione spiritus, id est præ dolore cordis quem habebunt intrinsecus, quando sederint agni gentium atque justorum ad dexteram, et hædi Judæorum aliorumque C impiorum a sinistris (*Matth.* XXV).

« Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis : et interficiet te Dominus Deus tuus, et servos suos vocabit nomine alio. » Aliis (inquit) in locum vestrum succedentibus, dimittetis nomen vestrum jam damnatum, in juramentum electis meis. Verbi gratia propter vestram malitiam vos detestantes, cum voluerint aliquid jurare, dicent : Si mihi non eveniat ita ut Judæis damnatis, et a Romanis interfectis, non feci hoc vel illud. Vel aliter : quia sanctus sermo Christianorum et Deum colentium ita debet esse firmus, ut pro juramento accipiatur. Jurabunt, hoc est confitebuntur se credere in Deum, ne similia patiantur, dicentes : Juro, hoc est credo in Deum omnipotentem, sicut D quidam Judæorum olim crediderunt prophetæ, videlicet aliique justi; vel quia Deus juramentum eorum erat, nos modo necessitate compulsi in eo juramus, sicut illi olim dicentes : Vivit Dominus si feci istud; vel relinquetis nomen vestrum electis meis, ut sicut vos quondam appellati estis filii Abraham et Jacob, ita et illi juxta quod præcursor Joannes dixit : « Potens est Deus de lapidibus, » hoc est de gentibus, « suscitare filios Abrahæ (*Matth.* III). » Et interficiet (inquam) te Dominus Deus tuus, non gladio materiali, sed sententia et judicio suo damnabit te æternaliter. Et servos suos gentiles vocabit nomine alio, ut a Christo Christiani dicantur.

« In quo » subauditur nomine, vel in Christo,

« qui benedictus est super terram ; » hoc est, qui benedictus fuerit ut Christianus vocetur, et ipsum nomen bene custodierit in hac terra, « benedicetur in Deo amen. » Qui (inquit) hic benedictus fuerit, benedicetur in futuro cum omnibus electis, audiens a Domino : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV). » De qua benedictione dicit etiam Apostolus : « Filii, in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis (*I Petr.* III). » Amen autem in hoc loco sonat fideliter et veraciter, quia illi qui benedicentur a Domino, fideliter et veraciter benedicentur. « Et qui jurat in terra, jurabit in Deo amen. » Amen juramentum est Domini, hoc est confirmatio sermonis illius pro quo nos modo dicimus : verum, verum. Qui (inquit) jurat in terra, id est qui veritatem loquitur in præsenti, jurabit, id est loquetur B in Deo fideliter et veraciter in die judicii in manifesta revelatione, quia semper Dominum benedicent. Et laudem ejus resonabunt : » juxta illud Psalmographi : « Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII). » « Quia oblivione traditæ sunt angustiæ priores, et quia absconditæ sunt ab oculis nostris. » Hoc ad diem judicii pertinet. Omnia siquidem tormenta et flagella qui sancti in hoc sæculo pro Christi nomine pertulerunt, cum receperint plenitudinem præmiorum in die judicii, et viderint Dominum sicuti est, pro nihilo deputabunt illa omnia quæ sustinuerunt ad comparationem gloriæ suæ, et quasi in oblivione habebunt, non oblivione memoriæ, sed suorum cessione bonorum. Nam neque la'orem ullum qui ibi fuerint C videbunt, neque sentient, secundum quod in Apocalypsi dicitur : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit (*Apoc.* XXI), etc. » Sic et in hoc loco dicitur, quia oblivioni traditæ erunt angustiæ priores, id est tribulationes quibus hic sancti tribulari possunt, et quia absconditæ erunt a præsentia nostra. Jungit se propheta sanctorum numero, quia ipse multa pertulit adversa injuste, intantum ut lignea serra secaretur.

« Ecce enim ego creo cœlos novos et terram novam : et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor; sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo. » Jam sæpe multis in locis diximus superius, cœlum et terram non per naturam neque per essentiam transire, sed D per immutationem, et innovationem atque in melioratione m. Sicut in Apocalypsi dicitur : « Erit (inquit) cœlum novum et terra nova (*Apoc.* XXI) ; » et Apostolus : « Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor.* VII). » Cum enim dicit præterit figura, ostendit manere substantiam. Verbi gratia : Infans cum in puerum creverit, et puer in juvenem, et juvenis in virum, et vir in senem, nequaquam per singulas ætates præterit in substantia, semper enim idem est qui prius fuit, sed paulatim immutatur, et ætati pristinæ præterisse dicitur. Similiter cœlum et terra, licet transeant per immutationem, tamen in propria substantia manebunt. Eo sensu etiam dicitur : Ecce ego creo. pro eo quod A est creabo, vel innovabo, cœlos novos, et terram novam, et non erunt in memoria priora, mala sive tormenta. Et non ascendent super cor, id est non recordabuntur. Sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum, id est sine fine laudabitis me in omnibus rebus a me factis, ut olim angeli, videntes mundum a me factum. « Quia ecce ego creo Hierusalem exsultationem, et populum ejus gaudium, et exsultabo in Hierusalem, et gaudebo in populo meo. » Hoc de cœlesti Hierusalem intelligendum est, id est de congregatione sanctorum angelorum, et omnium qui in numerum angelorum transibunt, de quibus dicitur : Quia erunt sicut angeli Dei in cœlo. Ecce (inquit) ego Deus omnipotens faciam ex angelis et hominibus unam cœlestem Ecclesiam, sive Hierusalem, et exsultabunt et gaudebunt intantum, ut ego qui sum creator eorum et conditor, gaudeam et exsultem in eis, et non solum ipsi gaudebunt, sed etiam exsultatio et gaudium ipsi erunt. « Et non audietur in ea, » hoc est in cœlesti Hierusalem, « ultra vox fletus et vox clamoris, » quoniam secundum quod Joannes dixit : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, » et cætera quæ sequuntur. Neque enim dignum est ut in civitate Hierusalem cœlesti populi ejus, qui exsultationis et gaudii æternam susceptur us est gloriam vocem fletus et vocem tristitiæ habeat. Ubi ergo erit vox fletus et vox clamoris? in congregatione reproborum.

« Non erit ibi amplius infans dierum, et senex C qui non impleat dies suos : quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. » Hæc ad generalem resurrectionem pertinent, postquam nullus erit infans neque senex in congregatione fidelium, neque in congregatione iniquorum, sed omnes in perfecta ætate « resurgent, alii ad vitam, alii ad perditionem. » In ea scilicet ætate qua Christus resurrexit, hoc est in ætate triesimi tertii ac dimidii anni ; omnesque implebunt dies suos, quia postmodum nemo morietur, jam mors corporis ultra non erit. Quod autem subinfert : quoniam puer centum annorum morietur, sensus est : si quilibet peccator in præsenti sæculo vixerit centum annis, et omne illud tempus pueriliter duxerit, serviendo libidini aliisque concupiscentiis, statim ut transierit ab hac vita, morietur in peccato suo. Et hoc quod subjungit, quia peccator centum annorum maledictus erit, hoc est, quia centum annis vivens semper pueriliter egit peccando, pleniter etiam maledictus erit.

« Et ædificabunt domos, et habitabunt, et plantabunt vineas, et comedent fructum earum. Non ædificabunt, et alius habitabit : non plantabunt, et alius comedet. » Domos in quibus habitaturi sunt sancti in Hierusalem cœlesti, et qui eas ædificabunt, debemus intelligere vel virtutes quas ipsi ædificant in præsenti, quarum mercedem et præmia possessuri sunt, secundum illud : « Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem (*I Cor.*

III). » Vel mansiones quas ibi præparant, de quibus dicit Dominus : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV) ; » et in psalmo sexagesimo octavo Psalmographus pollicetur dicens : « Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Judæ, habitabuntque ibi (*Psal.* LXVIII). » In istis ergo mansionibus, hoc est in suis virtutibus et in cœlesti Hierusalem quam sibi præparant, bibent et comedent fructum vinearum quas hic plantaverunt, hoc est, exsultatione gratia sancti Spiritus debriabuntur omnique suavitate replebuntur ex vineis quas plan taverunt, id est ex remuneratione bonorum operum. Et ædificabunt ergo virtutes et mansiones cœlestes, plantabuntque vineas de quibus jam diximus. Et alius, id est diabolus non habitabit in medio illorum, neque devorabit amplius virtutes eorum. « Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei ; et opera manuum eorum inveterabunt electi mei, » vel, sicut quidam codices habent, inveterabunt electis meis. Secundum (inquit) dies ligni, subauditur vitæ, erunt dies credentium et omnium electorum in æterna beatitudine, quia secundum æternitatem Christi, omnes electi æterni erunt (*Rom.* VI). Et « sicut Christus resurgens a mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, » ita omnes electi resurgent a mortuis, et mors eis ultra non dominabitur, sed æternaliter cum Christo manebunt, quando videbunt Deum sicuti est. Istud est autem lignum vitæ quod erat in medio paradisi, id est Christus in medio Ecclesiæ. Et de quo dicit Salomon : « Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam (*Prov.* III), » hoc est sapientiam, quæ est verbum et virtus Dei Patris, et qui tenuerint eam beati erunt. Quodque sequitur, et opera manuum eorum inveterabunt mei electi, sive electis meis, duplex sensus est : opera (inquit) manuum eorum, id est fidem, doctrinam, operationemque apostolorum inveterabunt credentes sequaces illorum, quia imitatores illorum effecti, ea quæ illi docuerunt et operati sunt, ipsi usque ad finem sæculi tenebunt, et dum semper tenuerint, quasi tunc inveterabunt. Aliter : Opera manuum eorum inveterabunt electis meis, hoc est ipsa opera apostolorum inveterabunt ipsis electis, quia æternaliter ad utilitatem et salutem eorum manebunt ipsis. Unde et Evangelium dicitur esse æternum, eo quod olim servatores suos æternaliter faciet electos.

« Non laborabunt frustra neque generabunt in conturbatione : quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. » Non laborabunt apostoli aliique doctores in prædicatione frustra vel in bonis operibus, sicut quondam Judæi inutiliter laboraverunt, quia mercedem æternam inde percipient, et laboribus manuum suarum exsultabunt. Non generabunt filios spirituales in conturbatione, hoc est in dolore, sicut quondam Rachel genuit filium carnalem; sed in gaudio et lætitia erunt, gloriantes de numero credentium, sicut apostolus Paulus gaudebat dicens : « Quod est enim gaudium nostrum aut corona gloriæ nostræ, nonne vos estis? (*I Thess.* II.) » Et quare gaudebunt de eis, quia semen benedictorum, id est apostolorum Domini est, subauditur semen, et nepotes apostoli, id est universi credentes in cœlesti beatitudine cum eis sine fine gaudebunt.

« Eritque : antequam clament, exaudiam » voluntatem illorum, non voce respondendo, sed signorum atque miraculorum magnitudine subsequendo; et « adhuc illis loquentibus, ego audiam. » Nam cum dicerent apostoli alicui ægroto aut mortuo « in nomine Jesu surge (*Act.* III), » statim sine mora sanus incolumisque surgebat. Neque enim potuissent omnes gentes in tam brevi spatio temporum in Christum credere, nisi miraculis signorum fides eorum quondam esset exorta. Loquentibus enim et clamantibus apostolis apostolicisque viris, Dominus magnitudine miraculorum respondebat.

« Lupus et agnus pascentur simul, et leo et bos comedent paleas ; et serpenti pulvis panis ejus. » Lupus et agnus pascentur simul, quia Paulus persecutor et Ananias mansuetus discipulus simul conversati sunt, quorum cibus fuit doctrina evangelica et fides credentium (*Act.* IX). Iste est lupus de quo patriarcha Jacob dixit : « Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia (*Gen.* XLIX.) » Vel per lupum et agnum possumus intelligere quemlibet sævum raptorem, qui, postquam venit ad fidem, in Ecclesia moratus est cum quolibet innocente. Leo etiam et bos in Domini adventu comederunt paleas, id est rex quilibet et princeps hujus sæculi cum prædicatore quolibet, qui designatur per bovem eo quod exaret corda auditorum, scilicet in Ecclesia pascuntur paleis, id est simplicem doctrinam pariter cum profunditate divinorum eloquiorum. Si autem dixerimus leo ut bos comedet paleas, sensus hujuscemodi erit : Leo sicut bos comedet paleas, quando vir disertissimus et quondam ad sæculum potens, Scripturarum divinarum se tradet rusticitati, ut nequaquam sæculari et philosophiæ pascatur eloquentia, quæ instar mellis stillat de labiis meretricis, sed vilitatem et paleas sequatur historiæ, donec multo labore atque industria mereatur ad frumentum pervenire, id est ad profunditatem mysteriorum. De istis talibus fuerunt Augustinus et Cyprianus, philosophique gentium, qui relinquentes humanam philosophiam quæ eloquentiæ urbanitate polita erat, Scripturæ sacræ se contulerunt, quæ mediocri stylo est digesta, retinens intrinsecus ineffabilia mysteria. Sed cum isti tales transierunt ad societatem Ecclesiæ, serpenti sive diabolo sunt relicti in cibum leves et instabiles homines, qui designantur per pulverem, eo quod sicut pulvis facile rapitur a vento, ita illi, adveniente tentatione, facile labuntur ad culpam.

« Non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus. » Qui sunt qui non nocebunt, et cui non nocebunt? Lupus et leo, id est quilibet raptor et sævus tyrannus, deposita antiqua ve-

tustate, postquam venerint ad fidem, non nocebunt agnis et bobus, id est mansuetis et humilibus. Vel non nocebunt alterutrum, neque occident alios in præsenti Ecclesia vel in cœlesti Hierusalem. Hæc omnia Judæi carnaliter intelligunt, referentes ea ad tempus mille annorum et ad Christi sui adventum, et dicunt quia tanta pax et securitas erit eis, ut angustissime lupi et agni, leones et boves, serpentes et homines, simul comedant et pariter commorentur amissa omni severitate : et his innoxii sint qui in templo vel in monte sancto habitaverint : ex quo intelligitur omnes occidendos qui extra montem fuerint. Sed ista omnia falso errore excogitata sunt. Et ne nos ipso judaico errore decepti, carnaliter ea intelligeremus adimplenda, subsequens sermo manifestat, dicens.

CAPUT LXVI.

« Hæc dicit Dominus : Cœlum sedes mea est, terra autem scabellum pedum meorum. » Hæc etiam Judæi carnaliter intelligunt. Sed quare Deus omnipotens qui ubique totus est sedere se dicat in cœlo, paulo superius, Domino adjuvante, pleniter tractavimus. Quapropter modo breviter succincteque est tangendum, et illud ponendum quod per Jeremiam dicitur : « Cœlum et terram ego impleo (*Hier.* XXXIII) ; » et alibi : « Qui tenet cœlum palmo, et terram pugillo (*Isa.* XL.) » Per hoc siquidem ostenditur Deus et forinsecus et extrinsecus, et infusus et circumfusus : non solum cœli et terræ, sed et invisibilium creator angelorum, omniumque virtutum cœlestium. « Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Et : « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est (*Joan.* I). » Idcirco autem dicitur in cœlo sedere, quia cœlum omnibus elementis et omnibus locis elegantius est et magis nobile. Sive debemus per cœlum intelligere angelicam naturam, quæ in cœlestibus commoratur, et homines sanctos cœlestem angelicamque vitam ducentes in quibus ipse habitat. Per terram autem quæ dicitur esse scabellum pedum ejus, debemus intelligere terrenos homines, qui terrene vivunt, et amatores mundi existunt, et angelos qui de cœlestibus ad terram et in caliginem istius aeris lapsi sunt, quos ipse suo judicio et potestate calcat ; ideoque dicit cœlum, hoc est angeli et homines justi, sedes mea. Terra vero, id est terreni homines, scabellum pedum meorum : qui eos mea potestate atque recto judicio comprimo et calco. « Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi ? et quis est iste locus quietis meæ? »

« Omnia hæc, » subauditur quæ facta sunt, « manus mea, » sive potentia mea « fecit, et facta sunt universa ista, » subauditur a me, « dicit Dominus. » Judæi putabant et dicebant quod Deus omnipotens nullo in loco esset super terram, nisi in templo, quod erat Hierosolymis factum a Salomone, æstimantes illum localem esse : non recordantes quod Salomon dixerat die Dedicationis ejusdem templi : « Si enim cœli cœlorum non possunt te capere (*II Paral.* II). »

A Quapropter dicit Dominus omnipotens ad illos qui talia cogitabant : « Quæ est ista domus tam magna, tam speciosa, quam ædificabitis mihi, ut ibi in uno loco concludar? nonne hæc omnia manus mea fecit? » Certe omnia quæ facta sunt a me facta sunt. Sed ut ostenderet ubi esset locus ejus, subjunxit inquiens : « Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperem, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? » Ecce locus ejus : pauperem et contritum spiritu, atque trementem sermones suos appellat humilem quemlibet, qui contritum habet spiritum condolendo et proximorum infirmitati, et sua peccata plangendo ; et qui timens ire in supplicium æternæ damnationis cessat a pravis operibus, iste est pauper atque humilis : de quo loquitur in Evangelio Salva-
B tor : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Et alibi : « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. » In istis ergo pauperibus et timentibus sermones Dei habitat Deus per fidem et bonam voluntatem, ipsique sunt templum Dei, sicut Apostolus dicit : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III). »

« Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum : qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem. » Omnia sacrificia Judæorum (quæ ne idolis immolarent eis concessa erant, vel propter figuram veri sacrificii) ita annihilata habentur post Domini prædicationem, veræque illius immolationis sacrificium, corporisque, ac sanguinis ejus consecrationem : ut qui immolaverit bovem, sic placeat ei quasi qui
C interficiat virum ; qui mactaverit pecus, quasi qui excerebret canem, de quo per Moysen scriptum est : « Non offeres in domo Domini tui meretricis, neque pretium canis (*Deut.* XXIII). » Pulchre canis et meretrix copulantur, quia utrumque animal pronum est ad libidinem. « Qui offert oblationem, » subauditur legalem, « quasi qui offerat sanguinem suillum » contra legis præceptum : « qui recordatur thuris, » subauditur, ad hoc ut offerat, « quasi qui benedicat idolo, » id est venerando laudet. Tales sunt cæremoniæ Judæorum. Et ita habentur accepta eorum sacrificia, postquam veritas Evangelii per Christum data est : « Hæc omnia, » subauditur quæ superius dicta sunt de immolatione « elegerunt in viis suis et in abominationibus suis anima eorum
D delectata est. » Et elegerunt (inquit) suo arbitrio non mea voluntate, post verum sacrificium offerre adhuc figurativa, et in abominationibus suis, id est in his quæ abominari debuerant, anima eorum delectata est.

« Unde et ego eligam illusiones eorum, et quæ timebant adducam eis. » Illusiones posuit pro eo quod est illusores. Tale quod et Apostolus dicit : « Dabit eis operationem iniquitatis (*Rom.* I), » id est diabolum et Antichristum. Illusores vero duobus modis possumus intelligere, vel pessimos principes et doctores, ut fuerunt scribæ et Pharisæi, et mali sacerdotes, ut fuerunt filii Heli qui a Domino electi sunt, quia permissi sunt ab illo dominari in populo

illo. Vel ut alii dicunt, illusores hic appellat dæmones et Romanos, quibus illi traditi sunt. Et est sensus : Quia ergo hæc omnia delegerunt in pravis actionibus, et ego quoque permittam eis habere et dominari multos principes sacerdotesque non rectos, quales merentur. Et mala quæ timent, sive famis, sive mortalitatis, seu captivitatis adducam eis : vel tradam eos dæmonibus Romanisque. Et quæ timebant, dicentes : « Sed dimittimus eum sic, omnes credent in eum (*Joan.* XI). » Et forte venient Romani et tollent nostrum locum et gentem : adducam eis, et perdent locum templi et nomen regni. Causamque reddit quare talia eis intulerit. « Quia vocavi » dicens : « Pœnitentiam agite (*Matth.* IV); » et : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam (*Matth.* XI), » « et non erat qui responderet. » Seqùendo et obediendo « locutus sum et non audierunt, » id est non fuerunt obedientes. « Feceruntque malum in oculis meis, » hoc est in præsentia mea, « et quæ nolui elegerunt, id est errorem falsum.

« Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum ejus. Dixerunt fratres vestri odientes vos, et abjicientes propter nomen meum : Glorificetur Dominus, et videbimus in lætitia vestra : ipsi autem confundentur. » Vox prophetæ hortantis apostolos : Audite, populi, verbum Domini, qui tremitis, id est qui reverentiam habetis ad sermonem ejus. Dixerunt fratres vestri Judæi odientes vos, et abjicientes vos eo quod in me creditis, et propter nomen meum quod habetis, quia a me Christo Christiani vocamini (*Joan.* IX.) Jam enim conspiraverunt Judæi ut si quis confiteretur eum Christum extra Synagogam fieret. Fratres autem vocantur secundum carnem, non fide, neque operatione : ut ipsi apostoli suos persecutores et eos qui se abominantur in locum fratrum habeant. Unde Petrus dixit : « Viri fratres, audite (*Act.* II), » et Paulus : « Tristitia est mihi magna pro fratribus meis qui sunt Israelitæ (*Rom.* IX.) »Dicebant ergo Judæi ad apostolos : glorificetur Dominus, id est appareat sublimis et gloriosus in majestate et habitu regnantis. Et videbimus illum in lætitia nostra, id est hoc erit nostra lætitia et gaudium, cum videbimus eum gloriosum. Modo vero nolite nobis humilem et despectum prædicare; sed audiamus quid sequitur. Ipsi autem Judæi fratres vestri qui talia dicunt confundentur, et erubescent de sua incredulitate, cum Christus sublimis et gloriosus apparuerit omnibus hominibus in die judicii. Vel etiam quia talia dixerunt confundentur et peribunt in præsenti, sicut sequentia manifestant. Nam subditur :

« Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. » Adveniente Romano exercitu et circumdante civitatem (sicut Josephus historiographus scribit), versi sunt qui erant intra civitatem in seditionem in tres partes, contendentes de principatu. Una pars eligens istum, alia alium, tertiaque tertium. Et ita factum est, ut una pars populi et sacerdotum tenerent templum, pars principum et populi arcem domumque regiam, et tertia pars reliquam partem civitatis, maxime tamen vulgus. Pugnabant ergo forinsecus contra hostes, intrinsecus contra cives. Sed Romanis capientibus urbem, vox populi plangentis audita est in Romanis exsultantibus, qui ejus voluntate venerunt, reddentes retributionem inimicis suis Judæis. Et quare audita est vox sacerdotum de templo, principum et vulgi de civitate? quia omnes sunt aut gladio necati, aut igne cremati, aut aliis gentibus pretio distracti, vel venundati, aut etiam in captivitatem ducti : præter illos qui diversis miseriis afflicti, intra civitatem tunc mortui. Tunc ergo completa est comminatio Domini dicentis : « Relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). »

« Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit masculum. » Hoc dupliciter potest intelligi : antequam parturiret virgo Maria, et antequam veniret partus ejus, genuit Deus Pater masculum, Verbum scilicet et Filium suum fortissimum, per quem fecit et gubernat omnia. Aliter: antequam parturiret Sion, hoc est primitiva Ecclesia, et antequam veniret partus ejus, id est in velocitate temporis, peperit masculum fortem, videlicet populum, quando una die crediderunt quatuor millia, altera die quinque millia, ac deinceps multa millia : ex quorum numero fuit beatissimus Stephanus, aliique quamplurimi filii apostolorum, qui antea potuerunt occidi quam a fide Christi separari. Non autem de carnali parturitione et procreatione hoc dicitur, sed de spirituali : quia spiritualiter eos genuerunt, fidem Christi in eorum cordibus infundendo. Omnes namque carnales generationes parturiuntur et pariunt, spirituales autem dolore et usu carent.

« Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? » Subauditur ut esset quis natus antequam parturiret mulier : aut in tam brevi tempore tot millia hominum quis vidit spiritualiter generatos? « Nunquid parturiet terra in die una, » id est nunquid generabit omnia semina die una. « Aut parturietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos. » Hoc est apostoli et apostolici viri multitudinem credentium. Ille populus qui modo gens appellatur in die una est et creatus simul, quia in Christo, qui est lux et dies, spiritualiter creati sunt simul in unitate fidei. Apostoli enim, generando fidem in cordibus auditorum, matres fuerunt.

« Nunquid ego qui alios parere facio, » subauditur carnaliter « ipse non pariam, » subauditur spiritualiter, « dicit Dominus? » Deus Pater, qui alios parere facit carnaliter, non est absque Filio : quia ante omnia sæcula genuit Verbum suum coæquale sibi. Habet etiam multos filios quos ipse peperit gratia sua, de quibus dicit Joannes in Evangelio : « Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). » « Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? »

subauditur, non ero. Hoc ad Sion dicit, id est, primitivam Ecclesiam. Et est sensus : Ego qui omnes homines creavi ex nihilo, faciam mihi ex omnibus gentibus unam pariter in me credentem Ecclesiam.

« Lætamini cum Hierusalem, et exsultate in ea, omnes qui diligitis eam, gaudete cum ea gaudio universi, qui lugebatis super eam, ut sugatis, et repleamini ab uberibus consolationis ejus, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. » Angeli sicut de nostro profectu modo gaudent, ita tristabantur olim de nostro defectu et servitute qua serviebamus diabolo. Apostoli etiam videntes populum Judæorum in infidelitate manere, et prævidentes civitatem Hierusalem destruendam a Romanis (sicut Dominus prædixerat), et populum subvertendum, condolebant et tristabantur. Sed tota consolatio illorum in hoc fuit, quia videbant gentes paratas esse ad credendum, ex quibus ædificanda erat Hierusalem, id est præsens Ecclesia, vel cœlestis : ideoque dicitur, tam angelis quam apostolis, qui lugebant super Hierusalem, id est super populum ejus, ut lætentur et exsultent cum Hierusalem cœlesti, vel præsenti ex omnibus gentibus collecta, et in ea, hoc est in fide illorum. Per lac autem, quod præcipitur ut sugant ipsi apostoli, et mulgeant, debemus intelligere fidem simplicem credentium et bona opera illorum, in quibus delectati sunt apostoli. Per duo autem ubera duo Testamenta intelliguntur, ex quibus trahitur lac, hoc est simplex et dulcis doctrina Spiritus sancti, quæ convenire possit simplicibus. Gaudete (inquit) cum ea ut satiemini fide et bonis illorum operibus ; et repleamini ab uberibus consolationis ejus, id est duum Testamentorum ; et plenitudine Spiritus sancti repleamini in eis, ut mulgeatis et deliciis affluatis, hoc est ut assumatis eorum simplicem fidem, et perfectione eorum abundetis. Et hoc ab omnimoda gloria ejus, id est a scientia divinitatis et humanitatis Christi. Sancta enim Ecclesia, licet una sit, tamen habet in se qui habent lac, id est simplicem fidem et intellectum; et habet qui abundant divitiis spiritualibus, et scientia humanitatis atque divinitatis, ex quibus omnibus sumunt doctores, quod unusquisque habet delectando in illis.

« Quia hic dicit Dominus : Ecce ego declinabo super eam, » id est infundam super Ecclesiam « quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem, » subauditur infundam, « gloriam gentium quam sugetis. » Iste est fluvius pacis quem infundit super Ecclesiam, de quo dicitur : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* LXXXVI); » « Et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII), » dona videlicet Spiritus sancti quæ accipimus in baptismo et in confirmatione manus episcopi, et per quæ pacificamur Deo Patri, vel etiam doctrinam Evangelii. Gloria autem gentium quasi torrentem inundantem, fidem illarum appellat quam glorificavit Spiritus sanctus qui inundans dicitur propter velocitatem. Velociter enim ad fidem venerunt. « Ad ubera portabimini, » subauditur ab Apostolo et prædicatore, id est ad dona Spiritus sancti, vel etiam ad doctrinam Veteris et Novi Testamenti portabimini, quia quod prædicabunt hoc primum ipsi operibus adimplebunt, ut illorum exemplis ducatum accipiatis. « Et super genua blandientur vobis, » subauditur apostoli, id est in secretis, et sustentationibus, atque blandimentis fovebunt vos, ut facilius in fide solidemini. Unde Apostolus : « Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam (*Rom.* XII); » et, « Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos (*I Petr.* II). » Hoc ad illos dictum est qui crediturі erant ex gentibus per prædicationem Apostoli. Sequitur :

« Quomodo sicut mater consolatur, ita et ego consolabor vos, et in Hierusalem consolabimini. » Miserator et misericors Dominus comparat se aquilæ, gallinæ et matri, volens nos suis blandimentis ad voluntatem suam trahere, sicut mater filium suum. Adhuc etiam majorem misericordiam nobis impendit quam mater filio ; quia si illa obliviscitur illius, ipse tamen non obliviscitur nostri, sicut supra per Prophetam dicitur ad Hierusalem : « Et si (inquit) mater potest oblivisci filii sui, ego tamen non obliviscar tui. « Et sicut aquilæ custodiunt pullos suos, quorum natura est (ut physici dicunt) in excelsis et inaccessis locis nidos collocare, ne coluber fetus violet, qua propter et ponit in medio illorum lapidem æti tem, quo omnia venena fugantur : ita Deus omnipotens omni custodia nos servat, ne serpens antiquus, diabolus, veneno sui livoris commaculet. Et ponit lapidem in medio nostri, id est fidem suam in cordibus nostris, qui verus lapis est, abscisus de monte sine manibus. « Sicut ergo mater blanditur filio suo, ita ego consolabor vos in præsenti Ecclesia (*Dan.* II): » juxta quod vobis promisi : « Ecce ego (inquiens) vobiscum sum (*Matth.* XXVIII); » et in Hierusalem cœlesti consolabimini mea præsentia

« Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt. » Hoc dupliciter potest intelligi. Videbitis, o apostoli et prædicatores, multitudinem credentium venientem ad fidem, et gaudebit cor vestrum de salute eorum, et ossa vestra, id est virtutes vestræ germinabunt in aliorum cordibus fructus bonæ voluntatis et operationis. Recte enim per ossa intelliguntur virtutes, quia sicut corpus consistit et sustentatur ossibus, ita anima virtutibus subsistit. Aliter : Videbitis, o omnes fideles, in æterna beatitudine Deum sicuti est, juxta illud : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V); » et « Gaudebit cor vestrum sine fine, quia gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). » Et adveniente die judicii, ossa vestra, id est corpora vestra, recepta immortalitate, germinabunt, sive resurgent. Sicut ergo herbæ quæ siccatæ fuerant, tempore veris germinant, recepta viriditate, ita corpus in die judicii recepto vigore viridescet : ut sicut corpore et anima Deo servierunt in præsenti sæculo, ita

in corpore et anima exsultent in æterna beatitudine. « Et cognoscetur manus Domini super servos ejus, et indignabitur inimicis suis. » Hæc verba proprie ad diem judicii pertinere videntur. Manus enim Domini Filius est, quia per ipsum omnia fecit Deus Pater, qui cognoscetur in die judicii a suis fidelibus benignus et suavis : impiis vero erit durus et punitor eorum. Vel manum Domini possumus intelligere operationem et potentiam illius, juxta quod per Moysen dicitur ad Pharaonem : « Ecce manus Domini, » id est potentia Domini, « super te et super populum tuum (*Exod.* v). » Cognoscetur Dominus ergo in die judicii super servos suos, quibus dicet « : Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* xxv). » Et indignabitur inimicis suis dæmonibus et reprobis, quibus dicet : Ite, maledicti, in ignem æternum.

« Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadriga ejus, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis. » Ad diem judicii pertinent ista. De hoc igne dicit Psalmista : « Ignis ante ipsum præcedet (*Psal.* xlv). » Iste ignis transitorius erit electis, qui habuerint fenum et stipulam : quia purgabuntur ibi et transibunt ad regnum vitæ ; æternus erit reprobis, quos involvet, et ducet ad supplicia æterna. Et quasi turbo sive tempestas currus ejus. Per currum illius debemus intelligere angelicas potestates, quæ Dominum comitabuntur ad judicium. Non quod Deus curru portetur ista narrantur, sed quomodo in solio sedere dicitur, quando assumit habitum judicantis : sic quando ad vindictam venturus est ut debellet adversarios suos, in habitu victoris et triumphantis ostendetur. Reddet in indignatione furorem suum reprobis, dicens : « Ite in ignem æternum (*Matth.* xxv), » et increpationem suam in flamma ignis, dum dixerit exprobrando : Esurivi, et non dedistis mihi manducare, et cætera. Sententia enim terribilis, quasi ignis, devorabit eos.

« Quia in igne Dominus dijudicabitur, et in gladio suo ad omnem carnem. » In igne, id est, in judicio discernetur a senioribus populi sui, justo suo judicio damnare reprobos, non potentia. Gladius Dei est verbum et sententia illius, de quo loquitur Amos propheta. Gladio, id est sententia Dei peribunt omnes peccatores (*Amos* ix). Quidquid ergo punit, quidquid affligit, quidquid percutit, quidquid cruciat, gladius potest appellari. In gladio quippe suo dijudicabitur ad omnes homines : quia dum dederit singulis quod merentur, omnes cognoscent illum justum judicem esse, et laudabunt judicium ejus. « Et multiplicabuntur interfecti a Domino. » Judæi, hæretici, pagani, et reprobi universi damnati, plures invenientur. Interfectio enim hic nihil appellat aliud nisi damnationem, et perditionem reproborum.

« Qui sanctificabantur et mundos se putabant in hortis post januam intrinsecus. » Judæi, inter cæteros errores quos adimplebant, habebant in suis hortis fontes et baptisteria, in quibus sæpius se abluentes, putabant se mundari etiam a peccatis. Et colebant ibi idola, et luxuriabantur ante idola et aras deorum, cum masculis et feminis, more canum, quod est turpius dicere. Et hoc est quod dicit post unam intrinsecus, id est retro in ipso earum corpore. « Qui comedebant carnem suillam, » subauditur contra legem, « et abominationem, » id est immolatitium, ut quidam gentes adhuc faciunt. « Simul consumuntur, dicit Dominus. Ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem, cum omnibus gentibus. » Vox Domini omnipotentis de die judicii. Idcirco (inquit) venio ad judicium cum omnibus gentibus et linguis, ut congregem omnia opera eorum et cogitationes eorum, et reddam eis qualia merentur. Quod omnes gentes ad judicium venturæ sint, Dominus manifestat dicens : « Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, et cœperit judicare, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes (*Matth.* xxiii). » Omnes enim gentes et linguæ cum cogitationibus suis pariter adducentur in medium, et dijudicabuntur. Id ipsum autem intelligitur per linguas quod et per gentes. « Et venient et videbunt gloriam meam. » In libris propheticis subito mutantur tempora, sicut et personæ. Unde in præsenti loco ea quæ præmissa sunt, ad diem judicii pertinent : ista vero quæ modo subsequuntur, ad primum Domini adventum pertinent, et ad gentium fidem. Venient (inquit), ex omnibus gentibus fideles in Ecclesiam, et videbunt, hoc est intelligent mente gloriam divinitatis meæ, et gloriam humanitatis : quomodo homo cum sim, exaltatus sum super omnes ordines angelorum, quia homo sum pariter et Deus.

« Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes. » Ponam (inquit) in eis qui crediderint signum crucis, signum Christianitatis et salutis. Emittam ad gentes ex eis, subauditur, Judæis, qui salvati fuerint, apostolos videlicet de quibus dicit Isaias : « Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus (*Isa.* l). » Ad quas gentes miserit eos manifestat, subnectens « in mare, in Africam, in Lydiam tendentes sagittam, in Italiam et Græciam, et in insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. » Per mare debemus intelligere hunc mundum generaliter, quia sicut mare semper in motu est, nunc ascendentibus procellis, nunc descendentibus : ita mundus nunc in pace, nunc in bellis, nunc in fame, nunc in abundantia consistit ; nunc nascuntur homines, nunc moriuntur. Per Africam, omnem plagam meridianam in qua Africa posita est. Quod vero ait, mittam in Lydiam tendentes sagittas, tale est ac si diceret : Mittam ad Lydios, qui sunt peritissimi sagittarii. In Italiam, id est in occidentem, ad insulas omnes, et ad eos qui non audierunt me, neque per angelum neque per prophetam. De istis dicit propheta : Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus subauditur, illi qui salvati fuerint ex Judæis.

« Et adducent » apostoli « omnes fratres ve-

stros, » o Judæi credentes, « de cunctis gentibus, A donum Domino, in equis et quadrigis, et in lecticis et in mulis et in carrucis ad montem sanctum meum Hierusalem, dicit Dominus, » hoc est ad Ecclesiam præsentem et ab ista præsenti ad cœlestem. Sicut per ea locorum nomina quæ superius commemoravit Propheta, significatæ sunt omnes gentes, et omnia loca ad quæ rumor prædicationis apostolicæ decucurrit : ita per hæc animalia significantur diversitates gentium et hominum ad fidem venientium. In equis deportati venerunt ad Ecclesiam, qui citissime crediderunt. In quadrigis venerunt, qui in doctrina philosophica et honestate morum fulgebant. inter alios, ut Augustinus; et per illam sapientiam mundanam pervenerunt ad doctrinam veram, quatuor virtutibus principalibus, ad cœlestia mente B sublevati. In lecticis, qui auxilio aliorum portati et adjuti venerunt. Lectica autem est lectus desuper tectus, idem est et feretrum. Mulos autem in scriptis sacris dupliciter accipimus, hoc est aut in bonam, aut in malam partem. In malam partem, quia proni sunt ad scortum, de quibus dicitur : « Nolite fieri sicut equus et mulus (*Psal.* XXXI). » In bonam, ut physici dicunt, steriles sunt a fetibus quamvis luxuriæ sint dediti : quilibet sedit David et Salomon, quorum alter interpretatur fortis manu, alter pacificus. In mulis ergo venerunt, qui steriles fuerunt a malitia. Verum David et Salomon in cordibus suis sessorem habuerunt, qui propria fortitudine Goliath, id est, diabolum debellavit, et nos per sanguinem C passionis suæ Deo Patri pacificavit (*I Reg.* XVII). In carrucis venerunt, qui aliorum auxilio adjuti in Ecclesiam per prædicationem apostolorum, donum Domino Christo fuerunt : sicut ei Pater dicit : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II). » Et ipse Filius : Ego (inquit) constitutus sum rex ab eo super Sion, id est super Ecclesiam. Sequitur : « Quod si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. » Præceperat Deus omnipotens in lege, ut ter per annum venirent omnes ad templum Domini, hoc est in festivitate Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum, et offerrent omnes munus in domo Domini. Sic namque præcipiebat lex : Cave « (inquit) ne appareas in conspectu Domini vacuus (*Exod.* XII, XXIV). » Et est sensus : D Sicut (inquit) solebant filii Israel, dum eorum adhuc staret religio et templum, omnibus sanctius venire cum gaudio et psalmis in Hierusalem, offerentes munera sacrificiorum Domino : sic adducent fratres vestros apostoli de universis nationibus cum gaudio, in equis et mulis et diversis vehiculis, et offerent munus Domino in vase mundo. Munus istud quod quotidie offerunt Domino filii Israel, id est illi qui Deum mente vident, hostiæ sunt spirituales, fides videlicet, charitas, castitas, oratio munda, cæteræque virtutes. Vasa vero munda sancta sunt corpora et immaculata, et nulla contagione violata.

« Et assumam ex eis in sacerdotes et Levitas, dicit Dominus. » Hoc dupliciter potest intelligi, ut referatur tam ad Judæos quam ad gentiles. Assumam, inquit, ex eis, id est, ex Judæis credentibus, et erunt mihi in sacerdotes et Levitas. De quibus unus sic loquebatur : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi (*I Cor.* IV). » Sacerdotes enim erant, quia sacra responsa dabant populis, et semetipsos offerebant Deo, et alios quos ei sua prædicatione acquirebant : ut Paulus Timotheum. Levitæ erant, id est assumpti, quia a Domino fuerunt electi, et assumpti ad officium prædicationis. Aliter : Assumam, inquit, ex eis, subaudis gentibus qui crediderint, et erunt mihi in sacerdotes et Levitas, reprobato sacerdotio Judæorum. Unde dicit Apostolus : « Translato (inquit) sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat (*Hebr.* VII). » Quod probari potest ex hoc, quia modo ex Judæis aut rarus aut nullus invenitur sacerdos in sancta Ecclesia, aut aliquis minister. Et in singulis Ecclesiis sacerdotes et ministros mysteriorum Christi ex gentibus cernimus, qui quotidie corpus et sanguinem Christi pro redemptione generis humani offerunt in commemorationem passionis ejus. Et sicut apostoli semetipsos offerebant Deo, et alios quoscunque poterant : ita et sacerdotes gentium. Verbi gratia, sicut fecit beatus Hilarius, qui beatum Martinum Deo obtulit. Levitæ sunt, quia ad hoc ministerium assumuntur.

« Quia sicut cœli novi et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus : sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. » Ista quæ sequuntur usque ad finem libri, ad diem extremum judicii pertinent. Cœlum in hoc loco neque æthereum per quod septem planetæ discurrunt, neque siderеum ubi sunt reliqua sidera, quod et firmamentum appellatur, debemus intelligere : sed cœlum istud aereum, ubi sunt nubes et grando nubiumque concursus. Cœlum ergo istud aereum et terra, ab hac specie quam nunc habent innovabuntur per melioration nem : quia crassitudine sua privabitur, et in subtilitatem ætheris transibit, et sicut Joannes dicit, « Postmodum erit semper cœlum novum et terra nova (*Apoc.* XXI). » Et est sensus : Sicut ista duo elementa cœlum et terra, postquam innovata fuerint, æternaliter in sua novitate manebunt, ut nequaquam postmodum dicatur cœlum et terra transibunt : sic semen vestrum, o apostoli, stabit et permanebit æternaliter coram me, innovatum ab omni corruptione mortalitatis et peccati. Et non solum semen, sed etiam nomen vestrum, id est, nomen Christianitatis et filiationis Dei : ut amplius non succedat illis alia gens, sicut fecit Judæis, sed æternaliter maneant in æterna felicitate. Semen autem apostolorum debemus intelligere omnes, qui exemplo et prædicatione illorum salvantur quotidie eorum fidem habentes et opera imitantes. Sequitur :

« Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato. » Mene Græce dicitur luna, a quo nomine

componitur neomenia, id est exordium novæ lunæ. Et a mene, quæ dicitur luna, vocatur mensis apud illos qui initium Kalendarum non juxta solis cursum et diversa mensium spatia, sed juxta circuitum lunæ incipiunt et terminant : ut Hebræi faciunt. Per mensem ergo vult intelligi lunam. Et hæc est luna, id est sancta Ecclesia, de qua in psalmis dicitur : « Permanebis cum sole et ante lunam, in generationes et generationem (*Psal.* LXXI). » Et in Canticis canticorum : « Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol (*Cant.* VI)? » Quod ergo dicit, Erit mensis ex mense, tale est ac si diceret : Erit Ecclesia futura ex præsenti Ecclesia, quia ex præsenti Ecclesia construetur, et complebitur illa quæ jam regnat cum Christo, et quæ cum illo veniet ad judicium. Aiunt B physici, et quorum cura est de cœlestibus disputare, lunam non habere proprium lumen, sed solis radiis illustrari. Ab ea enim semper orbis parte completur et fulget, a qua soli vicinior est. Quapropter Ecclesia bene comparatur lunæ, quia sicut luna quidquid splendoris habet a sole accipit, ita Ecclesia quidquid boni habet, a Christo accipit, qui est verus sol, de quo propheta ait : Timentibus nomen meum orietur sol justitiæ. Et sicut luna nunc crescit in lumine, nunc decrescit, ita sancta Ecclesia nunc in pace crescit, nunc in persecutionibus decrescit. Quodque sequitur, et erit sabbatum ex sabbato, similiter ad requiem electorum pertinet. Sabbatum enim interpretatur requies. Erit ergo sabbatum ex sabbato, id est qui hic requieverit a C pravo opere, illic requiescet in æterna beatitudine. « Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. » Hoc specialiter potest referri ad electos, et generaliter ad omne genus humanum. Veniet (inquit) omnis caro, id est omnis electus in die judicii, ut adoret coram facie mea, id est in præsentia mea semper : vel in ipso judicio, et boni et mali timore inenarrabili perterriti, adorabunt omnipotentis Dei potentiam, secundum illud : « Vidébit omnis caro salutare Dei, id est omnis homo (*Isa.* LX). »

« Et egredientur et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me. » Illi qui egredientur, electi solummodo intelliguntur. Egredientur (inquit) D electi non loco, sed intelligent, vel visione manifesta, ut in laudes Dei magis accendantur. Et videbunt cadavera virorum non solummodo Judæorum A de quibus dicitur : « Filios genui et exaltavi, ipsi vero spreverunt me (*Isa.* I), » sed cadavera omnium reproborum qui prævaricati sunt in Deum, mandata legis naturalis vel scriptæ transgredientes. Nec mirum si electi jam immortales videbunt reprobos damnatos, cum prophetæ adhuc mortales hæc omnia per intelligentiam videre meruerint. « Quia vero ex viro sumpta est mulier, corpus viri est (*Gen.* II) : » idcirco in nomine virorum comprehenduntur et mulieres. Cadavera autem appellantur, quia in æternam cadent damnationem. Unde et ipsi dæmones cadavera dici possunt, qui similiter in pœnas gehennæ cadent. Unde et a Domino appellantur homines. « Inimicus, inquit, homo hæc fecit (*Matth.* XIII). » « Vermes eorum non morientur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. » Vermis et ignis in hoc loco potest intelligi conscientia peccatorum, quæ torquet omnes in suppliciis constitutos, quare in præsenti sæculo vitiis servientes, caruerint bono pro quo remunerarentur. Unde quodam loco dicitur sic : Tinea comedit vestimentum, et vermis corrodit lignum, et ignis devorat ligna : sic mœror et tristitia excruciat cor viri. Iste ignis non exstinguetur, et vermis non morietur, quia illi æternaliter in pœnis manebunt, et semper propria conscientia torquebuntur. Potest et ita intelligi, ut credatur in inferno ignis esse materialis, et vermis similiter, qui comedunt et devorant illorum corpora : licet quidam falso dixerint corpus aereum esse post generalem resurrectionem, et in tenues auras dissolvendum. Idcirco autem vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur, quia esca illorum erunt omnes reprobi, et ex ipsis reprobis erit materies ignis et vermis, qui tandiu vivunt quandiu habent materiam qua pascantur. Quod autem sequitur, erunt omnes reprobi usque ad satietatem visionis omni carni, id est omni electo, tripliciter intelligi potest : vel quia in hoc satiabitur visio electorum quod viderint eos a se justo judicio Dei separatos, et potentiam amissam quam tenuerant super innocentes; vel quia ita damnabuntur ut justi amplius nolint, nec exposcent amplius vindictam, sicut modo faciunt, dicentes : « Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum (*Apoc.* VI)? » Vel in hoc erit illorum satietas, quia non gaudebunt de reproborum damnatione, sed de sua liberatione. Amen.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

EBBO vel EBO RHEMENSIS EPISCOPUS.
Notitia historica in Ebbonem. 9
EPISTOLA EBBONIS AD HALITGARIUM. 9
CONFESSIO EBBONIS. 9
EBBONIS APOLOGETICUM. 11
NARRATIO DEPOSITIONIS EBBONIS. 17
EBBONIS POEMATIA. 21

HARTMANNUS S. GALLI MONACHUS.
Notitia historica in Hartmannum. 23
CARMINA HARTMANNI. 23

ERMANRICUS AUGIENSIS MONACHUS.
Notitia historica in Ermanricum. 25
FRAGMENTA EX LIBRO ERMANRICI, DE GRAMMATICA. 26

ERCHAMBERTUS FRISINGENSIS EPISCOPUS.
Notitia historica in Erchambertum. 31
EPISTOLA, DE TRANSLATIONE CORPORIS S. BARTHOLOMÆI. 31

FRAGMENTUM, EX BREVIARIO REGUM FRANCORUM ET MAJORUM DOMUS. 34

NITHARDUS S. RICHARII ABBAS.

Notitia historica in Nithardum. 33
De Nithardo, Caroli Magni nepote, ac tota ejusdem Nithardi prosapia, breve syntagma. 35
Additio. 44
DE DISSENSIONIBUS FILIORUM LUDOVICI PII.
LIBER PRIMUS. 45
Præfatio. 45
LIBER SECUNDUS.
Præfatio. 51
LIBER TERTIUS.
Præfatio. 61
LIBER QUARTUS.
Præfatio. 69

AMULO EPISCOPUS LUGDUNENSIS.

Notitia historica. 77
EPISTOLÆ.
EPISTOLA PRIMA. — Ad Theodboldum episcopum Lingonensem. 77
EPIST. II. — Ad Gothescalcum. 84
OPUSCULA DUO.
OPUSCULUM PRIMUM. — Responsio ad interrogationem cujusdam de præscientia vel prædestinatione divina, et de libero arbitrio. 97
OPUSCULUM II. — De gratia et præscientia Dei, deque prædestinatione et libero arbitrio, de spe item ac fiducia salutis, et de sententia sancti Augustini. 101
SENTENTIÆ DE PRÆDESTINATIONE, etc. (Ex Augustino.)
Jacobi Sirmondi præfatio. 103
Ejusdem Sirmondi præfatio altera. 105
Amulonis præfatio. 105
CAPUT PRIMUM. — Ex libro de Perfectione justitiæ hominis. 107
CAP. II. — Ex libro de Natura et Gratia. 115
CAP. III. — Ex epistolis et libro de Gratia et libero Arbitrio. 120
CAP. IV. — Ex libro de Correptione et Gratia. 127
CAP. V. — Ex sermone 51 expositionis Evangelii secundum Joannem. 132
CAP. VI. — Ex libro de Prædestinatione sanctorum, itemque de dono perseverantiæ. 134
LIBER CONTRA JUDÆOS. 141

HAYMO HALBERSTATENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica et bibliographica. 185
Vita Haymonis, auctore Joanne Trithemio abbate Spanheimensi. 190
OPERUM PARS PRIMA. — COMMENTARIA BIBLICA.
EXPLANATIO IN OMNES PSALMOS. 191
Incipit commentarius in Psalmos. 193
In psalmum primum. 195
In psalmum II. 200
In psalmum III. 204
In psalmum IV. 206
In psalmum V. 210
In psalmum VI. 213
In psalmum VII. 216
In psalmum VIII. 220
In psalmum IX. 222
In psalmum X. 228
In psalmum XI. 230
In psalmum XII. 232
In psalmum XIII. 233
In psalmum XIV. 236
In psalmum XV. 237
In psalmum XVI. 240
In psalmum XVII. 244
In psalmum XVIII. 254
In psalmum XIX. 258
In psalmum XX. 259
In psalmum XXI. 262
In psalmum XXII. 268
In psalmum XXIII. 270
In psalmum XXIV. 273
In psalmum XXV. 277
In psalmum XXVI. 280
In psalmum XXVII. 284
In psalmum XXVIII. 287
In psalmum XXIX. 292
In psalmum XXX. 294
In psalmum XXXI. 300
In psalmum XXXII. 302
In psalmum XXXIII. 306
In psalmum XXXIV. 310
In psalmum XXXV. 315
In psalmum XXXVI. 317
In psalmum XXXVII. 324
In psalmum XXXVIII. 328
In psalmum XXXIX. 332
In psalmum XL. 335
In psalmum XLI. 339
In psalmum XLII. 342
In psalmum XLIII. 343
In psalmum XLIV. 347
In psalmum XLV. 353
In psalmum XLVI. 356
In psalmum XLVII. 357
In psalmum XLVIII. 360
In psalmum XLIX. 364
In psalmum L. 368
In psalmum LI. 372
In psalmum LII. 375
In psalmum LIII. 376
In psalmum LIV. 377
In psalmum LV. 382
In psalmum LVI. 384
In psalmum LVII. 387
In psalmum LVIII. 389
In psalmum LIX. 393
In psalmum LX. 397
In psalmum LXI. 398
In psalmum LXII. 401
In psalmum LXIII. 403
In psalmum LXIV. 405
In psalmum LXV. 407
In psalmum LXVI. 411
In psalmum LXVII. 412
In psalmum LXVIII. 421
In psalmum LXIX. 428
In psalmum LXX. 429
In psalmum LXXI. 433
In psalmum LXXII. 437
In psalmum LXXIII. 442
In psalmum LXXIV. 447
In psalmum LXXV. 450
In psalmum LXXVI. 452
In psalmum LXXVII. 456
In psalmum LXXVIII. 468
In psalmum LXXIX. 471
In psalmum LXXX. 474
In psalmum LXXXI. 477
In psalmum LXXXII. 478
In psalmum LXXXIII. 481
In psalmum LXXXIV. 485
In psalmum LXXXV. 487
In psalmum LXXXVI. 490
In psalmum LXXXVII. 492
In psalmum LXXXVIII. 495
In psalmum LXXXIX. 503
In psalmum XC. 508
In psalmum XCI. 512
In psalmum XCII. 514
In psalmum XCIII. 516
In psalmum XCIV. 519
In psalmum XCV. 521
In psalmum XCVI. 524
In psalmum XCVII. 525
In psalmum XCVIII. 527
In psalmum XCIX. 529
In psalmum C. 531
In psalmum CI. 532
In psalmum CII. 538
In psalmum CIII. 542
In psalmum CIV. 551
In psalmum CV. 556
In psalmum CVI. 562
In psalmum CVII. 569
In psalmum CVIII. 573
In psalmum CIX. 581
In psalmum CX. 582
In psalmum CXI. 584
In psalmum CXII. 586
In psalmum CXIII. 588
In psalmum CXIV. 592
In psalmum CXV. 593
In psalmum CXVI. 595
In psalmum CXVII. 596
In psalmum CXVIII. 601
In psalmum CXIX. 630
In psalmum CXX. 633
In psalmum CXXI. 634
In psalmum CXXII. 636
In psalmum CXXIII. 637
In psalmum CXXIV. 638
In psalmum CXXV. 639
In psalmum CXXVI. 640
In psalmum CXXVII. 641
In psalmum CXXVIII. 643
In psalmum CXXIX. 645
In psalmum CXXX. 646
In psalmum CXXXI. 647
In psalmum CXXXII. 650
In psalmum CXXXIII. 651
In psalmum CXXXIV. 652
In psalmum CXXXV. 654
In psalmum CXXXVI. 657
In psalmum CXXXVII. 660
In psalmum CXXXVIII. 661
In psalmum CXXXIX. 667
In psalmum CXL. 669
In psalmum CXLI. 671
In psalmum CXLII. 673
In psalmum CXLIII. 675
In psalmum CXLIV. 679
In psalmum CXLV. 683
In psalmum CXLVI. 684
In psalmum CXLVII. 687
In psalmum CXLVIII. 688
In psalmum CXLIX. 691
In psalmum CL. 692
COMMENTARIA IN CANTICA ALIQUOT.
Canticum Isaiæ prophetæ. 695
Canticum Ezechiæ regis Judæ. 696
Canticum Annæ. 699
Canticum Moysi ad filios Israel. 701
Oratio Hababuc prophetæ: pro ignorantis. 705
Canticum Moysi. 709
COMMENTARIA IN ISAIAM.
Haymonis præfatio. 715
LIBER PRIMUS.
CAPUT PRIMUM. 717
CAP. II. 728
CAP. III. 736
CAP. IV. 742
CAP. V. 745
LIBER SECUNDUS.
CAP. VI. 753
CAP. VII. 758
CAP. VIII. 764
CAP. IX. 769
CAP. X. 773
CAP. XI. 779
CAP. XII. 783
CAP. XIII. 785
CAP. XIV. 789
CAP. XV. 795
CAP. XVI. 798
CAP. XVII. 802
CAP. XVIII. 805
CAP. XIX. 807
CAP. XX. 813
CAP. XXI. 815
CAP. XXII. 819
CAP. XXIII. 824
CAP. XXIV. 829
CAP. XXV. 836
CAP. XXVI. 839
CAP. XXVII. 843
CAP. XXVIII. 847
CAP. XXIX. 856
CAP. XXX. 862
CAP. XXXI. 873
CAP. XXXII. 876
CAP. XXXIII. 882
CAP. XXXIV. 890
CAP. XXXV. 894
CAP. XXXVI. 896
CAP. XXXVII. 899
CAP. XXXVIII 903
CAP. XXXIX. 906
CAP. XL. 908
CAP. XLI. 915
CAP. XLII. 922
CAP. XLIII. 930
CAP. XLIV. 937
CAP. XLV. 942
CAP. XLVI. 950
CAP. XLVII. 953
CAP. XLVIII. 957
CAP. XLIX. 962
CAP. L. 971
CAP. LI. 975
CAP. LII. 981
CAP. LIII. 988
LIBER TERTIUS.
CAP. LIV. 993
CAP. LV. 1000
CAP. LVI. 1006
CAP. LVII. 1011
CAP. LVIII. 1018
CAP. LIX. 1024
CAP. LX. 1031
CAP. LXI. 1042
CAP. LXII. 1047
CAP. LXIII. 1051
CAP. LXIV. 1061
CAP. LXV. 1068
CAP. LXVI. 1075

FINIS TOMI CENTESIMI DECIMI SEXTI.

...SIS CATHOL...

ELENCHUS AUCTORUM ET OPERUM QUAE IN HOC TOMO CXVI CONTINENTUR.

EBBO VEL EBO Rhemensis episcopus.
Confessio Ebbonis.
Apologeticum ejusdem.
Narratio depositionis ejusdem.
Ebbonis poematica.
HARTMANNUS S. Galli monackus.
Carmina.
ERMANRICUS Augiensis monachus.
Fragmenta de Grammatica.
ERCHAMBERTUS Frisingensis episcopus.
Epistola de Translatione corporis S. Bartholomaei.
Fragmentum ex Breviario regum Francorum et majorumdomus.
NITHARDUS S. Richarii abbas.
De dissensionibus filiorum Ludovici Pii.
AMULO episcopus Lugdunensis.
Epistolae.
Opuscula duo.
Sententiae de praedestinatione.
Liber contra Judaeos.
HAYMO Halberstatensis episcopus.
OPERUM PARS PRIMA. - COMMENTARIA BIBLICA.
Explanatio in omnes psalmos.
Commentaria in Cantica aliquot.
Commentaria in Isaiam.

ORDO RERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

EBBO vel EBO RUEMENSIS EPISCOPUS.
Notitia historica in Ebbonem.
EPISTOLA EBBONIS AD HALITGARIUM.
CONFESSIO EBBONIS.
EBBONIS APOLOGETICUM.
NARRATIO DEPOSITIONIS EBBONIS.
EBBONIS POEMATIA.
HART MANNUSS. GALLI MONACHUS.
Notitia historica in Hartmannum.
CARMINA HARTMANNI.
ERMANRICUS AUGIENSIS MONACHUS.
Notitia historica in Ermanricum.
FRAGMENTA EX LIBRO ERMANRICI, DE GRAMMATICA.
ERCHAMBERTUS FRISINGENSIS EPISCOPUS.
Notitia historica in Erchambertum.
EPISTOLA, DE TRANSLATIONE CORPORIS S. BARTHOLOMAEI.
FRAGMENTUM, ex BREVIARIO REGUM FRANCORUM ET MAJORUM DOMUS.
NITHARDUS S. RICHA [...] ABBAS.
Notitia historica in Nithardum.
De Nithardo, Caroli Magni nepote, ae tota ejusdem Nithardi prosapia, breve syntagma.
Additio.
DE DISSENSIONIBUS FILIORUM LUDOVICI PII.
LIBER PRIMUS.
Praefatio.
LIBER SECUNDUS.
Praefatio.
LIBER TERTIUS.
Praefatio.
LIBER QUARTUS.
Praefatio.
AMULO EPISCOPUS LUGDUNENSIS.
Notitia historica.
EPISTOLAE.
EPISTOLA PRIMA. - Ad Theodboldum episcopum Lingonensem.
EPIST. II. - Ad Gothescalcum.
OPUSCULA DUO.
OPUSCULUM PRIMUM. - Responsio ad interrogationem cujusdam de praescientia vel praedestinatione divina, et de libero arbitrio.
OPUSCULUM II. - De gratia et praescientia Dei, deque praedestinatione et libero arbitrio, de spe item ac fiducia salutis, et de sententia sancti Augustini.
SENTENTIAE DE PRAEDESTINATIONE, etc. (Ex Augustino.)
Jacobi Sirmondi praefatio.
Ejusdem Sirmondi praefatio altera.
Amulonis praefatio.
CAPUT PRIMUM. - Ex libro de Perfectione justitiae hominis.
CAP. II. - Ex libro de Natura et Gratia.
CAP. III. - Ex epistolis et libro de Gratia et libero Arbitrio.
CAP. IV. - Ex libro de Correptione et Gratia.
CAP. V. - Ex sermone
expositionis Evangelii secundum Joannem.
CAP. VI. - Ex libro de Praedestinatione sanctorum, itemque de dono perseverantiae.
LIBER CONTRA JUDAEOS.
HAYMO HALBERSTATRNSIS EPISCOPUS.
Notitia historica et bibliographica.
Vita Haymonis, auctore Joanne Trithemio abbate Spanheimensi.
OPERUM PARS PRIMA. - COMMENTARIA BIBLICA.
EXPLANATIO IN OMNES PSALMOS.
Incipit commentarius in Psalmos.
In psalmum primum.
In psalmum II.
In psalmum III.
In psalmum IV.
In psalmum V.
In psalmum VI.
In psalmum VII.
In psalmum VIII.

In psalmum IX.
In psalmum X.
In psalmum XI.
In psalmum XII.
In psalmum XIII.
In psalmum XIV.
In psalmum XV.
In psalmum XVI.
In psalmum XVII.
In psalmum XVIII.
In psalmum XIX.
In psalmum XX.
In psalmum XXI.
In psalmum XXII.
In psalmum XXIII.
In psalmum XXIV.
In psalmum XXV.
In psalmum XXVI.
In psalmum XXVII.
In psalmum XXVIII.
In psalmum XXIX.
In psalmum XXX.
In psalmum XXXI.
In psalmum XXXII.
In psalmum XXXIII.
In psalmum XXXIV.
In psalmum XXXV.
In psalmum XXXVI.
In psalmum XXXVII.
In psalmum XXXVIII.
In psalmum XXXIX.
In psalmum XL.
In psalmum XLI.
In psalmum XLII.
In psalmum XLIII.
In psalmum XLIV.
In psalmum XLV.
In psalmum XLVI.
In psalmum XLVII.
In psalmum XLVIII.
In psalmum XLIX.
In psalmum L.
In psalmum LI.
In psalmum LII.
In psalmum LIII.
In psalmum LIV.
In psalmum LV.
In psalmum LVI.
In psalmum LVII.
In psalmum LVIII.
In psalmum LIX.
In psalmum LX.
In psalmum LXI.
In psalmum LXII.
In psalmum LXIII.
In psalmum LXIV.
In psalmum LXV.
In psalmum LXVI.
In psalmum LXVII.
In psalmum LXVIII.
In psalmum LXIX.
In psalmum LXX.
In psalmum LXXI.
In psalmum LXXII.
In psalmum LXXIII.
In psalmum LXXIV.
In psalmum LXXV.
In psalmum LXXVI.
In psalmum LXXVII.
In psalmum LXXVIII.
In psalmum LXXIX.
In psalmum LXXX.
In psalmum LXXXI.
In psalmum LXXXII.
In psalmum LXXXIII.
In psalmum LXXXIV.
In psalmum LXXXV.
In psalmum LXXXVI.
In psalmum LXXXVII.
In psalmum LXXXVIII.
In psalmum LXXXIX.
In psalmum XC.
In psalmum XCI.
In psalmum XCII.
In psalmum XCIII.
In psalmum XCIV.
In psalmum XCV.
In psalmum XCVI.
In psalmum XCVII.
In psalmum XCVIII.

In psalmum XCIX.
In psalmum C.
In psalmum CI.
In psalmum CII.
In psalmum CIII.
In psalmum CIV.
In psalmum CV.
In psalmum CVI.
In psalmum CVII.
In psalmum CVIII.
In psalmum CIX.
In psalmum CX.
In psalmum CXI.
In psalmum CXII.
In psalmum CXIII.
In psalmum CXIV.
In psalmum CXV.
In psalmum CXVI.
In psalmum CXVII.
In psalmum CXVIII.
In psalmum CXIX.
In psalmum CXX.
In psalmum CXXI.
In psalmum CXXII.
In psalmum CXXIII.
In psalmum CXXIV.
In psalmum CXXV.
In psalmum CXXVI.
In psalmum CXXVII.
In psalmum CXXVIII.
In psalmum CXXIX.
In psalmum CXXX.
In psalmum CXXXI.
In psalmum CXXXII.
In psalmum CXXXIII.
In psalmum CXXXIV.
In psalmum CXXXV.
In psalmum CXXXVI.
In psalmum CXXXVII.
In psalmum CXXXVIII.
In psalmum CXXXIX.
In psalmum CXL.
In psalmum CXLI.
In psalmum CXLII.
In psalmum CXLIII.
In psalmum CXLIV.
In psalmum CXLV.
In psalmum CXLVI.
In psalmum CXLVII.
In psalmum CXLVIII.
In psalmum CXLIX.
In psalmum CL.
COMMENTARIA IN CANTICA ALIQUOT.
Canticum Isaiae prophetae.
Canticum Ezechiae regis Juda.
Canticum Annae.
Canticum Moysi ad filios Israel.
Oratio Hababuc prophetae: pro ignorantis.
Canticum Moysi.
COMMENTARIA IN ISAIAM.
Haymonis praefatio.
LIBER PRIMUS.
CAPUT PRIMUM.
CAP. II.
CAP. III.
CAP. IV.
CAP. V.
LIBER SECUNDUS.
CAP. VI.
CAP. VII.
CAP. VIII.
CAP. IX.
CAP. X.
CAP. XI.
CAP. XII.
CAP. XIII.
CAP. XIV.
CAP. XV.
CAP. XVI.
CAP. XVII.
CAP. XVIII.
CAP. XIX.
CAP. XX.
CAP. XXI.
CAP. XXII.
CAP. XXIII.
CAP. XXIV.
CAP. XXV.
CAP. XXVI.
CAP. XXVII.

CAP. XXVIII.
CAP. XXIX.
CAP. XXX.
CAP. XXXI.
CAP. XXXII.
CAP. XXXIII.
CAP. XXXIV.
CAP. XXXV.
CAP. XXXVI.
CAP. XXXVII.
CAP. XXXVIII.
CAP. XXXIX.
CAP. XL.
CAP. XLI.
CAP. XLII.
CAP. XLIII.
CAP. XLIV.
CAP. XLV.
CAP. XLVI.
CAP. XLVII.
CAP. XLVIII.
CAP. XLIX.
CAP. L.
CAP. LI.
CAP. LII.
CAP. LIII.
LIBER TERTIUS.
CAP. LIV.
CAP. LV.
CAP. LVI.
CAP. LVII.
CAP. LVIII.
CAP. LIX.
CAP. LX.
CAP. LXI.
CAP. LXII.
CAP. LXIII.
CAP. LXIV.
CAP. LXV.
CAP. LXVI.
FINIS TOMI CENTESIMI DECIMI SEXTI.